Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

In Euangelii quod inscribitur secundum Lucam, duodecim priora capita homiliae centum et decem.

https://hdl.handle.net/1874/402486

B
ECC
D

Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell

Huybert van Buchell (1513-1599)

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- de rug van het boek
- de kopsnede
- de frontsnede
- de staartsnede
- het achterplat

This book is part of the Van Buchell Collection

Huybert van Buchell (1513-1599)

More information on this collection is available at:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

E. fo.
23



25.

4.

№ 36. p.



legatura 8ª

N. 27. C

E. fol. 29. 1/2

IN EVANGELII

QVOD INSCRIBITVR SECVNDVM
Lucam, duodecim priora Capita, Homiliæ
Centum & decem.

AVTORE IOANNE BRENTIO



Ex Donatione Hub. à Bucholtz.

Euangelion Christi, potentia Dei est, ad salutem
omni credenti. Roma. 1.

HALAE SVEVORVM EX OFFICINA
Petri Brubachij. Anno M. D. XXXVIII.





VIRO AMPLISSIMO D.

GEORGIO VOGLERO SENATORI BRANDEN burgensi, Domino suo in Christo obseruando Salutem D.



VM Superioribus annis Homilias in Acta Apostolica in lucem darem, recepi me eas quoq; Homilias uulgaturum. quas utcunq; in Euangelion, quod inscribitur secundum Lucam, adnotaueram. Tametsi autē initio statueram, totum Lucam Homilijs uno libro explicatum ædere, tamen cum in recognitione peruenissem ad duodecimum caput, et uiderem libri magnitudinē præter opinionem meam excreuisse, consultius existimaui, sententiam mutare, & alteram tantum partē, hoc tempore, quam nullam studiosis sacrarum literarum offerre. Ea enim est Euangelistarum in scriptis ratio, ut e singulis concionibus ac miraculis Christi, singulos libellos conficere queas, & non omnino nullam meretur in Ecclesia Christi gratiam, qui uel unam tantum aut alteram sacræ scripturæ περικοπὴν diligenter & utiliter interpretatur. Quare quod hoc tempore satis uisum est, priorem duntaxat partē Homiliarum mearum in Lucam ad publicum usum profero, daturus etiam posteriorem, cum & per alia negocia licuerit, & sensero hunc laborē meum Ecclesiæ nec molestum nec inutilem esse. Cæterum, quia tanta libri magnitudine ac uerborum prolixitate, duodecim tantū modo capitum explicationem pollicear, erūt fortassis, qui mox exclamabunt: Hui, quantillo pedi, quantus calceus? Erūt & alij, qui hæc propter concisum & incultum sermonis genus fastidiant. Hi mihi paucis admodū, siquidem ipsis ita libeat, placandi sunt. Quā quam enim, si grammatica linguarum phrasi uel leuiter imbutus fueris, nullum scripti genus tam perspicuum, tamq; dilucidum, q̄

ſacrarum literarum, ac præſertim trium priorum Euangeliſtarum extare uideatur, uix tamen uerbis dici poteſt, quantis tenebris humana mens, quam ſacræ literę de uera religione & pietate erudiendam ſuſceperunt, morbo ſuo natiuo obruta ſit. Nam ut præteream, q̃ opinione quidem Dei utcunq̃ ſit imbuta, qualem autem deceat habere Deum, natura ſua prorſus ignoret, hæ demum horrẽdæ ſunt tenebræ, q̃ &ſi uerum Deum ſpiritus ſancti luce cognouerit, aduerſis tamẽ rebus uel mediocriter concuſſa, paulo momento in tantos errores impellatur, ut etiam ſollicitetur, nullum penitus Deum putare, ac uiciſſim proſperis rebus affecta, tanta ſecuritate effertur, ut ſibi Deum ocioſum ac ſuperuacaneũ exiſtimet. Sunt & alia innumera nebularum genera, quas Satan humanę mẽti uarijs modis offundere ſolet, ut rectam de Deo cognitionem excutiat, & ueram pietatem extinguat, aut ſi id non omnino poteſt, ſaltẽ obſcuret. Nõ eſt autem nec illuſtrior nec commodior lux, qua nebulæ iſtę diſpellantur, quam ſacra ſcriptura, præſertim ea quę reuelatum Euangelion de Chriſto continet. Cum igitur interpres primum quidem ſingula nebularum genera expoſitiõe ſua ob oculos ponit, deinde ad ſingula ſuam lucem accommodat, nihil certe mirum, ſi paulo prolixior fiat oratio, quæ tamen prolixitas tanto tolerabilior eſt, quanto maiori utilitate legendi faſtidium, ſi modo homini pietatis ſtudioſo ſacræ literæ quamuis ruditer expoſitæ, faſtidio eſſe poſſint, compenſat. Huc accedit, q̃ in publica ſcripturę explicatione coram Eccleſia, neceſſe eſt alicubi, non ſolum in cõmunes exhortationum locos digredi, uerumetiam aduerſarijs reſiſtere: & cum unaquæq̃ hæreſis ſcripturam impiæ ſuæ intelligentiæ aſſerat, hoc opus, hic labor eſt, ueram ſcripturæ ſententiam ita cõfirmare, ut diuerſum ſentientes perſpicue conuincantur, & imbecilles hominum conſcientiæ in officio contineantur. Quid, q̃ hac tẽpeſtate, qua uarijs doctrinis de religione omnia ſurſum deorſum feruntur, niſi quæ doces diligenter & circumſpecte munias, maximo Eccleſiæ periculo doceas. Si de fide dicendum, & fidei iuſtitia pro dignitate explicanda eſt, niſi addas etiam ſuam operum rationem, periculum erit, ne auditorum uulgus fidem ita prædicari intelligat, ut nihil bonorum operum faciendum ſit. Si contra de operibus ſermo eſt, niſi fidem adiungas, exiſtimant imperiti, ueram iuſtitiam meritis operum tribui. Gratiam DEI commendas, exhortatio ad capeſſendam obedientiam addenda eſt, ne impię magis ignauię occaſionem prębeas, quam pietatem doceas. Exhortaris, ſed niſi diuinæ gratiæ autoritatem probe illuſtraueris, humana ratio,

neſcio

neſcio quas, ſibi naturales uires uendicet. De ſpiritus ſancti in nobis operatione loqueris, externo uerbi Dei miniſterio ſuus etiam honos tribuendus eſt, ne in conclaue te intrudas, & neglecto uerbo Dei, iam ante probe confirmato, nouas de cœlo reuelatiões expectes. De maieſtate externi miniſterij cõcionaris, niſi ſpiritui ſancto ſuam autoritatem aſſeras, humanum intelligunt opus, non diuinam clementiam nos ſeruare, adeoq; dũ diligẽter ſtudeas, iuxta Pauli præceptum, ſermonẽ ueritatis ὀρθοτομεῖν, fieri non poteſt, quin præter tuam ipſius expectationem creſcat oratio. Iam & hoc non breuem ſibi orationis partem uendicat, q; in ſacris literis interpretandis, ſcriptura inter ſe conferenda eſt, ut non humana opinione, ſed ſua ipſius collatione, hoc eſt, ſpiritus ſancti ſententia explicẽt, quod num in hoc opere præſtiterim, aliorum eſto iudicium, certe conatus ſum. Quare futurum ſpero, ut cum ea tractem, quæ mẽtis caliginem diſſiciant, conſciẽtiam de uera religione erudiant, ac ueram ſalutis rationem oſtendant, boni uiri hanc expoſitionis prolixitatem non ſolum æqui conſulant, ſed multo magis ad lectionẽ inuitentur, tantum abeſſe puto, ut deterreantur. Vt autem excuſem impolitum genus dicendi, non multum mihi deſudandum exiſtimo. Nam quę ſcripſi, non ut exempla eloquentiæ, ſed ut rudimenta fidei ſcripſi. Et ſacra explico, quæ cum ipſarum rerum maieſtate commendentur, non indigent uerborum lenocinio. Iacet oratio, fateor, ſed CHRISTVS, qui in ea prædicatur, ſurrexit. Friget litera, ſed ſpiritus, qui per eam adminiſtratur, ardet. Quare, qui hęc faſtidit, q; ſint inerudita, amplectatur ipſa, q; ſint ſacra, præſertim cum ſint multæ aliæ, ni fallor, utilitates, quæ orationis ruditatem non compenſant tantum, ſed & ſuperant. Tibi uero, ampliſſime idemq; amiciſſime in Chriſto Voglere, hunc meum laborem nominatim dedico, ut quoquo modo poſſem, gratitudinẽ animi mei erga te ſignificarem. Nam cum eximia quadam uoluntate, & ſingulari amore me multo iam tempore complexus fueris, teneri non potui, quin publice declararem, tuum in me fauorem mihi gratiſſimum eſſe. Obſecro autem te per Chriſtum, ut quod patrocinium uerorum Eccleſiæ miniſtrorum magna animi pietate iam dudum ſuſcepiſti, perpetuo tuearis. Vale. Ex Hala Sueuorę. XII. Martij. Anno M. D. XXXVII.

Ioannes Brentius.

TYPOGRAPHVS LECTORI SALVTEM.

CVM hanc priorem partem Homiliarum D. Ioannis Brentij in Euangelion Lucæ denuo impressissem, non sine consilio factum est, q̃ indicem non adieci. Nam cum prior æditio nullum habuerit, & hæc altera tametsi haberet, ad priorem tamen accõmodari non possit, ideo uisum est integrum indicem in alteram partẽ Homiliarum in Lucam reijcere, quę & breui quidẽ, uolente Deo, ab autore prælo nostro committetur, & a nobis ijsdem typis, eademq̃ forma imprimetur. Bene uale.

IN EVANGELION

IN EVANGELION

LVCAE, HOMILIAE, CAPVT PRIMVM.

Homilia prima.



ISTORIAM, QVAM SANCTVS EVANgelista Lucas de rebus gestis, doctrina, & Euangelio Domini nostri Iesu Christi cõscripsit explicaturus, operæpreciũ me facturum existimo, si ante omnia ostendam, primum quidem, quid sit Euangelion, deinde quot sint Euangelia, adhæc quis fructus, quæ utilitas, quod officium Euangelii sit. Postremo pauca etiam de huius historiæ scriptore, Luca, adiiciemus. Quanquam autem iam antea sæpenumero tractauerimus, quid sit Euangelion, tamen non pigebit idem nunc quoq; repetere, & ruditer quidem, attamen dilucide exponere. Necesse enim est, ut omnes Euangelio, qd' prædicatur de Iesu Christo, fidẽ adhibeant. Quæ autem erit fides, quæ cõstantia fidei in aduersis, si ignores, quid sit Euangelion, cui fides adhiberi debet? Et turpissimum est, ipsum Euangelii nomen semper in ore circumferre, propriam autem nominis huius significationem nescire. Sed enim multi sanè auditores probe teneant Euangelii rationem, neq; tamen hi etiam nunc de ea re differentẽ absq; cõmodo suo audient. Qui enim audit, qd' prius nouit, nihil de sua cognitione amittit, sed id aut tenacius memoriæ suæ commendat, aut magis perspicue cognoscit. Proinde & qui ignorant, & qui sciunt, uterq;, obsecro, diligenter animaduertite, ut quod & utile & necessarium scitu est, probe percipiatis. Euangelion igitur nec est Hebræum, nec Latinũ, nec Germanicum, nec Gallicum, sed Græcum uocabulum, & significat bonum, faustũ, & fœlix nuncium. Quem enim Græci angelum, unde Euangelion descendit, uocant, eum nos nuncium uocamus. Potest autem usus eius in prophanis quoq; rebus esse. Si cui famelico adnunciatur, lautam & opiparam cœnam paratam esse, Euangelion (sed prophanum) dici potest. Hoc enim nuncio exhilaratur & refocillatur animus famelici. Si quis in carcere captiuus audit, se proximo die liberum fore, audit Euangelion, hoc est, nuncium animo suo gratissimum. Si medicus polliceatur ægroto, qui multo tempore maximis doloribus excruciatus est, postero die pristinam sanitatem adfuturam, is certe dici potest ægroto Euangelion prædicare. Breuiter, quicquid iucundi, grati, & læti, tristi & cupido animo adnũciatur, id Euangelii nomine explicari potest. Nos autem nunc non prophani, sed sacrosancti Euangelii rationem inuestigamus, nec illud Euangelion inquirimus, quod ad tempus duntaxat carnalem lætitiam nobis affert, sed quod nos gaudio æternum duraturo afficit, & quod potentia Dei est ad sempiternam salutem omni credenti. Quid enim ad ueram salutem profuerit fameli co, etiãsi corpus suum cibo impleat? quid captiuo, etiamsi corpore suo liberuagetur? quid ægroto, etiamsi sanitatem corporis consequatur? denicq; quid abiectissimo omnium pastori profuerit, etiamsi à tugurio ad aulã, à pedo ad sceptrum, ab ouibus ad regnum & imperium huius seculi transferatur? Hæc omnia, & alia id genus multa, & si carni gratissima & iucundissima sunt, amabo tamen te, quæ potest esse harum rerum aut iucunditas aut utilitas, si quis, ut in peccatis conceptus & natus est, ita in peccatis maneat, remissionem peccatorum non habeat, sed sit iræ diuinæ obnoxius, Deo exosus, à Deo damnatus, & necesse habeat, uel tãdem ita mori, ut per mortem ingredi

Euangelion quid sit.

Hominis conditio miserrima.

atur in ppetuas tenebras, ubi est sempiternus & inexplicabilis cruciatus? Non ẽm, si hominũ conditionẽ excutias, tam bene agit cum humano genere, quàm multi rerum spiritualium ignari autumant. Ac ignis inferni longe flagrantius ardet, quàm dici, & Satan multo crudelior est, quàm pingi potest. Etenim, postquam Adam primus patriarcha noster aduersus Deum peccauit, non se solum, uerumetiam omnes ab ipso nascentes, propter peccatum à Deo alienauit, & potestati Satanæ tradidit, adeóq; effecit, ut propter ipsum, peccatum & mors ad perpetuam condemnationem, in omnes homines propagarẽtur. Vbi autem est peccatum, ibi est ira Dei, & ubi ex ira Dei mors est, ibi sempiternus est interitus. Quid igitur potest esse homine miserius, quid calamitosius? Quanq̃ enim tantam miseriam & calamitatem non semper re ipsa sentiamus, tamen si ponamus nobis ob oculos eos homines, in quibus Deus in hoc seculo reuelauit magnitudinem iræ suæ, & grauitatẽ cõspectus mortis, damnationis,

Ira Dei, res grauissima.

& ignis inferni, nihil certe atrocius, nihil crudelius uidebitur. Aspice, obsecro, mihi Iobem, sensu iræ diuinæ & iudicii mortis perculsum. Ex uerbis enim eius haud obscure intelliges, quanti sint dolores eius, qui sentit iram Dei, & iudicium mortis. Pereat, inquit, dies, in qua natus sum, & nox in qua dictum est, conceptus est homo. Et mox: Quare nõ in uulua mortuus sum, aut quare egressus ex utero non statim perii? Et iterum: Elegit suspendium anima mea, & mortem ossa mea. Rursus eiulatum quoq; Dauidis de eadem re audi: Sagittæ tuæ, inquit ille, infixæ sunt mihi, & confirmasti super me manum tuã. Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ, non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum. Accedit huc & rex Hiskia: Quasi leo, inquiens, sic contriuit omnia ossa mea. Ex his, & aliis, quos sacra scriptura nobis proponit, utcunq; animaduertere licet, ira Dei aduersus peccatum, & conspectu mortis nihil esse grauius, nihil intolerabilius. Fortasis autem magnitudo huius doloris aliquo modo ferri posset, si spes esset, ullum hominem mox adfuturum, qui nos uel potentia, uel sapientia sua seruaret, aut opus aliquod tam sanctum esset, propter quod ira Dei mitigaretur. Tunc enim aut hominem illum beneficiis nobis cõciliaremus, ut nos seruaret, aut opus sanctum faceremus, ut Deum placaremus. Sed ecce, ad priorem miseriam etiam hæc accedit, quòd omnes homines eodem malo obnoxii sunt, quo nos, & seipsos seruare non possunt, nec ullum opus humanum tam iustum, & tam sanctum inueniri potest, propter cuius dignitatem ac meritum ira Dei mitigetur. Itaque quocunque circumspiciamus, nullus auxilii locus, nec in ullis hominibus, nec in ullis operibus nostris, relictus est. Quid igitur homini tantis horroribus concusso gratius, quid iucundius, quid lætius contingere posset, quàm si ueracibus uerbis, quibus tuto crederet, adnunciaretur ipsi, Deum placatum esse, remisisse peccatum, nolle condemnare, sed uelle in media morte seruare ad perpetuam uitam? Profecto tale nuncium ita recreabit ipsum, ut existimet se non solum è tenebris ad lucem, uerumetiam è morte ad uitam, ex inferis ad cœlum emersisse. Porro autem prædicatio de Iesu Christo adnunciat nobis, Deum propter Christum uere esse placatum, & nolle peccatũ imputare, sed uelle uitam æternam gratis largiri his, qui credunt in Christum. Proinde uerum & sanctum, de quo nos nũc loquimur, Euangelion nihil aliud est, quàm prædicatio de Iesu Christo, quòd ipse satisfecerit pro peccatis nostris, & placauerit Deum, ac impetrauerit, ut Deus his, qui credunt in ipsum, nulla prorsus peccata imputet, sed reputet eos tantum per fidem propter Christum, absque omni bonorum operum merito, in conspectu suo iustos, & donet ipsis gratuita clemẽtia cœlestem hæreditatem. Est

Legis prædicatio.

quidem & alia quædam prædicatio, quæ uocatur prædicatio Legis, quæ docet nos, quales esse debeamus, & quæ facere, quæue omittere oporteat, condemnans eos, qui

non sunt

non sunt tales, quales ipsa requirit. At hæc prædicatio non pacificat, sed turbat conscientiam, non lætificat eam, sed amarissima tristicia afficit, & ut Paulus ait, occidit. Requirit enim homines non tantũ ciuiliter honestos, sed etiam spiritualiter iustos, ac ita sanctos, ut nulla prorsus peccati macula sordidati sint. Nos autẽ sumus carnales, sub peccatum uenundati. Cum igitur audimus prædicationẽ Legis, magis audimus condemnationem & maledictionem nostram, quàm benedictionem & pacẽ. Prædicatio autem quæ adnunciat Iesum Christum pro peccatis nostris satisfeciſſe, Deum placatum esse, & nos iustos per fidem propter Christum reputare, ac gratis iustificare, hæc, inquàm, prædicatio, conscientiam ante turbatam, tranquillam reddit ac pacificat. Hæc igitur sola prædicatio, uerum est illud ac sacrosanctum Euangelion, de quo in præsentia loquimur, & per quod ueram ac perpetuam salutem consequimur. Habes quid sit Euangelion, quantum ad præsens institutum nostrum satis est. Videamus nunc quot sint Euangelia. Ac siquidem Euangelion iucundum & fœlix nũcium est, satis manifestum est, tot esse, tam in prophanis quàm in sacris rebus, Euangeliorum genera, quot sunt genera bonorum ac fœlicium nunciorum. Nos autem nunc tantum de Euangelio Iesu Christi loquimur. Proinde sicut unus tantum est Deus pater, qui filium suum unigenitum in hunc terrarum orbem ad redimendũ humanum genus misit, & unus tantum est Iesus Christus filius Dei, qui à Patre missus, propter peccata nostra traditus, & propter iustificationem nostri excitatus est, ac unus tãtum est spiritus sanctus, quem Christus ad sanctificandum, confirmandum & consolandum corda credentiũ mittit, ita unum tantum est Euangeliõ, & una prædicatio de Iesu Christo, quòd sit expiator peccatorum nostrorum, & placator Domini Dei nostri. Si enim Christus non est diuisus, quomodo Euangelion de Christo diuisum esse posset? Neque hoc Euangelii unitatẽ diuidit, quòd uulgo quatuor Euangelistæ ferantur, Matthæus, Marcus, Lucas & Ioannes. Hi enim omnes, quamuis interdum alius aliud sequi uideatur, tamen in summa hoc unum & idem Euangelion concorditer scripserunt. Nec est imaginandum, ꝙ hi soli Euangelion de Iesu Christo scriptis suis adnunciauerint, aut quod huius Euangelii prædicatio, eo tantum tẽpore, quo Pilatus põtidẽ in Iudæa egit, recẽs orta sit. Hoc enim Euãgelion prædicatũ est iã inde ab initio, primo parenti nostro Adamo, quando dictũ est ad serpentem: Semẽ mulieris conteret caput tuum. Hoc Euangelion adnunciatum est Abraamo, cũ audiit: In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ. Hoc Euangelion, pphetatũ est Dauidi, cũ dictũ est ad ipsum: Suscitabo semẽ tuũ post te, quod egredietur de utero tuo, & firmabo regnum eius, & stabiliam thronum regni eius usq; in sempiternũ. Hoc Euangelion omnes prophetæ tractarunt, & inculcarunt. Postquam uero reuelatus est Iesus Christus in carne, & misit Apostolos suos in orbẽ terrarum, prædicatio huius Euangelii sparsa est per Apostolos, tum uiua uoce, tum scriptis quoque, inter omnes gentes. Vnde conciones Apostolorum, quas Lucas in Actis Apostolicis conscripsit, & Epistolæ Pauli, ac aliorum quorundam Apostolorum, nihil aliud sunt, quod ad principalem statum earum attinet, quàm huius Euangelii adnunciatio. Ac nõnihil quidem interest, inter conciones prophetarũ & Apostolorum. Illi enim Iesum Christum paulo obscurius suo tempore adnunciarunt, & ueluti per transennã ostenderunt: Hi autem pulsa omni umbrarum caligine manifestissime ipsum prædicarunt, attamẽ quod ad ipsam Euangelii de Iesu Christo substantiã attinet, nihil plane inter prophetas & Apostolos interest. Quem enim illi uenturum promiserunt, eũ hi uenisse testificati sunt. Sed nec hoc sentiendũ est, quòd nos quidem iustificemur & seruemur per prædicationem huius Euangelii, Patriarchæ autẽ & prophetæ ac alii

Euangeliá quot sint.

Euangelii aũtiquitas.

qui ante Christum natum fuerunt, iustificati & seruati sint per prædicationem legis, aut alias quasdam uias ac rationes. Tantum enim una est uia iustificationis, una tantum est ratio perueniendi ad salutem, unum solum est ostium regni cœlorum, quod est Iesus Christus Dominus noster. Necesse igitur est, quòd quicunq; uel olim iustificati sunt, uel nunc iustificantur, uel post iustificabuntur, propter solum Iesum Christum gratis per fidem iusticiam habeant. Et cum fides sit ex auditu, auditus autẽ per uerbum Dei seu Euangeliõ de Iesu Christo, facile coniici potest, non eos tantum, qui hoc tempore Euangelio, de gratuita remissione peccatorum propter Christum, fidem adhibent, sed etiam Adamum, Abraamum, Isaacum, Iacobum, Iosephum, Dauidem, breuiter, omnes patriarchas & prophetas, pro Euangelicis habendos esse. Hi enim non solum audierunt prædicationẽ Euangelii de Iesu Christo, quemadmodũ ante ostendimus, sed etiam fidem ei adhibentes, iusticiã per illud propter Christum cõsecuti sunt. Quã rem, etsi nunc non sit necesse argumentis & testimoniis confirmare, unum tamen testimonium Pauli addemus, quod pro multis aliis nobis sufficere debet. Is autem ad Galatas scribens, ita inquit: Præuidens scriptura, quòd ex fide iustificat gentes Deus, προευηγγελίσατο, hoc est, præeuangelizauit Abraæ, quòd benedicent in te omnes gẽtes. Igitur qui ex fide sunt, benedicentur cũ fideli Abraam. Hæc uerba testantur, Abraamũ non solum Euangelion de Iesu Christo audiuisse, & fide excepisse, sed etiam incircumcisas gentes exemplo Abraæ per prædicationem Euangelii, hoc est, per fidem propter Christum iustificari. Habes igitur, unum tantum Euangelion remissionis peccatorum seu iustificationis esse, & unam tantum ueræ salutis uiam patere, quam necesse habent ingredi, quotquot ueram salutem desiderant.

Euangelici etiam Patriarchæ fuerũt

Sed quam dicis utilitatem, quem fructum Euangelii de Iesu Christo? Quis autem utilitatẽ & fructum huius Euangelii pro dignitate sua satis explicare posset? Nos, quod possumus, præstamus, & quanquàm iam antea hãc rem nonnihil attigimus, tamẽ ad iiciemus nunc pauca quidem illa, sed quæ ad præsens institutum nostrum sufficiũt. Primum igitur, hoc Euangelion adnunciat gratuitam remissionem peccatorum propter Christum. Proinde, qui huic Euangelio fidem adhibet, is consequitur per illud remissionem peccatorum. Et quod per nulla opera, quãtumuis sancta, potuit parari, hoc per illud Euangeliõ fide parari potest. Vbi aũt est remissio peccatorũ, ibi est iusticia coram Deo, & beatitudo. Beati, inquit psalmus, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorũ tecta sunt peccata. Beatus uir cui non imputabit Dominus peccatum. Hoc igitur Euangelion affert nobis ueram iusticiam & sanctitatem coram Deo. Deinde, quia ostẽdit patrem nobis per Christum placatum esse, offert etiam nobis præsentissimum remedium in omnibus aduersis. Vbi enim cognoscimus per fidẽ, quòd Deus gerat in nos paternum affectum, ibi Deum in aduersis, ut patrem, inuocamus. Vbi autem Deus ut pater inuocatur, ibi iuxta promissionem suam nequit sese continere, quin in omnibus aduersis filio suo opem ferat. Itaque Euangelion ostẽdens nobis placatum Deum, ostendit etiam salutem in omnibus afflictionibus. Est præterea hoc Euangelion, organon, per quod datur nobis spiritus sanctus, ut uirtute eius reliquias carnis mortificemus, & in nouitate uitæ ambulemus. Breuiter, hoc Euangeliõ potentia Dei est, quemadmodum Paulus ait, ad salutem omni credenti. Hoc igitur Euangelio nihil nobis utilius, nihil magis salutiferum, nihil denique magis necessarium contingere potuit. Cæterũ, inter scriptores Euangelii de Iesu Christo, Lucas, cuius historiam de rebus gestis & doctrina Christi interpretandam suscepimus, non postremæ autoritatis cẽsendus est. Is enim Lucas primum professione sua fuit medicus Antiochenus. Deinde autem Christum agnoscens, in negociis fidei magna laude uersa

Euangelij utilitas.

Lucas q̃s sit.

de uersatus est. Cuius scripta, nobis tanto commendatiora esse debent, quanto ipse maiori præconio à magno illo Apostolo Paulo commendatur. Hic enim ad Corinthios scribens de Luca, ita loquitur: Misimus unà cũ illo fratrem, eum, cuius laus est in Euangelio per omnes Ecclesias, nec id solum, uerũetiam delectus est ab Ecclesiis comes peregrinationis nostræ. Quid potuit de Luca honorificentius dici, quàm quòd primum commẽdetur propter Euangelion, quod conscripsit, non ab una tantum, sed ab omnibus ecclesiis, iisq; nondum impia doctrina cõtaminatis, sed adhuc summa pietate florentibus, à quibus laudem consecutum esse, certe magnæ pietatis argumentum est. Deinde, q̃ fuerit dignus habitus ab omnibus ecclesiis, qui esset comes peregrinationis Pauli. Meminit etiam Paulus huius, ad Colossenses scribẽs: Salutat, inquit, uos Lucas medicus, dilectus. Non uocaret eum dilectũ, nisi sciret ipsum Domino Iesu Christo acceptissimum esse. Ad Timotheum autem scribens, indicat eum grauissima quæque pericula unà cum ipso, propter nomen Christi subiisse, cum alii omnes comites aut discessissent, aut defecissent: Lucas, inquit, solus mecũ est. Cũ igitur Lucas tanta habeat testimonia suæ pietatis, excipiamus obuiis, quod aiũt, manibus scripta eius, & quod Paulus de suo Euangelio dicit, hoc etiam sentiamus de Euangelio (idem em̃ est, quod Euangelion Pauli) à Luca conscripto, ut si angelus è cœlo aliud Euangelion prædicauerit, anathema sit. Sic enim fiet, ut quemadmodum quondam Lucas medicamentis suis corporalibus, ægrotorum corpora, à malis humoribus & morbis purgauit, ita nunc animi nostri per sacram Euangelii medelam, à Luca scriptis suis subministratam, ab omnibus uitiis atque peccatis purgentur, per Iesum Christum Dominũ nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus laudandus in secula. Amen.

HOMILIA II.



Rauissime præceptũ est à Mose, ut nemo appareat uacuus in conspectu Domini Dei sui, sed offerat unusquisq; quod habuerit iuxta benedictionem, quã dederit ipsi Dominus. Cum igitur nunc in conspectum Dei (ubi enim, inquit, duo uel tres in nomine meo cõgregati sunt, ibi ego sum in medio eorum) cõuenerimus, agite fratres amicissimi, obsequamur diuino mãdato, & offeramus quisque in tabernaculum Domini, quod possumus & debemus. Non requirit autem Dominus hoc tempore uitulos, agnos, boues & capras in holocausta, sed requirit uitulos labiorum nostrorum, & hostiam laudis. Ac ego quidem, quando Dominus uocauit me, quamuis indignissimum, in uerbi sui ministeriũ, assera linguam non eruditã quidẽ & eloquentẽ, sed piam, qua pro mea mediocritate explicabo historiam Euangelii Domini nostri Iesu Christi, à Luca conscriptam. Vos autem afferte aures & animos, quos par est uocanti è maxima infœlicitate ad perpetuam fœlicitatem & salutem præbere. Harum enim rerum oblatio, ut Domino Deo nostro acceptissima, ita nobis longe omnium utilissima est. Mandat enim Dominus seueriter, ut uerbum Dei auditori non oscitanter proponatur, sed acuatur, & ut Euãgelion omni creaturæ prædicetur & inculcetur. Nam cum Euangelion sit potentia Dei ad salutem omni credenti, & Deus non mortem sed uitam & salutem nostrã uelit, quid potest Deo esse gratius & nobis utilius, quã ipsa Euangelii explicatio? Quod igitur fœlix faustúmque sit, audiamus, quæ Lucas scribat. Cum multi conati sint historiam conscribere eorum, quæ certo cõperimus & accepimus ab iis, qui ipsi ab initio & spectatores & ministri uerbi fuerunt, uisum est & mihi omnia consectato accura

» te à capite, ordine ad te perſcribere, optime Theophile, ut agnoſcas eorum, de qui-
» bus audiſti, certitudinem. Hoc eſt exordiũ, quod Lucas operi ſuo præpoſuit, in quo primum uides, Lucam dedicare opus ſuum Theophilo cuidam, qué inſigni ſeu potétiæ ſeu uirtutis elogio cõmendans, optimum uocat, cui etiam librum Actorũ Apoſtolorum inſcripſit. Deinde, quod in exordio fieri ſolet, præparat attentionẽ & efficit docilitatem, dum pollicẽ ſe ea de Euangelio Ieſu Chriſti conſcripturũ, non quæ ex uanis autoribus acceperit, ſed quæ accuratiſsimo ſtudio, & exactiſsima diligentia, omnibus ab initio rerũ geſtarum perſcrutatis, cognouerit. Huc facit & illud, quod promittit, ſe hæc omnia, non cõfuſim, ſed ordine perſcripturũ. Poſtremo, ſignificat multos etiam alios ſcripſiſſe hiſtoriam Euangelicã de Ieſu Chriſto, ſed in quibuſdam conatum magis quàm factum cõmendandum: quoſdam uero incerta pro certis tradidiſſe. Sunt autẽ quatuor, quos Euãgeliſtas uocamus, Matthæus, Marcus, Lucas & Ioannes, quorũ autoritas ſacroſancta, & fides certiſsima eſt. Præter hos uero extat etiam Euangelion Nicodemi. Et ſunt, qui Barnabæ, Thomæ, Bartholomæi, atque aliorũ quorundam Euangelia extitiſſe affirment, ſed horum ſcripta nullum habent autoritatis pondus in Eccleſia Domini. Cur ergo, inquies, horum Euangelia reiiciuntur, illorũ autem, uidelicet Matthæi, Marci, Lucæ & Ioannis, recipiuntur? Nũ hoc ideo fit, quòd Eccleſia alios agnoſcat, alios condemnet, & ſicut ille ait: Euangelio nõ crederem, niſi me catholicæ eccleſiæ cõmoueret autoritas? Hic magna quæſtio oritur. Nã, ſi dixerimus, quatuor Euãgeliſtas & alios ſacræ ſcripturæ libros, ob hãc cauſſam fide dignos, quòd eccleſia approbauerit eos, mox audimus: Eccleſia igitur ſupra ſcripturam eſt, & obſeruandum eſt quicquid Eccleſia conſtituerit, adeoq; eccleſia habet poteſtatem mutandi, augendi, & minuendi ſacram ſcripturam & articulos fidei? Si uero dicamus, libros ſacræ ſcripturæ, non ideo fide dignos, quòd Eccleſia approbauerit eos, ſed quòd uerum ſit, quod in ipſis ſcribitur, mox alia quæſtio oritur, unde ſciamus uerum eſſe, quod in receptis ſacræ ſcripturæ libris ſcribit, & falſum eſſe, quod in reprobatis legitur? Si reſpondeamus, ſpiritum ſanctum iudicem eſſe, ſtatim inquiritur, cum ſpiritus ſanctus per homines loquatur, qui fuerint illi homines, qui è ſpiritu ſancto approbarunt ſcripturas? Itaq; tandem ad idem redibit quæſtio, num ſacra ſcriptura ideo recepta ſit, quòd approbauerit eam eccleſia. Et ſi Eccleſiæ autoritas ſupra ſcripturam eſt, habebit etiam Eccleſia poteſtatem mutandi, aut in totum abrogãdi ſcripturam? Vt ex his inuolucris nos euoluamus, docebimus principio, quid ſit Eccleſia, deinde oſtendemus argumentis, uerum quidem eſſe, libros ſacræ ſcripturæ ideo fide dignos haberi, quòd Eccleſia eos agnouerit, & canonicos iudicauerit, non tamen ex eo conſequi, quòd Eccleſia ſuperet autoritate ſua ſcripturam, & habeat poteſtatem mutandi ſcripturam, & nouos articulos fidei condendi, quemadmodũ impii quidam de Eccleſia nugantur. Eccleſia igitur, etſi, quantum ad externum ſenſum attinet, ſit congregatio omnium eorum, qui ad prædicandum & audiendum Euangelion Ieſu Chriſti, & ad diſtribuenda ac ſumenda ſacramenta Chriſti conuenire ſolent, ſiue ueram fidem in Chriſtum habeant, ſiue fingant fidem, proprie tamẽ Eccleſia, eorum tantum congregatio eſt, qui uere credunt in Ieſum Chriſtum, & uere habent Spiritum ſanctum. Paulus enim ad Epheſios ſcribens: Dedit (inquit) Chriſtũ caput ſuper omnia ipſi Eccleſiæ, quæ eſt corpus illius, complementũ eius, qui omnia in omnibus adimplet. Et ad Corinthios: Vos, inquit, eſtis corpus Chriſti, & mẽbra, ſecundum ſuam quisq; partem. Qui autem non credit uere in Chriſtum, non poteſt eſſe membrum corporis Chriſti. Qui enim, inquit, non credit, iam condemnatus eſt. Et iterum: Si quis in me non manſerit, eiectus eſt foras, ſicut palmes, & exaruit, & colligunt eos,

Euangeliſtæ multi.

Eccleſia q̃d,

gunt eos,& in ignem coniiciunt,& ardent. Ac Paulus: Si quis, inquit, nõ habet ſpiritum Chriſti, hic non eſt eius. Quare hi tantum uere dicuntur eſſe Eccleſia, qui uere credunt in Chriſtum, & uere Spiritum ſanctum habent. Accedit huc, quòd Eccleſia apud Paulũ ad Epheſios ita deſcribatur: Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſemetipſum expoſuit pro ea, ut illam ſanctificaret, mundatam lauacro aquæ per Verbum, ut adhiberet eam ſibiipſi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam aut rugã, aut quicquam eiuſmodi, ſed ut eſſet ſancta & irreprehenſibilis. Non diſſimiliter deſcribit etiã Eccleſiam Propheta Eſaias: Induere, inquiens, ueſtimentis gloriæ tuæ, Hieruſalem ciuitas ſancti, quia non adiiciet ultra, ut pertranſeat per te incircũciſus & immũdus. Proinde qui alienus eſt à fide in Chriſtum, & habet rugã incredulitatis in corde ſuo incircumciſo, etiamſi externa ſpecie uideatur eſſe præcipuum membrũ Eccleſiæ, nõ tamen poteſt eſſe uerum Eccleſiæ membrum. Sunt quidem eorum etiam, qui uere in Chriſtum credunt, multæ infirmitates in hac uita, propter quas ſemper neceſſe habent orare: Ab occultis meis munda me, &: Remitte nobis debita noſtra, tamẽ quia credunt in Chriſtum, habent in Chriſto per fidem, remiſsionem peccatorum, ac reputantur in conſpectu Dei propter Chriſtum, iuſti, ſancti, & irreprehenſibiles. Quare, ut hi propter infirmitates non reiiciuntur à corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia, quia agnoſcunt infirmitates ſuas, & credunt eas propter Chriſtum ſibi nõ imputari, dantq; operam Spiritu ſancto, ut eas ſuperent, ac ſubinde magis atq; magis expurgent, ita illi qui habent cor incircũciſum fide, etſi maxima ſanctitatis ſpecie præditi fuerint, tamen quia carent fide in Chriſtum, ea nimirum fide, quòd propter Chriſtum habeãt gratis remiſsionem peccatorum, non poſſunt eſſe uera membra Eccleſiæ. Habes quæ ſit uera Eccleſia Chriſti. Videamus nunc, quã ob cauſam agnoſcamus Euãgelia Matthæi, Marci, Lucæ & Ioannis, ac alios ſacræ ſcripturæ canonicos libros, nõ agnoſcamus autem Euangelia Nicodemi, Barnabæ & aliorum. Rectiſsime autem & accommodatiſsime dicitur, nos illa agnoſcere, quia uera & catholica Eccleſia Chriſti ea agnouit & approbauit: hæc autem reiicere, quia uera & catholica Eccleſia Chriſti reiecit & reprobauit. Chriſtus enim perpetuam ſuam præſentiam eccleſiæ promittens: Vbi (inquit) ſunt duo uel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum. Et ab eccleſia ſua uiſibiliter diſceſſurus, ait: Ecce ego uobiſcum ſum, omnibus diebus uſq; ad conſummationẽ ſeculi. Si autem Chriſtus ſemper præſto adeſt eccleſiæ ſuæ, profecto cũ eccleſia è ſpiritu Chriſti iudicauerit, alios libros agnoſcẽdos, alios reiicendos, non aliter hæc ſententia excipienda eſt, quàm oraculum cœleſte, adeoq; ipſius Chriſti decretum. Et Paulus de autoritate ueræ eccleſiæ Chriſti ſcribens: Eccleſia, inquit, Dei uiuentis columna eſt, & ſtabilimentum ueritatis. Quis ergo huic eccleſiæ, libros quatuor Euangeliſtarum, & alios canonicos approbanti, fidem non haberet? Quid, quòd non tantum uera Chriſti eccleſia, uerum etiam ea, quæ huic admixta eſt in hoc ſeculo, hypocritica, pietatis tantũ ſpeciem habens, hos ſcripturæ libros, quos Canonicos uocamus, publice ſemper approbauit? In Catholica enim Eccleſia, ſiue ad uera, ſiue ad ficticia membra eccleſiæ reſpicias, de horum librorum ueritate publice nunquam dubitatum eſt. Habet autem maximum omnium teſtimonii põdus, publicus tam bonorum quàm malorum conſenſus. Quare, cum Eccleſia nobis per manus tradiderit hos quatuor Euangeliſtas, & alios libros Canonicos, ita recipiamus ipſos, ut ſentiamus eos nobis tradi, non hominum, ſed ipſius Dei manibus, ita obſeruemus ea, quæ in his ſcripta ſunt, ut exiſtimemus, non eſſe humana ſomnia, ſed mera diuina oracula. Quid ergo, inquies? Si recipienda eſt ſacra ſcriptura, propterea quòd porrexerit eam nobis eccleſia, tantam iudicabimus eccleſiæ autoritatem, ut poſsit

Euangeliõ agnoſcimus q, Eccleſia approbauerit illud.

ſtatuere quiduis, mutare ſcripturã, mutare præcepta Dei, abrogare uetera, inſtituere noua, adeoq; nouos condere articulos fidei, & neceſſe habebimus omnia iſta tanquam diuina oracula adorare? Minime omnium: Etenim ingens quidem eſt autoritas ſanctæ & Apoſtolicæ eccleſiæ, quippe quæ habeat caput, Ieſum Chriſtũ filiũ Dei, & præceptorem ſpiritum ſanctum, attamen ea autoritas, non eſt eccleſiæ conceſſa in licentiam aduerſus uerbum Dei, ſed in obedientiam erga Deum. Ac data eſt eccleſiæ poteſtas, magna quidem, non tamen prorſus libera, ſed terminis ſuis circumſcripta: Spiritus ſanctus, inquit, quem mittet pater nomine meo, docebit uos omnia, & ſuggeret uobis omnia. Quæ? Num indifferenter omnia ea, quæ humanus animus excogitat, aut quæ carnali rationi arrident? Nihil minus: Sed quæcunq;, inquit, dixi uobis. Non docebit ſpiritus contraria Euangelio, quod prædicaui, ſed idem illud Euangelion, quod dixi, perſpicue uobis explicabit. Et aliàs: Data eſt mihi (inquit Chriſtus) omnis poteſtas in cœlo & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes ſeruare omnia. Quæ? Num ea quæ hic aut ille ſophiſta ſomniat? abſit, ſed quæcunq; ego præcepi uobis. Nam, quod aliàs dicitur: Quæcunq; alligaueritis ſuper terram, erunt ligata in cœlo, & quæcunq; ſolueritis ſuper terrã, erunt & ſoluta in cœlo, non tribuitur hoc dicto tanta poteſtas eccleſiæ, ut poſsit pro libidine ſua ex peccato iuſticiam, & ex iuſticia peccatum facere, adeoq; malum bonum, & bonum malum dicere, atq; lucem tenebras, & tenebras lucem ponere: ſed hoc dicto, Euangelion Ieſu Chriſti, humana uoce prolatum, conſecratur in uocem cœleſtem ac diuinam, ut certificemur, id Euangelion, quod in Eccleſia Chriſti prædicatur de remiſsione peccatorum per fidem in Chriſtum, & de condemnatione peccatorum propter incredulitatem, non eſſe nobis aliter obſeruandũ, & apprehendendum, quàm ſi illud angeli cœleſtes, aut pater ipſe, filius & ſpiritus ſanctus, nobis adnũciarent. Vt uere dictũ ſit: qui uos audit, me audit. Qui uos ſpernit, me ſpernit. Qui autẽ me ſpernit, ſpernit eũ qui miſit. Atq; hæc dicit Chriſtus, nõ ſimpliciter omnia uerba Apoſtoloꝝ, in ſua uerba conſecrans, ſed cũ prius præſcripſiſſet Apoſtolis, & docuiſſet, quid prædicare deberẽt: Dicite, inquiẽs: Appropinquauit in uos regnum Dei. Quare, qui hæc audit ab Apoſtolis, quæ ipſi à Chriſto audiuerunt, is audit iam, non terrenam ſed cœleſtem, non humanam ſed diuinam uocem. Hinc eſt, quòd Paulus, ad Galatas ſcribens, grauiſsime ait: Si nos, aut angelus è cœlo prædicauerit aliud Euangelion præter id quod prædicauimus uobis, anathema ſit. Et ne quis exiſtimet, hoc Paulo temere excidiſſe, repetit: Quemadmodum ante, inquiens, diximus, & nunc iterum dico: Si quis uobis prædicauerit Euangelion, præter id quod accepiſtis, anathema ſit. Quomodo igitur poſſet eccleſia tantam ſibi autoritatem arrogare, ut quod nec Apoſtolis nec angelis licet, ſcripturam mutaret, noua præcepta Dei inſtitueret, & nouos articulos fidei conderet? An non eccleſia renaſcitur ex uerbo Dei? Renati, inquit Petrus, non ex ſemine mortali, ſed ex immortali, per ſermonem uiuentis Dei, & manentis in æternum. Verbum autem Dei continetur in ſacra ſcriptura. Qui ergo fieri poſſet, ut eccleſia haberet ius mutandi ſcripturam, & noua uerba Dei fingendi, niſi forte ſeipſam mutare, ac in eccleſiam malignantium transformare uellet? Nam q̃ Eccleſia approbat ſcripturam & Euangelion, non facit illud iure dominii ſupra ſcripturam & Euangelion, ſed iure teſtificãdi de ſcriptura & Euangelio. Vos, inquit, teſtes eſtis, qui ab initio mecũ eſtis. Et iterum: Accipietis uirtutem, poſtea quàm ſpiritus ſanctus aduenerit ſuper uos, & eritis mihi teſtes, non ſolum Hieroſolymis, uerumetiam in uniuerſa Iudæa, Samariáque, deniq; uſque ad extrema terræ. Quid autem? nũ teſtes habent poteſtatẽ ueritatẽ mutãdi, aut quippiã ueritati addendi, ac adimendi? Nihil minus: Neceſſe enim habẽt, ſi uolunt haberi

Eccleſiæ poteſtas.

Eccleſia, teſtis, non domina, ſcripturæ.

haberi testes fide digni, intra terminos cognitæ ueritatis manere, déque ea ita testificari, ut neq; iota addant, neque apicem auferant. Cum igit Ecclesia non dominii, sed testificandi iure scripturam atq; Euangelion approbet, non licebit ipsi ultra septa scripturæ ac Euangelii transilire, ac pro libidine sua quibuis, tanquàm diuinum oraculum, auditoribus suis obtrudere. Quid, q Ecclesia non est domina sed serua Christi? Ecclesia, inquit Paulus, subdita est Christo. Sacra autem scriptura est ueluti sigillum, in quo insculpta est effigies Domini nostri Iesu Christi. Scriptura enim est quæ nobis Christum cognoscendum, & in facie sua per fidem contemplandum proponit. Scrutamini, inquit, scripturas, & illæ sunt quæ testificant de me. Et aliàs: Sic scriptũ est, & sic oportebat Christũ pati, & resurgere à mortuis tertio die, & prædicari nomine eius pœnitẽtiam & remissionem peccatorum in omnes gentes. Igitur, quemadmodum seruus agnoscit sigillum domini sui, & discernit uerum & legitimũ sigillum ab adulterino, ita etiam Ecclesia approbat scripturam legitimam, quæ est sigillum Christi, & reprobat illegitimam. Quis autẽ ita insaniret, ut pronunciaret seruum habere potestatẽ mutandi sigilli domini sui, & fingendi noui sigilli, propterea q sciret discrimen inter uerum & adulterinum sigillum? Multo igitur magis insaniũt, qui, cũ ecclesia pronunciet inter legitimã & illegitimam scripturã, doceant ecclesiam habere ius & potestatem mutandi scripturam, & condendi noua præcepta Dei, ac nouos articulos fidei. An non, qui sic de Ecclesia docent, affingunt ei blasphemam illam Babylonici regis uocem: In cœlum conscẽdam, supra astra Dei exaltabo solium meum: Ascendam super altitudinẽ nubium, similis ero altissimo? Ego, inquit Christus, cognosco oues meas, & cognoscor à meis, & oues meæ uocẽ meam nouerunt. Nun quid ergo, quia oues Christi nouerunt uocẽ Christi, dicemus, oues tãtam habere potestatem, ut liceat ipsis uocem Christi mutare, & nouam uocem Christo pastori suo affingere? Cui hoc, uel per somnium in mẽtem ueniat? Quod si ouibus, quæ sunt uera Ecclesia Christi, non licet mutare uel scripturam, uel præcepta Dei, uel articulos fidei, quomodo hoc concessum esset lupis, qui non sunt uera ecclesia, sed incedunt tantum in uestimentis ouium, & uenditant sese pro uera Ecclesia? Christus iusit hos cauere: Cauete, inquiens, uobis à pseudoprophetis, qui ueniunt ad uos in uestitu ouiũ, sed intrinsecus sunt lupi rapaces. Et iterum: Omittite illos, duces sunt cæci cæcorũ. Et Paulus: Obsecro, inquit, uos fratres, ut consideretis eos, qui dissidia & offendicula contra doctrinam, quam uos didicistis, gignunt, & declinetis ab illis. His igitur tu ne tantam autoritatem & potestatem tribues, ut queant non solum pro libidine sua sacram scripturam mutare, uerumetiam, quoslibet Satanæ tradere, & iterum, si libet, cœlo intrudere? Næ tu ridiculum facis Dominũ Deum nostrum, & regnũ eius cœlorum, in quæ tantũ uis licere perditissimis nebulonibus. Quare, ut maxime scripturam canonicam agnoscamus, q Ecclesia approbauerit ipsam, tamen nec uera Ecclesia Christi, nec hypocritica, q̃ est ueræ admixta, tantũ sibi autoritatis usurpare debẽt, ut sacrã scripturam inuertant, noua p̃cepta Dei statuant, & nouos articulos fidei condant, sed potius hoc agendum est, ut, cum hæc sacra scriptura, quam nobis Ecclesia quasi per manus tradidit, certissimis testimonis appbata & cõfirmata sit, nósque hoies, non autores, sed testes scripturæ, non capita, sed membra Ecclesiæ, non magistri, sed ministri, non domini, sed serui Christi simus, amplectamur hanc scripturam ambabus, quod aiũt, ulnis, capessamus p̃cepta illa Dei, q̃ in hac scriptura continent, & obediamus fidei huic, q̃ iã ante p̃pphetas & Apostolos, adeoq; totã Apostolicã ecclesiã nobis p̃scripta est, ut qd nobis exoptatissimũ est, uerã salutẽ cõsequamur in Christo Iesu Dño nostro, q est una cũ Patre & spũ sancto Deus laudãdus in secula. Amen.

Ecclesia, serua Christi.

HOMILIA III.



I angelus, inquit Paulus, è cœlo prædicauerit uobis aliud Euangeliõ, præter id quod prædicauimus uobis, anathema sit. Quod & si præcipue de cõcionibus Apostolorum, quibus usus Christi & Euangelii eius explicatus est, uidelicet, q̃ Christus traditus sit propter peccata nostra, & excitatus sit propter iustificationem nostri, intelligendum uideatur, non minus tamen de Euangelio, quod secundum Lucam inscribitur, quod & interpretandum suscepimus, quàm de concionibus Apostolorũ intelligi debet. In hoc enim scripto non continetur tantum historia rerum à Christo gestarum, uerumetiam extant in eo luculentissimæ contiones Christi, quibus suiipsius usum manifestissime demonstrat. Audiamus igitur nũc eiuscemodi scriptum, cuius contrarium ne angelo quidem adnunciãti credere licet, si modo uerã salutem consequi desideramus. Fuit in diebus Herodis regis Iudææ sacerdos quidã, nomine Zacharias, de uice Abia, & uxor illius de filiabus Aaron, & nomen eius Elizabeth. Erant autem ambo iusti ante Deum, incedẽtes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela. Et non erat illis filius, eo q̃ esset Elizabeth sterilis, & ambo p̃cessissent in diebus suis. Lucas descripturus est in hoc libro Dominum nostrum Iesum Christum à natiuitate, doctrina, miraculis, passione, morte & resurrectione eius à mortuis, sed quia Christus uenturus erat in hunc mundum, humilis, abiectus, & quemadmodum propheta ait, nouissimus uirorum, præmisit ante se Ioannem Baptistam ueluti testem aduẽtus sui, non q̃ Christus propter se ipsum indigeret humano testimonio. Opera, inquit, quæ dedit mihi Pater, ut perficiam ea, ipsa, inquam, opera, quæ ego facio, testificãtur de me, q̃ pater miserit me. Et qui misit me pater, ipse testificatus est de me: Sed præmisit testimoniũ Ioannis propter homines, qui magis alieno honesto, quàm iactabundo alicuius proprio testimonio fidẽ adhibent. Erat, inquit Euangelista, homo missus à Deo, cui nomen Ioannes. Hic uenit ad testificandũ de luce, ut omnes crederent per ipsum, non erat ille lux uera, sed missus erat, ut testaretur de luce. Et mox: Vt manifestus, inquit Ioannes, fiat Israeli, propterea ueni ego aqua baptizans. Idem quoq; spiritus sanctus per Malachiam uaticinatus est: Ecce ego, inquiens, mitto angelum meum, & præparabit uiam ante faciem meam. Quare Lucas describit prius conceptionem & natiuitatẽ Ioãnis Baptistæ, q̃ Dñi nostri Iesu Christi. Porro aũt testi nõ adhibeẽ fides, p̃sertim in maximis negociis, nisi honestissimo & dignissimo. Igiẽ principio describitur Ioannes ab honestate familiæ & parentũ suorum, & à miraculis, quibus non tã natiuitas eius ornata est, quàm autoritas futuri testimonii eius de Iesu Christo diuinitus cõmendata est. Erat, inq̃t, in diebus Herodis regis Iudææ, sacerdos quidã noĩe Zacharias, de uice Abia, & uxor illius de filiabus Aarõ, & nomẽ eius Elizabeth. Hi sunt parẽtes Ioãnis Baptistæ, & cõmendanẽ primũ à nobilitate tribus suæ. Descẽdũt enim ambo è tribu Leui, & familia Aaronis, quæ familia sanctificata erat ad functionẽ sacerdotii in Israel. Deinde cõmendaẽ parẽs ab officio. Fuit eñ sacerdos, (quæ maxima dignitas fuit in Israel) de uice Abia. Fuit aũt is Abia, sup quẽ in ordinatiõe ministerii sacerdotalis octaua sors cecidit. In priori eñ libro Chronicorũ capite uicesimo quarto, scribiẽ, q̃ Dauid diuiserit sortibus tribũ sacerdotalẽ in uigiti quatuor uices seu ordines, ad fungẽdũ ministerio sacerdotii in tẽplo Dñi. Octaua aũt sors cecidit sup Abia. De hoc igiẽ Abia, q̃ fuit octauꝰ in ordine administrãdi sacerdotii, deducit genus suũ Zacharias. Habes cõmẽdationẽ parẽtũ Ioãnis à familia, & officio. Sed nec nobilitas fami

Ioãnes Baptista, testis Christi.

Zacharias sacerdos.

Abia.

tas familiæ, nec amplitudo officii hominẽ uere cõmendant, niſi etiã ſuis ipſius uirtutibus ornet. Quare ſequit illud, quod hominẽ maxime omniũ cõmendat. Erãt, inquit, ambo iuſti coram Deo. Hæc demum honeſtiſsima hominis laus eſt, iuſtum eſſe, idq; corã Deo ſcrutante renes & corda, qualis qualis alioqui ſit familia, aut officium. Sed quid audio, inquies? Erant ne iuſti coram Deo? An non ſcriptum eſt: Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis uiuens? Et in Iob: Etiam ſtellæ non ſunt mundæ in conſpectu eius, quanto minus homo, putredo, & filius hominis, uermis? Vt de hac re diſerte loquamur, obſeruandum eſt, duplicem eſſe iuſticiam: Altera eſt legis, ſeu operũ. Lex autem exigit non tantum manum honeſtam, ſed exigit in homine omnia interna & externa, honeſta, pura, munda, ſancta & ſpiritualia, quemadmodum Chriſtus poſtea in expoſitione legis, capite ſexto, oſtendet. Lex enim (ut Paulus ait) ſpiritualis eſt. Et lex ſuis ipſius uerbis ſatis perſpicue indicat, q̃ requirat omnia perfecte ſpiritualia in homine. Dicit enim: Diliges Dominum Deum tuum. Quomodo? num aliqua ex parte tantum? Minime omnium, ſed ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. Ac proximum, quomodo? ſicut pecuniam, aut ſicut parentem, aut ſicut fratrem? non hoc dicit lex, ſed ſicut teipſum: qui, ſi ſana mente fueris, nihil unq̃ uel tantillum mali tibi optaueris. Ad hanc igitur iuſticiam præſtandã, non tantũ humana ratio, ſed totus ſpiritus ſanctus, non tantum una ſancta cogitatiuncula, ſed omnes humanæ uires, tã internæ quam externæ, ſanctæ exigunt. Cõtra hanc iuſticiam non ſolum peccatur operibus manifeſte malis, ſed etiam operibus noſtris bonis, non quòd bona opera non ſint facienda: hæc.n. ſeueriſsime à nobis exigunt, quæ niſi pro dono ſpiritus nobis collato præſtiterimus, argumentũ eſt, nos uera fide carere: ſed q̃ ea bona opera, quæ à nobis præſtantur, etſi Deo placeãt per fidem, nõdum tamẽ per ſe legi Dei perfecte ſatisfaciant. Et de hac legis iuſticia recte loquitur uulgus, cum ait, multa eſſe neceſſaria, ut iuſtus ſis. Nec ullus unquam homo inuẽtus eſt, qui ſecundum hanc iuſticiam perfecte iuſtus fuerit, præter unum Dominũ noſtrũ Ieſum Chriſtum. Is.n. ſolus abſq; omni uitio legem Dei perfectiſsime impleuit, & ſeueritati legis uſq; ad extremos apices & iota ſatis fecit. Quare ſi Zachariã & Elizabeth ad hanc legis iuſticiam exigamus, fuerunt quidem honeſti coniuges coram mundo, ſed quia fuerunt & ipſi ex carne nati, nec habuerunt natura ſpiritum ſanctum, nec impleuerunt legem Dei abſolute, facile coniici poteſt, quòd ſecundum hanc iuſticiã nõ fuerint uere iuſti coram Deo. Altera iuſticia, eſt remiſsio & cõdonatio iniuſticiæ. Ad hanc parandam præcipue duo requiruntur: Prius eſt, agnitio peccatorum, poſterius eſt, fides in Ieſum Chriſtum, quòd is ſatisfecerit pro peccatis noſtris, & placauerit nobis patrem. Cum. n. nemo poſsit eſſe iuſtus ſua ipſius iuſticia, propoſita eſt nobis aliena iuſticia, quæ eſt Domini noſtri Ieſu Chriſti, quam ſi fide apprehenderimus, ac mutuo, ut ita dicam, acceperimus, primum remittuntur nobis peccata noſtra propter Chriſtum: deinde reputamur propter Chriſtum etiam in conſpectu Dei ita iuſti, perinde ac ſi nos ipſi legem Domini perfecte impleuiſſemus, & peccata expiaſſemus. Qui.n. proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, qui fieri poteſt, ut non & cum eodem nobis omnia donet? Atq; hæc illa ſola iuſticia eſt, qua iuſti reputati ſunt patriarchæ, pphetæ, apoſtoli, martyres, adeoq; quotquot unq̃ pii fuerunt. Nec ulla alia iuſticia erit, per quã poſteri noſtri ſalutẽ conſequentur, niſi per illam ſolam, quæ eſt remiſsio iniuſticiæ propter Chriſtum per fidem. Proinde cũ ſcriptura teſtetur, Zachariam & uxorem eius iuſtos fuiſſe coram Deo, manifeſte ſignificat credidiſſe eos, quòd habeant benedictionẽ per ſemen Abraæ promiſſum, hoc eſt, quòd habeant remiſsionem peccatorum per Ieſum Chriſtum, & q̃ propter hunc

Iuſticia duplex.

Iuſticia legis.

Iuſticia fidei.

reputentur coram Deo iusti. Sed quidꝫ num quia reputamur iusti, non propter meri-
Opera bona fidem necessario sequũtur. ta nostrorum operum, sed propter Christum per fidem, bona opera, in lege à Domino præcepta, sunt omittenda, & in peccatis uiuendum est? Minime omniũ. Vt enim sol non potest non lucere, & ignis non potest non calere, ita fides in Christũ non potest non bona opera facere, quæ etsi sua integritate non perfecte impleant legẽ, tamen placent Deo, propterea quòd persona operans placeat Deo propter Christum. Vnde & de Zacharia & uxore eius sequitur: Versantes in omnibus præceptis & iustificationibus Domini irreprehensibiles. Non enim ideo peccata sectantur, & bona opera abiiciunt, quia credunt se habere peccatorum remissionem propter semen Abraæ: sed potius quia credunt sibi peccata remissa, abominantur peccata, & sectant bona opera, priuatim & publice. Versantur primũ in omnibus præceptis Dei, quæ moralia uocant, quorũ epitome est decalogus, deinde in omnibus iustificationibus Domini, quas & cærimonialia & politica uocant, non quòd aut hæc aut illa coram Deo iustificent, sed quòd hæc sint ciuilis iusticia coram hominibus, illa autem doceant, prædicẽt, & adumbrent ueram iusticiam coram Deo. Quanꝙ igitur Zacharias & uxor eius non confisi fuerint meritis suorum operum, nec propter hæc promiserint sibi iusticiam coram Deo, in omnibus tamen mandatis Dei, tam moralibus, quàm ecclesiasticis & forensibus, coram hominibus ita irreprehensibiles uersati sunt, ut nullum crimen potuerit ipsis probabiliter impingi. Obseruandum exemplum, quod non solum probat, iusticiam fidei nõ esse ociosam, uerumetiam admonet omnes coniuges, ut uitam suam ad horum coniugum honestatem comparent, atq; instituant. Habes honestatem parentum Ioannis, quam Euangelista ideo commemorat, ut ex ipsa nõ nihil ponderis accedat testimonio, quod Ioannes, tam honestorum parentum filius, Domino nostro Iesu Christo exhibiturus est. Pergamus nunc ad explicanda miracula, quæ in conceptione & natiuitate Ioannis, in hoc maxime omnium ædita sunt, ut
» etiam ipsa cõmendarent autoritatem testimonii Ioannis de Iesu Christo. Et nonne
» rat (inquit) illis filius, eo qꝺ esset Elizabeth sterilis, & ambo processissent in diebus suis. Lucas descripturus miracula, quæ in cõceptione Ioannis cõtigerunt, primũ omnium meminit senectutis parentum Ioannis, & sterilitatis Elizabeth. Hæc enim sunt, propter quæ miraculum fuit, quòd Ioannes ex ipsis natus sit. Nam cum parentes Ioannis aliis in rebus satis fœlices in hoc seculo fuerint, unum tamen deerat eis ad fœlicitatem huius seculi, uidelicet, qꝺ Elizabeth uxor Zachariæ sterilis fuerit, & iam ste-
Sterilitatis opprobrium. rilitate usq; ad senectã processerat. Sterilitas autem in lege, maxima mulieris maledictio & opprobrium habebatur. Ac tolerabile fuisset malum, si externum tantum dedecus mulieri attulisset, nunc autem tanto grauius malum erat, quanto magis piæ mulieris conscientiam affligebat. Ducebatur enim sterilitas opprobrio, propter promissionem Abraæ dictam, primum, de multiplicatione seminis Abraæ, deinde etiam de nascendo ex Abraam semine, in quo cunctæ gentes benedicẽdæ essent. Quæ igitur pia mulier conferebat sterilitatem suam cum promissione Abraæ, ea tentabatur, ne esset propter sterilitatẽ suã, etiã corã Deo abiecta, ac perpetuo maledicta. Hinc Sara tanto desiderio habendi liberos tenetur, ut cum uideret se à Domino conclusam, maluerit ex ancilla sua ædificari, quemadmodum scriptura loquitur, q̃ prorsus orba manere. Hinc & Rahel marito suo ait: Da mihi liberos, alioqui moriar. Hinc sunt & miserabiles illi eiulatus, quibus Hanna mater Samuelis sterilitatem suam, in primo libro Samuelis capite primo, defleuit. Ad harum catalogum pertinet etiã Elizabeth mater Ioãnis Baptistæ, quæ ut maxime potuerit opprobrium sterilitatis coram hominibus æquo animo ferre, tamen quia uidebat se propter sterilitatẽ suã nihil

conferre

conferre ad eam multiplicationem seminis Abraæ, quam Deus promiserat, sollicitabatur putare se non corpore tantũ, uerumetiam animo coram Deo maledictam esse. Ac impiis quidẽ coniugibus uisum fuisset non solum tolerabile, sed etiam iucundum, carere liberis, uidelicet ut careas etiam dolore & molestia pariendi, & educandi. Ignaui enim & impii coniuges existimant liberos magis onus, q̃ honorem, & potius maledictionem q̃ benedictionem. Zacharias autem & Elizabeth tanto magis orbitate sua affligebantur, quanto propius in generalem matrimonii ordinationẽ diuinitus creatã, & in promissiones ad Abraam de multiplicatione seminis sui dictas, intuebantur. Quid ergo? num Deus immisit hãc afflictionem ut perirent, ac perpetuo opprobrio obnoxii fierẽt? Minime omniũ, sed hoc potius egit, ut hos coniuges opprobrio sterilitatis, tanq̃ gradu quodã, ad maximũ honorẽ exaltet, ac donet eos prole longe omniũ clarissima. Domino enim Deo nostro soléne est, afflictiones immittere, nõ ut perdat, sed ut seruet, adeóq; tanto potentius seruet, ac gloriosius exaltet, quanto salutem diutius differt, & tardius confert. Atq; hoc quidem consilium Dei fuit, in ea orbitate, qua Zachariam & Elizabetham affecit. Videamus autem nunc, qd̃ fuerit consilium horum coniugum in perferenda orbitate. Impii coniuges procidissent Deum uirulentis conuiciis, & aut ueneficiis operam dedissent, quo sibi liberos pararent, aut de arripiẽdo laqueo cogitassent, ne propter sterilitatem omniũ opprobrio expositi essent. Zacharias autem & Elizabetha agnoscunt ex fide consilium Dei in afflictionibus, & ex hac fide confugiunt ad preces, ac tanto uehementius orationi instant, quanto opprobrium ipsorum subinde magis ac magis propter senectutem inter homines promouebat. Cum enim angelus postea ad Zachariam dicat: Exaudita est deprecatio tua, perspicue significat, hos coniuges magno spiritus ardore Dominum sine intermissione interpellasse, ut ipsos à tanto sterilitatis opprobrio, si nõ prole, at saltem morte liberet. Quid igit̃ precibus suis impetrarũt? Magna quidẽ fuit fides horũ coniugum, ex qua preces suas coram Deo obtulerũt, sed multo maior & admirabilior est impetratio, quam ex fide & precibus suis consequuntur. Sic enim scribit Lucas: Factum est autem, cum sacerdotio fungeretur Zacharias, in ordine uicis suæ ante Deũ, secundum consuetudinem sacerdotii, sorte exiit, ut incensum poneret, ingressus in tẽplũ Domini. Et omnis multitudo populi erat orans foris, hora incensi. Apparuit autem illi angelus Domini, stans à dextris altaris incensi. Et Zacharias turbatus est uidens, & timor irruit super eum. Priusq̃ de impetratione precum Zachariæ dicamus, explicabimus, quantum in hoc loco satis est, illud qd̃ Lucas de incẽso meminit. Ac sunt interpretes aliquot, qui sentiunt hic fieri mentionem de eo incenso, quod semel tantũ in anno, in die expiationis per summum sacerdotem, super carbones ponebatur, ut nebula & uapor eorum operiat oraculum, quemadmodũ in Leuitico capite decimo sexto scriptum est. Sed aptius uidetur, ut intelligatur de incenso quotidiano, quod instituit Deus per Mosen in Exodo, capite trigesimo & quadragesimo. Facies, inquit, altare thymiamatis, hoc est, incẽsi de lignis Sethim. Et mox: Adolebit incensum super eo Aaron suaue fragans, mane quando purgat lucernas, & uespere quãdo parat eas. Hoc sit incensum iuge corã Domino, in generationes uestras. Et quam compositionẽ debeat habere hoc thymiama, sequitur: Sume tibi aromata, balsamũ, guttam, galbanum, & thus mundissimum. Et mox: Sanctum sanctorum erit uobis. Talẽ autẽ compositionem incensi non facietis uobis, sed sanctum erit tibi pro Domino. Sed quid uoluit sibi, inquies, hic cultus Dei in lege? nũ Deus in cœlo habitans olfacit thymiama, & delectatur suauitate odoris eius? Videntur quidem multi ridiculi cultus diuini in lege instituti, sed si maiestatẽ uerbi Dei, quo illi cultus instituti sunt,

Afflictionum ratio.

Incensum.

Thymiamatis cultus.

& fidem Mosi, per quem instituti sunt, consyderaueris, non habebis, quod rideas, sed magis, quod admireris, & quo ad ueram pietatem erudiaris. In Exodo enim capite uigesimo quinto Mosi de institutione & ordinatione diuini cultus ita præcipit: Inspice & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est. Hoc autem exemplar, quod uidit Mose in spiritu, & ad cuius formam iussus est tabernaculum & cultus diuinos cõstituere, nihil aliud est, interprete apostolo ad Hebræos capite octauo, quàm Iesus Christus, uerus pontifex, qui consedit ad dextram throni maiestatis, in cœlis sanctorum adminiſtrator, ac ueri tabernaculi, quod fixit Deus & non homo.

Leuiticus cultus.

Totus igit Leuiticus cult9 nihil aliud est, si exactius inquiras, q̃ adumbratio, & occulta quædam, ut ita dicam, prædicatio de Iesu Christo, de munere pontificio Christi, de Ecclesia Christi, déq; rebus cœlestibus, ad Christum, ad regnum & ecclesiam Christi pertinentibus. Ac maluisset quidem Mose de Christo, & rebus Christi ac ecclesiæ eius manifestius populo suo concionari, si ratio temporis & captus auditorum suorum id tulisset, sed quia Christus nondum erat carne reuelatus, non potuit etiam reuelate de ipso concionari. Cum igitur non potuerit facere, quod uoluit, fecit quod potuit, & concionatus est populo suo de Christo & rebus Christi, cultibus Leuiticis, hoc est, umbris, signis, & figuris. Inter cultus autem Leuiticos haudquaq̃ postremus est, incensum. Viderat enim Mose in exemplari, quod ipsi in monte monstratũ erat, Christum summum esse pontificem, & orationem ex fide in Christum profectam, ascendere in cœlum, & penetrare nubes ad summam Dei maiestatem, adeóq; impetrare, quicquid petatur. Non potuit autem hanc rem eiusmodi uerbis manifeste explicare. Christus enim nõdum erat reuelatus carne, & ut ad Hebræos scribitur, uita sanctorum nondum erat manifestata. Quare concionatus est de hac re, ut potuit, uidelicet instituit cultum thymiamatis, & quod Christus reuelatus manifestis uerbis explicat dicens: Quicquid petieritis nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater per filiũ. Et quicquid petieritis patrem nomine meo, dabit uobis, hoc Mose cærimonia incensi adumbrauit, & significauit, q; oratio ex fide in Christum efficax sit coram Deo patre. Carbones enim adumbrant Christum, & fidẽ in Christum. Incensum autem & fumus eius adumbrant orationem, in cœlum ascendentem. Sic & Dauid cærimoniam incensi interpretatur, dicens: Dirigatur oratio mea sicut incensum, in conspectu tuo, eleuatio manuũ mearum, sacrificium uespertinum. Incensum igitur Leuiticũ, quod singulis diebus mane & uesperi obseruabatur, nihil aliud fuit, q̃ publica doctrina seu contio de efficacia orationis profectæ ex fide, & admonitio ad capessendã fidem & orationem in omnibus afflictionibus nostris, tam corporalibus q; spiritualibus. Atq; hæc est uera & propria ratio thymiamatis, & huc solum spiritus sanctus in cultu incensi respexit. Sed hic uide mihi impietatem hypocriseos. Iudæi enim hypocritæ in lege, nõ usi sunt cultu incensi ad pietatẽ pro doctrina oratiõis, sed abusi sunt ad supstitionẽ pro cultu, quo ex opere, ut uocãt, operato mererentẽ remissionẽ peccatorum, gratiã Dei, & uitam æternam. Hinc est, quod Esaias dicit: Incensum, abominatio mihi est. Et iterum: Qui recordatur thuris, quasi qui benedicat idolo. Et Ieremias: Vt quid mihi thus de Saba affertis, & calamum suaue olentem de terra longinqua? Holocautomata uestra nõ sunt accepta, & uictimæ uestræ non placent mihi. Quid? damnant ne prophetæ, quod Dominus instituit? Non damnãt institutionem Domini, sed damnant superstitionem & impietatem hypocritarum. Dominus instituerat incensum in pædagogiam & doctrinam orationis. Hypocritæ autem abutebantur eo in cultum, cuius merito expiarent peccata, & placarent Deum. Quod cum impium sit, & blasphemum in benedictum semen Abraæ, Iesum Christum Domi-

Thymiamatis abusus.

num no

num nostrum, qui solus est expiatio peccatorum, & placatio Dei, iure optimo damnant prophetæ thymiamata seu incensa hypocritarum. Ac tolerabile fortassis esset, si soli Iudæi, Christo nondum reuelato, tam impie de incenso sensissent: nũc autem hoc intolerabile est, q̃ etiam Christiani, post reuelatum Christum, post manifestam prædicationem Euangelii in toto orbe terrarum, post apertam doctrinam de ponti ficatu Christi, & de efficacia orationis profectæ ex fide in Christum, cultu incensi ad impietatem abutantur. Nam cum ex κακοζηλίᾳ legis remanserit alicubi in Ecclesiis consuetudo thurificandi, hypocritæ abutuntur opere illo non pro pædagogia & admonitione ad orationem, quod etsi post reuelatum Christũ, & in tanta luce Euangelii superuacaneũ sit, ac nihil aliud præ se ferat, q̃ si quis in meridie accendat lucernam, utcunq; tamẽ tolerabile esset, sed abutunt̃ pro merito ad expianda peccata uiuorum & mortuorum, ac præcipue ad liberandas animas ex imaginario illo suo purgatorio. Quod quid aliud est, q̃ opere thurificandi, Christum de sede maiestatis suæ deturbare, ac thuribulum & fumum eius in locum Christi collocare? In solo enim Christo est expiatio peccatorum, quæ & sola fide à Christo petenda est. Itaq; si thurificationi tribuitur, quod soli maiestati Christi competit, quid potest dici magis blasphemum? Quare abiiciamus thuribula hypocritarum, arripiamus autem uerum & spirituale thuribulum, DOMINVM nostrum IESVM Christum, & ponamus in ipsum ardentes carbones fidei nostræ, ac superiniiciamus odorifera thura orationis, ut oratio fide incensa nubes penetret, ac omnia uota nostra ad salutem nobis apud Dominum Deum nostrum impetret. Habes ueram incensi rationem: redeamus igitur nunc ad Zachariam. Is fuit sacerdos, quemadmodum supra audiuimus, de ordine Abia, uir non solum piissimus, sed etiam in uerbo Domini doctissimus. Ac intellexit rationem incensi, non iuxta sensum hypocritarum, qui sibi ex opere ipso, ut uocant, operato, maxima merita pollicentur, sed iuxta sensum spiritus sancti, uidelicet q̃ cærimonia incensi sit exhortatio ad orationem, ac etiam sacramentum, quo conscientia confirmatur, q̃ oratio ex fide profecta coram Deo exaudiatur. Cum igitur Zacharias maximo animi dolore, ꝓpter sterilitatem uxoris suæ affligeretur, & necesse haberet, in ordine suo, iuxta ministerium sacerdotii, adolere incẽsum, tanto ardentius in ipso incensi cultu Dñm pro sua & uxoris suæ salute ac liberatione ex opprobrio inuocauit, quanto magis è cærimonia incensi in fide accendebatur, & ad orandum excitabatur. Habebat enim multas & magnificas promissiones, quibus Deus recepit, se afflictos exauditurum & seruaturum. Ego, inquit, exò Deus ipsorum. Et iterum: Inuoca me in die tribulationis, & eruam te. Ac rursus: Sacrificium Deo, spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum DEVS non despicies. Et alias: Omnis qui in uocauerit nomen DOMINI saluus erit. Habebat & uaria exempla, quibus Deus declarauerat se suos liberare ex afflictionibus. Et ut nihil de aliis dicam, habebat exempla, afflictioni suæ, quæ oriebatur è sterilitate uxoris, aptissima. Nam & Sara uxor Abraæ, & Rebecca uxor Isaac, & Rahel uxor Iacob, & uxor Manoah patris Samson, & Hanna uxor Elcana, mater Samuelis, ac multæ aliæ sanctæ mulieres, fuerunt ab initio steriles, nõnullæ ad extremam usq; senectutem, & postea factæ sunt clementia DEI fœcundæ. Accedebat his cærimonia incensi, quæ uisibilibus figuris efficaciam orationis ex fide profectæ inculcabat. In hæc igitur omnia Zacharias, ipso incẽ si tempore, intuens, tanto altius mentem suam oratione ad DEVM eleuabat, quãto sublimius fumus incensi ex altari ad cœlum ferebatur. Quid ergo fit? Num Zacharias frustra cœlum oratione sua petiit? Nihil minus. DOMINVS enim Deus noster non solum exaudit orationem eius, uerumetiam reuelat ei exauditionem,

Afflictiones habent suas promissiones

Afflictiones habent exempla liberationis.

Orationis efficacia.

admirabili & ſtupenda apparitione Archangeli Gabrielis. Apparuit enim (inquit Lucas) illi angelus Domini, ſtans à dextris altaris incenſi. Ac Zacharias uidens angelum, turbatus quidem eſt, & timor irruit ſuper ipſum. Quis enim non obſtupeſceret, ad tam ſubitam & admirabilem angeli cœleſtis apparitionem? Nos autem audientes hanc apparitionem, haud quaq; turbabimur, ſed potius lætabimur & recreabimur in DOMINO, ac diſcemus ex hoc loco, quantæ dignitatis & maieſtatis ſit oratio piorum. *Oratio piorũ* Cum enim pius ex fide orat, uidetur quidem ſolus in conclaui ſuo, ſed ſi aperias oculos fidei, uidebis multitudinem angelorum circumdare orantem, & orationem eius ad cœlum uſq; ferre. Dicit enim ſcriptura: Angelis ſuis mandauit de te, ut cuſtodiant te in omnibus uiis tuis. Et iterum: Circumuallat angelus Domini in circuitu timentes eum, & eripiet eos. Nam q̃ angeli cum alias ſemper, tum maxime in oratione piis præſto adſint, miraculis etiam comprobatum eſt. Iacob in exilium proficiſcens, & in oratione obdormiſcens, uidet in ſcala, cuius cacumen pertingebat ad cœlũ, angelos Dei deſcendentes & aſcendẽtes, & DOMINVM innixũ ſcalæ. Danieli proſternenti preces ſuas pro monte ſancto Dei, reuelatur angelus Gabriel, qui & manifeſtat ipſi certiſsimum tempus, adeoq; annum aduentus Meſsiæ. Cornelio centurioni deprecanti Deum apparet angelus, & iubet ipſum uocare Petrum, ut audiat Euangelion de Ieſu CHRISTO. Sed quid alia perſequar, cum hoc loco angelus Gabriel Zachariæ oranti tam manifeſte appareat, ut Zacharias maximo timore corripiatur. Vnde & diſerte additur, Zachariã timore obſtupuiſſe, ut ſignificetur, non imaginariam ſed ueram fuiſſe angeli apparitionem. Hæ admirandæ apparitiones ſunt cœleſtia ſignacula & teſtimonia, q̃ angeli ſemper præſto adſint orationibus piorum, & offerant eas in conſpectum Dei ut exaudiantur. Orantes igitur reuereamur præſentiam angelorum. Oremus autem primum magna animi attentione: Qui enim in oratione aliud corde cogitat, aliud ore loquitur, non orat, ſed irridet Deum, & oſcitantia ſua abigit angelos. DEI. Deinde oremus magna fide, ea uidelicet fide, q̃ Deus ſit nobis propicius propter CHRISTVM, & q̃ ſit nos in omnibus afflictionibus ſeruaturus. Sic enim certo impetrabimus, quod petimus, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui eſt una cum patre & ſpiritu ſancto Deus laudandus in ſecula Amen.

HOMILIA IIII.



Apparitionem angeli Gabrielis audiuimus, audiamus nũc concionem eius, quam habet ad Zachariam de Ioanne Baptiſta.

» Ait autem ad illum angelus: Ne timeas Zacharia. Exaudita eſt deprecatio tua. Et uxor tua Elizabeth pariet tibi filium, & uocabis nomẽ eius Ioannẽ. Et erit gaudium tibi & exultatio, & multi in natiuitate eius gaudebunt. Erit enim magnus coram Domino, uinum & ſiceram non bibet, & ſpiritu ſancto replebitur adhuc ex utero matris ſuæ, & multos filiorum Iſrael conuertet ad Dominũ Deum ipſorum. Et ipſe præcedet ante illum in ſpiritu & uirtute Eliæ, ut conuertat corda patrũ ad filios, & incredulos ad prudentiam iuſtorum, & paret Domino plebem perfectam. Hæc eſt egregia contio angeli de Ioanne Baptiſta. Ac primum conſolatur angelus Zachariam, ne timore contabeſcat. Ne timeas, inquit, Zacharia. Sed cur non timeam? quia uenio non te territurus, ſed conſolaturus, uenio non horrenda, ſed longe omnium iucundiſsima nunciaturus. Deprecatio enim tua exaudita eſt

dita est. Precatus es hactenus multo tempore, tum generalem liberationem Israelis ex afflictionibus suis, tum etiam specialem liberationem uxoris tuæ ex opprobrio sterilitatis, ecce igitur uenio nunc adnunciaturus tibi, quòd preces illæ tuæ exauditæ sint in conspectu DEI. Nam & tu & uxor tua liberabimini ex uestro opprobrio, & Israel liberabitur ex omnibus malis suis. Deinde concionatur angelus de Ioanne Baptista, & ait: Vxor tua, non quã post hæc tempora ducturus es, sed quã nũc habes, anus illa Elizabeth pariet tibi filium. Hic iam audi mihi, quàm magnifica & stupenda angelus de Ioanne concionetur. Principio, imponit ei nomen priusq̃ conceptus erat, & iubet eum uocari Ioannem. Quid? tanti, inquies, momenti nomen uiri proprium est, ut de ipso angelus cœlestis sollicitus sit? Sed uide tu, ne hanc sollicitudinem angeli uanam & ociosam iudices. Vult enim ipso Ioannis nomine significare & testari, q̃ DEVS singulari quadam gratia complexurus sit Ioannem, & q̃ Ioannes futurus sit DOMINO DEO nostro longe omnium acceptissimus. Ioannes enim nomen deductum est ab Hebræa uoce יחן, quæ gratiam significat, ut Ioannes, si interpreteris, idem sit, quod gratiosus, aut acceptus, quem nos Germanica lingua Huldrichum uocamus. Angelus igitur declarat ipso proprii nominis uocabulo, Ioannem fore apud DEVM gratiosissimum. Est & illud obseruandum, quòd cum angelus curam habeat nominis Ioannis nondum concepti, palàm significetur, quantæ curæ sint DOMINO DEO nostro res hominum, præsertim piorum & electorum suorum. Nam si de nomine hominis, quod est minimi momenti, sollicitus est, quantam sollicitudinem habebit de tota hominis salute? Capilli, inquit CHRISTVS, uestri etiam numerati sunt. Et in Psalmo canit Dauid: Non est occultatum os meum à te, quod fecisti in occulto, & substantia mea in inferioribus terræ. Imperfectum meum uiderunt oculi tui, & cum dies mei nondum essent formati, ne unus quidem ex eis, erant tamen omnes in libro tuo scripti. Si ergo DOMINVS tantam gerit curam de populo suo, quid despondes animum in afflictionibus? quid suspicaris DEVM tui oblitum? quin potius bono animo sis, & maioris fidei reputes, quid DEVS de sollicitudine sua erga pios & in ipsum credentes promiserit, quàm quid in præsentia caro spiritui semper repugnãs sentiat. Deinde, non tñ nomen erit glorioſum, uerumetiã habebit gloriosam natiuitatem. Vnde & tibi erit gaudium, & multi alii in natiuitate eius gaudebunt. Natiuitas enim Ioannis non tantum commendata est hoc miraculo, q̃ Elizabeth anus effœta pepererit filium in senectute sua, & liberata sit ab opprobrio sterilitatis, sed etiam ornata est hoc miraculo, q̃ Zacharias, qui à colloquio angeli Ioannem promittẽtis, mutus fuit, receperit in natiuitate Ioannis loquelã suam, & eruperit in laudes Dei. Postremo, non solum nomen & natiuitas Ioannis glorioſa erunt, sed etiam, quod est longe omniũ maximum, ipse magnus erit, idq̃ non coram uno tantũ aut altero homine, sed coram ipso DOMINO DEO nostro. Cum autem Dominus administret & gubernet tum omnes creaturas, tum præcipue homines, fieri non potest, quin is sit coram hominibus quoque magnus, qui est coram Deo magnus. Et si enim operatione Satanæ, qui est omnium diuinarum ordinationum turbator, cõtingere soleat, q̃ qui sint coram Deo magni, hi sint coram mundo abiectissimi, tamẽ si legitima ordinatio Dei promoueat, qui coram Deo magnus est, is etiã corã mundo magnus erit. Videamus igit nũc Ioannis maiestatẽ. Principio replebit Ioannes spiritu sancto, nõ cũ adoleuerit aut senuerit, sed cũ adhuc fuerit in utero matris suæ. Vnde Elizabeth ad Mariã iam Christo p̃gnantẽ ait: Ecce ut facta est uox salutatiõis tuæ in auribus meis, exultauit præ gaudio infans in utero meo. Quæ exultatio, q̃d obsecro aliud

Ioannis nomẽ unde?

Ioannis natiũ uitas.

Ioannis maiestas.

fuit, quàm testimonium de Iesu Christo, ab ipso spiritu sancto in Ioanne excitatum? Sed quo organo, inquies, Ioannes accepit spiritum sanctum? An non organon, quo datur spiritus sanctus, uerbum est externum? Cum igitur Ioannes nondum potuerit uerbum externum in utero matris audire, quomodo donatus est spiritu sancto? Recte sentis, uerbum externum est ordinarium & legitimum organon, quo spiritus sanctus confertur hominibus, hoc autem intelligendum est de his hominibus, qui sunt capaces uerbi externi. Nam qui nõ sunt uerbi externi capaces, ut sunt τὰ ἔμβρυα & infantes, in his DEVS eo modo, quem ipse optime potest & nouit, efficax est. Quid enim? num quia DEVS instituit uerbum externum, quo daret adultis uerbi externi capacibus, spiritum sanctum, abbreuiata est manus eius, ut non possit infantibus alio quodam modo & organo spiritum sanctum donare? An non est omnipotens rerum creator, & liberrimus creatarum rerum administrator? Ac DEVM non solum hoc posse, sed etiam uelle & facere in infantibus, multis adeo argumentis perspicuum est. Impossibile enim est, quemadmodum Apostolus ait, Deo sine fide placere. Infantes autem Deo ita placent, ut etiam ad æterna sua tabernacula recipiat ipsos. Quare donat etiam ipsis suo modo spiritum sanctum & fidem, per quam ipsi placeant. Iam & angelos ordinauit, qui sint salutis infantium custodes. Angeli, inquit, eorum uident faciem patris sui, qui in cœlis est, quomodo etiam non daret ipsis suo modo spiritum sanctum, per quem salutem consequerentur: Quòd si puerorum est regnum cœlorum, quemadmodum Christus ait, qui fieri posset, ꝙ non etiam ipsorum esset spiritus sanctus & fides? Et quid plura? nonne hoc unum Ioannis exemplum satis perspicue testatur, Deum non posse solum, sed etiam uelle infantibus, quorum misereatur, dare suo modo spiritum sanctum? Quare non est necessarium inquirere, quo organo uel Ioannes uel alii infantes donentur spiritu sancto, sed adoranda est imperscrutabilis Dei maiestas, qua unicuiq; iuxta suum modũ diuina beneficia distribuunt. Deinde, Vinum, inquit angelus, & siceram non bibet. In infantia, imo in utero matris replebitur spiritu sancto. In adolescentia autem & reliquo ætatis tempore, tam duram uitam exiget, ut iuxta leges Nazaræorum, nec uinum nec siceram biturus sit. In lege enim instituitur ordo Nazaræorum, Numeri capite sexto, & præter alias multas uiuendi regulas, etiam illa præscribitur, ꝙ qui uoluerit se Domino consecrare, abstineat à uino, & omni quod inebriare potest. Vaticinatur igitur hoc loco angelus, Ioannem secundum durissimas quidem, sed sanctissimas leges Nazaræorum uicturum. Ioannem autem talem, tamq; duram uitam in eremo exegisse, manifestum est apud Euangelistas, de qua re nunc non est dicendi locus. Quid ergo? num uinum bibere prophanum est, abstinere autem à uino sanctum est? An non quicquid creauit DEVS, bonum est, & nihil reiiciendum, si cum gratiarum actio ne sumatur? Recte, sed leges Nazaræorum pædagogia erant, non ut abstinentia uini expiarentur peccata, sed ut caro in seruitute retineretur, ne spiritum Nazaræi à uehementia orationis, cui tunc potissimum seruiebatur, impediret. Et Ioannes hoc genus uitæ suscepit, non ut meritis horum operum placaret DEVM, sed ut hoc uitæ genere aptior ad seruiendum uocationi suæ in deserto redderetur, & testimonium suum, quod CHRISTO daturus erat, magis commendaret ac illustraret, de qua re postea dicemus. Postremo Ioannes magnus erit maiestate officii sui, qua etiam superat omnes eos, qui è mulieribus nati sunt. Et hoc loco concionatur angelus de Ioanne ex propheta Malachia & Esaia, quorum uaticinia exponit etiam perspicue de Ioanne. In Malachia enim capite tertio,

Verbum externum, organum spiritus sancti.

Infantes, quo modo fide donentur.

Nazaræorũ leges.

Vini abstinentia.

Dominus

Dominus Deus noſter ita loquitur: Ecce ego mitto angelum meum,& præparabit uiam ante faciem meam. Et ſtatim ueniet ad templum ſuum dominator, quem uos quæritis, & angelus teſtamenti, quem uos uultis. Ac mox capite quarto: Ecce ego mittam uobis Eliam prophetam, antequam ueniat dies Domini magnus & horribilis. Et conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres, ne forte ueniam & percutiam terram anathemate. In Eſaia autē capite quadrageſimo ita legitur: Vox clamantis in deſerto, parate uiam Domini, rectas facite in ſolitudine ſemitas Dei noſtri. Ex his ergo Malachiæ & Eſaiæ locis texit angelus Gabriel concionem ſuam de Ioanne,& explicat manifeſte,Ioannem hunc eſſe angelum,& Eliam,& hanc uocē, de quibus Malachias & Eſaias uaticinati ſunt. Multos,inquit, filiorum Iſrael conuertet ad Dominum Deum ipſorum, hoc eſt, Ioannes fungetur officio prædicationis uerbi Dei, quo reuocabit multos Iſraelitas ad pœnitentiam. Concionabitur enim baptiſmum pœnitentiæ,in remiſsionem peccatorum, & exiget ab unoquoq; hominum genere bonos fructus pœnitentiæ. Hæc autem contio reuelat primum peccata, deinde oſtendit Chriſtum expiatorem peccatorum,& iubet in ipſum credere, poſtremo docet bona opera ex fide. His rebus abſoluitur pœnitentia,& conuerſio impii ad Dominum Deum ſuum. Cum igitur Ioannes concionaturus ſit baptiſmum pœnitentiæ, recte dicitur ipſum conuerſurum eſſe multos Iſraelitas ad Dominum Deum ipſoꝝ. Et quod hoc loco angelus de Ioanne uaticinatur, hoc teſtantur Euangeliſtæ à Ioanne impletum eſſe. Egreſſa eſt ad illum,inquit Matthæus, Hieroſolyma, & tota Iudæa,totaq; regio undiq; finitima Iordani,& baptizabantur in Iordane ab illo, confitentes peccata ſua. Sed pergamus in concione angeli. Ipſe (inquit) præcedet ante illum in ſpiritu & uirtute Eliæ, ut conuertat corda patrum ad filios, & incredulos ad prudentiam iuſtorum,ad parandum Domino plebem perfectam. Hic mihi ante omnia obſerua,q; his uerbis angelus teſtetur, Chriſtum uerum & naturalem Deum eſſe. Cum enim antea dixiſſet,conuertet multos ad Dominum Deum ipſorum,mox addit,præcedet ante illum. Quem? nimirum ante illum,de quo prius mentio facta eſt, Dominum Deum ipſorum. Præceſsit autem Ioannes ante Chriſtum, & præparauit uiam eius. Eſt igitur Chriſtus,teſtimonio angeli,uerus & naturalis Deus. Deinde, cū dicit Ioannem præceſſurum ante Dominum Deum ipſorum, hoc eſt, Chriſtum, in uirtute & ſpiritu Eliæ, exponit locum Malachiæ de aduentu Eliæ ante Meſsiam. Nam, cum apud Malachiam dicatur: Ecce ego mittam uobis Eliam prophetam, anteq; ueniat dies Domini magnus & horribilis, non ſentiendum eſt, prophetam loqui de perſona eius Eliæ,qui fuit Thesbites, & qui uixit ſub rege Ahab, nimirum, q; is reſuſcitandus ſit à mortuis, & præceſſurus ante aduentum Meſsiæ, quēadmodum Iudæi ſentiebant,& quidam etiam alii docent, Eliam unà cum Enoch uenturum ante nouiſsimum diem,ſed loquitur propheta Malachias, interprete angelo, de Ioanne Baptiſta,qui nō eſt quidem perſona Elias Thesbites, eſt tñ Elias officio, ſpiritu & uirtute Eliæ. Sic & Chriſtus ipſe Malachiā interpretat̄, Matthæi undecimo: Omnes, inquit,prophetæ & ipſa lex uſq; ad Ioannē,pphetauerūt. Et ſi uultis recipere, ipſe eſt Elias ille, qui uenturus eſt. Et Matthæi decimoſeptimo: Elias quidē ueniet prius, & reſtituet omnia, hoc eſt: Scribæ recte dixerūt, Eliā uenturꝫ ante aduētum Meſsiæ, ideo ego nunc dico uobis, Eliam illum iam ueniſſe,& non agnouerunt eum,ſed fecerunt in eo quæcunq; uoluerunt. Videamus igitur,quomodo Ioannes Baptiſta uenerit in ſpiritu & uirtute Eliæ. Ac ſunt,qui Eliam & Ioannem interſe potiſsimum in hoc conferunt, q; ſicut Elias magna ſpiritus potentia reſtitit impietati regis Ahab,& neceſſe habuit fugere perſecutionem reginæ Iſabellæ, uxoris Ahab, quemadmodum

Ioannis officium.

Chriſtus,uerus & naturalis Deus.

Ioannes eſt Elias.

ſcriptum eſt in tertio libro Regum, ita Ioannes ingenti ſpiritus uehementia reſtitit adulterio Herodis tetrarchæ, & occiſus eſt propter Herodiadem, quam Herodes loco uxoris habebat. Hæc quidē collatio nec eſt negligēda nec contēnenda, ſed eſt maius quiddā, in quo Ioannes Eliā Thesbitē ꝓprie referre dicit. Tempore eñ Eliæ uera Dei religio, impio cultu Baalitico in Iſrael ita deuaſtata & conculcata erat, ut omnes Iſraelitæ uiderentur adorare Baal, & Elias exiſtimaret ſe ſolum ueri Dei cultorem in Iſrael reliquum eſſe. Quid ergo ad hæc propheta Elias? Primum quidem continuit uerbo Domini cœlum, ut plus q̄ tribus annis nec ros nec pluuia de cœlo caderent, ut impius Iſrael grauiſsima fame puniretur, & ad pœnitentiam, & agnitionē ueri Dei inuitaretur. Deinde contendit cum ſacerdotibus Baal, & cum illi non poſſent ſuam religionem publicis miraculis comprobare, impetrat ipſe ignem de cœlo, qui holocauſtum ſuum deuorat, & teſtatur Baal eſſe Deum fictitium, ſuum autem Deum, uerum eſſe Deum. Poſtremo trucidat ad unum omnes ſacerdotes Baal ad torrentem Kiſon, & reſtituit in Iſrael uerum ueri Dei cultum & religionē. Scriptura enim teſtatur, Eliam in offerendo holocauſto ſuo ita precatum eſſe: Exaudi me Domine, exaudi me, ut diſcat populus iſte, quia tu es Dominus Deus, & reducas cor eorum poſtea. Et mox ſequitur: Quod cum uidiſſet omnis populus, cecidit in faciem ſuam, & ait: Dominus ipſe eſt Deus, Dominus ipſe eſt Deus. Ex his habes, Eliam magno ſpiritu abrogaſſe in Iſrael impium cultum Baal, & reſtituiſſe ueram ueri Dei religionem. Conferamus nunc Ioannem ad Eliam, & uidebimus plane Ioannem eodem ſpiritu, eademq; uirtute præditum fuiſſe. Tempore enim quo Ioannes inter homines uixit, uera religio inter Iudæos, Phariſaicis traditionibus, Sadducaicis ſuperſtitionibus, & innumeris aliis impietatibus ita ſordidata & conſpurcata iacebat, ut nihil minus uideret, quàm ea religio, quam patriarchæ obſeruarunt, & prophetæ prædicarunt. Venit igitur Ioannes, ueram religionem reſtauraturus. Ac primum quidem, ſicut Elias afflixit impios Iſraelitas grauiſsima fame, ut ipſos ad agnitionem impietatis, & reſipiſcentiam inuitaret: ita Ioannes ſeueriſsima legis expoſitione, & horrendis grauiſsimorum ſuppliciorum minis uocauit Iudæos ab impia hypocriſi, ad ſectandam ueram pœnitentiam. Iam ſecuris, inquit, ad radicem arborum poſita eſt. Omnis igitur arbor, quæ non facit fructum bonum, exciditur & in ignē mittetur. Deinde, ſicut Elias magno incenſi holocauſti miraculo teſtificatus eſt de uero Deo, ita Ioannes maxima autoritate, & uitæ ſuæ ſanctitate, quæ magni miraculi loco habita eſt, teſtificatus eſt de uero Meſsia, uero Dei filio, & prædicauit Euangelion de Ieſu Chriſto, ut omnis qui crediderit in Chriſtum habeat uitam æternam. Poſtremo, quemadmodum Elias trucidauit impios prophetas Baal, & reſtituit ueram religionem in Iſrael, ita Ioannes trucidauit Phariſæos & Sadducæos, non quidem gladio externo, (legitimus enim huius gladii uſus erat penes magiſtratus) ſed gladio uerbi Dei, & uaticinatus eſt grauiſsimis comminationibus, niſi pœnitentiam agant, uniuerſam gentem Iudæorum perpetuo abiiciendam, & aliam gentem à Deo eligendam fore: Progenies, inquiens, uiperarum, quis uobis ſubmonſtrauit, ut fugeretis à uentura ira? Facite igitur fructus, qui deceant pœnitentiam. Et ne ſitis hac mente, ut dicatis intra uos ipſos, patrē habemus Abraam. Dico enim uobis, quòd poſsit Deus facere, ut ex lapidibus his filii ſurgant ipſi Abræ. Iam uero & ſecuris ad radicem arborum poſita eſt. Omnis igitur arbor, quæ non facit fructum bonum, exciditur & in ignem mittitur. Ac rurſus: Cuius uentilabrum in manu ipſius, & repurgabit aream ſuam, & congregabit triticum ſuum in horreum, paleam autem exuret igni inextinguibili. Hic eſt gladius, hæc eſt machæra, qua Ioannes Phariſæos & omnes impios Iudæorum doctores trucidauit. Non ſolum autem

Baal, cultus impius ab Elia abrogatus.

Ioannes reſtituit uerā religionem.

autem trucidauit hos gladio uerbi Dei, sed restaurauit etiam ueram & auitam religionem, quam ita restituit, ut deinceps perduratura sit usq; ad finem mundi. Ioannes enim fuit primus, post natum Christum, publicus concionator regni cœlorum, seu Euangelii de IESV CHRISTO, & ministerio Ioannis primum omnium institutus est baptismus, qui à Ioannis tempore cœpit, & perdurabit in Ecclesia Christi usque ad nouissimum huius seculi diem. Inchoatum est præterea ministerio ipsius, publicum officium prædicandi eius Euangelii, quod paulopost ab Apostolis in totum orbem terrarum sparsum est, & quod in Ecclesia Christi adhuc constat, constabitq;, donec CHRISTVS glorioſus in maiestate sua reuelabitur. Hæc autem religio, quæ constat baptismo & prædicatione Euangelii de IESV CHRISTO, sola uera est religio, quam & patriarchæ sectati sunt, & prophetæ adnunciarũt. Illi enim crediderunt in semen Abraæ, qui est Christus Iesus, quòd propter hunc solum Christum consequantur benedictionem, hoc est, remissionem peccatorum & uitam æternam. Hi uero prædicauerunt solum semen Dauid, (qui & ipse est IESVS CHRISTVS) perpetuo regnaturum, & subiectis suis, qui in ipsum credunt, omnem fœlicitatem collaturum. Quo igitur spiritu, & qua uirtute Elias abrogauit suo tempore impietatem Baaliticam, & restituit ueram ueri Dei religionem, eodem etiã spiritu & uirtute inchoauit Ioannes suo tempore ministerium Euangelii de Iesu CHRISTO, quo non solum omnes Pharisaicæ impietates, quæ docent humana merita, abolentur, sed etiam restauratur uera religio, qua docemur, neminem posse remissionem peccatorum & salutem consequi, nisi propter solum IESVM CHRISTVM per fidem. Habes, quomodo Ioannes Baptista uenerit in spiritu & uirtute Eliæ. Et quod diximus, idem etiam mox angelus de Ioanne ex Malachia cõcionatur, dicens: Vt conuertat corda patrum ad filios, & incredulos ad prudentiam iustorum. Elias enim, cum uera religio conspurcata esset suo tẽpore impietate cultus Baalitici, & filii patriarcharum longe aliam sectarentur religionem, quàm patriarchæ sectati erant, ueram religionem ita restituit, ut patriarcharum religionem inter filios restauraret, & filiorum religionem ad religionem patriarcharum reformaret, & incredeuli filii sectarentur prudentiam, hoc est, fidem iustorum patriarcharum, qui ex eo iusti dicunt, quòd crediderunt in promissionem Abraæ dictam, quemadmodum scriptum est: Credidit Abraam DEO, & reputatum est ei in iusticiam. Ad hæc, Eliæ tempore magna erat controuersia & dissensio de religione: Maxima populi pars in regno Israel sectabantur religionem Baal. Paucissimi conseruabant ueram religionem eius DEI, qui colebatur in Hierusalem. Hinc accidit, quòd eo tempore pater quispiam sectatus sit Baal, filius autem sectatus sit uerum DEVM, & contra, pater sectatus sit uerum DEVM, filius autem Baal, adeóq; non in una tantum urbe, sed in una etiam domo, imo & in uno lecto inuentæ sint diuersæ religiones. Elias igitur, cum uicisset prophetas Baal miraculo holocausti diuinitus incensi, conuertit corda patrum ad filios, & cor filiorum ad patres, hoc est, restituit inter patres & filios unam, eandem, & concordem religionem, ut tam patres quàm filii, abiecto impio cultu Baal, sectarentur ueram ueri DEI religionem, & increduli conuerterentur ad fidem iustorum, eorum uidelicet qui pie & prudẽter de uera religione sentiebant. Ad eundem modum restituit etiam concordiam religionis Ioannes Baptista. Hic enim, cum suo tempore Iudæi propter Pharisaicas traditiones longius recessissent à uera patriarchar religiõe, quàm ut eam gnosci posset, uerã religionẽ prædicatiõe Euãgelii ita restaurauit, ut reduceret religionẽ

Ioannes primus minister baptismi.

Religio uera, quæ?

Elias restituit ueram religionem in Israel.

patriarcharum, ad filios ipsorum, & conuerteret corda filiorum, ut sectarentʳ fidem patriarcharum, ut quemadmodū patriarchæ crediderunt in semen Abraæ promissum, ita filii crederent in Iesum Christum, qui est semen Abraæ. Accedit huc, qꝑ tempore Ioannis maximæ fuerint controuersiæ & dissensiones inter Iudæos de religiõe: Alii sectabantur Pharisæos, alii Sadducæos, alii etiam Ethnicos, paucissimi amplectebantur ueram fidem in semen Abraæ. Hinc factum est, ut aliam filius, aliã parens, aliam maritus, aliam uxor, aliam dominus, aliam seruus, religionem colerent. Venit igitur Ioannes, & prædicauit Euangelion de Iesu Christo, qua prædicatione unam, certam, ueram, & concordem religionem ita instituit, ut conuerteretur cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres, hoc est, ut patres & filii nõ amplius in religione dissentirent, sed concordi fide Euangelium exciperent, ac Iesum Christum amplecterentʳ, eamqꝫ religionem unanimiter sectarentur, quam iusti seruare credentes probabant. Sed quid, inquies? Quomodo Ioannes restituit concordiam religionis, cum ad prædicationem eius multo maior dissensio de religione orta sit, quàm unquam ante fuerit? Nam ante Ioannem, de religione pulchre inter Iudæos conueniebat. Circumcidebantur, sabbatisabant, ieiunabãt, offerebant sacrificia, seruiebant Deo in tẽplo, obediebant etiam Pharisaicis constitutionibus, ut & his Deo seruirent. Quid pluraʳ? publica erat ubiqꝫ concordia de religione inter Iudæos. Postquam uero Ioannes uenit, alius detrectabat obedientiam legis, alius obedientiam Pharisaicarum constitutionum, alius sectabatur doctrinam Ioannis, alius doctrinam Christi, adeóqꝫ tot uidebãtur sectæ oriri, quot ueteres & noui doctores erant. Quomodo igitur restituit concordiam religionis inter patres & filios? Eadem plane querela est & hisce temporibus, quibus clementia Dei, restaurata est in ecclesia, publica prædicatio de iustificatione fidei in Iesum Christum, aduersus merita humanæ iusticiæ. Reuelauit enim Christus ecclesiæ suæ uerum iustificandi modum, ut cõcordia religionis in Christianismo restitueretur, sed ecce (inquiunt) nunqꝫ ferè maiora disidia in religione fuerunt. Quid ad hæc dicemus? num accusabimus prædicationem Euangelii, discordiæ & seditionis? Minime omnium. Christus princeps pacis uocatur. Quare & Euangelium ipsius, Euangelion pacis est. Quàm speciosi, inquit propheta, pedes annunciantium pacem, annunciantiũ bona. Sed qꝫ ad prædicationẽ Euangelii oriantur disidia de religione, non fit uitio Euangelii, sed uitio humanæ impietatis, quæ ante quidem latebat, ad prædicationem autem Euangelii in lucem erumpit. Ac Euangelion, quantũ in sequidem est, docet ueram & concordem religionem, homines autem Euangeliõ contemnentes, dissensiones in religione excitant. Nam, quod ad Ioannis tẽpora attinet, uidebantur quidem homines ante prædicationem eius in religione concordes esse, ea autem cõcordia, maxima erat discordia. Alius enim cõfidebat se peccata sua expiaturum, propter merita sacrificiorum, alius propter merita Pharisaicarum traditionum, alius propter opera Sadducæorum, hic adscribebat salutẽ suam eleemosynis suis, ille ieiuniis suis, iste longis preculis suis. Et cum unusquisque sua opera perfeciset, nihil tranquilliorem consequebatur conscientiam, sed tanto magis in conscientia turbabatur, quanto plura opera ad expiationem peccatorum faciebat. Quid tali religione inquietius, turbatius, & sedicioſius? Sic etiam sentiendum est de monastica religione, quæ multis iam annis in Ecclesia regnauit. Hæc enim, & si uidebatur inter se probe conuenire, ut certe in summa impietatis conuenit, attamen nihil fuit ea magis inter se dissentiens. Alius sperabat se satis facturum pro peccatis suis, & merituru salutẽ ac uitam æternam sacrificio Missæ, alius peregrinationibus ad reliquias sanctorum, alius triduanis aut quatriduanis ieiuniis, alius septẽ horis canonicis, alius chameuniis,

Religiões uariæ inter Iudæos.

Euãgelij prædicatio restituit cõcordiã religionis.

Religiões uariæ in Christianismo.

chameuniis,alius cuculla Franciſci,alius cuculla Benedicti,alius alia cuculla, hic pol licebat ſibi cœlum meritis & interceſsione ſancti Petri,ille meritis ſancti Valentini,iſte meritis ſanctæ Catherinæ,breuiter,tot erant religionis ſectæ,quot homines.Quis aũt tam multorum capitum belluam,concordem religionem diceret? Euangeliõ uero, quod Ioannes prædicauit, & quod hoc tempore Eccleſiæ iterum diuina clementia reſtitutum eſt,tollit ad unum omnes iſtas inter ſe diuerſiſsimas ſuperſtitiones,& pro ponit nobis unum ſolum Ieſum Chriſtum,Dominum noſtrum,& docet,q̃ nulla hu mana merita,quocunq; nomine uocentur, poſsint peccata expiare, & Deum nobis placare, ſed q̃ unus Ieſus Chriſtus expiauerit peccata ,& placauerit nobis patrẽ, & q̃ per ſolã fidem in Chriſtum conſequamur remiſsionem peccatorum,& reputemur corã Deo iuſti,ꝓpter ſolũ Chriſtũ.Hæc eſt religio uere inter ſe conueniens, uere etiã conſcientiã turbatã pacificans, quam &ſi magna hominum pars cõtemnunt,& ab ea diſſentiũt,hoc tñ non abolet maieſtatẽ Euangelii, ſed declarat potius incredulitatẽ hominũ. Capeſſamus igitur Euangeliõ, quod Ioannes Baptiſta de Ieſu Chriſto præ dicauit,ut eam religionem ſectemur,quæ non ſolum liberat nos ab omnibus aliis in ter ſe diſsidentibus religionibus, ſed etiam quæ conſcientiam noſtram corã Deo pa cificat,ac perpetuam ſalutem affert.Cæteꝝ,quod angelus in cõcione ſua addit: Ad parandum domino plebem perfectam,ex Eſaia,& Malachia mutuatum uidetur.Hi enim prophetæ uaticinati ſunt,Ioannem paraturum uiam ante Meſsiam, quod an gelus uocat,parare Domino plebem perfectam,ſeu præparatam.Sentiunt autem,Io annem in eo paraſſe uiam Domino,q̃ prædicauerit pœnitentiam,& duxerit populũ ad agnitionem peccatorum ſuorum, quò eſſent præparati & idonei ad ſuſcipiẽdum Chriſtum per fidem,per quem ſolum conſequuntur homines remiſsionem peccato rum,iuſticiam & uitam æternam.Hæc expoſitio minime contemnenda eſt.Nemo e nim magis præparatus & idoneus eſt ad ſuſcipiendum Chriſtum, & conſequendam ſalutem, q̃ qui peccata ſua agnoſcit. Nec ullus tenetur deſiderio beneficiorum Chri ſti,niſi qui iudicio peccatorum in conſcientia turbatus eſt. Quare Ioannes recte dicit præparaſſe Domino plebẽ idoneam,q̃ prædicauerit pœnitentiam,& duxerit popu lum in agnitionẽ peccatorum ſuorum: ſed magis ſimplicius de teſtimonio,quod Io annes perhibuit Chriſto,intelligendum eſt,ut parare uiam Domino, & parare Do mino plebem idoneam aut præparatam, idem ſit, quod teſtimonium perhibere de Chriſto, quo homines inuitentur & præparentur ad excipiendum Chriſtum,& cre dendum Chriſto.Ioannes enim in hoc maxime omniũ miſſus eſt, ut adnũciet, Chri ſtum in ſcriptura promiſſum, iam adeſſe, & teſtimonium ferat de Ieſu, quòd ipſe ſit Chriſtus.Erat,inquit Euangeliſta,homo miſſus à Deo,cui nomen Ioannes. Hic ue nit ad teſtificandum,ut teſtaretur de luce,ut omnes crederent per ipſum. Et Ioannes ipſe ait: Vt manifeſtus fiat Iſraeli,propterea ueni ego aqua baptizans.Et iterum: Ipſi uos teſtes eſtis,quòd dixerim: Non ſum ego Chriſtus,ſed miſſus ſum ante illũ. Teſti ficari autem de ueritate,& ueritatẽ publico teſtimonio affirmare,quid aliud eſt,quàm uel iudicem uel auditorem idoneum reddere ac præparare, ad credendum ueritati? Cum igitur Ioannes publicum teſtimonium de Chriſto tulerit,quòd iam præſto ad ſit,& q̃ is Ieſus ſit Chriſtus,plebem ita præparauit,ut cum Chriſtus ſequeretur Ioan nem,& manifeſtaret ſe miraculis,ſtatim agnitus, & ex teſtimonio Ioannis, pro Chri ſto à ſuis ſuſceptus atq; adoratus ſit.Habes contionem angeli de Ioanne Baptiſta, in qua,cum multa Ioannis nomine obſeruanda ueniant,quæ in explicando utcunq; re cenſuimus,tum hoc præcipue Zachariæ nomine animaduertendum eſt, quòd in affli ctione confugiendum ſit, & q̃ ualidæ ſint preces piorum. Zacharias enim obrutus

Ioannem præ daraſſe uiam Domino,quo modo intelli gendum.

Preces piorum, ualidæ.

erat cruce publici opprobrii, propter uxoris suæ sterilitatem. In hac autem cruce, confugit precibus suis, non ad patriarchas in Domino quiescentes, sed ad Dominũ Deum suum. Et confugit ad ipsum, non fiducia humanæ suæ iusticiæ, sed fiducia misericordiæ eius. Quid ergo consequitur? Petebat tantum tolerabilem quandam liberationem ex publico opprobrio, sed ecce admirandam clementiam Dei. Non enim simpliciter exaudit Zachariam, sed mittit angelum, eumq; præcipuum, nimirum, Gabrielem, qui adnunciet ac reuelet ipsi exauditionem precum. Deinde pollicetur ipsi filium, non gregarium quendam, sed longe omnium clarissimum, quo maior inter homines non est exortus, & qui iam inde ab utero matris spiritu sancto donatus fuit, adeóq; Zacharias longe plura & maiora beneficia à Domino accepit, quàm ausus fuisset uel petere uel cogitare. Admoneamur igitur hoc exẽplo, ut in omnibus afflictionibus certam nobis salutem à Domino Deo nostro polliceamur. Id autem fiet, si agnoscamus per fidem, q̃ Christus Iesus reconciliauerit nos patri suo, & collocauerit nos in ius filiorum Dei, ut ex spiritu adoptionis clamemus ad Deum, Abba pater, per Iesum Christum Dominum nostrũ, qui est unà cum Patre & spiritu sancto Deus laudandus in secula Amen.

HOMILIA V.

AVdiuimus contionem angeli de Ioanne Baptista, audiamus
» nunc Zachariam angelo respondentem. Et dixit Zachari
» as ad angelum: Vnde hoc sciam? ego enim sum senex, & ux
» or mea processit in diebus suis. Hæc uerba, si secundum externam faciem expenderis, uidentur planè conuenire cum uerbis Abraæ, & Mariæ uirginis. Nam cum Abraam audiret promissionem terræ Canaan: Vnde, inquit, scire possum, q̃ possessurus sum eam? Maria quoq;, cum audiret nuncium de filio suo Christo, ait: Quomodo istud erit, quandoquidem uirum non cognosco? Sed si conferas inter se internum horum uerborum spiritum, inuenies maximum inter ipsa discrimen. Scriptura enim significat, Abraam & Mariam ex fide locutos, Angelus autem perspicue explicat, Zachariæ uerba plena esse incredulitate. Eris, inquit, tacens, pro eo q̃ non credidisti uerbis meis, quæ implebuntur in tempore suo. Quid ergo? inquies: Si Zacharias incredulus fuit, quomodo antea dictum est, ipsum ex fide orasse? quomodo exaudita est deprecatio eius? Facile quidem responderi potest, Zachariam habuisse in precibus suis generalem fidem, quòd Deus sit ipsum ex opprobrio suo liberaturus, & gloriam ac salutem collaturus, non habuisse autem specialem fidem, quòd Deus sit ipsum tam admirabili modo liberaturus, ac tam claro, tamq; planè diuino filio donaturus. Sed nihil opus est hoc κεκσοφυγέτω, si considerauerimus humanæ naturæ imbecillitatem & incõstantiam. Humana enim natura, uiribus suis relicta, tam imbecillis & inconstans est, ut etsi quis nunc habeat uirtutem fidei, tamen quemadmodum sæpenumero grauitas aduersarum tentationum credentem à fide excutit, ita etiam incredibilis magnitudo promissionum nimis fœlicium paulo momento credentem à fide protrudere soleat. Tam impossibile enim est humanæ naturæ, comprehendere superexcellentem diuinorum beneficiorum maiestatem, q̃ impossibile est ipsi ferre grauissimas aduersitatũ tentationes. Oculus, inquit Propheta, non uidit, auris non audiuit, in cor hominis non ascenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus se. An non & Abraam testimonium scripturæ habet, quòd crediderit Deo, & quòd ex fide iustus reputatus sit, attamen cum audit: Benedicam Saræ, & dabo tibi ex illa filium, cui benedicturus sum,

Zacharias incredulus.

Humanæ naturæ imbecillitas.

Abraam aliquoties incredulus.

magnitudine

magnitudine promissionis à fide ita deiicitur, ut promissionem Dei tanq̃ incredibilem rideat, ac dicat: Putas ne centenario nascetur filius, & Sara nonagenaria pariet? An non & Mose tam mirabiliter ex aqua liberatus, & ad spem liberandi Israelis educatus, credidit se fore liberatorem Israelis, ex qua etiam fide occidit Aegyptium, ut hoc argumento admoneret fratres suos, q̃ Deus daturus sit illis salutem, per manum ipsius, quemadmodum Stephanus testatur? Postea autem, cum manifeste à Deo uocaretur ad liberandum Israelem, & audiret maximas quasq̃ promissiones, tam incredula imbecillitate affectus fuit, ut uix tandem magnis etiam miraculis coactus fuerit, uocationem Dei capessere. Sicut enim corporalis oculus non potest ferre clarissimos solis radios, sed etsi alia lucida grata sint, tamen si intendat aciem suam in ipsos solis radios, tanto magis obscuratur, quanto clariores sunt splendores solis: ita & humanæ mentis oculus tunc maxime omnium incredulitate excæcari solet, cum obiicitur ipsi magnitudo diuinarum reuelationum. Quæ autem maior, quæ excellentior reuelatio potuisset contingere Zachariæ, quàm ea, quæ hoc loco descripta est? Apparet ipsi angelus, non gregarius quispiam, sed archangelus Gabriel, & promittit ei, & uxori eius, iam senectute effœtis, talem prolem, qualis post Abraamum & Dauidem (his enim promissus erat Christus) nulli unquam hominum promissa est, nimirum eiusmodi filius, quo maior inter natos hominum non surrexit. Quare etsi orauerit antea ex fide, ut Deus liberet ipsum, quoquo modo uelit, ex opprobrio suo, tamen, quia humana natura imbecillior est, quàm ut possit comprehendere excellentes & insolitas Dei reuelationes, non est mirum, quòd magnitudine tam incredibilium promissionum à fide ad incredulitatem deiiciatur. Proponit autem scriptura nobis hanc Zachariæ imbecillitatem, ut in Zacharia uiro tam sancto, & tam amplis alioqui laudibus in scriptura ornato, nostram ipsorum imbecillitatem agnoscamus, & ex ea impellamur non ad negligendam fidem, & uocationem Dei: Sic enim impii abutuntur erratis sanctorum, & sentiunt nihil referre, etiamsi abiiciant fidem, & impie uiuant, quando & sancti errauerint, nihilominus tamen salutem cõsecuti sint, nec impellamur ad desperationẽ salutis nostræ: Sic enim infirmiores cogitare solent: Quid? ego ne cõfiderem me permansurum in fide, cum Zacharias, tam sanctus uir, à fide depulsus sit? Sed impellamur potius ad maiorem curam & sollicitudinem conseruandæ fidei nostræ. Id autem fiet, si faciamus uocationem nostram bonis operibus, à Domino præceptis, subinde magis certam, & sine intermissione oremus, ut qui nobis clementer fidem dedit, idem etiã fidem in nobis spiritu sancto suo ad perpetuam nostram salutem conseruet. Sed audiamus nunc, quid angelus ad hanc Zachariæ incredulitatem respondeat. Et respondens angelus, dixit ei: Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum, & missus sum loqui ad te, & hæc tibi euangelizare. Et ecce eris tacens, & non poteris loqui, usq̃ in diem, quo hæc fiant, pro eo q̃ non credidisti uerbis meis, quæ implebuntur tempore suo. Gabriel paucissimis uerbis non tam suum, q̃ omnium angelorum officium explicat: Asto, inquiens, ante Deum. Nam hæc est una pars officii angelorum, q̃ astent coram Deo ac ministrent ei, & laudẽt eum sermone inenarrabili. Millia millium, inquit Daniel, ministrant ei, & decies millies centena millia assistunt ei. Et in Esaia, Seraphim stabant, & clamabant alter ad alterũ dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dñs Zebaoth, plena est omnis terra gloria eius. Et angeli pastoribus apparentes dicunt: Gloria in excelsis Deo. Deinde addit Gabriel: Missus sum loqui ad te, & hæc tibi euangelizare. Hæc enim est altera pars officii Angelorum, q̃ ut Apostolus ait, emittantur in ministerium

Mose aliquoties incredulus.

Sanctorum erratis quomodo utendum.

Angelorum officia.

propter eos, qui hæredes erunt ſalutis. Emittuntur autem Angeli à Deo in miniſterium hominum, non tantum, ut ſermone ſuo bona hominibus adnuncient, ſed etiam ut ipſo facto, adeoq; totis uiribus ſuis homines à malis defendant. Immittitur, ait Pſalmus, Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos. Et iterũ: Angelis ſuis mandauit de te, ut cuſtodiant te in omnibus uiis tuis. In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Et in Daniele, Archangelus Michael pugnat pro filiis populi Dei. Accedit huc, quòd Angeli nõ ſolũ defendant populum Dei pugna contra poteſtates aduerſarias, uerumetiam oratione coram Deo. In Zacharia Angelus ita precatur: Domine Zebaoth, uſq; quo tu non miſereberis Hieruſalem, & urbium Iuda, quibus iratus es? Et apud paſtores dicũt: In terra pax, hominibus bona uoluntas, quæ uox manifeſte ſignificat, Angelos pro humana ſalute coram Deo intercedere. Sed nunc non eſt locus pluribus de officio angelorum diſſerendi. Hæc enim occaſione uerborum Gabrielis indicare magis, quàm explicare uoluimus, propter has potiſsimum cauſſas, ut & indicaremus, quæ eſſet ſententia uerborum Gabrielis, & agnoſceremus cum gratiarum actione immenſam Dei clementiam, qua Deus non ipſe tantum (ut ita docendi gratia loquar) humanæ ſalutis curam habet, uerumetiam creauit & ordinauit angelos, qui ſine intermiſsione ſaluti hominum ſeruirent. Sed quid illud eſt, quòd Gabriel iactet officium ſuum coram Zacharia? num quærit euanidam uulgi gloriolam? Minime omnium, ſed amplificat miniſterium ſuum, ut exprobret & exaggeret Zachariæ incredulitatem ſuam. Ego, inquit, non ſum gregarius quiſpiam Angelus, ex infima Angelorũ plebe, ſed ſum Gabriel ille, qui reuelaui Danieli ante multos annos, non ſolum futurum ſtatum populi Iſraelitici, uerumetiam tempus aduentus Meſsiæ. Adhæc, non ſum talis angelus, qui à Deo ſim abiectus, & qui nihil familiaritatis cum Deo habeã, ſed qui ſine intermiſsione in conſpectu Dei aſtem, maieſtati Dei miniſtrem, & Deum ineffabilibus laudibus commendem. Præterea non ſum talis angelus, qui meo tantum ipſius arbitrio ad te uenerim, ſed miſſus ſum mandato Dei. Poſtremo, miſſus ſum, non ut tibi aduerſa & triſtia adnunciem, ſed εὐαγγελίζεσθαί σοι, hoc eſt, ut Euangelion, ſeu bonum nuncium afferam tibi. Ex his nunc ipſe tu intelligere potes, quàm immane peccatũ deſignes, q̃ nullã fidẽ uerbis meis adhibeas. Cum ergo non acceperis per fidem Euangelion, quod annunciaui tibi, neceſſe habebis ferre ſupplicium, quod, inuitus licet (mallem enim, pro natura mea, bona q̃ mala adnunciare,) attamen tuæ incredulitati optime cõueniens, uaticinabor tibi: Ecce enim futurum eſt, ut ſis tacitus, nec fari poſsis, ad eũ uſq; diem, quo hæc fiant, eo q̃ non credidiſti uerbis meis, quæ implebuntur tempore ſuo. Quid ergo? num quod Gabriel prædixit, re ipſa ita completum eſt? Maxime omnium. Sequitur enim:

» Et erat plebs expectans Zachariam, & mirabant
» q̃ tardaret ipſe in templo. Egreſſus autem, non poterat loqui ad illos. Et cognoue
» runt, q̃ uiſionem uidiſſet in templo. Et ipſe erat innuens illis, & permanſit mutus.

Ecce, qui bene loquens ingreſſus fuerat templum, exit nunc mutus. Probe autem conuenit, q̃ incredulus Zacharias externa mutitate puniatur. Hæc enim externa mutitas in Zacharia adumbrat, quales ſint omnes increduli coram Deo. Nã quemadmodum Zacharias non potuit hominibus loqui, ita nullus incredulus uel audet uel poteſt faciem ſuam ad Deum attollere, & coram Deo loqui. Non eſt hũc ſermo de externis uerbis precum. Increduli enim hypocritæ multo loquaciores ſunt piis, in externis precibus ſuis, ſed eſt ſermo de ſpirituali oratione, quæ habetur in conſcientia coram Deo, & quæ petit à Deo auxilium in omnibus afflictionibus.

Angeli orant pro hominibus.

Mutitas ſupplicium incredulitatis.

Ad hunc

Ad hunc modum, nullus incredulus nec potest nec audet cum Deo colloqui. Nã qui non credit Euangelio, ꝙ habeat propicium Deum propter semen Abraæ, Iesum Christum Dominum nostrum, necesse est, ut sentiat, se habere Deum iratum: Vbi autem ira Dei agnoscitur, quæ potest ibi esse fiducia inuocandi Deum? Sicut fremitus leonis, inquit Salomon, ita & regis ira. Si hominis, humana tantum potentia præditi, tam terribilis est ira, quanto terribilior erit ira Dei? Rugiente leone omnes bestiæ trepidant, & conticescunt, quomodo igitur irascente Deo nõ trepidarent & obmutescerent homines? Sic obmutuit & abscondit sese Adam, quando audiuit uocem Domini deambulantis in paradiso. Sic obmutuit conuiua ille Euangelicus, quando interrogabatur, cur intrasset ad nuptias, non habens uestem nuptialem. Sic obmutuerũt & collapsi expirarunt Ananias & Sapphira, cum audirent uocem Dei ex Petro, ꝙ mentiti essent spiritui sancto. Incredulo igitur homine nihil nec est miserius nec infœlicius, quippe qui, ut nec potest nec audet cũ Deo colloqui, & Deo afflictiones suas exponere, ac ipsum pro auxilio inuocare, ita necesse habet in afflictionibus suis perpetuo perire. Quid ergo faciendum, ut ex tanta miseria libereris, & audeas cum Deo colloqui, ac opem eius implorare? Nulla pfecto alia uia salutis reliqua est, q̃ ut abiicias incredulitatem, & capessas fidem in Dominum nostrum Iesum Christum, ꝙ propter hunc habeas placatum Deum, & adoptatus sis in filium Dei. Nam si hoc credideris, tantæ eloquentiæ spiritum accipies, ut iam non solum audeas cum Deo colloqui, sed ipsum etiam inuocare ut patrem. Non accepistis, inquit Paulus, spiritum seruitutis ad timorem, sed accepistis spiritũ adoptionis, per quem clamamus, Abba pater. Idem spiritus testatur una cum spiritu nostro, ꝙ simus filii Dei. Quòd si filii, igitur & hæredes. Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Cæterum, uide mihi, obsecro, admirandam industriã Dei, in supplicio Zachariæ inflicto. Misit enim Dominus angelum ad Zachariam, qui adnunciaret ipsi natiuitatem Ioannis, ut prius q̃ Ioannes nasceretur, gloria nominis eius per Zachariam prædicaretur, quo testimonium eius, quod postea daturus erat Christo, illustrius fieret, sed ecce, Zacharias non adhibet fidem angelo, & punitur mutitate. Videbantur igitur hoc supplicio, omnia ea, quæ de Ioanne & Messia ab angelo dicta erãt, multo magis, q̃ unq̃ antea, obscurata esse. Quid enim mutus prædicaret? quẽ hominum cõmendaret? Dominus autem Deus noster tam industrius est, ut per hoc supplicium Zachariæ, non solum suam ipsius gloriam illustriorem reddat, uerumetiam Zachariam ipsum magis glorificet, & natiuitatẽ Ioannis magis conspicuam efficiat. Nam cum Zacharias mutus ex templo prodiret, cognouit, inquit Euangelista, populus, ꝙ uisionem uidisset in templo. Quis autem credidisset Zachariæ uisionem angelicam iactanti, si prodiisset bene, ut antea, loquens? Et cum permanserit mutus usq; ad natiuitatem Ioannis, & in natiuitate Ioannis receperit sermonem, ac eruperit in laudẽ Dei, admirabiliori certe gloria, tam ipse, q̃ Ioannes filius eius affectus est, q̃ si nihil eiuscemodi supplicii cõtigisset. Obserua igitur, & alta mente repone industriam Dei, & disce fidem habere in omnibus quantumcunq; grauibus afflictionibus. Quid enim desperares de salute? nũ quia afflictiones uidentur saluti contrariæ? at talem habemus Deum, qui propter omnipotẽtiam potest, & propter Christum uult etiam, omnes afflictiones, quamuis perpetuam internicionem minantes, in uiam salutis mutare, his nimirum, qui credunt in Christum. Confide igitur, & perseuera in Domino. Si moram fecerit, expecta illum, quia ueniens ueniet, & non tardabit. Dices autem: Scio quidem afflictiones propter Christum per fidem sanctas esse, sed quid hoc ad Zachariã, qui

Hypocritæ non orant.

Dei gloria illustrior ex supplicio Zachariæ.

punitus est afflictione mutitatis propter incredulitatẽ suã? Beati, inquit Christus qui patiuntur persecutionem, sed addit, propter iusticiam. Zacharias autẽ patie bat aduersa propter iniusticiã, uidelicet, propter incredulitatẽ, quomodo igitur potuit ipsi hoc supplicium bene cedere? Recte sentis, Zachariam afflictũ fuisse propter iniusticiã, Zacharias aũt excepit & tulit hoc suppliciũ, nõ pro ingenio impioꝛe, sed pro pioꝛe ingenio. Cum enim impii affligunt, non cogitãt de resipiscentia, aut cõuersione ad Dominũ, sed quanto plus affligunt, tanto longius recedũt à Domino. Populus, inquit Esaias, nõ est reuersus ad percutientẽ se, & Dominũ Zebaoth non inquisierũt. Pii autẽ, quò grauius affligunt, eò ardentius ad Dominũ festinãt, & citius resipiscũt. Sciunt enim Dominũ immittere afflictiones, nõ ut perdat, sed ut seruet. Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortẽ impii, sed ut conuertat & uiuat. Zacharias igit, agnoscẽs ueꝛe consilium Dei in suppliciis, non deiicit propter afflictionẽ mutitatis ex incredulitate ad desperationẽ & laqueũ, sed potius resipiscit ex incredulitate ad fidẽ, & suffert interea tẽporis supplicium bene meritũ, donec Dominus liberet ipsum. Vnde factũ est, ut quod fuerat antea suppliciũ incredulitatis, mutatũ sit per fidem in sanctã crucẽ, & cesserit Zachariæ in magnam gloriã. Docemur & nos isto exemplo Zachariæ, ut si affligimur iuste propter peccata nostra, non fugiamus à Domino, sed potius ad Dominũ confugiamus, & resipiscamus. Sic enim fiet, ut quod erat pœna peccati, efficiat uia salutis. Quæ enim posset illic manere maledictio, & perditio, quò Christus, qui est salus & benedictio, inferet? At inferet in supplicia peccati per resipiscentiã, quomodo igit nõ fugarẽtur ex his maledictio & perditio? An ignotũ est, quid de latrone in cruce acciderit? Hic pẽdebat in ligno propter latrocinia, sed cum in suppliciũ suum inferret per fidem, Iesum Christũ prope pendentẽ, audit à Christo: Hodie mecũ eris in paradiso, quod quid aliud est, q̃ si dixisset, crux tua uia tibi erit non ad infernũ, sed ad paradisum? Confide igit in supplicio, & resipisce, ut per resipiscentiã sanctificet suppliciũ, in uiã salutis. Sed trãseamus nũc à Zacharia ad Elizabethã. Ac Zacharias quidẽ, ut impleti sunt dies officii eius, abiit in domũ suã. Post hos aũt dies cõcepit Elizabeth uxor eius, & occultabat se mẽsibus quinq̃, dicens: Sic fecit mihi Dominus in diebus, quibus respexit ut auferret opprobriũ meũ inter homines. Hic primũ obserua mihi, quanta sit non solũ potẽtia, uerumetiã firmitas uerbi Dei. Promittebat Zachariæ ex uerbo Dei admirabilis filius, quam promissionẽ etsi Zacharias initio nõ excipiebat fide, Dominus tamen tã firmæ ueritatis est, ut impleat, quod promisit, & efficiat, ut uxor Zachariæ, quamuis tã natura q̃ senectute ad conceptũ inepta, concipiat promissum filiũ. Quid enim, inquit Paulus, si quidã sunt increduli? nũ incredulitas illoꝛe, fidẽ Dei faciet irritã? Absit. Imo sit Deus uerax, omnis aũt homo mẽdax. Est autẽ hoc nobis singulari studio obseruandũ, ob multas quidẽ alias causas, potissimũ autẽ ob hanc causam, ut in infirmitate fidei nostræ non despõdeamus animũ. Nunq̃ enim tã firmã adhibemus fidẽ uerbo Dei, quantã Deus à nobis exigit. Sollicitat igit Satã nos ad desperationẽ: quid, inquiẽs, polliceberis tibi gratiæ corã Deo, cũ tam imbecillẽ habeas fidẽ? Sit sane ita, q̃ Deus promiserit omnẽ clementiã inuocãtibus se, sed iis, pmisit, qui nulla plane dubitatiõe, uere & perfecte credũt. Tu aũt imperfecte credis. Quare nullus tibi misericordiæ locus apud Deũ relictus est. Hæc sunt ignita iacula Satanæ, sed ex hoc loco discamus, quomodo retũdẽda & extinguẽda sint. Incredulitas hoĩm, inquit Paulus, nõ facit irritã fidẽ Dei, hoc est, ueritatẽ promissionũ Dei, id quod hoc loco exẽplo Zachariæ probat. Si aũt incredulitas nõ facit irritã ueritatẽ uerbi Dei, quãtominus id faciet fidei infirmitas? De

Afflictio impiorum.

Afflictio piorum.

Supplicia peccatorum sanctificãtur per fidem.

Fidei infirmitas non euacuat ueritatem Dei.

mitas? De Christo uaticinat Esaias: Calamũ, inquiẽs, quassatũ nõ cõterẽt, & linũ fumigãs nõ extinguet, & audes tu affirmare Deũ abiicere fidẽ infirmã? Si habueritis, inqt Christus, fidẽ sicut granũ sinapis, dicetis mõti huic, trãsmigra hinc illuc, & trãs migrabit. Quid aũt grano sinapis minus est? & tũ fides tã parua opat etiã miracula. Quomõ igit Deus paruitatẽ fidei cõtẽneret? Paulus docet infirmũ in fide assumẽdũ, nõ dãnandũ esse, & addit: Tu qs es q iudicas de alieno famulo. Proprio dño stat aut cadit, imo fulciet ut stet. Potẽs em̃ Deus efficere ut stet. Et mox: Ne cibo tuo illũ pdas, p quo Christus mortuus est. Quib9 uerbis haud obscure significat, ipsũ Dñm Deũ nostr̃ tantã habere rationẽ infirmor̃ in fide, ut etiã iubeat firmos in fide unà cũ infirmis infirmos fieri, & oino uelit firmos in fide esse infirmor̃ seruos. Quare nõ est ut desperes, ppter imbecillitatẽ fidei, sed pgas potius in fide, ut subinde magis ac magis augeat. Deinde, qd illud, obsecro, est, qd hic de Elizabetha scribit: Occultabat se mẽsibus quinq;? nũ puduit Elizabethã gratiæ Dei? Non puduit gratiæ Dei, sed ut honesta mulier, seruiuit decoro. Nã cũ inhonestũ uideat, q̃ anus gestet uter̃, decorũ est, ut nõ ostẽtet uterũ, tanq̃ argumentũ affectatæ in senectute libidinis. Quãto aũt magis Elizabetha subducebat sese à cõspectu hoĩm, tãto magis offerebat sese cõspectui Dei, & cõmendabat clementiã Dei, maxima animi gratitudine: Sic fecit, inquiẽs, mihi Dominus, in diebus, quibus respexit, ut auferret opprobriũ meũ inter homines, hoc est: Videte mihi, obsecro, admirãda iudicia Dei. Potuisset me Deus liberare ex opprobrio sterilitatis meæ, in iuuentute, quo tẽpore fuisset mihi magnus honor, gestare uterũ. Nũc aũt liberat me ab opprobrio sterilitatis, in senectute. Et cum corã hominibus indecorũ uideat, q̃ anus gestet uterum, quid aliud agit Deus, q̃ q̃ me ex opprobrio per aliud opprobrium liberet? Quis igitur imperuestigabilẽ Dei tũ clementiã tũ sapientiã satis digne explicare posset? Ex his primũ obseruabis, q̃ admirabilis sit industria Dei in cõferenda salute, ut cõfirmes fidem in omnibus aduersis. Hæc enim est admirãda illa industria Dei, q̃ quemadmodũ hoc loco liberat Elizabetham ex opprobrio, per opprobriũ, ita solet ex paupertate per paupertatẽ, ex ægritudine per ægritudinẽ, ex miseria p miseriã, ex morte deniq; per mortẽ liberare. Quid. n. nõ posset omnipotẽs? In creatiõe mũdi attulit uerbũ tm̃, ad id qd nihil erat, & ecce prodiit tã perfectũ, tã elegans huius mũdi opus: quomodo ergo si afferat uerbũ suũ ad paupertatem, ad ægritudinẽ, ad miseriã, ad mortem, nõ fierẽt ex paupertate diuitiæ, ex ægritudine sanitas, ex miseria fœlicitas, & ex morte uita? Proinde nõ despõdeas animũ in aduersis, sed hoc maxime oĩm cures, ut habeas uerbũ promissionis Dei, & cõcipias ex ipso certã fidem. Tunc em̃ tanto ppior erit salus, quãto grauiora sunt aduersa. Deinde uide mihi modestiã Elizabethæ. Non gloriatur aduersus proximos de donis Dei, nõ iactat corã hominibus maiestatẽ suã, quam habet ex admirabili tãti pphetæ cõceptu, sed quo maiori gratia à Domino donata est, eo magis sese occultat, & submissiorẽ se gerit. Imitandũ exemplũ, ut sciamus dona Dei nõ cõferri nobis in hoc, ut arrogãtiores, sed ut humiliores efficiamur. Postremo est & gratitudo Elizabethæ erga Deũ adnotanda. Nã quod à Deo accepit, hoc nõ adscribit suæ uirtuti, sed refert in Deũ, & adscribit clemẽtiæ Dei. Sic fecit, inqt mihi Dñs. Et: Respexit me Dñs, ut auferret opprobrium meũ. Atq; hæc demũ uera est gratitudo erga Deũ, ut sicut Deus nos honorat donis suis, ita uicissim honoremus ipsũ cõfessione nostra, & obsequio. His em̃ rebus animũ Dei nobis ita deuinciem9, ut datur9 nobis sit, nõ solũ maiora subinde beneficia in hac terra, uerũetiã in futuro seculo uitã, & fœlicitatẽ sempiternã, per Iesũ Christũ Dñm nostrũ, q est unà cũ Patre & Spiritu sancto Deus laudãdus in secula Amen.

Pudicitiæ exemplum Elizabeth.

Dei industria, ex opprobrio per opprobrium liberare.

Modestiæ exemplum Elizabeth.

Gratitudinis exemplũ Elizabeth.

HOMILIA VI.



Xplicuimus cõceptionem Ioãnis Baptistæ, expli cemus nũ cõceptionẽ Iesu Christi, de quo testificãdo Ioánes à Deo mis sus est. In mẽse, inqt Lucas, sexto missus est angelus Gabri el à Deo, in ciuitatẽ Galilææ, cui nomẽ Nazareth, ad uirgi nẽ desponsatã uiro, cui nomẽ erat Ioseph, de domo Dauid, & nomẽ uirginis Maria. Hic primũ uide mihi illustre exẽ plũ, quo cõprobatur, Dũm Deũ nostrũ eligere contẽpta & abiecta in hoc seculo. Deus eñ missurus Christũ suũ in orbẽ terrarꝫ, & adnũciaturus cõceptionẽ eius, mittit angelũ suũ, nõ ad urbẽ Romã, in qua erãt principes potẽtissimi, nõ ad Athenas, in qua erãt uiri sapiẽtissimi & doctissimi, nõ ad urbẽ Hieru salẽ, in qua erãt uiri sanctissimi, sed mittit eũ ad Nazareth, obscurã in Galilæa ciuita tulã. Adhæc, mittit angelũ, nõ ad uxorẽ Romani imperatoris, nõ ad uxorẽ summi Põtificis, sed ad Mariã uirginẽ, despõsam fabro lignario, cui nomẽ erat Ioseph. Et si uero hi ambo ducebãt genus suũ à clarissimo rege Dauide, tñ eõ miseriores erãt, quò familia eorꝫ clarior fuerat. Nã familia Dauid nõ multis retro annis, nõ solũ de iecta erat è principatu, sed etiã redacta in extremã paupertatẽ. Qui aũt è summo fastigio ad imã sorte detrudunt, hi multo afflictiores sunt, q̃ qui semper in infima ho minũ sorte uersati sunt. Accedit huc, ꝙ Herodes eo tpe familiã Dauidis ita perse quebat, ut quos ex ea familia adhuc superstites inueniret, eos trucidãdos curaret, ꝓpterea ꝙ timeret, ne ipso oppresso regnũ Iudæorũ affectarẽt. Itaq; familia Dauid nõ solũ fuit eo tpe paupertate miserrima, sed etiã maximis periculis expositа. Maria aũt, quo miserior & contẽptior erat in hoc seculo, eo clemẽtius à Dño Deo nostro respicit. Memorabile exemplũ, quo discendũ est, ut falsã opinionẽ de contẽp tu ex animis nostris eximamus, & fidẽ in contẽptu cõcipiamus. Natura eñ ita affe cti sumus, ut cũ fastidiũt nos hoies, ꝓpter paupertatẽ, aut aliã speciẽ humilitatis, ex istimemus etiã Deũ ipsũ nos fastidire. Hinc & publica, puerbia spargunt: Qui in hoc seculo pauperes sunt, necesse habebũt in altero panem emẽdicare. Et: Fœlix quidẽ res est afflictio, sed qui multũ habet afflictiõis, infœlix est. Hæc prouerbia oriunt ex hac falsa ꝑsuasione, ꝙ Deus contẽnat, quẽ mũdus contẽnit. Sed hac opiniõe, ut di camus quod res est, nihil magis impiũ est. Nã Deus hoc primũ oĩm à nobis exigit, ut credam⁹ ipsũ esse Dñm Deũ nostrũ: Ego, inqens, sum Dñs Deus uester, hoc est, ego sum creator, cõseruator, defẽsor & liberator uester ex oĩbus afflictiõbus. Qui aũt sentit se à Deo negligi, ꝓpterea ꝙ negligat ab hoc mũdo, qd aliud sentit, q̃ Deũ ei semẽdacẽ in uerbis suis? Et quãta sit impietas, de Deo ita sentire, qs potest uerbis ex plicare? Proinde abiiciamus hãc falsã persuasionẽ, & cõcipiamus fiduciã erga Deũ, exẽplo, qd hoc loco in Maria proponit, ut quo maior est afflictio, eo maiorẽ nobis apud Dñm salutẽ repositã esse sentiam⁹. Sed nũc ad uerba angeli aĩm nostrꝫ aduer
» temus. Et ingressus angelus ad eã, dixit: Aue, gratia plena, Dñs tecũ, bñdicta tu in
» mulieribus. Hæc est illa salutatio, q̃ quãto est sanctior & obseruatiõe dignior, tãto maiorẽ superstitiõis materiã sumpserũt ex ipsa hypocritæ. Ac ipsa quidẽ salutatio per se optima est, sed à supstitiosis pessime tractata fuit. Nã, ut cõmendaret, ꝓprius ei pulsus, tũ matutinus tũ uespertinus, dicatus est. Et ipse quidẽ pulsus ꝑ se minime malus est, nec recitatio salutatiõis mala est, sed appẽdices supstitiosorꝫ malæ sunt. Primũ eñ existimãt eã ciuitatẽ periturã, in qua nõ singulis dieb⁹ hæc salutatio pul su suo cõmendet. Sunt eñ inter sophistas, scriptores quidã, q nõ uerent hoc mẽda ciũ publice docere. Deide recitãt hãc salutationẽ ꝑ oratiõe, cũ tñ nihil in ea petat. Adhæc usurpãt hãc salutationẽ, ut merito eius operis, ꝙ subinde sæpe enumerãdo repetitur,

Deus eligit cõtempta & abiecta in hoc seculo.

Mariæ & Iosephi genus.

Afflictio & contẽptus in mundo nõ est signum iræ Dei.

Salutatio angelica ad Mariam.

Salutationis angelicæ abu

repetiẽ,demereanẽ ſibi beatã Mariã uirginẽ,& expient pctã ſua, ac cõſequanẽ cœlũ. Nam & huic ſalutationi certæ quædã indulgentiæ Pontificũ additæ ſunt, ut omnino enumeratio huius ſalutationis tantũ ualeat, opinione hypocritæ, quãtum ualet ipſa paſsio Domini noſtri Ieſu Chriſti, quo ſolo opere,p peccatis noſtris ſatisfactum eſt. Poſtremo ex hac ſalutatione ita compoſita fuerunt Roſaria, quæ uocãt, ut p̃ ea nullus locus penè relictus fuerat orationi dominicæ. Quid ergo? inquies: Damnas ne tu hanc ſalutationem? An non optimis uerbis conſtat? cur ergo nõ liceret eam recitare? Ego uero minime oĩm damno, ſed abuſum damno, ſuperſtitionẽ damno. Nam quòd optimis uerbis cõſtat, ſentiendum eſt, eo execrabiliorẽ eſſe impiũ abuſum, quo melioribus uerbis cõſtat. An non & incantatores abutuntur ad incantationes ſuas diuinis nominibus? ſed tanto magis impiæ ſunt incantationes, quanto nomina Dei diuiniora ſunt. Initium Euangelii, quod ſcriptũ eſt, ſecundũ Ioannẽ, certe diuiniſsimum eſt, ſed tãto magis peccant, q illud literis exaratũ, & in receptaculum aliquod incluſum, à collo geſtãt, aduerſus ictus gladiorũ, aut aliam aduerſam fortunam. Re eñ optima abutunẽ peſsime. Nonne & uinum bona Dei creatura eſt? Sed quo melior eſt creatura, eo peius peccant ebrioſi, bona creatura Dei male abutentes. Sic & angelica ſalutatio, ut optimis uerbis cõſtat, ita peſsime peccant ſuperſtitioſi, qui abutunẽ ea non ad ædificationem fidei, ſed ad ſuperſtitionẽ. Ergo ne nõ licebit mihi orare, Aue Maria? Quid uero tu mihi hic de oratione ingeris, quando non ſit oratio, ſed ſalutatio. Salutabo igitur & ego beatã uirginẽ hac breui ſalutandi forma? Si abſit ſuperſtitio & impia opinio, non ſolum licebit, uerumetiam ualde utile eſt, hanc ſalutandi formã ſæpe recẽſere. Eſt aũt utile, non ut cõmemoratione huius ſalutationis adoreẽ uirgo Maria, tãquam mediatrix inter Deum & hoĩem, & expiatrix peccatorum, hæc eñ maieſtas ad ſolum Ieſum Chriſtum filium Mariæ pertinet, ſed ut cõmemoratione eius agnoſcamus gratiã Dei, & paſcamus fidẽ noſtram. Perſtringemus igiẽ hanc ſalutationẽ breui expoſitione, ut quid utilitatis nobis ex ea accedere poſsit, perſpicue demonſtreẽ. An gelus ergo ſalutaturus Mariam, primum oĩm: Aue, dicit, quod uerbum non egeret ulla explicatione, niſi hypocritæ obſcuraſſent ipſum multis plauſtris cõmentariorũ. Quid enim aue aliud eſt, quam ſaluere? Et quia Lucas hanc ſalutationẽ Græce conſcripſit, Græcum etiam uocabulũ obſeruandum eſt. Nam quod nos noſtro loquendi more dicimus ſaluere, hoc Græci uocant χαίρειν, quod eſt gaudere. Angelus igiẽ Mariam ſalutaturus, optat ipſi gaudium & ſalutem. Interim obſeruabis etiam hanc ſalutandi formam, contra Anabaptiſtas, qui nullas alias literas & ſyllabas in ſaluando admittunt, p̃ter illas: Pax tibi. Deinde uocat angelus Mariam κεχαριτωμένην, quod nos habemus uulgo, gratia plenam, ſed ſignificantius dicitẽ, gratioſa. Ac ne hæc quidem uocabula, gratia plena, reiicimus, modo recte iuxta analogiam fidei intelligantur. Maria eñ dicitur plena gratia, nõ quòd ipſa habeat plenitudinẽ gratiæ, de qua hoĩbus cõmunicet, & qua homines reconciliet Deo patri, remittat peccata, & ſeruet in morte. Hæc enim maieſtas ad ſolum Chriſtum pertinet, de quo ſcriptum eſt: De plenitudine eius nos oẽs accepimus, gratiam pro gratia: ſed dicitẽ plena gratia, q ſit à Deo recepta in gratiam, quòd Deus faueat ei, & q multis donis à Domino iam ornata, & poſt etiam ornanda ſit. Sic & Stephanus aliàs dicitẽ plenus gratia, nõ quòd ipſe ſit mediator inter Deũ & hoĩes, ac expiator pctõrũ, q ſed Deus faueat ei, & dederit ei multa genera ſpiritualiũ donorũ. Sed quid ſit gratia plena, angelus ipſe, his uerbis, q̃ in ſalutatione ſequunẽ explicat. Addit eñ: Dominus tecum. Deus quidem potentia ubiq; eſt, ſed non dicitẽ ubiq; eſſe gratia, fauore, & donis ſuis ſpiritualibus. Annunciaẽ ergo ab angelo eſſe cũ Ma-

Salutationis angelicæ recitatio eſt utilis

Maria plena gratia.

ria non tantũ potentia, qua omnia adminiſtrat & gubernat, uerũetiam clemẽtia. gratia, fauore & multis donis ſuis. Vnde mox ſequitur: Benedicta tu in mulieribus. Sunt q̃ hoc ita interpretanť, tu benedicta, hoc eſt, laudabilis & cõmendabilis es p̃ oĩbus mulieribus. Bona interpretatio, ſed hæc locutio uideť mihi Hebraicã phraſim ſæpe. Nã qd̃ nos bonã fortunã uocam⁹, hoc Hebræi, p̃ more gẽtis ſuæ uocãt benedictionẽ. In Deuteronomio dicit: Si audieris uocẽ Dñi Dei tui, benedictus eris in ciuitate, in agro. Hoc nihil aliud eſt, q̃ bene fortunatus eris. Sic & hoc loco, bñdicta tu inter mulieres, ſignificat Mariã meliorẽ fortunã & maius donũ à Deo habere, q̃ oẽs aliæ mulieres. Nam ab initio orbis terrarũ ſtatim de muliere quadã, non ab hoie, ſed ab ipſo Deo p̃dicatum eſt: Semẽ mulieris conteret caput ſerpẽtis. Poſtea etiam Eſaias de eadẽ muliere concionať: Ecce, inquiens, uirgo cõcipiet, & pariet filiũ, & uocabiť nomẽ eius Emanuel. Maria aũt ſelecta eſt ex oĩbus mulieribus, quæ eſſet hæc ipſa mulier, de qua p̃dicatũ eſt ad Adamũ, de qua cõcionatus eſt Eſaias, quæ uirgo uirtute ſpiritus ſancti cõciperet & pareret filiũ, quæ eſſet uera & corporalis mater Meſsiæ filii Dei, unici noſtri ſaluatoris. Quæ certe eſt maxima benedictio & ingens donum, quod nulli alteri mulieri cõtigit. Ac una quæq; ſanctarum mulierum hoc præcipue in uotis habuit, ut fieret mater benedicti ſeminis, quod Abraamo, pmiſſum erat, ſed ea fœlicitas nulli alteri mulieri cõtigit, præter q̃ uirgini Mariæ. Quare hoc titulo rectiſsime ornať, benedicta inter mulieres. Nunquid ergo Maria propter hanc benedictionẽ afficiẽda etiam eſt ea maieſtate, quæ in ſolũ Ieſum Chriſtũ filiũ eius cõpetit? nunquid, quia Maria eſt benedicta inter mulieres, dicemus etiã ipſam eſſe mediatricẽ inter Deum & hoẽs, expiatricem peccatorũ noſtrorũ, & ſeruatricẽ in morte ad uitam ſempiternã? Nihil minus. Maria eñ habet ſuum honorẽ & maieſtatẽ, quam ipſi tribuit ſcriptura, uidelicet, q̃ ſit à Deo in gratiam ſuſcepta, q̃ ſit multis donis Dei ornata, q̃ electa ſit in corporalẽ matrẽ Chriſti, q̃ uirgo è ſpiritu ſancto pepererit, adeoq; q̃ ſit benedicta & beata præ oĩbus mulieribus. Hæc eſt Mariæ maieſtas, quam ipſi ſp̃ſ ſanctus in ſcriptura tribuit. Iam ſi afferis eam maiori maieſtate, & collocaueris eam in locũ & officiũ Chriſti, ut, quæ ad ſolũ Ieſum Chriſtũ pertinẽt, in Mariam transferas, num honorabis & glorificabis ipſam? Minime oĩm, ſed deturpabis. Nam quod honoratius & excellentius tractať, q̃ tractari debet, nõ honorať ſed ſordidať. An non priuatus quiſpiam homo in contumeliã ſuam interpretať, ſi p̃ter fortunã ſuam regiis epithetis ornẽť? Nonne & aurum habet ſuam maieſtatẽ? Sed ſi erigať in idolõ, hoc eſt, in altius faſtigium q̃ debeat, non honore ſed contumelia affici dicit. Quid dicam de ſole? Certe ſol pulcherrima Dei creatura eſt, attamen gẽtes, quæ adorauerunt ſolẽ pro Deo, non honorarunt ſed ſordidarunt ſolẽ. Sentiamus igiť, ſanctam uirginem Mariam tunc maxime oĩm honorari, cum tribuimus ipſi honorẽ, non quem hypocritæ è ſua ſupſtitione áffingũt ei, ſed quem ſpiritus ſanctus in ſcriptura tribuit, & ſinamus ipſam quidẽ eſſe ſanctiſsimam uirginem & matrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, nõ autẽ faciamus ex ipſa ſimul deã & hoiem, quæ nos à peccatis & morte liberet. Et quia angelus ornat eam in ſalutatione ſua magnis laudibus, cõmemoremus ſalutationẽ, non ad ſupſtitionẽ, ſed ad pietatẽ. Primũ eñ, cum recitamus Mariã gratia plenã & benedictã inter mulieres, cogitemus hæc uerba ſignificare, Mariam præ oĩbus mulieribus electã, ut ſit mater benedicti ſeminis Abraæ, ueri Meſſiæ, & excitemur ad gratiarũ actionẽ, q̃ quæ Dominus tot retro ſeculis de mittendo Meſſia in orbẽ terrarũ, pmiſit, ea per Mariã uirginẽ impleuerit. Deinde cõfirmemus fidẽ noſtrã, nõ ſolũ hoc noie, q̃ ex hac ſalutatione certificamur, Chriſtũ iamdudũ in hũc mundũ natum, nec aliũ expectandũ eſſe, ſed etiã hoc nomine, q̃ etſi Maria fuerit

Maria benedicta in mulieribus,

Mariæ honor

Salutationis angelicæ uſus

mulier,in hoc ſeculo contẽpta & abiecta,elegit tamẽ Deus ipſam in matrẽ Chriſti filii ſui.Cũ igiť Deus tãtæ ſit clemẽtiæ,q̃ reſpiciat humilia,fiduciã cõcipiamus,Deum nos etiã in humilitate noſtra reſpecturũ,& ſeruaturũ.Hæc de ſalutatione angelica.Sequiť autẽ: Quæ cũ audiſſet,turbata eſt in ſermone eius,& cogitabat qualis cc
eſſet iſta ſalutatio. Quid eñ mirũ,q̃ uirgo tã pudica ad ſubitũ & inopinatũ adcc
lescentis conſpectũ turbeť,& mulier tá abiecta ad tantæ maieſtatis ſalutationẽ obſtupeſcatť Et ait angelus ei:Ne timeas Maria.Inueniſti eñ gratiã apud Deũ.Ecce cc
cõcipies in utero,& paries filiũ,& uocabis nomẽ eius Ieſum.Hic erit magnus,& filicc
us altiſſimi uocabiť.Et dabit illi Dñs Deus ſedẽ Dauid patris ſui,& regnabit in docc
mo Iacob inæternũ,& regni eius nõ erit finis. His uerbis angelus primũ omniũ cc
Mariã obſtupefactã conſolaťNe timeas(inqt)Maria.Quòd appareo tibi,diuinũ mandatũ eſt,qd̃ago,diuinũ negociũ eſt,qd̃ nũcio,diuina legatio eſt.Nec eſt,q̃ corã Deo abiecta ſis,qa & tibi & mũdo abiecta es.Ideo.n.Dño places,qa tibi diſplices. Nacta es gratiã corã Deo,nõ quidẽ tuo merito,nõ tua iuſticia. Quis eñ iuſtificaťin cõſpectu Deiť&, ſi iniquitates obſeruaueris Dñe, Dñe quis ſuſtinebit? ſed nacta es gratiã ex mera & gratuita miſericordia Dei,qui tãta clementia p̃ditus eſt, ut eos reſpiciat,quos mũdus deſpicit,ut exaltet,quos mũdus humiliat, ut ſaluet,quos mũdus dãnat. Cum igiť uiderit te mulierẽ in hoc ſeculo longe oĩm miſerrimã & contemptiſſimã,cõplexus etiam eſt te tanta gratia & fauore,ut ornaturus te ſit maiori dono,q̃ ulla unq̃ mulier ornata fuit. Nam q̃ uerbũ angeli,dicẽtis:Inueniſti gratiã apud Deũ, hanc habeat ſententiã,Maria ipſa in cantico ſuo explicat dicens: Reſpexit ad humilitatẽ ancillæ ſuæ,non ait,ad dignitatẽ,ad iuſticiã,ad merita,ſed ad humilitatẽ ancillæ ſuæ. Vbi autẽ fit cõfeſsio humilitatis,ibi palàm prædicaťmiſeri cordia Dei. Vbi aũt prædicať Dei miſericordia, ibi tolliť oẽ humanũ meritũ. Nã ſi p gratiã, inqt Paulus,iã nõ ex opibus. Quare cum Maria diciť inueniſſe gratiã apud Deũ,nihil humanæ iuſticiæ,ſed totũ diuinæ clemẽtiæ tribuiť.Deinde angelus cõſolata Maria,explicat cauſam legationis ſuæ, &, quod eſt nobis nunciũ longe oĩm gratiſsimũ,eũ Meſsiã,de quo,pphetæ magnifica uaticinati ſunt, in utero Mariæ cõcipiendũ,& ex ipſa naſcendũ adnũciat, adeóq̃ oĩa prophetarũ oracula de Meſsia,in hũc Mariæ filiũ,breui quodã cõpendio cõfert. Ac principio,pphetæ uaticinanť Meſsiã fore de ſemine Abraæ & de genere Dauid.Suſcitabit,inqt ad Dauidẽ,ſemẽ tuũ poſt te,quod egrediẽť de utero tuo.Quibus uerbis ſignificať,Meſsiã uerũ & naturalẽ hominẽ,& ex poſteritate Dauidis uere naſcendũ fore.Maria aũt fuit ex poſteritate Abraæ & Dauidis,quẽadmodũ Euãgeliſtæ in genealogia Chriſti,& in multis aliis locis cõprobant.Quod igiť pphetæ de gñe Meſsiæ p̃dixerunt, hoc nũc explicat angelus,& cõfert in filiũ Mariæ: Ecce,inquiens,concipies in utero,& paries filiũ.Iam,cum tu ſis ex familia Dauidis, manifeſtũ eſt etiã filiũ in utero tuo concipiendũ,& ex te naſcendũ,de familia Dauidis eſſe. Deinde pphetæ tribuerũt Meſsiæ maxia & clariſsima noĩa.In Eſaia uocaťEmanuel, hoc eſt,nobiſcũ Deus. Itẽ,admirabilis conſiliarius, Deus fortis,pater futuri ſeculi,princeps pacis.In Ieremia uocať Dñs iuſtus noſter.Hæc & alia multa noĩa, quæ pphetæ tribuũt Meſsiæ, angelus nũc uno noĩe,ueluti breui quodãfaſciculo cõprehendit,& in filiũ Mariæ cõfert,dicẽs:Et uocabis nomẽ eius Ieſum.Quod & apud Matthæũ exponit:Ipſe,in quiẽs,ſaluũ faciet populũ ſuũ à pctis ſuis. יהושע eñ,quod nos Ieſu dicimus,ſignificat,ſi interpreteris,ſaluatorẽ.Eſſe aũt ſaluatorem,non quemlibet,ſed ſaluantem à peccatis,ſeruantem in morte,& largientem futuram uitam & perpetuãfœlicitatem, qd,obſecro,aliud eſt,q̃ eſſe Emanuelẽ,hoc eſt,nobiſcũ Deum,admirabilem conſiliarium,Deum fortem, patrem futuri ſeculi, principem pacis, & Dominum iuſtificantẽ nos? Adhæc pphetæ deſcribũt Meſsiam magnũ & excelſum p̃ cũctis regibus terræ fore.In pſalmo 46. qui pſpicue de regno Meſsiæ prophetat dicitur:

Humilitatis confeſsio prædicatio miſericordiæ Dei

Meſsias uerus et naturalis homo.

Meſsiæ nomina.

IESVS.

Meſsiæ excellentia.

Dominus excelsus & terribilis, rex magnus super oẽm terrã. Confert igit̃ angelus & hoc in filium Mariæ, ut subinde magis ac magis ostendat, hunc esse uerum Messiam: Hic erit, inquiens, magnus. Præterea, prophetæ docent, Messiã non tantũ filiũ hominis, sed etiam filium Dei, ac uere natura Deum esse. Ego ero, inqt, ei in patrem, & ipse erit mihi in filiũ. Et in psalmo de Messia dicit̃: Adorabunt in cõspectu eius uniuersæ familiæ gentiũ, quoniã Domini est regnũ, & ipse dominabit̃ gentiũ. Et iterum: Concupiscet rex decorẽ tuũ, quoniam ipse est Dñs Deus tuus, & adorabũt eum. Scriptura autẽ aliàs docet, nullum p̃ter unum solum Deum adorandũ. Cum ergo manifeste dicat, Messiã adorandũ, manifeste etiam significat, Messiam uerum ac naturalẽ Deum esse. Quare angelus etiam hoc scripturæ elogiũ de Messia confert in filiũ Mariæ: Filius, inquiens, altissimi uocabit̃. Non autem intelligas nomine tantum uocari, reipsa autem non esse uere filiũ Dei, sed sentias, ut nomẽ ita & rẽ ipsi cõuenire: Quæ eñ nomina spiritus sanctus hoibus imponit, ea nõ sunt nudæ appellationes uocabulor̃, sed sunt pfectæ rerũ significationes. Quare sicut Iesus uocatur filius altissimi, ita etiam uere & natura est filius altissimi, ab æterno à patre suo genitus. Postremo, pphetæ uaticinant̃, Messiam regnatur̃ in domo Iacob, in solio Dauidis, & regnũ eius perpetuo duraturũ. In Esaia enim ita scribitur: Multiplicabit̃ imperiũ eius, & pacis nõ erit finis. Sup solium Dauid & super regnũ eius sedebit, ut confirmet illud, & corroboret in iudicio & iustitia, à modo & usq; in sempiternũ. Hæc aũt angelus in filiũ Mariæ Iesum Christũ ita confert, ut etiam iisdem uerbis Esaiæ utatur, ac non nisi ex hoc loco concionẽ suam de Iesu Christo sumpsisse uideat̃. Dabit illi, inquiens, Dñs Deus sedem Dauid patris sui, & regnabit in domo Iacob inæternũ, & regni eius non erit finis. Habes, angelũ ea, q̃ pphetæ concionati sunt de Messia, cõferre & accõmodare in Iesum filiũ Mariæ. Quid ergo? inquies: Num angelus non habuit præstantiorẽ quendã librũ in cœlis, q̃ librum prophetar̃, è quo cõsarcinaret orationẽ legationis suæ, & nouũ illud atq; admirandũ nunciũ de Messia in orbem terrar̃ nascẽdo? Expectauerã cœlestia q̃dam tonitrua, & stupendas uoces angelicas, sed ecce non audio nisi uulgata quædã uerba hinc inde è pphetis collecta. Quid ergo hic noui, quid admirandi annunciat̃? Multum per oẽm modũ. Tametsi eñ Gabriel potuisset lingua angelor̃ loqui, & cœlestia atq; hactenus inaudita uerba, pnunciare, maluit tñ sese ad captũ uirginis in sacra scriptura eruditæ demittere, & ex prophetis de Iesu Christo concionari, primũ, ut palàm declararet, hunc Iesum uere esse Messiam seu Christũ illum, de quo pphetæ uaticinati sunt, nec esse aliũ expectandum, deinde, ut admoneret nos, quo summã operam in excutiendis prophetar̃ oraculis collocaremus, & Iesum Christum in pphetis maximo studio inuestigaremus. Si eñ non pudet archangelũ de Iesu Messia ex prophetis concionari, quanta, rogo, obseruantia, quanta diligentia prophetæ nobis hoibus perlegẽdi, pertractandi, pscrutãdi, & noctu diuq; uersandi sunt, ut ex ipsis ueram IESV CHRISTI cognitionem adsequamur. Sed hic etiam de conditionibus regni Messiæ aliquid dicendum est. Dabit illi Dominus (inquit) sedem Dauid patris sui, & regnabit in domo Iacob inæternum, & regni eius nõ erit finis. Nunqd ergo regnabit externa maiestate, in externo populo Israel, quemadmodum regnauit Dauid? nequaquã. Messiam enim non ad hũc modum in orbe terrarum dominaturum, satis perspicue archangelus & prophetæ ipsi explicuerunt. Dicunt enim Messiam regnaturum inæternum, & nec regnum eius nec pacem regni finem habituram. Quæ autẽ regna administrantur in hoc seculo externa maiestate, ea nec perpetuo cõstant, nec ppetuã pacẽ habent.

Messias natura Deus.

Messiæ regnũ ppetuũ.

Angelicæ legationis oratio ex prophetis sumpta.

Messiæ regnum quas conditiones habeat.

Quare

Quare ut Meſsiæ regnum perpetuum ſit, neceſſe eſt ut ſit ſpirituale, cœleſte & diuinum. Vnde & ſedem Dauid patris non intelligas externum illum regium thronum, in quo Dauid in Hieruſalem, iuxta externam maieſtatem conſedit, ſed intelligas regnum cœleſte, quod Meſsiæ filio Dauidis promiſſum eſt. Domus etiam Iacob nõ eſt accipienda pro externo populo Iſrael, ſed pro omnibus iis, qui credũt in Meſsiam per patriarcham Iacob promiſſum, cum diceret: Non auferetur ſceptrũ de Iuda, & dux de femore eius, donec ueniat Sılo, hoc eſt, ut Chaldæus habet, Meſsias. Ergo ne regnum Meſsiæ nulla huius ſeculi maieſtate conſtabit? Quid ergo erit? quomodo aut uidebitur, aut intelligetur? Nulla quidem tali maieſtate cõſtabit, qualem habent reges & monarchæ huius ſeculi, habebit tamen ſuam, eamq́ perpetuam maieſtatem, tam in hoc ſeculo, quàm in futuro. In hoc enim ſeculo cõſtabit publica prædicatione Euãgelii & fide uſq; ad nouiſsimũ diem. Portæ enim inferi, inquit, non præualebunt aduerſus eam. Et: Ecce ego uobiſcum ſum omnibus diebus, uſq; ad conſummationem ſeculi. In futuro autem ſeculo, manifeſtabitur reuelata maieſtate, ut qui in Chriſtum crediderint, perpetua fruantur fœlicitate, qui autem non crediderint, perpetua internicione & damnatione pereant. Hæc eſt ſempiterna regni Chriſti maieſtas. Cæteq́ Maria ſermõe angeli in optimã ſpem erecta, dixit ad angelũ: Quomodo fiet iſtud, quoniã uirũ non cognoſco? Hæc non ſunt uerba incredulitatis, qualia fuerunt Zachariæ, ſed ſunt uerba quæ proficiſcunt ex admiratiõe fidei. Non enĩ dubitat Maria de certitudine uerbi Dei, qd̃ ex angelo audierat, ſed dubitat de modo, quo promiſſa impléda ſunt. Quomodo, inquiens, fiet iſtud, quando uirum non cognoſcam? Credo promiſsionibus Dei. Scio cœlum & terram tranſitura, uerba autem Dei non tranſitura. Noui per Eſaiam promiſſum eſſe filium, cuius imperium ſit multiplicandum, & cuius regni non ſit finis. Si ergo ego illa ſum, per quam Deus uelit hunc filium mundo exhibere, obſecro te, paulo apertius rei fiendæ modum declares. Iam, ut hæc uerba non ſunt incredulitatis, ita nec ſunt curioſitatis, ſed potius neceſsitatis, uidelicet, ut Maria, pudicitiæ ſuæ obſeruantiſsima, diſcat, quid ſui ſit officii, quod agendum ſit, ut promiſſus filius in utero ipſius concipiatur. Reſpondens igit̃ angelus, dixit ei: Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & uirtus altiſsimi obũbrabit tibi. Ideoq́ & quod naſcetur ex te ſanctum, uocabitur filius Dei. Hic locus docet nos eum fidei noſtræ articulum, quo cõfitemur Chriſtum eſſe conceptum de ſpiritu ſancto. Et huc etiam facit, quod in Matthæo ſcribitur. Is enĩ ita ait: Cum Maria deſponſa eſſet Ioſepho, priuſq̃ congreſsi fuiſſent, deprehenſa eſt grauida è ſpiritu ſancto. Et mox: Quod in illa conceptum eſt, à ſpiritu ſancto perfectum eſt. Quid ergo inquies: An non & alii homines concipiuntur uirtute altiſsimi & operatione ſpiritus ſancti? nonne omnes homines creantur à Domino, & naſcuntur non humana ſed diuina potentia? Pater meus, inquit Chriſtus, uſq; nũc operatur, & ego operor. Et per ipſum, ait Paulus, cum ipſo, & in ipſo ſunt omnia. Quid ergo hic noui de Chriſto prædicatur? Certe multum noui. Etſi enim unus quiſq; hominũ concipiatur uirtute ac potentia altiſsimi, non tamen concipitur hoc modo, hoc ordine, his conditionibus & circumſtantiis, quibus Chriſtus. Alii concipiuntur potentia Dei, ſed è ſemine uiri. Chriſtus autem concipitur potentia Dei, ſine ſemine uiri. Alii concipiuntur in ſpiritu Satanæ: quotquot enim ex Adam deſcendunt, maledictioni obnoxii ſunt, & filii iræ. Chriſtus autem concipitur in ſpiritu ſancto. Tametſi enim ad aliorum hominum conceptiones accedat & ipſa uirtus Dei, homo tamen qui concipit̃, relinquitur carnalis, propterea q̃ organon (nimirum uir ex Adam prognatus) quo homo concipitur, natura ſua carnale ſit. In conceptione autem Chriſti organon ſanctum eſt & cœleſte. Organon enim eſt, non uir quiſpiam, ſed ſpiri-

Regni Meſsiæ maieſtas.

Chriſtus conceptus de ſpiritu ſancto.

tus ſanctus. Quare quod ex Maria ſanctum naſcitur, ut ſolũ ſanctum & cœleſte eſt, ita uere filius Dei uocatur. Cæterum, ut uerum cõceptionis Chriſti uſum cognoſcamus, obſeruanda eſt promiſsio ad Abraamum dicta: In ſemine tuo benedicentur omnes gentes terræ. His uerbis promittitur Chriſtus, ac primũ quidem ſignificatur modus, quo concipiendus erat, deinde explicatur uſus cõceptionis eius. Nã ſi gentes benedicendæ ſunt in Chriſto, profecto neceſſe eſt Chriſtũ perfecte benedictũ eſſe. Non poſſet aũt pfecte benedictus eſſe, ſi cõciperet è ſemine uiri. Quotquot eñ ex Adamo concipiunt, in pctis & maledictiõe cõcipiunt. Chriſtus ait: Quod ex carne eſt, caro eſt. Et Paulus: Per unius delictũ propagatũ eſt malũ in oẽs homines ad condẽnationem. Quare cum Abraamo promittit ſemen, per quod gentes benedicendæ ſunt, ſignificatur etiam, ꝙ hoc ſemen concipiendum ſit de ſpiritu ſancto, ſine ſemine uiri, ut perfectam habeat benedictionẽ. Habes modũ, quo Chriſtus concipiendus eſſet. Nunc audi & uſum conceptionis eius. Nam cũ dicitur, benedicent in ſemine tuo omnes gentes terræ, palàm indicatur, gentes maledictas quidem eſſe natura ſua, ſed in hoc ſemine, qui eſt Chriſtus, benedictas fore. Benedictio autem, de qua nunc loquimur, non eſt corporalis ſed ſpiritualis, uidelicet, remiſsio peccatorum, ius cœleſtis hæreditatis, & uita æterna. Hic eſt igitur uerus uſus cõceptiõis CHRISTI, ꝙ etſi nos concepti ſimus in peccatis, alieni à iure cœleſtis hæreditatis, & uitæ æternæ, tamen quia Chriſtus conceptus eſt de ſpiritu ſancto, ſine peccatis, conſequimur per Chriſtum, ſi credimus in ipſum, remiſsionem peccatorum, & ius cœleſtis hæreditatis, ac perpetuæ fœlicitatis. Sed reuertamur ad uerba angeli. Vide aũt mihi uehemẽs ſtudiũ angeli, quo fidẽ in Maria cõfirmet. Dixerat Mariæ inſolẽs nunciũ, dixerat inſolentiſsimũ, adeoq; maxime cim admirabilẽ conceptionis modũ. Addit igit ſignum ſeu ſacramentũ, non quo Mariam ad fidẽ, quã modo ex uerbis Dei conceperat, induceret, ſed ut fidẽ ex uerbis conceptã cõfirmaret. Signum aũt eſt: Ecce Elizabeth cognata tua, & ipſa concepit filiũ in ſenectute, & hic menſis eſt ſextus illi, quæ uocatur ſterilis, quia non erit impoſsibile apud Deum omne uerbum. Elizabeth fuit hactenus apud omnes ignominia ſterilitatis notata, nunc autem menſis ſextus eſt, quo & ipſa concepit filium in ſenectute ſua. Si ergo Deo poſsibile fuit, ut anum iam penè decrepitam efficeret fœcundam, quanto magis poſsibile erit, uirginem ſine ſemine uiri prægnantem facere. Nullum enim uerbum apud Deum impoſsibile eſt. Dixit quondã: Fiat lux, & facta eſt lux. Dixit: Producat terra ſementẽ, & produxit, breuiter, dixit & facta ſunt, mandauit & creata ſunt, adeoq; uerbum Dei planè idẽ eſt quod factum eius. Dixit autem paulo ante, ut conciperet Elizabeth filium, & concepit filium, quamuis naturæ uiribus deſtitueretur. Quare cum nunc dixerit, te uirginem concepturam filium, è ſpiritu ſancto, certe ita fixum firmumq; erit, ut cœlum potius rueret, q̃ hoc uerbum intercideret. Porro Maria his uerbis non tantum fidem habens, uerumetiam in fide confirmata, ait: Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum uerbum tuum. Pauca dicit, ſed ingentia conſequuntur miracula. Hoc eñ dicto, repleẽ ſpiritu ſancto, & concipit, non hominẽ tñ, ſed uerũ filium Dei. Ac diſceſsit qui dẽ angelus ab ea, ſed acceſsit filius Dei, & quã antea creauerat, eam nunc in ueram & naturalẽ matrem ſuam aſſumit, ut ex ipſa homo natus, omnes alios homines, qui fide ipſum complecterẽtur, à peccatis & morte ſeruaret Ieſus Chriſtus Dñs noſter, qui eſt unà cum Patre & ſpiritu ſancto Deus laudandus in ſecula Amen.

Chriſtus conceptus de ſpiritu ſancto.

Benedictio ſpiritualis.

Homilia

HOMILIA VII.



Aulus Corinthiis ſcribens: Quæ ſtulta, inquit, erant coram mũdo, delegit Deus, ut pudefaceret ſapientes, & quæ erãt imbecillia in mundo, delegit Deus, ut pudefaceret ea quæ ſunt robuſta. Cuius ſententiæ ueritas, cum aliàs ſæpenumero, tum præcipue in reuelatione incarnationis Domini noſtri Ieſu Chriſti declarata eſt. Deus n. nullũ unq̃ in terris opus maius, ſapientius ac diuinius incarnatione Chriſti operatus eſt. Incarnatione Chriſti, qui immortalis erat, factus eſt mortalis, qui erat immenſus, factus eſt dimenſus, manẽs nihilominus immortalis & immenſus. Incarnatione Chriſti liberatus eſt homo è poteſtate peccati, mortis & Satanæ, parta eſt iuſticia, re conciliatus eſt Deus homini, aperta eſt ianua cœli, reuelata eſt ſalus & uita æterna. Quid his maius aut excellentius excogitari poteſt? Nunc autem uide mihi, quos homines delegerit Deus, ad tanti operis reuelationẽ & executionem. Alius carne prudens elegiſſet huius mundi doctiſsimos & potentiſsimos, quibus demandaſſet tanti operis reuelationẽ, ut opus non tam ſua ipſius excellentia, q̃ aliena maieſtate commẽdatum eſſet. Alius conſuluiſſet, ut tanta res primum omniũ aut Herodi aut Auguſto Romano imperatori reueletur, quo nouum hoc & inſolitũ opus, omnibus huius ſeculi principibus per literas imperatorias diuulgaretur. Dominus autem Deus noſter ad reuelandum diuiniſsimum incarnationis filii ſui opus delegit, nõ pontifices Hieroſolymitanos, non imperatores Romanos, ſed duas mulierculas, Mariam uirginẽ & Elizabetham anum, quod genus hominum, etſi coram mundo abiectum ſit, uiſum tamen eſt diuinitus aptiſsimũ, per quod incarnatio Domini noſtri Ieſu Chriſti reueletur. Hæ enim duæ mulierculæ conueniũt, ſalutant ſe mutuo, colloquuntur de incarnationis myſterio, interim Elizabetha ſpiritu ſancto repleta, in propheticam uocẽ erumpit. Sed & infans Ioannes, adhuc in utero geſtatus, ad uocem ſalutationis Mariæ exultat. Nec Maria aſymbola eſt. Celebrat enim laudes diuini nominis carmine encomiaſtico ac triũphali. A tq; his gradibus paulatim per duas mulierculas innoteſcit, quod antea occulte admodum inter ſolam Mariam & angelum geſtum eſt. Hiſtoria autem huius rei ita ſe habet: Exurgẽs Maria in diebus illis, abiit in montana cum feſtinatione, in ciuitatẽ Iuda, & intrauit in domũ Zachariæ, & ſalutauit Elizabeth. Abiit (inquit) in montana cum feſtinatione. Quid ſibi uult hæc Mariæ feſtinatio? Nec eſt otioſa, nec ſuperuacanea. Primum eñ feſtinauit magno ſpiritus deſiderio. Audierat enim ſacramentum ab angelo, q̃ Elizabeth in ſenectute ſua prægnãs facta eſſet, exurgit ergo ad uiſitãdam Elizabeth ſummo ſtudio & feſtinantia, ut uideat ſignum ab angelo oſtenſum, & cõpleat gaudium ſuum, quod nuncio angeli acceperat. Deinde feſtinauit pudicitia morum. Mulierum enim non eſt, diu ſeſe in publico ſpectandas exhibere. Dina filia Iacob egreſſa è domo patris ſui ad ſpectacula gentiũ, conſtuprata eſt. Bathſabea uxor Uriæ lauit ſe in publico, ſpectante Dauide, & in crimen adulterii incidit. Vnde Paulus ad Timotheũ ſcribens: Volo, inquit, iuniores οἰκοδεσποτεῖν, hoc eſt, domũ, non rempublicã, adminiſtrare, & domui, nõ marito ac publicis eius negociis, dominari. Et ad Titum hortatur mulieres, ut ſint οἰκουροι, hoc eſt, domus cuſtodes. Ac in pſalmo ſexageſimo ſeptimo mulier dicitur ſpecies ſeu ornamẽtum domus, non fori, aut publicarum platearum. Cum igitur Maria neceſſe haberet peregre in publicum proficiſci, feſtinauit in itinere tam ſpiritus ſancti deſiderio, q̃ mo-

Incarnationis Chriſti maxima utilitas.

" "

" "

" "

Mariæ feſtinatio ad ſalutandam Elizabeth.

Mulieres ſint οἰκουροι.

rum integritate. Peruenit autẽ in ciuitatem Iuda, & intrauit in domum Zachariæ,
» & ſalutauit Elizabeth. Et factum eſt, ut audiuit ſalutationem Mariæ Elizabeth
» exultauit infans in utero eius. Vide, obſecro, mihi ingens miraculum: Ad ſalu
tationem Mariæ ſaliit infans Ioannes in utero Elizabethæ. Hoc autem miraculo
primum teſtatur Dominus, qui eſt miraculorum operator, piam & amicam ſalu-
Salutatio pia & amica nõ eſt cuanida. tationem, non eſſe uanum uotum, ſed uerum uerbum Dei, exhilarans cõſcientias
eorum, qui ſalutationem ex fide excipiunt. Vnde Chriſtus Apoſtolis præcipiens:
Cum intrabitis, inquit, domũ, ſalutate illam, & ſiquidẽ fuerit domus digna, hoc
eſt, ſi familia ſalutationem fide exceperit, ueniet pax ueſtra ſuper illam. Superſtitio
ſi quæſiuerunt hactenus exhilarationem totius diei ex auditu aut uiſu ſacrifi cii pro
peccatis uiuorum & mortuorum, & petierunt fœlicitatem diei, ex imagine Chri-
ſtophori mane uiſa, ſed hãc ſuperſtitionem miſſam facere oportet. Hoc autem lo
co diſcamus, mentis exhilarationem & diei fœlicitatem petẽdam eſſe è pia proxi
mi ſalutatione. Quare ſalutemus nos inuicem libenter, & excipiamus ſalutationes,
ut uerbum Dei, & ut uocem de cœlo nobis pacem & fœlicitatem nũciantem. De
inde, uide q̃ mature Ioannes officium ſuum inchoet. Ioannes enim fuit diuinitus e
Ioannes officium ſuũ in utero matris inchoat. lectus & ordinatus, ut teſtimonium ferret Chriſto, ac uerum Chriſtum oſtenderet.
Nunc ergo, quod fœlix fauſtumq; ſit, hoc officium inchoat, & mutus adhuc Chri-
ſtum loquitur, adeoq; in utero matris exiſtens, exultatione ſua prædicat, Ieſum fili
um Mariæ eſſe uerum Meſsiam. Atq; hoc illud eſt, quod antea angelus ad Zacha-
riam de Ioanne prædixerat: Spiritu ſancto, in quiens, replebitur iam inde ab utero
matris ſuæ. Quodſi infans Ioannes, adhuc in utero matris cõcluſus, capax fuit ſpi
ritus ſancti, quãto magis hi infantes, qui iam in mundum nati ſunt, ſpiritus ſancti
per gratiam Dei capaces erunt. Si autem ſunt capaces ſpiritus ſancti, cur non etiã
Infantes capaces baptiſmi. capaces eſſent baptiſmi, qui eſt ſpiritus ſancti ſignaculum? Habes & hoc loco, Io-
annem dona ſua cœleſtia conſecutum, non merito ſuæ ipſius iuſticiæ, non merito
duriſsimæ uitæ ſuæ, quam in eremo exegit, ſed tantum clemẽtia & gratuita Dei li
beralitate. Donatur eiñ ſpiritu ſancto adhuc in utero matris exiſtens, cum nondũ
quicq̃ boni ex ſe ne cogitare quidem, tantũ abeſt, ut facere potuerit, imo cum iam
in peccatis conceptus eſſet. Ergo quicquid cœleſtium ac diuinorum bonorũ cõ
ſecutus eſt, id non ſuo merito, ſed miſericordia Dei cõſecutus eſt. Porro, ut infans
Ioannes, ita & mater eius Elizabeth repleta eſt ſpiritu ſancto, & exclamauit uoce
» magna, & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus uẽtris tui. Et
» unde hoc mihi, ut ueniat mater Domini mei ad me? Ecce enim ut facta eſt uox ſa-
» lutationis tuæ in auribus meis, exultauit gaudio infans in utero meo. Et beata
» quæ credidit, quoniam perficientur ea quæ dicta ſunt ei à Domino. Hic mihi ui
de clementiſsimam ſollicitudinem ſpiritus ſancti ad confirmãdam fidem Mariæ.
Spũs ſancti ſollicitudo pro pijs. Nam Maria uiſitauit cognatam ſuam Elizabetham, ut uerbo angeli obediret, &
ſacramentum, quod angelus adnunciauerat, re ipſa experiretur. Ecce autem ſpiri-
tus ſanctus tam ſollicitus eſt pro Maria, ut non ſolum impleat dono ſuo infantem
Ioannem, adhuc in utero matris geſtatum, quo exultet, ac manifeſte declaret, Eli-
zabetham eſſe prægnãtem, uerumetiam implet Elizabetham ipſam, ut erumpat
in talẽ concionem, in qua ſingula penè uerba oraculum angeli & fidem Mariæ cõ-
firmant. Ac primũ Elizabeth magna uoce exclamans, dixit: Benedicta tu in mu-
lieribus. Hæc ſunt & angeli uerba, quemadmodum ſupra oſtenſum eſt, quæ Eliza
beth, tanq̃ ex ore angeli excipiens, repetit, ut Maria agnoſcat, oraculũ angeli non
fuiſſe uanum ſpectrum, ſed ueritatem ſpiritus ſancti. Deinde, quod addit: Benedi-

ctus fru-

ctus fructus uentris tui, depromptum est ex promissione ad Abraam dicta, & accõmodatur per Elizabetham ad filium Mariæ, ut Maria certificetur, se iuxta uerba angeli uere esse matrẽ eius filii, qui promissus est Abraamo. Ad hunc enim dictũ est: In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ. Hanc igitur promissionem interpretat nunc Elizabeth: Benedictus, in quiẽs, fructus uẽtris tui, hoc est: Quem tu Maria in utero tuo inclusum gestas, is uere ille ipse est, qui quondam Abraæ patri nostro promissus, ac ita benedictus est, ut p ipsum omnes, qui in ipsum credũt, benedicantur, hoc est, iustificent & saluentur. Adhæc Elizabeth confirmat fidem Mariæ non uerbis tantũ, uerumetiã manifesto signo. Addit enim: Vnde hoc mihi, ut mater Dñi mei ueniat ad me? Ecce enim ut facta est uox salutationis tuæ, in auribus meis, exultauit præ gaudio infans in utero meo, hoc est: Re ipsa cõperio, te esse uere matrem Domini & saluatoris mei. Nam infans, qui est in utero meo, statim præ gaudio exultauit, ut uocẽ salutationis tuæ audiui. De hoc autem infante prædictum est ab angelo, q̃ replendus sit iam inde ab utero matris suæ spiritu sancto, & q̃ præcessurus sit ante Messiam Dominum Deũ suum in uirtute & spiritu Eliæ. Cum igitur ad tuam uocem tanta gestierit lætitia, & eum, quo tu prægnans es, quodammodo adorauerit, manifestum est, te esse matrem ueri Messiæ Domini nostri saluatoris. Postremo cũ Elizabeth ait: Beata quæ credidit, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt ei à Domino, cõmendat fidẽ Mariæ, qua cõmendatione, non solum confirmat in Maria fidem, sed etiam docet, unde uera beatitudo Mariæ contigerit, adeoq; hoc dictum planè conuenit cum eo, quod de Abraamo scriptũ est: Credidit, inquit scriptura, Abraam Deo, & reputatum est ei in iusticiam. Quid aũt credidit? nimirum credidit promissioni diuinæ, qua dictum est: Semen tuum erit sicut stellæ cœli, in qua & hæc continet: In semine tuo benedicent omnes gentes terræ. Et credidit præterspem sub spe, se quamuis centenarium, & Sarã suam nonagenariam, fore patrem multarũ gẽtium, ac præsertim eius seminis, in quo non tam aliæ gentes, q̃ ipsemet benedicendus esset. Ex hac igitur fide reputatus est Abraam iustus, non propter externam seminis multiplicationem, quæ postea secuta est, sed propter benedictum semẽ ipsi promissum, & fide exceptum. Sic & hoc loco de Maria dicit: Beata, quæ credidit. Hoc uerbum diligentissime obseruandum est. Explicat enim pspicue id, per quod Mariæ beatitudo cõtigit. Contigit aũt ei per eandem rem, per quam & Abraæ contigit, uidelicet, quia credidit. Quid ergo credidit? Hic mihi considera, quæ dicta sunt ab angelo, nã eò respicit Elizabeth. Dixit enim angelus ad Mariã: Inuenisti gratiam apud Dominum. Ecce cõcipies & paries filium, &c. In hac pmissione duo proponunt: alterum, q̃ Maria cõceptura sit filium, alterum, q̃ is filius sit uerus Messias, qui perpetuo regnaturus sit in domo Iacob. Vnde ergo Maria consecuta est ueram beatitudinem? Num ex eo opere, q̃ uirgo concepit filium? Minime oim. Etsi enim ex hoc dono habet magnam cõmendationem coram hominibus, propter illud tamen non est consecuta nec iusticiam nec beatitudinem coram Deo. Num, q̃ is filius sit uerus Messias? Est quidẽ Messias uerus iustificator & saluator noster, sed nisi Maria in ipsum credidisset, nihil profuisset ei, q̃ habuisset filium Messiam. Quare beatitudo Mariæ ex eo contigit, q̃ credidit diuinæ promissioni, in qua dictum est, filium eius esse uerum Messiam, in quo gentes benedicantur. Cæterum, quemadmodum, quod de Abraamo scriptum est: Credidit Abraã Deo, & reputatũ est ei ad iusticiam, non propter Abraamum tantum, sed etiam propter nos scriptum est, quibus imputabitur, credentibus in eum, qui excitauit Iesum Dominum nostrum à mortuis: ita etiam id quod

Mariæ uera beatitudo unde contigerit

dictum est de Maria: Beata quæ credidit, nõ tantum ꝓpter Mariã, sed etiam propter nos dictum est, ut discamus, nullũ esse donum tam insigne, tam cœleste, etiamsi fuerit donum corporalis maternitatis Christi, quod in cõspectu Dei iustificet, præter unum solum Iesum Christum, si per fidẽ accipiaꝫ, ꝙ traditus sit propter peccata nostra, & excitatus sit propter iustificationẽ nostri. Ergo corporalẽ matrẽ Christi esse nihil est? Absit lõgissime. Ad meritum quidẽ iustificationis coram Deo, nihil est, ad agnoscendã aũt clementiã Dei, ad consequendã nobilitatẽ nominis, & ad excendã fidẽ suam certe plurimũ est. Vnde & Maria ante dicta est, benedicta inter mulieres. Et postea ait: Ecce ex hoc beatam me dicent omnes generationes, hoc est, etsi coram Deo ex illo tantũ beata sum, nõ quia sum corporalis mater Messiæ, sed quia credo in eum, cuius mater sum, corã hominibus tñ beata dicar, propterea, ꝙ Deus me abiectam mulierem elegerit in corporalẽ matrẽ filii sui, Dñi nostri Iesu Christi. Habes concionẽ Elizabethæ, qua fides Mariæ non tã confirmata, q̃ nobis etiam cõmendata est, ut ex ea discamus, quæ sit uera ratio consequendæ beatitudinis. Reliquũ nunc est, ut exemplo Mariæ affectemur uerbũ Dei, & sacramẽta uerbo Domini proposita, ut in fide confirmati gloriã nominis Dei celebremus, & saluté consequamnr, per Dominũ nostrum Iesum Christũ, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus laudandus in secula Amen.

Iesus Christus solus per fidem acceptus iustificat.

HOMILIA. VIII.



VDiuimus fidem Mariæ ex concione Elizabeth confirmatã esse, audiamus nunc quibus modis Maria declaret animi sui gratitudiné erga Dominum Deum benefactorem suum. Nam cum confirmata esset in fide sua, agnouit ingentia beneficia, quibus mera Dei clementia affecta est. Primũ, ꝙ sit beata coram Deo ex fide, deinde, quòd sit corporalis mater Christi Domini, postremo, ꝙ in huius cõceptione uera & immaculata uirgo permanserit. Quibus beneficiis, quid potest mulieri maius & excellẽtius cõtingere? Quid ergo Domino Deo suo pro tãtis beneficiis retribuit? Obediẽtia quidẽ & honestas uitæ generalis est gratiarũactio, quam Domino pro beneficiis suis semper retribuere debemus, & dubium nõ est, quin etiam Maria toto uitæ suæ tpe gratam sese erga Dominũ Deum suũ per obedientiã declarauerit. Nos aũt nũc nõ de generali, sed de personali gratiaꝝ actione quærimus. Ac Iudæa quæpiam mulier, magno aliquo beneficio Dei affecta, adduxisset fortasis in gratiarũ actionẽ multa holocausta. Ethnica obtulisset multas, nescio quas, hecatombas. Maria aũt paupe rior erat, q̃ ut potuerit gratitudinem animi sui externis & Iudaicis holocaustis declarare. Quare id agit, quod potest. Componit & canit carmẽ triũphale in laudem Dei, ut hoc carmine publice testeꝫ gratitudinẽ animi sui erga Deũ, id ꝙ fecit nec sine exemplo nec citra rationem spiritus sancti. Nam cum Israelitæ magno miraculo liberati essent è mari rubro, soror Mosi Miriam, eiusdẽ nominis cum Maria matre Christi, cecinit unà cũ aliis mulieribus in gratiarũ actionẽ ἐπινίκιον: Cantemus, inquiẽs, Domino, glorioseẽ magnificatus est, equũ & ascensorẽ deiecit in mare. In libro Iudicũ, ꝓphetissa Debora & Barach canunt Dño carmẽ triũphale, ꝙ liberasset Israelitas à Sisara duce Iabin. Quid dicã de Hanna matre Samuelis? Hæc eñ cum donato Samuele liberata esset à probro sterilitatis, gratitudinẽ animi sui carmine ita declarauit, perinde ac si ingentẽ uictoriã ex hostibus reportasset. Sic ꝓphe ta Ionas è uẽtre ceti liberatus, sic rex Hiskia in pristinã sanitatẽ restitutus, carmina

Obediẽtia et honestas uitæ gratiarũ acti o pro beneficijs Dei.

Mariæ gratiarum actio pro beneficio Dei.

in laudem

in laudē Dei, ueluti triūphos agētes, cecinerunt. Penè aūt p̄teriissem regē Dauida, qui hoc noīe longe oīm celeberrimus habet, q̄ psalmis retulerit Deo gratias, pro bn̄ficiis suis. Et is in carminibus suis pspicue docet, q̄ Dn̄s Deus noster hunc cultū post p̄stita beneficia maxime oīm requirat. In psalmo uigesimo ait: Exaltare Domine in uirtute tua, hoc est, defende regē nostrū, & opprime oēs inimicos eius. Quid aūt retribuemus tibi pro hoc beneficio? Sequit: Cantabimus & psallemus uirtutes tuas. In psalmo uicesimo primo precat Christus: Salua, inquiēs, me ex ore leonis, & à cornibus unicornium humilitatē meam. Quas ergo gratias uicissim tu referes? Narrabo, inquit, nomē tuum fratribus meis, in medio ecclesiæ laudabo te. Et in psalmo sexagesimo octauo: Laudabo (inquit) nomē Dei cum cantico, & magnificabo eum in laude. Et placebit Deo super uitulū nouellum, cornua producentē & ungulas. Quid ergo causæ est, quòd carminum cultus Dño Deo nostro tam gratus, tamq̄ acceptus sit? Num ipsa uerborum cōpositio, aut externus sonus uocis tāti meriti est, ut ex opere, quod uocant, operato demulceat Deū, & consequat̄ gratiam eius? Absit. Hac enim opinione demurmurant hypocritæ psalmos suos etiā non intellectos, sed fœdissime errant. Nullū enim hois opus tantæ est iusticiæ, ut possit in iudicio Dei cōstare, & iram eius placare. An uero placet Deo cultus psalmorū, q̄ Deus delectet̄ suis ipsius laudibus, quæ in psalmis cōmemorari solēt? Delectat̄ quidē Deus laudibus suis super uitulum nouellū, cornua producentē & ungulas, non tamen delectat̄ sua tm̄ causa, sed maxime oīm nostra. Nam in psalmis præsertim ἐυχαριστικοῖς cōmendat̄ nomē Dei, nunc à potentia & seueritate, nunc à clementia & misericordia, nunc à ueritate & firmitudine, p̄missionū eius. Vbi aūt hæc in Deo commendant̄, ibi increduli ad cognitionē Dei, ad fidē & timorē Dei inuitant̄, ibi imbecilles in fide & timore Dei confirmant̄, ibi & firmi & robusti in fide ac timore Dei conseruant̄. Quid aūt posset & Deo gratius & nobis utilius accidere, q̄ ut alii q̄dem ad cognitionē Dei & fidē conuertant̄, alii in fide confirment̄, alii in fide conseruent̄? Vbi enim est uera fides, ibi est & iusticia, & obedientia, & salus æterna. Quare, cū Deus psalmor̄ carminibus delectat̄, nostra maxime oīm causa delectat̄, ut nos ex cōmendatione noīs eius, quæ fit in psalmis, ad sectandā ueram pietatem erudiamur. His ergo tum exēplis, tum rationibus cōmota Maria, cōponit & ipsa carmē, quo testet̄ gratitudinē animi sui erga Deū. Cōtinet aūt hoc carmē decē uersiculos, in q̄bus p̄cipua noīa seu epitheta, quæ titulos uocant, Dñi Dei nostri clarissime illustrant̄. Habet enī Deus tres p̄cipuos titulos. Hor̄ primus est, q̄ sit potentissimus ac seueriſsimus. Secundus, q̄ sit clementissimus. Tertius, q̄ sit ueracissimus in p̄missis suis. Hos tres titulos Maria ex ordine in carmine suo illustrabit, ut seueritate Dei impios ab impietate deterreat, & clementia Dei pios in humilitate & cōtēptu consolet̄, ac ueritate eius credētes in fide cōfirmet & cōseruet. Quibus officiis nihil potest ecclesiæ Dei utilius ac magis salutiferū cōtingere. Audiamus ergo quid nobis Maria canat. Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum. Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. In his duobus uersiculis proponit Maria argumētum huius carminis, ad quod argumentū omnia, quæ sequunt̄, referenda sunt. Et est sententia: Contigit mihi diuinitus inæstimbaile beneficiū, & nūc per signum ab angelo prædictū confirmata sum maxima fidei certitudine. Quare ita sum in conscientia mea exhilarata, ut non possim me continere, quin quanta quāta sim, erumpam in cōmendationem nominis Dei. Atq̄ o utinam omnia corporis mei membra uerterent̄ in linguas, quo liceret Dominum seruatorem meum

Psalmorum carminibus cur delectetur Deus.

Dei præcipui tres tituli.

Cantici Mariæ status.

dignis laudibus ornare. Vsq; adeo gestit, quicquid est in anima mea uirium, ut nomen Dñi magnifiat. Habes statũ carminis. Recipit enim Maria se cõmendaturã nomẽ gloriã, & maiestatẽ Dei. Sed quẽ cõmendaueris, à uirtute potissimũ cõmendes oportet. Sequũtur ergo octo uersiculi, in quibus maximæ uirtutes Dei explicãtur, è quibus etiam Deus reportat epitheta longe oĩm clarissima. Prima aũt uirtus Dei est misericordia seu clementia, qua respicit humiles & seruat abiectos. De hac uirtute Dei, audi tres uersiculos: Quia respexit ad humilitatẽ ancillæ suæ, ecce eñ ex hoc beatã me dicent oẽs generationes. Quia fecit mihi magna, qui potens est, & sanctũ nomẽ eius. Et misericordia eius à progenie in progenies, timẽtibus eũ.

Misericordia prima uirtus Dei.

Explicat aũt Maria clementiã Dei, primũ, suo ipsius exemplo. Ego, inquit, erã ueluti ancilla longe oĩm abiectissima & cõtemptissima. Ducebã quidẽ genus è prosapia Dauidis regis clarissimi & sanctissimi, sed tanto miserior & calamitosior erã, quanto maiores mei celebriores fuerant. Vt eñ nihil dicam de regno à nostra familia per tyrannidẽ ablato, nec cõmemorem durissimã egestatẽ, qua iam multo tpe regia puella laboraui, certe hæc maxima oĩm miseria est, q; tyranni, qui nunc occupant regnum nostrũ, ita uitæ oĩm eorũ, qui ducũt progeniem suam à Dauide, insidiant, ut iam interemptis uiris aliquot, ne nos quidẽ puellæ & mulieres tutæ simus, adeó; necesse habeamus, nõ tam ingloriæ q̃ oĩm ludibrio expositæ, uitã nullo penè loco securã agere. Sed quam hoies conténunt, eam Dñs Deus noster respexit. Is, inquã, Deus respexit me, qui est potens, & cuius nomẽ est sanctũ. In cõmendatione aũt clementiæ Dei meminit Maria etiã potentiæ eius, propterea q; clementia non possit esse efficax, nisi iuncta fuerit potentiæ. Vocatur aũt Deus sanctus, non tantũ à iusticia, sed etiam ab admirabili operũ suorum ratione. Sanctum eñ dicitur proprie, quod à prophano & uulgari rerũ usu semotũ est. Quod aũt ita semotũ est, in abscondito conseruaẽ, unde & sanctũ absconditum dicitur. Vocatur ergo Deus sanctus, q; opa eius longe ab humano captu abscondita sint, & tam ad mirabilia, ut non possint humana ratione cõprehendi. Operatur eñ Deus gloriã per ignominiã, gaudiũ per tristiciam, fœlicitatẽ per miseriam, uitã per mortẽ, adeó; cœlũ per infernũ, qua operãdi ratione, q̃d potest dici admirabilius? Atq; hæc admirabilis operandi ratio, etiã in Maria declarata est. Nam cũ Deus uellet eam super oẽs mulieres (sic eñ angelus loquitur) benedicere, & dono omnium reginarum maiestatẽ superante ornare, permisit antea, ut haberetur mulierum omniũ abiectissima. Sed hac abiectione, tanq̃ organo, ita docte usus est, ut per hãc exaltauerit ipsam in gloriam lõge omniũ clarissimam. Dicit ergo: Respexit humilitatem ancillæ suæ, hoc est, abiectionem & miseriam meam, & fecit mihi magna. Fecit me matrem, ut tamen maneam uirgo, quid hoc dono admirabilius? Fecit me matrem, non prophetæ alicuius aut patriarchæ, sed Messiæ, eius nimirum, de quo omnes prophetæ uaticinati sunt, cui omnes patriarchæ salutem suam acceptam tulerunt, qui est omnium patriarcharum & prophetarum Dominus. Qua gloria, quid potest dici excellentius? Fecit me matrem, non regis cuiusdam terreni, non angeli cœlestis, sed suiipsius unigeniti filii, creatoris cœli & terræ. Qua beneficii maiestate quid maius, quid sublimius excogitari potest? Et propter hæc beneficia Dei, quæ non quidem meo merito, sed mera Dei clementia consecuta sum, tanto beatiorem me dicent homines, quanto antea inter homines abiectior fui, adeóque cum coram Deo habeam gloriam iusticiæ & beatitudinis, tantum per fidem propter misericordiam eius, dicent tamen & homi-

Deus sanctus uocatur.

nes me

nes me beatam, & agnoscent ac commendabunt in me clementiam Dei, qua in tãtam gloriæ maiestatẽ præ omnibus aliis mulieribus, quantumcũq; uel claris uel potentibus, euecta sum. Cum igit̃ tam admirabilibus beneficiis diuinitus affecta sim, qui fieri posset, ut non tota in laudẽ & cõmendationẽ diuinæ clementiæ erumperẽ? Et hæc Maria de suo ipsius exemplo. Deinde cõmendat etiam cleméti am Dei ab alienis exemplis: Misericordia, inquiens, eius à progenie in progenies, timẽtibus eum. Deus non uni tantum mihi misericors est, sed ideo misericordiam adepta sum, ut in me ostenderet omnem clementiã, ad exprimendũ exemplar omnibus his qui timent ipsum, hoc est, qui credunt in ipsum, & sectanẽ uocationẽ eius ex fide. Et misericordia Dei non in me prima cœpta est, sed iam olim exhibita est omnibus timentibus eum, à progenie in progenies, & exhibebit̃ etiã deinceps omnibus posteris, qui credũt in eum. An non magna Dei beneficia collata sunt in prophetissam Deborã? libet.n. eiusdem sexus exempla proferre. Quid de Ruth Moabitide dicã? Hæc beneficio Dei ab exilio ac propemodum mẽdicitate euecta est in magnã auiam summoꝝ & clarissimoꝝ regum. Quanta uero beneficia contigerint diuinitus Hannæ matri Samuelis, testata est ipsa publico carmine. Quòd si Deus has & alias multas mulieres, tum miserrimas tũ abiectissimas, tanta clemẽtia prosecutus est, ut reddiderit eas longe omniũ beatissimas, profecto ingens argumentũ est, quòd uelit deinceps tam mulieres quàm uiros in ipsum credentes eo maiori fauore cõplecti, quo grauioribus aduersis affliguntur. Agnoscamus igit̃ ex his uersiculis misericordiã Dei, & discamus in Deo epithetõ clementis, ut fidem nostrã in omnibus afflictionibus confirmemus. Secũda uirtus Dei est, Omnipotẽtia. De hac audiamus tres illos uersiculos, qui mox sequunt̃: Fecit potẽtiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui: Deposuit potẽtes de sede, & exaltauit humiles. Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes. Hæc est cõmendatio potẽtiæ Dei. Etsi enim multi reges huius seculi dicant̃ potentissimi & inuictissimi, hoc tamen dicuntur uel honoris gratia, uel cõparatione ad infirmiores quosdam regulos. Solus autem Dominus Deus noster ita potens & inuictus est, ut re ipsa semper cõprobet, hæc epitheta sibi maxime omnium cõpetere. Vide enim mihi, quid faciat? Arrogantes & superbos pudefacit. Sublimes detrudit, humiles eleuat. Egenos ditat, diuites reddit egenos. Et hæc opera Dei tam nota sunt inter homines, ut nõ solũ sacra scriptura, uerũetiam ethnici scriptores cõmemorent ea. Exempla quoq; perspicue testantur, nihil esse Deo magis propriumq; ista facere. An non Maria, ut hinc initium exemploꝝ sumã, fuit mulier longe omniũ abiectissima? Et eodem tẽpore fuerunt multæ clarissimæ uxores & filiæ potentissimoꝝ regum, & summoꝝ pontificum, quæ Mariã uix ancillæ loco dignatæ fuissent. Quid autem fecit Dñs? Præteriit, neglexit & contẽpsit omnes illas mulieres regias & pontificias, Mariam autem selegit in matrẽ unigeniti filii sui, Domini nostri Iesu Christi, hoc est, ornauit eam tanto beneficio, quantũ nulli unq; mulieri in toto orbe terrarũ contigit. Vis alia exempla? Quòd dispergat superbos mente cordis sui, documẽto sunt ædificatores turris Babylonicæ, documento est & NebucadNezar in Esaia dicens: In cœlum conscendã, super astra Dei exaltabo soliũ meũ, sed mox audit: Verũtamen ad infernum detraheris, in profundũ laci. Documento est & princeps Tyri, qui cũ apud Ezechielem diceret in corde suo: Deus ego sum, & in cathedra Dei sedeo, statim audit: Adducam super te alienos robustissimos gentiũ, & nudabũt gladios suos & detrahent te. Quòd autem deponat potentes de sede, & exaltet humiles, uel

Misericordia Dei erga oẽs credentes in ipsum.

Omnipotẽtia, secũda uirtus Dei.

"
"
"

Deus superãs bos detrudit, & dispergit.

Deus deponit potentes & exaltat humiles.

quemadmodum Hanna canit, ſuſcitet de puluere egenum, & de ſtercore eleuet pauperem, ac impleat eſuriẽtes, & dimittat diuites inanes, manifeſto exẽplo ſunt, Pharao & Moſe, Aegyptii & Iſraelitæ, Saul & Dauid, Aman & Mardochæus. Sed quid facio? quaſi uero non huius rei paſsim innumera exempla, tam in ſacris q̃ in prophanis ſcriptoribus, tam denique maiorum q̃ noſtra memoria extẽt. Dices aũt: Scio quidem hæc ita ſe habere, ſed interim uideo multos impios regnare, & pios oppreſſos eſſe, multos item impios abundare, & pios egere, cur & iſta non inuertit Deus? Hic tibi è pſalmo trigeſimo ſexto reſpondendum eſt: Noli æmulari in eo qui proſperatur in uia ſua, in homine faciente iniuſticias. Quoniam qui malignantur, exterminabuntur, ſuſtinentes autem Dominum ipſi hæreditabunt terram. Et adhuc puſillum, & non erit peccator, quæres locum eius & non inuenies. Et mox: Vidi impium ſuperexaltatum & eleuatum ſicut cedros libani. Tranſiui & ecce nõ erat, quæſiui eum, & non eſt inuentus locus eius. Porro, cum deiectio potentũ, & exaltatio humilium, non poſsit ſine maxima potentia fieri, manifeſtum eſt, Dominũ Deum noſtrum, qui hæc opera facit, longe omnium potentiſsimum eſſe. Prædicatio autem potentiæ Dei aptiſsimũ organon eſt, ad excitandũ in nobis timorem, reuerentiam & fiduciam in Deum. Reponamus igitur hos uerſiculos alta mente, ut cognita DEI potentia, non ſuperbiamus in humanarum uirtutum dignitate, nec deſpondeamus animum in abiectione, ſed ambulemus in timore Dei, & ſi quid aduerſi inciderit, bene ſperemus, certa perſuaſione concepta, q̃ qui permiſerit nos incidere in aduerſa, idem potens ſit & ſeruare. Tertia Dei uirtus eſt, Veritas, unde & epitheton ueracis reportat, uidelicet, q̃ Deus, ea quæ promiſit, ſeruet cõſtantiſsime. De hac uirtute reliqui ſunt duo ultimi uerſiculi in hoc carmine Mariæ: Suſcepit Iſrael puerum ſuum, recordatus miſericordiæ ſuæ. Sicut locutus eſt Abraam & ſemini eius in ſecula. Etenim Dominus promiſit quondã Abraæ benedictionem per ſemen ipſius: Benedicentur, inquiens, in ſemine tuo omnes gẽtes terræ. Et hanc promiſsionem repetiit poſtea in Iſaaco & Iacobo. Inculcauit & eam diligentiſsime per prophetas. Nec ulla unq̃ promiſsio in terris extitit, qua nobis maiora, & ſaluti noſtræ magis neceſſaria bona oblata ſunt. Hic enim promittit non corporalis aliqua aut externa huius ſeculi benedictio, quæ ut maximam habeat benedictionis ſpeciem, tamen fluxa eſt & caduca, nec poteſt ueram ac perpetuã ſalutem conferre: ſed promittitur benedictio ſpiritualis, idq̃ non per quoduis cuiuſuis hominis ſemen, ſed per ſemen Abraæ, quod eſt Ieſus Chriſtus Dominus noſter, qui tam cœleſtem tam diuinam ſecum benedictionem affert, ut quotquot credunt in ipſum, non ſolum conſequantur liberationem ab externa maledictione Adæ, uerumetiam remiſsionem peccatorum, iuſticiam, & uitam æternam, quibus benedictionibus nihil poteſt nec maius nec excellentius excogitari. Nam, q̃ hæc promiſsio, ad Abraam & ad alios patriarchas dicta, reſpiciat proprie in Ieſum Chriſtum, teſtatur Petrus in Actis Apoſtolicis ita dicẽs: Vos eſtis filii prophetarum ac teſtamenti, quod teſtatus eſt Deus erga patres noſtros, dicens ad Abraam: In ſemine tuo benedictionẽ conſequent omnes familiæ terræ. Vobis primũ Deus cũ ſuſcitaſſet filiũ ſuum Ieſum, miſit eũ BENEDICENTEM uobis, ita ut unusquiſq; ueſtrum conuerteret ſe ab iniquitatibus ſuis. Cum Petrus, recitata promiſsione ad patres dicta, uocat Ieſum benedicentem, perſpicue ſignificat, non alium quàm Ieſum Chriſtum in promiſsione Abraæ intelligendum eſſe. Huc accedit & Paulus in epiſtola ad Galatas ita ſcribens: Abraæ dictæ ſunt promiſsiones & ſemini eius.

Veritas tertia uirtus DEI.

Promiſsionis de Meſsia magnitudo.

Chriſtus benedictum ſemen Abraæ.

Non dicit,

Non dicit,& ſeminibus,tanquam de multis,ſed tãquam de uno. Et in ſemine tuo, qui eſt Chriſtus. Habes duos primarios Apoſtolos, Petrum & Paulum, qui pleni ſpiritu ſancto, manifeſte interpretantur promiſsionẽ Abraæ dictam de Domino noſtro Ieſu Chriſto. His conſentit etiam Elizabeth, quæ cum ad Mariam diceret: Benedictus fructus uentris tui,uno uerbo explicuit, benedictum ſemen Abraæ non aliud eſſe, quàm Ieſum Chriſtum. Quanq̃ autem promiſsio de Chriſto non tantum uerbis ad Abraam dicta erat,ſed etiam iuramento confirmata fuerat: Per memetipſum, dicit Dominus, iuraui: ab eo tamen Abraæ tempore, uſq; ad adultam Mariæ ætatem effluxerunt duo millia,plus minus,annorum. Quid ergo? num Deus in promiſsis ſuis mendax eſt? Nihil minus. Differt quidem promiſſa,ſed non aufert. Differt,ut exerceat fidem noſtram,& maiorem interea temporis coronam fidei noſtræ præparet. Non aufert autem,propterea quòd,qui interim promiſsioni fidem adhibent, nihil promiſſarum rerum amittunt,& Deus,ſuo tempore, tanto cumulatius implet,quod promiſit,quanto diutius diſtulit. De maxima igitur omnium certitudine ueritatis diuinarum promiſsionum Maria in his duobus ultimis uerſiculis canit: Suſcepit,inquiens,Iſrael puerum ſuum, recordatus miſericordiæ ſuæ. Et enim Deus miſericorditer promiſit Abraæ & aliis patriarchis,quòd uelit ipſis dare ſemen,in quo benedicendæ ſint omnes gentes,in quo Iſrael ſit primogenitus filius Dei,& conſequatur, ut breuiter dicam, omnem ſalutem. Etſi uero Deus multis hactenus annis diſtulerit hoc promiſſum, nec miſerit ſemẽ iſtud in terram, ut populus Iſrael propemodum uiſus fuerit à Deo derelictus, ac omnino reiectus, nunc tamen,cum ego uirgo conceperim filium Dei,recordatus eſt Dominus promiſsionis ſuæ,& manifeſte declarat,ſe non abieciſſe,ſed ſuſcepiſſe,ac magna gratia complexum eſſe populum Iſrael. A pageſis igitur, quiſquis auſus fueris Dominum Deum noſtrum mendacii arguere, cum non ſolum promiſſa ſua longe omnium conſtantiſsime ſeruet,ac perfectiſsime impleat,uerumetiam ultra omnia,quæ petimus aut cogitamus, cumulate faciat. Hoc eſt carmẽ Mariæ,quod in domo Zachariæ,apud cognatam Elizabetham,ad declarandam animi ſui coram Deo gratitudinem,compoſuit. Et manſit(inquit Euangeliſta)Maria cum Elizabeth, circiter menſibus tribus,& reuerſa eſt in domum ſuam. Reuertemur & nos nunc è tẽplo in noſtram domum,ſed ita,ut carmen Mariæ tanquam cœleſtem theſaurum nobiſcum ad domum referamus, & altiſsima mente recondamus. Nam cum in hoc carmine commendentur tres præcipue uirtutes Dei,uidelicet,clementia, potentia,& ueritas,non poſſumus nec gratiorem cultum Deo facere,nec noſtræ ſaluti magis prodeſſe,quàm ſi,frequenti huius carminis meditatione,uirtutes D E I, quàm perfecte fieri poteſt,cognoſcamus. Ac omnia nos cognouiſſe,iure quodam gloriari poſſumus, ſi has D E I uirtutes recte cognouerimus. Agnita enim clementia D E I, concipimus fidem, ut ex fide habeamus iuſticiam, & non deſperemus in aduerſis. Agnita potentia D E I, concipimus timorem, ne in uirtutibus noſtris ſuperbiamus, né ue peccemus. Agnita ueritate eius, confirmamus fidem noſtram,ne in tentationibus & afflictionibus deficiamus. Vbi autem fides eſt confirmata, & timor D E I obedientiam operatur, ibi certiſsima eſt ueræ ſalutis expectatio. Conſeruemus igitur hunc pſalmum, & non tam corde quàm etiam lingua meditemur noctu diúque, ut accenſo per eum ſpiritus igne, ad ſectanda cœleſtia inflammemur, per C H R I S T V M I E S V M D O M I N V M noſtrum, qui eſt unà cum Patre & Spiritu ſancto D E V S laudandus in ſecula A M E N.

Deus differt promiſſa ſed non aufert.

cc

cc

Dei uirtutes noſſe eſt omnia noſſe.

HOMILIA IX.



Onceptionẽ Ioannis Baptiſtæ & Domini noſtri Ieſu Chriſti explicuimus. Nunc natiuitates eorum, quantum preces ueſtræ nobis à Domino impetrauerint, explicandas ſuſcipiemus. Ac Ioannis quidem natiuitas ita, ut ſequit, ſeſe habet. Elizabeth impletũ eſt tempus pariendi, & peperit filium. Et audierunt uicini & cognati eius, quia magnificauit Dominus miſericordiam ſuam cũ illa, & cõgratulabantur ei. Quid hac narratione ſimplicius? ſed hæc ſimplicitas exponit nobis, ſi recte intueamur eã, clariſsimã ueritatis diuinarum promiſsionum maieſtatem. Ante enim promiſit Deus per angelum ſuum, ſeſe Zachariæ & Elizabethæ daturum filium, & liberaturum eos ab opprobrio ſterilitatis. Adiecit præterea, hunc filium multis in natiuitate eius gaudio & exultationi fore. Et hæc, cũ promittebantur, uiſa ſunt, cum multis aliis, tũ præcipue parenti ipſi Zachariæ, non tam ridicula quàm planè impoſsibilia. Quomodo enim mulier natura ſterilis, & anus iam penè effœta, pareret filium? Et qui fieri poſſet, ut Iudæorum familia de filio paulo poſt in lucem ædendo gaudium conciperet, qui eo tempore naſceretur, quo Iudaica gens, Romana tyrannide opprimebatur, & quo mortui fœliciores penè iudicabantur quàm uiuentes? Sed ut Dominus Deus noſter publice confirmaret ueritatem promiſsionum ſuarum, & certitudinem uerborum ſuorum, contra humanam effecit opinionem, ut & filius Zachariæ ex Elizabetha naſceretur, & multi magna lætitia in natiuitate eius afficerentur. Confirmemus igitur hoc exemplo fidem noſtram, & ſiquidem uerbũ diuinæ promiſsionis habuerimus, nulla aduerſa tanta, tamq; potentia iudicemus, ut queant ueritatem eius opprimere, & extinguere. Iam & hoc loco proponit exemplum humanitatis, quam unusquiſq; proximo ſuo ex charitate debet. Nam cum uicini & cognati Elizabethæ audiſſent, quòd Dominus magno beneficio affeciſſet ipſam, gratulantur ei. Hoc charitatis eſt officium. quæ ut fiet cum flentibus, ita gaudet etiam cum gaudentibus. Ac illi quidem gratulati ſunt Elizabethæ ex charitate, nos autem in cõmemoratione natiuitatis Ioannis gratulemur nobis ipſis etiã ex fide. Aliorum enim hominum natiuitates triſticiæ potius q̃ lætitiæ materiam nobis ferunt. Naſcuntur enim tam corpore quàm animo miſeri, naſcunt nudi, infirmi, flentes, egeni, & omnibus malis huius ſeculi obnoxii. Naſcuntur in peccatis, in poteſtate Satanæ, & ad infernũ condemnati. Quis propter tantas calamitates non afficeretur triſticia? Sed bene habet, natus nunc eſt Zachariæ filius, qui etſi iiſdẽ malis, quibus alii homines, natura obnoxius fuit, eius tamen nuncius & προδρομος eſt, qui natiuitate ſua omnes in ipſum credentes ab omnibus miſeriis, tam corporalibus quàm ſpiritualibus, redemit. Hæc enim eſt natiuitatis Chriſti, quem Ioannes adnunciauit, utilitas, q̃ Chriſtus, ſuſceptis in ſe miſeriis noſtris, & ſuppliciis peccatorum noſtrorum, liberauerit nos ab omnibus malis. Quare, ut cognati Elizabeth lætitia charitatis, ita nos in natiuitate Ioannis lætitia fidei geſtiamus, ut fide confirmati, in omnibus aduerſis bene ſperemus. Et factũ eſt in die octauo, uenerunt circumcidere puerum, & uocabant eum nomine patris ſui Zachariam. Et reſpondẽs mater eius, dixit: Nequaq̃, ſed uocabitur Ioannes. Et dixerunt ad illam: Nemo eſt in cognatione tua, qui uocetur hoc nomine. Innuebãt autem patri eius, quem uellet uocari eum. Et poſtulans pugillarem, ſcripſit, dicens: Ioannes eſt nomen eius. Et mirati ſunt uniuerſi. Circũciſio, inquit Paulus, nihil eſt. Et ſi circumcidamini,

Veritatis diuinarũ promiſsionum maieſtas.

Charitatis et humanitatis exemplum.

Hominum natiuitates, triſticiæ materia.

Natiuitatis Chriſti utilitas.

Chriſtus

Christus uobis nihil proderit. Cur igitur Ioannes octauo die circumciditur? Per se quidem, absq; uerbo Domini, circumcisio nihil est, & si adieceris hanc appendicē, q; dignitatę & merito operis sui expiet peccata, & iustificet coram Deo, etiā impia est, sed dum constitit politeía Mosaica, circumcisionis usus non solum pius, uerum etiam necessarius fuit. Masculus, inquit, cuius præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo. Cum enim Dominus eligeret Abraamum, ut non solum in posteritate eius institueret regnum & cultum Dei in terra Canaan, uerumetiam ut de semine eius daret Christum, in quo omnes gentes benedictionē consequerentur, mandauit circumcisionem, qua ueluti publico sigillo testaretur pactum cum Abraamo & semine eius initum, & confirmaret uniuscuiusq; iuxta diuinam institutionem circumcisi fidem, pactum Dei ad se quoq; pertinere, & salutē afferre. Quo tempore autem natus est Ioannes, constabat adhuc politeía Mosaica, & nullum unq̄ propius fuerat tempus, quo Christus semini Abraæ promissus, nascendus erat, nec alius quispiam clariora testimonia de Christo, nondum ascensu in cœlum & missione spiritus sancti glorificato, laturus erat, q̄ Ioannes. Nullus igitē nec iustius nec aptius Ioanne circumcidendus fuit. Sed de circumcisione aliàs pluribus. Nunc uideamus quid sibi uelit Elizabethæ & cognatoꝝ contentio de nominis Ioannis impositione. Quid? num contenderunt de nomine, q; aliqua salutis ratio in propriorum nominum uocabulo sita sit? Nihil quidem uel superstitionis uel uanæ gloriæ in nominum impositione sectandum est. Non enim quicq̄ refert coram Deo, quo nomine aut claro aut obscuro uoceris, modo Christiano nomine uere per fidem contineris. Non est, inquit Petrus, aliud nomen sub cœlo datum inter homines, in quo oporteat nos saluos fieri: hæc tamē cōtentio, de nomine Ioannis, sua habet commoda, & in nostri quoq; admonitionem descripta est. Primū eiū, q; cognati imponāt Ioanni nomen patris sui Zachariæ, admonent nos honestæ ciuilitatis, quæ, si nō aliò nos uocat iusta & legitima causa, exigit, ut nō pegrina & exotica, sed patria & usitata nomina liberis nostris indamus. Deindeq; parentes obtinēt, ut filius nō Zacharias, sed Ioannes uocetē, partim specimē est patriæ potestatis, partim docet maioré fidei & specialis mādati Dei, quàm publicorum & uulgarium morum, rationem habendam esse. Ioannis enim nomen diuinitus ab angelo demandatū erat: Vocabis, inquit angelus, nomen eius Ioannes. Itaq; cū Zacharias scripto suo significet, puerum Ioannē uocandum, non solum declarat fidem & obedientiam suam erga Deum, uerumetiam illustrat miraculum, quo angelus ei in templo apparuit, & de filio suo Ioanne uaticinatus est. Cæterum, hoc nomen Ioanni diuinitus inditum est, ut Ioannes non tam concione quàm nomenclatura sua Christum adnunciaret. Ioannis enim nomen, si interpreteris, gratiosum significat, hoc est, non tam gratia uel Dei uel hominum acceptum, quàm gratiæ adnunciatorem. Non potest autē nobis ulla à Deo gratia contingere, nisi propter Christum, quem Ioannes adnunciauit. Quare cum uocabulum Ioannis proponitur nobis, agnoscamus nuncium nobis, iuxta nomen suum, gratissimū, & admoneamur de Christo, ut fide cōfirmati, omnem salutem nostram in Christo quæramus. Iam & parentibus, & Ioanni ipsi hoc nomen utilitatem haud contemnendam attulit. Parentes enim toties clementiæ & beneficiorum Dei admoniti fuerūt, quoties huius nominis mentionem fecerunt. Et Ioannes ipse toties officii sui admonitus est, quoties nominis sui meminit. Sic Patriarchæ, sic Mose, sic multi alii sancti liberis suis nomina imposuerunt, ut haberent domestica moniméta, quæ semper ob oculos uersarentur, & admonerent ipsos de beneficiis Dei, adeóq; animos eorum ad

Circumcisionis usus in politia Mosaica necessarius.

De nomine Ioannis contentio quid habeat commodi.

Ioannis nomen.

In nomenclatura liberorũ publica regionis consuetudo seruanda.

gratitudinem excitarent. Discamus igitur ex hoc loco, ut in nomenclatura liberorum nostrorum non sectemur superstitionem aut ostentationẽ, sed uel publicã regionis consuetudinem, uel si singulare quoddam beneficium Dei admonuerit, morem Patriarcharum, quo nunq̃ non ad fidem, timorem Dei, & gratiarum actionem excitemur. Sed de hac re etiam aliàs. Nunc perstringemus ea quæ sequuntur:

» Apertum est autem illico os Zachariæ, & lingua eius, & loquebatur benedicens
» Deum. Et factus est timor super omnes uicinos eorum, & super omnia montana Iu
» dææ, & diuulgabantur omnia uerba hæc, & posuerunt omnes, qui audierãt, in cor
» de suo, dicentes: Quis putas puer iste erit? Etenim manus Domini erat cum illo.

Dictum est supra, Zachariam ab angeli colloquio propter incredulitatem mutũ factum esse, qui & interea temporis, donec Ioannes circumcideretur, mutus permansit. Nunc igitur restituitur ei uox, & aperit̃ lingua eius diuinitus, maxima omnium admiratione & stupore. Primũ igitur hoc miraculũ æditũ est in circũcisione Ioannis, ut fama Ioannis cõmendetur & illustret̃. Nũ propter humanã ipsius sanctitatẽ? Minime. Tametsi enim Ioannes repletus fuerit spiritu sancto adhuc in utero matris, tamen & ipse in peccatis conceptus est, & fuit natura sua filius iræ. Illustrat̃ igitur nomen Ioannis miraculo in Zacharia æditò, non propter suam ipsius sanctitatem, sed propter ministerium ipsius, & testimoniũ, quod Messiæ daturus erat. Officium enim Ioannis fuit, ut testimonio suo Christum publice commendaret. Quare, ut testimonium eius magna autoritate præditum esset, insignis & illustris redditur miraculo, non solum conceptus, uerũetiam natiuitas & circumcisio eius. Accedet postea admiranda & stupenda sanctitas uitæ eius in desertis, quæ & ipsa non aliò respicit, q̃ ut autoritas testimonii eius de Christo Iesu confirmetur, quẽadmodum suo loco ostendemus. Deinde miraculo restitutæ uocis in Zacharia significat Deus, se humanæ uocis autorem & gubernatorem esse. Quis fecit, inquit ad Mosen, os hominis, aut quis fabricatus est mutum & surdum, uidentem & cæcum? nonne ego? Et in Prouerbiis Salomonis: Homo præparat cor, Dominus autem gubernat linguam. Tritum hoc, & adeo uulgatum est, ut fortasis indignum uideatur, quod publice commemoretur, sed si huius rei fidem consideres, ut ea nõ est uulgaris, ita non uulgares affert utilitates. Si.n. credis Dominum humanæ uocis gubernatorem esse, nullam habes causam, propter quam animum despondeas, destitutus eloquẽtia, in ea uocatione, ad quam diuinitus & legitime ordinatus es. Erat & Mose ineloquens, sed audit, quod paulo ante diximus: Quis fecit os hominis? Dicit & Ieremias: Ah puer sum, ecce nescio loqui, sed uicissim respondet diuinũ oraculum: Ecce dedi uerba mea in ore tuo, ne timeas à facie eorum, quia ego tecũ sum. Quid etiam magis mutum Apostolis, si conferas eos ad eloquentes huius seculi? sed audiunt: Ne sitis solliciti, quomodo aut quid loquamini: dabit̃ enim uobis in illa hora, quid loquamini. Et Paulus: Delegit, inquit, Deus imbecillia in mũdo, ut pudefaceret ea quæ sunt robusta. Ergo nulla danda est opera eloquentiæ, sed diuinitus tantum in ipso loquendi momento expectanda? Certe confidenter expectanda est diuinitus, sed ita, ut interim tuum etiã officium non intermittas. Dei enim est, eloquentiæ uirtutem & incrementũ dare. Hominum autem est, diuinis ordinationibus obedire, & usum earum diligenter sectari. Iam, præcepta, quibus traditur sermonis ratio, ab hominibus quidem, dono tamen & ordinatione Dei, constituta sunt. Vnde & Paulus interpretationem linguarum uocat donum spiritus. Non possunt autem linguæ explicari, nisi cognita certa sermonis ratiõe. Quare, ordinationi diuinæ in sectando eloquentiæ studio, quantum fieri potest, obse-

Ioannis nomẽ illustratur miraculo in Zachariá ædito.

Ioannis officium.

Deus humanæ uocis autor & gubernator.

Eloquentiæ danda opera.

quamur

quamur, certa interim fiducia concepta, Dñm Deum noſtrũ nec officio nec promiſsioni ſuæ defuturũ. Adhæc, cum ſcriptura docet, Deũ humanæ uocis autorem eſſe, admonet etiam nos, ne abutamur diuino dono, ſed ut præbeamus linguam noſtram, arma iuſticiæ Dei, hoc eſt, non loquamur nec turpia, nec ſpurca, nec laſciua, nec ſuperba, nec iracunda, nec inuidioſa, nec mendacia, ſed ut Paulus ait, loquamur ueritatem quiſq; proximo ſuo, & ſermonem bonum ad ædificationem, ut det audiẽtibus gratiam, & non contriſtetur ſpiritus ſanctus Dei, quo obſignati ſumus in diem redemptionis. Si enim reddenda nobis ratio eſt de quouis ocioſo uerbo, quemadmodum Chriſtus affirmat, quanta, obſecro, exigetur ratio de uerbo ſpurco, aut maledico, aut mendaci, & id genus alio? Sed redeamus ad Zachariam, & audiamus quid ipſe poſt tam diuturnam mutitatem locutus ſit. Loquebatur, inquit, benedicens Deum. Et mox: Repletus eſt ſpiritu ſancto & prophetauit. Hic mihi in Zacharia diligenter obſerua, quam habeat cataſtrophen pioꝝ afflictio. Pios autem uoco, non eos, qui nullum unquam peccatum deſignarunt, quis enim ſe talem gloriari audeat, ſed eos, qui etſi peccarunt, à peccatis tamen reſipiſcunt. Primum igitur Zacharias multis adeo annis, à iuuentute uſq; ad ſenectutem, afflictus eſt ſterilitate uxoris ſuæ, quæ afflictio, tametſi quibuſdam leuicula uidetur, tamen ſi conferamus huc non mores tantũ Iudaicæ gentis, uerũetiam promiſsiones Dei de multiplicatione ſeminis Abraæ, profecto comperiemus, hanc afflictionem Zachariæ tanto grauiorem fuiſſe, quanto in illuſtriori uitæ genere uerſatus eſt. Parum enim retuliſſet, non habere hæredem externæ facultatis & dignitatis, ſed hoc demum Zachariæ animum diuexabat, quòd cum eſſet alienus à multiplicatione ſeminis, Abraæ promiſſa, uidebatur etiam à Deo ipſo, & uera eius benedictione, alienus eſſe. Nunc autem donatus eſt clemẽtia Dei filio, quo inter natos mulierum nõ ſurrexit maior. Finge, Zachariam pro uno Ioanne decem regum parentem fuiſſe, nulloq; unquam uel ſterilitatis probro uel orbitatis dolore affectum. Quid? maiorem ne conſecutus eſſet gloriam ex hac fœlicitate, quàm ex afflictione, qua aliquãdiu laborauit? Non puto. Cum autem Zachariæ afflictio tam fœlicem euentum habuerit, cur nos in afflictionibus animum deſponderemus? Quæ enim præſcripta ſunt, inquit Paulus, in noſtram doctrinam præſcripta ſunt, ut per patientiã & conſolationem ſcripturarum, ſpem habeamus. Deinde, uide quàm præclare compẽſetur Zachariæ mutitas. Ex congreſſu enim angeli amiſit Zacharias uocem, qua ex re factum eſt, ut cum antea laboraret opprobrio ſterilitatis uxoris ſuæ, nunc etiam acceſſerit publica infamia diuini ſuppliCii. Sunt enim ciues, ut ille ait, κακόλογοι, & de ſummis præſertim uiris, leuiſsimam quamq; occaſionem nacti, peſsime loqui ſolent. Quare cum uiderent Zachariam mutitate diuinitus punitum, ueriſimile eſt eos uirulenta quæuis conuicia in Zachariam expuiſſe, adeóq; in oĩbus foris & tonſtrinis impietatis, neſcio cuius, palàm traduxiſſe. Atq; hæc tanto maiori animi ægritudine percellebant Zachariam, quanto magis ſibi conſcius erat, ſe propter incredulitatem ſuam hac pœna affectũ eſſe. Ecce autem tibi admirandam & ſtupendam mutationem dexteræ excelſi. Qui hactenus quadraginta, plus minus, hebdomadis, mutus fuerat, is nunc, in circumciſione filii ſui Ioannis, tanto beneficio Dei ornatur, ut non ſolum recipiat uocem, uerumetiam impleatur ſpiritu ſancto, & prophetet. Et qui paulo ante omnium conuiciis expoſitus fuerat, is nunc omnium laudibus publice commendatur. Quid potuiſſet Zachariæ excellentius cõtingere? Sed qui hoc factum eſt, inquies, cum Zacharias affectus ſit mutitate, non propter iuſticiam ſuam, ſed propter iniuſticiam & incredulitatem ſuam? Dixit enim angelus: Ecce futurum eſt, ut ſis tacitus, nec poſ

Vocis & loquelæ donò non eſt abutẽdum.

Pij qui uere ſint.

Piorum afflictio habet lætam cataſtrophen.

fis fari, eo quòd non credidisti uerbis meis? Ergó ne qui puniunt, propter peccata, merentur propter pœnam, gratiam & beneficia Dei? Minime omnium. Externa enim pœna, ut non est expiatio peccati coram Deo, ita nec est meritum gratiæ Dei, sed est admonitio ad agnitionem peccati, ad quam si accesserit fides, nõ ficta illa fides, quã sibi securi somniant, sed quæ Christum amplectitur, & quæ per charitatem efficax est, ea absoluitur pœnitentia, qua peccator consequitur nõ solum remissionem peccatorum, uerumetiam interdum liberationem à corporalibus supplicijs, semper autem perpetuam salutem. Cum autem Zacharias puniret mutitate propter peccatum incredulitatis, ut non reputauit hanc pœnam esse expiatricem peccati, ita non desperauit in pœna, nõ indigne tulit seueritatem Dei, non incessit maledictis eos, qui ipsum conuiciis petebant, sed patienter manũ Dei sustinuit, admonuit ex pœna seipsum peccati sui, exercuit se in pœna ad fidem earum promissionum, quæ ei per angelum dictæ erãt, adeoq; omnino in hac pœna ex incredulitate sua resipuit. Clemẽtia igitur Dei factum est, ut, qui mutitate propter incredulitatem punitus erat, is propter promissionem Dei, ex fide, tanto gloriosius è pœna liberaretur, quanto fœdiori antea ignominia notatus fuerat. Sic Niniuitæ resipiscẽtia seruantur ab interitu. Sic rex Manasse resipiscentia liberat à uinculis, & restituitur regiæ suæ maiestati. Sic Nebucad Nezar in Daniele, resipiscẽtia liberatur ab insania, & restituitur throno regni sui. Sic Dominus per Ieremiam cõcionatur: Si pœnitentiã egerit gens illa à malo suo, quod loctuus sum aduersus eam, agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitaui ut facerem ei. Quare, si cupimus à præsentibus & à futuris malis liberari, hoc opus, hic labor noster sit, ut à peccatis nostris resipiscamus. Sic enim consequemur non modo peccatorum remissionem, uerumetiam glorioſam & sempiternã salutem, per Iesum Christũ Dominum nostrum, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus laudandus in secula Amen.

Pœna externa non est meritum.

Resipiscentia liberat à periculis.

HOMILIA X.



XPosuimus beneficia, quæ Zachariæ diuinitus cõtigerunt, exponamus nunc, quas gratiarum actiones Zacharias Domino benefactori suo referat. Etenim datus est Zachariæ filius, quo maior non surrexit inter natos mulierum & restituta est ei uox, quæ antea ex colloquio angeli adempta erat. Proinde, ut declaret erga Deum gratitudinem animi sui, laudat nomen Domini cantico, & magnificat eum laude, ac quemadmodum prius coram angelo prodidit uoce incredulitatem suam, ita nũc testatur uoce coram tota ecclesia eximiam fidẽ suam: Repletus est, inquit Lucas, spiritu sancto & prophetauit. Prophetare, est tam prophecias ante dictas explicare, quàm de futuris rebus uaticinari. Vtrumq; facit Zacharias in hoc carmine suo. Explicat enim eas promissiones, quæ multis retro seculis de Christo & Ioanne per prophetas publice uulgatæ erant, & uaticinatur etiam ipse, quod officium administraturus sit Ioannes, & quanta beneficia populo per aduentum Christi, cuius uiam Ioannes præparaturus sit, contingant. Quare conseruemus & tractemus hoc Zachariæ carmen, non solum tanquàm epitomen omnium earum promissionum, quæ de Christo dictæ sunt, uerumetiam tanquàm commentarium & perspicuam explicationem totius Euangelii de Iesu Christo. Cæterum, carmen istud continet duodecim uersiculos, & constat duabus partibus: In priori commendat Zacharias ueritatem promissionũ Dei, q; Deus seruet & impleat ea, quæ de Christo per

Prophetare quid sit?

sto per prophetas promisit. In posteriori explicat officium & ministeriũ Ioannis Baptistæ. Benedictus, inquiens, Dominus Deus Israel. Hæc est carminis huius propositio, statum eius breuissime complectens. Est enim carmen laudatoriũ, commendans Dominum Deum Israel à ueritate promissionum eius, qua commẽdatione Zacharias non solum testatur suam ipsius fidem, uerumetiam inuitat incredulos ad fidem, & cõfirmat imbecilles in fide, quo officio non posset Deo gratior cultus præstari. Offerant alii hecatombas, sacrificent alii uitulos nouellos, cornua producentes, & ungulas: hoc demum sacrificium uere placet Deo, quo commendatur & illustratur nomen eius, quo & increduli concipiant fidem, & imbecilles in fide confirmentur. Quod cum publicis & spiritualibus fiat carminibus, manifestum est, carminũ tractationem cultum Deo acceptissimum esse. Sed quid est, quod dicitur Deus Israel? an non est & gentium Deus? Profecto Dominus est Deus, non solum gentium, uerumetiam omnium creaturarum. Dicitur tamen peculiariter Deus Israel, primum, q̃ publico pacto addixerat sese populo Israelitico, quemadmodum scriptum est in Genesi, capite decimo septimo. Deinde, q̃ dederat huic populo patriarchas, prophetas, legem, cultum Dei, & promissiones de futuro Christo. Postremo, q̃ ex hoc populo Christus secũdum carnem nascendus erat. Postq̃ autem uenit Christus, uerus Israel dicitur, non qui est ex carne Israelis, sed qui est ex fide Iesu Christi. Quare & si Dominus sit potẽtia & administratione sua Dominus omnium gentium, proprie tamen dicitur Deus credentium in Iesum Christum, propterea q̃ hos solos agnoscat hæredes regni sui cœlestis. Benedictus igitur, seu laudandus est Dominus Deus Israel. Quare? sequitur: Quia uisitauit, & fecit redemptionem plebi suæ. Et erexit cornu salutis nobis, in domo Dauid pueri sui. Sicut locutus est per os sanctorum, qui à seculo sunt, prophetarum eius. Hæc ad priorem huius carminis partem pertinent, in qua commẽdatur Deus à ueritate & impletione promissionum suarum, quas multis retro annis, adeoq; seculis, per sanctos suos prophetas diuulgauit. Videamus ergo quæ Deus promiserit, & quomodo ea impleuerit, ut & ueritatem Dei perspicue agnoscamus, & agnitione eius fidem nostram confirmemus. Primum enim promisit Deus, se uisitaturum populum suum tyrannide oppressum, & liberaturũ eos ex omnibus afflictionibus ipsorum. Per Ezechielem enim dicit Dominus: Sicut uisitat pastor gregem suum, in die quando fuerit in medio dissipatarum ouiũ suarum, sic uisitabo oues meas, & liberabo eas de omnibus locis, in quibus dispersæ fuerant. Et in Ieremia: Redimet Dominus Iacob, & liberabit eum de manu potentioris. Hæc autem, & multa alia his similia, & si uidebantur in reditu è captiuitate Babylonica aliqua ex parte impleri, eo tamen tempore perfecte impleta sunt, quo uenit Christus in hunc mundum, & collegit ueros Israelitas, tam ex Iudæis, quàm ex gentibus, in toto orbe terrarum dispersos, ac seruauit eos à Satana, morte, & inferno. Cum igitur Zacharias agnosceret è spiritu sancto, aduentum Christi iam instare, & Ioannem filium suum, præcursorem Christi fore, rectissime cõmendat ueritatem Dei, quòd, quia Deus hoc tempore mittat Christum, uisitet etiam, ac faciat redemptionem populo suo, iuxta promissiones per prophetas dictas. Deinde promisit Deus, se erecturũ cornu salutis in domo Dauid, hoc est, se restauraturum in familia Dauid tale regnum (Per cornu enim regnũ & potentia, Hebraica phrasi, significatur, siue quòd reges oleo è cornu effuso consecrabantur, ut est in priori libro Samuelis capite decimo sexto, siue quòd bestiarum potentia in cornibus sita sit, ut in Daniele, aries & hircus infestis cornibus concurrunt) tale inquã

cc
cc
cc
cc

Sacrificiũ uere placens Deo.

Deus cur peculiariter Deus Israel dictus.

Promissiones Dei per prophetas factæ, & impletio earum.

Cornu in scriptura.

regnū pmisit Deus se de fructu uentris Dauid restauratuꝝ, in quo oēs subditi non caducam aliquam & fluxam, sed perpetuam salutem & fœlicitatem habituri sint. In Esaia enim dicitur: Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis. Super solium Dauid & super regnum eius sedebit, ut confirmet illud & corroboret in iudicio & iusticia à modo & usque in sempiternum. Et in psalmo: Semel iuraui, inquit Dominus, in sancto meo, si Dauid mentiar, semē eius in æternum manebit, & thronus eius sicut sol in conspectu, & sicut luna perfecta in æternum, & testis in cœlo fidelis. Et in Ezechiele: Suscitabo, inquit, sup ea pastorē unū qui pascat ea, seruū meum Dauid, ipse pascet ea. Ac mox: Non erunt ultra in rapinam gentibus, neq; bestiæ terræ deuorabunt eas, sed habitabūt confidēter absq; ullo terrore. In Amos quoq; dicit: In die illa suscitabo tabernaculum Dauid, quod cecidit, & reædificabo aperturas murorum eius, & conuertam captiuitatem populi mei Israel, & plantabo eos super humum suam, & non euellam eos ultra de terra sua. Hæc aūt, & id genus multa alia per prophetas promissa, impleta sunt in Christo Iesu, qui ut est de semine Dauid, ita cœpit quoq; tale imperium, quod si quis per fidē agnoscat, nullo unquā uel afflictionis, uel etiam mortis genere periturus est. Quare cū Christus iam in utero uirginis Mariæ conceptus esset, haud iniuria Zacharias in hanc uocem erumpit: Et erexit nobis cornu salutis, in domo Dauid pueri sui. Cæteꝝ & si Zacharias duobus uersiculis comprehēderat summam earum promissionū, quæ
» in Christo Iesu impletæ sunt, non tamen contentus est eam paucis explicuisse, sed
» ut ardet spiritu, ita expolit & amplificat eas adhuc quinq; uersiculis, dicēs: Salu-
» tem ex inimicis nostris, & de manu omnium, qui oderunt nos. Ad faciendam mi
» sericordiā cum patribus nostris, & memorari testamēti sui sancti. Iusiurandū quod
» iurauit ad Abraam patrem nostrum, daturū se nobis. Vt sine timore de manu ini-
» micorum nostrorum liberati, seruiamus illi. In sanctitate & iusticia corā ipso, omnibus diebus nostris. Vide, inquit, q̄ uerax & q̄ seruans sit Deus promissionū suarum. Non enī solum eas seruat promissiones, quas dedit per prophetas, sed etiā seruat ea testamenta seu pacta, quæ instituit cū Patriarchis, ac præcipue cum Abraamo & Dauide, quæ & confirmauit iuramento suo. Nam hoc est testamentū, hoc est pactum & fœdus, quod Deus iniit cum Abraamo & semine eius: Benedicā, inquit, benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi. Et postea: Possidebit semen tuū portas inimicorum suorum, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ. Et hoc pactum cōfirmauit Dominus iuramēto: Per memetipsum, inquiens, iuraui, benedicam tibi & multiplicabo semen tuum. De Dauide autē scribitur in psalmo octuagesimo octauo: Inueni Dauid seruum meū, oleo sancto meo unxi eum: & cōcidam à facie ipsius inimicos eius, & odiētes eum in fugam conuertā. Et ueritas mea & misericordia mea cū ipso, & in nomine meo exaltabit cornu eius. Et mox: In æternum seruabo illi misericordiam meā, & testamētum meum fidele ipsi. Et ponam in seculum seculi semen eius, & thronum eius sicut dies cœli. Atq; hæc quidem Abraæ & Dauidi promissa, de uictoria super inimicos, de securitate & trāquillitate uitæ, & perpetuitate fœlicissimi regni, ita sonare uidentē, perinde ac si de externis tantum benedictionibus intelligerentē & iuxta sensum huius seculi implēda essent: sed ex hoc Zachariæ carmine, quod est promissionū Dei, quæ ad Abraamū & Dauidem dictæ sunt, ueluti paraphrasis, perspicue intelligi potest, eas promissiones maxime omnium ad benedictiones spirituales respicere. Zacharias enī exponit in hoc carmine promissiones patriarchis dictas, & iuramentis confirmatas, de uictoria super inimicos, de securitate uitæ, & de fœlicissimo perpetui regni

Testamentū Dei cū Abraamo & Dauide.

statu

ſtatu, intelligendas eſſe de iis inimicis qui per Ieſum Chriſtũ deuicti ſunt, & de ea uitæ tranquillitate ac fœlicitate, quæ nobis per Chriſtũ parta eſt. Chriſtus aũt non deuicit externo belli apparatu, uel Aegyptios, uel Babylonios, uel Romanos. Etſi enim Iudæi ab his partim oppreſsi fuerant, partim adhuc ita opprimebãtur, ut non licuerit ipſis cultum Dei, in lege inſtitutũ, tranquille in terra ſua peragere, & ſecurã uitam ducere, non tamẽ contigiſſet eis nec uera ſalus, nec uera iuſticia, etiamſi ab his hoſtibus liberati fuiſsẽt: ſed principio deuicit eos inimicos, & liberauit populũ ſuũ ab his hoſtibus, de q̃bus Paulus ad Epheſios ſcribẽs: Nõ eſt nobis, inq̃t lucta aduerſus carnẽ & ſanguinẽ, ſed aduerſus pricipatus, aduerſus poteſtates aduerſus mũdi dũos, rectores tenebraꝝ ſeculi huius, aduerſus ſpũales neq̃cias in cœleſtib⁹. Inter hos inimicos p̃cipuus oĩm eſt Satan, qui ut eſt homicida, ita ſine intermiſsiõe, tanq̃ leo rugiẽs circuit, q̃rens quẽ deuoret. Deinde eſt pc̃tũ, in qd̃ pſuaſu Satanæ Adã cõiectus eſt, & qd̃ ab Adamo propagatũ eſt in oẽs hoĩes, quod & hoĩes ad q̃uis flagicia perpetrãda impellit. Poſtremo ſunt afflictiones, mors & infernus, quibus inimicis nihil poteſt dici horribilius. Nec ſentiendũ eſt, hos inimicos inuidere quid ẽ hoĩbus, ab hominibus aũt longe abeſſe, ſed obſeruandũ eſt, quod hi inimici homiñ planè in ſua ipſoꝝ poteſtate poſsideant, & mordicus contineant. Natura eñ ſumus filii iræ, hoc eſt, mancipia Satanæ, & naſcimur in peccato, adeóque ꝓpter peccatũ obnoxii ſumus, tam afflictionibus huius ſeculi & morti corporali, q̃ perpetuo inferno. Hos aũt inimicos Chriſtus ita deuicit, ut & ſi adhuc fremant, & hoĩbus mala quæq̃ minitari uideanẽ, ne tantillũ tũ damni poſſunt iis inferre, q in Ieſum Chriſtũ credunt. Deinde reſtituit Chriſtus populũ ſuum non in eam ſecuritatẽ, qua faciant cultũ Leuiticum in Hieruſalem. Hic eñ cultus, ut ſuo tpe, iuxta legis ſententiã, obſeruari debuit, ita non fuit niſi ciuilis ſanctitas, & pædagogia ad Chriſtũ, ſed remiſit eis peccata, propter quam remiſsionẽ conſcientia per fidem ita ſecura redditur, ut iam nec Satanam, nec mortẽ, nec infernũ timeat, & quia per fidẽ datur ſpiritus ſanctus, ideo quicunq̃ habet remiſsionẽ peccatoꝝ per fidem, is ſine omni timore uel mortis, uel inferni, crudeliſsimoꝝ inimicorum, libere & trãquille ſeruit Domino Deo ſuo, in omni, qua poteſt, ſanctitate & iuſticia. Quare, ut ꝓmiſsiones ad Abraã & Dauidẽ dictæ, ita & hoc carmẽ Zachariæ, de ſpiritualibus inimicis, & de uera ac ſpirituali ſanctitate, quæ habet in Chriſto p fidem, intelligendũ eſt. Ergo quod Deus promiſit Abraæ, quod promiſit Dauidi, quod & iureiurando cõfirmauit, uidelicet, ſe recordaturũ pacti ſui, præſtiturũ miſericordiã patribus ꝓmiſsã, ut ſeruemur ab inimicis noſtris, & de manu oĩm, qui oderũt nos, quo ſine timore de manu inimicorũ noſtrorũ liberati, ſeruiamus ipſi, hoc docet Zacharias, Deum egregie p̃ſtitiſſe, dũ miſit Chriſtũ filiũ ſuũ in carnem, qui ut expiaturus eſt peccata noſtra, & reconciliaturus nos Deo patri, ita impetrabit, ut per fidẽ in ipſum, ſancti & iuſti corã Deo reputemur, & ſpiritu ſancto donemur, quo ex fide magna animi trãquillitate uocationi eius obſequamur. Atq̃ hæc eſt prior huius carminis pars, in qua cõmendat ueritas Dei, qua ſeruata ſunt ꝓmiſsa de Chriſto, qua & monemur eorũ bñficiorũ, quæ nobis per Chriſtũ contigerũt. Nunc ſequitur poſterior pars.

Chriſtus quos hoſtes deuicerit.

Inimici oĩm hominum.

Chriſtus populo ſuo ſecuritatem pepit

Et tu puer, ꝓpheta altiſsimi uocaberis, præibis eñ ante faciẽ Dñi parare uias eius. Ad dandã ſcientiã ſalutis plebi eius, in remiſsionẽ peccatorũ eoꝝ. Per uiſcera miſericordiæ Dei noſtri, in q̃bus uiſitauit nos Oriens ex alto. Vt illuceſceret his q in tenebris & in umbra mortis ſedẽt, ad dirigẽdos pedes noſtros in uiã pacis. In hac poſteriori parte carminis explicat & illuſtrat officiũ & miniſteriũ Ioannis Baptiſtæ. Explicat aũt non uanis ſomniis, ſed uerbis tũ à ꝓpheta Malachia, tum ab angelo Gabriele p̃dictis. Tu, inq̃t, puer, ꝓpheta altiſsimi uocaberis, hoc eſt, eris p̃cipuus oĩm cõcionator in Eccleſia Dñi Dei noſtri. De te eñ uaticinatus eſt ꝓpheta Ma-

Ioannis baptiſtæ officium ac miniſteriũ.

sachias,apud quē Dñs ita ait: Ecce ego mittā angelū meū, & præparabit uiā ante aciē meā. Et iterū: Conuertet cor patrū ad filios,& cor filiorū ad patres eorū. Vaticinatus est de te etiā angelus: Erit magnus, inquiens, coram Dño, & multos filiorū Israel cōuertet ad Dominū Deum ipsorū Quare ꝑibis ante faciē Domini,hoc est, priusquā Christus ministeriū suū publice inchoauerit,tu primus oīm officio tibi cōmendato defungeris.In quē usum? Primū ut pares Christo uiā. Parauit aūt Ioannes uiā Christo,quēadmodū supra ostendimus,non tm̄,quia arguit populū peccatorū suorū,sed potius,qa publice testificatus est,hunc esse uerū Christū,& discipulos à se ad hunc Christū remisit: Ecce,inqens, agnus Dei qui tollit pctā mundi. Deinde ut detur scientiā salutis plebi dominicæ,hoc est, ut doctrina tua ostēdas populo uerā rationē & uiam,qua possint cōsequi salutē, quæ salus constat nō in liberatione à tyrannide Romanorū,non in fœlicitate huius seculi, sed in remissione peccatorū. Tametsi eīm liberatus fueris ab oībus hostibus & tyrannis in hoc mūdo,& consequaris oēm huius seculi fœlicitatē, nihilominus tū adhuc deuinctus es Satanæ, tyranno longe oīm crudelissimo, similiter morti & inferno, quæ sunt extremæ interniciones. Deuinctus aūt es horū tyrannidi ꝓpter peccatū. Nam ꝓpter unū hominē,inquit Paulus,peccatū introiit in mundū, ac per peccatū mors, & sic in oēs hoīes mors puasit, quatenus oēs peccauimus. Quare ut à crudelitate Satanæ & ab internicione mortis atq; inferni liberemur, necesse est,ut ante oia liberemur à peccato.Ioannes aūt ꝑdicauit primus oīm Iesum Christū,q; propter hunc solū habeamus remissionē peccatorū, per fidē, quæ est in ipsum. Nec est ulla alia ueræ salutis consequēdæ ratio,q̄ per fidē in Christū,nec est aliud nomē sub cœlo datū inter homines,in quo oporteat nos saluos fieri. Cum igit̄ Ioannes reuelauerit, ostēderit,& prædicauerit Iesum Christū expiatorem peccatorū nostrorū,recte dicit̄ dedisse seu docuisse eam salutis scientiā,qua cōsequamur remissionē peccatorū,hoc est, iusticiā & uitā æternā.Sed quibus meritis cōtigerunt populo tāta bñficia,ut & discerēt scientiā salutis,& consequerent pctōrum remissionē? ꝑfecto non cōtigerunt merito circūcisionis,nec merito sacrificiorū,nec merito honestatis ciuilis, quæ &si habeāt suā dignitatē in suo gñe,tanti tm̄ nō fuerūt apud Deū, ut ꝓpter ipsa cōferret in nos ingēs illud beneficiū remissionis peccatorū. Quæ ergo illa sunt, ꝓpter quæ tanto bñficio affecti sumus? Per uiscera, inquit, misericordiæ Dei nostri. Non simpliciter ait per misericordiā,sed per misericordiæ uiscera,hoc est,per ingentē & imperscrutabilē misericordiā. Per hāc.n. & non ꝓpter humana merita, uisitauit nos oriēs ex alto.Orientē uocat Zacharias Christū,quasi germinantē,& respicit hoc epitheto ad Ieremiā,qui uocat Christū Germē iusticiæ. Ecce dies,inquit, ueniūt & suscitabo Dauid germē iusticiæ,& regnabit rex,& sapiēs erit,& faciet iudiciū & iusticiā in terra.Respicit etiā ad ꝓphetam Zachariā,apud quē dicit Dñs Zebaoth: Ecce uir Oriens (seu Germē) nomē eius, & subter eū orieī & ædificabiī tēplum Dño.Hoc ergo Germē ortū est ex alto,& uisitauit nos de cœlo,cū Iesus Christus uenit in hūc mundū,& ꝓmisit ante se Ioannē Baptistā,qui publicū testimoniū de ipso ferret.In quē usum? Vt illucescerēt his qui in tenebris & in umbra mortis sedēt,ad dirigēdos pedes nostros in uiam pacis.His uerbis respicit Zacharias ad uaticiniū Esaiæ, apud quē ita legit̄: Populus q ambulabat in tenebris,uidit lucē magnā, habitātibus in regiōe umbræ mortis,lux orta est eis. Et iterū: Surge,illuminare Hierusalē,quia uenit lumē tuū,& gloria Dñi sup te orta est. Eteīn in tenebris,& in umbra mortis sedent hi,q obruti sunt tātis calamitatib⁹,ut nō nisi ꝑsentaneū & ꝓpetuum exiciū uideāt. Hoc aūt fieri solet,cū pctā reuelant̄,& cōsciētia agnoscit iudiciū pctōrū. Cū igit̄ Ioannes ostēderit Christū tollentē pctā mūdi,ꝑfecto tale ꝓposuit nobis lumē, quo non solum licebit tenebras infœlicitatis & umbram mortis dispellere, uerumetiam dirigere pedes nostros ad ambulandum in uia pacis,ad consequendam ueram salu

Ioannes Christo uiam parauit.

Ioannes dedit scientiam salutis populo.

Oriens uocatur Christus. Vbi enim Græcus transtulit ἀνατολή, ibi Hebræus habet צמח *Zemach quod significat Germen.*

In tenebris et umbra mortis qui sedeāt.

rem & fœlicitatem. Non enim alia est uia pacis seu fœlicitatis, præter Iesum Christum Dominum nostrum, ex cuius fide iustificati, pacem habemus erga Deum. *Iesus Christus uia pacis.* Hoc est Zachariæ carmen encomiasticon, in quo, cum præcipue commendetur ueritas & misericordia Dei, ac explicentur beneficia diuina, quæ nobis per Christũ, Ioannis prædicatione & testimonio illustratum, contigerunt, confirmemus fidem nostram, & exhibeamus nos gratos erga Deum, ut quæ beneficia diuina liberalitate per Christum accepimus, gratitudine conseruemus. Sed perstringamus etiam paucis ea, quæ de Ioanne adhuc in hoc capite reliqua sunt. Puer autem, inquit, « creſcebat, & confortabatur spiritu, & erat in desertis, usq; in diẽ ostensionis suæ ad « Israel. Vt natiuitas Ioannis admirabilis fuit, ita & admirabilis fuit pgressus ætatis eius. Nam quemadmodum crescebat corporis statura, ita corroborabatur etiã *Ioannis uita durissima in deserto.* spiritus sancti fortitudine, ut quam primum ei per ætatem licuerit, non inter homines, sed in deserto uitã, eamq; durissimam exegerit. Habebat n. indumentũ è pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos, ac cibus eius erant locustæ & mel silueſtre. Sed quam, inquies, ob causam Ioannes secesſit in desertum, & transegit ibi uitam longe omniũ asperrimam? Num ut instituerent ordines eremiticos, & monasticos, ac expiaret meritis operum suorum peccata sua? Minime omniũ. Etsi enim adolescentes diligentissime educandi sint, ne contubernio malorum seducantur, néue licentia & consuetudine peccandi ueniant in impœnitentiã: ægre enim reprehendas quod finis consuescere: attamen non est propter hanc causam necessarium, certos instituere ordines monasticos. Et impium est, opera istorũ ordinum hac opinione obseruare, q̃ expient peccata, & mereantur uitam æternam. Qui enim Ioannes hac opinione uersatus esset in deserto, cum ipse primus fuerit, *Ioannes cur in desertum secesserit.* qui publice in Iesu Christo, nõ in operibus humanæ iusticiæ prædicauerit remissionem peccatorum: Ecce, inquiens, agnus Dei, qui tollit peccata mundi? Non igit secesſit in desertum, ut illic satisfaceret, uel satisſpateretur pro peccatis suis, sed secesſit, ut diuinæ suæ uocationi obsequeretur. Fuit enim iam inde ab utero matris diuinitus in hoc uocatus, ut uinum & siceram non biberet, hoc est, ut uitam à ciuili consuetudine alienam iuxta leges Nazaræorum duceret. Vocatus autem fuit ad hoc uitæ genus, non ad expianda meritis operum peccata sua, non ad exhibendũ aliis exemplum habitandi in desertis, absq; uocatione Dei, sed ut pararet autoritatem testimonio suo, quod Iesu Christo daturus erat. Nam cum Christus uenturus erat, & administraturus officium suum, sine externa maiestate, elegit Ioannem Baptistã, qui testimonio suo publice cõfirmaret, ipsum esse Christũ, tãto tẽpore expectatũ. Oportet aũt publicũ testẽ, p̃sertim tãtæ tamq; stupẽdæ rei de Christo, maxima fide & autoritate præditũ esse. Porro autoritas nõ cõparat inter hoies cõmodius, q̃ iusticia & sanctitate uitæ. Vocauit igit Dñs Ioannẽ ad durissimũ genus uitæ, ut sanctitate eius testimoniũ de Christo cõmendaret. Nõ indiguit quidẽ Christus, q̃ ad se attinet, humano testimonio. Ego, inq̃t, testimoniũ habeo maius testimonio Ioannis. Opera enim q̃ dedit mihi pater, ut perficiã ea, ipsa inq̃ opa, quæ ego facio, testificant de me, q̃ pater miserit me. Sed ut hoim saluti cõsuleret, instituit etiã Ioãnis, tanq̃ lucernæ ardẽtis & lucẽtis, testimoniũ, quo incredulis nullus planè excusatiõis locus relinqueret. Quid ergo? sectabimur ne Ioannẽ in desertũ, & derelictis urbibus habitabimus in eremo? Si exegerit hoc à nobis Deus pſonali uocatiõe, omnino uocatiõi Dei obediendũ est. At si ordinauerit nos ad transigendã uitã ciuilem, ibi tũ seruiam⁹ nostræ uocatiõi, & quã obedientiã præstitit Ioãnes in sua, eandẽ p̃stemus & nos in nostra uocatiõe. Maxime aũt oĩm sectemur doctrinã eius, qua & Christũ nobis explicuit, & ad faciẽdos dignos fructus pœnitẽtiæ admonuit. Sic enim fiet, ut quã Ioãnes credẽti, pmisit uitã æternã, eã cõsequamur per Iesũ Christũ Dominũ nostrũ, q̃ est unà cũ Patre & Spiritu sancto Deus laudandus in secula, Amen.

Autoritas inter homines quomodo paretur.

Ioannis testimonium cur institutum.

CAPVT SECVNDVM

HOMILIA XI.



BENEDICTVS Dominus Deus Israel, quia uisitauit & fecit redemptionẽ plebi suæ. Et erexit cornu salutis nobis, in domo Dauid pueri sui. Cur enim non liceret mihi hanc cõtionem, quã diuina adspirante gratia, & uestris precibus adiutus, de natiuitate Domini nostri Iesu Christi, habiturus sum, ab his uerbis ordiri, quibus Zacharias spiritu sancto repletus, nouã & admirandã Ioannis Baptistæ natiuitatẽ dedicat: Si enim Deus laudandus est propter serui natiuitatẽ, quanto æquius est, ut propter filii natiuitatem laudibus ornetur: & si natalicius præcursoris dies magna obseruatiõe cõmendatur, quanto magis natalicius Iesu Christi, ad cuius testimoniũ Ioannes præcessit, omni ueneratiõe dignus habendus est. Tanto igit iustius nũc dicimus: Benedictus Dñs Deus Israel, quanto excellẽtior est Christus Dominus, Ioanne seruo. Quid em̃ non boni Christi natiuitate nobis contigit? à quibus malis Christi generatiõe nõ sumus liberati? Sed priusquã beneficia, natiuitate Christi nobis allata, nõ dicã enumerauero, quis em̃ posset hæc omnia uerbis cõplecti? sed quasi per transennã ostendero, explicabo historiã, quã Lucas de natiuitate Christi scribit, & ait: Factũ est aũt in diebus illis. Quibus statim post natiuitatẽ Ioannis Baptistæ. Et quid factum est? Exiit edictũ à Cæsare Augusto, ut describeret uniuersus orbis. Hæc descriptio prima, facta est præside Cyrenio. Principio obseruandũ est, Iudæos eo tẽpore, quo Ioannes & Christus nati sunt, in potestate Romanorũ fuisse, in quam à Põpeio Magno, deuictis Hierosolymis, redacti erãt. Deinde, hic Cæsar Augustus, cuius in hoc loco fit mẽtio, dictus est nomine suo proprio Octauius, & fuit secundus Romanorũ imperator, cui senatus Romanus cognomentũ Augusti dedit, nõ ab augẽdo imperio, sed ab augurio, q̃ fuerit in administrãdo imperio fortunatissimus, & ab omnibus, tanquã numen cœlitus demissum, obseruatus. Ab hoc omnes Romanorũ imperatores, etiã his temporibus, Augusti cognominant, quo significat, magistratũ esse ordinationẽ Dei, & tanq̃ donũ Dei, è cœlo demissum, uenerandũ esse. Hic ergo Octauius Augustus, quadragesimo secũdo imperii sui anno, publico decreto edixit, ut uniuersus orbis, nõ quidẽ orbis terrarũ, sed orbis Iudæorũ ac Syriæ, describeret. Quanq̃ aũt ea q̃ in sacris literis continentur externis testimoniis minime egeãt, tamẽ non puto importunũ, si hic cõmemorem ea, quæ de hac descriptione, & præside Cyrenio, sub quo hæc descriptio facta est, à Iosepho in historia Iudaicarũ antiquitatũ scripta sunt. Illustrabũt em̃ hũc locũ, & explicabunt huius descriptionis rationẽ. Sic uero Iosephus scribit: Interea Cyrenius, uir cõsularis, à Cæsare destinat, censum in Syria dispositurus, & domũ Archelai redditurus. Cyrenius autem unus de his, qui semper in cõsultatione congregabant, uir per omniũ magisteriorũ & principatuum officia celebratus, per cunctas administrationes ad cõsulatus culmen ascendens, & in cunctis aliis dignitatibus clarus, cum paucis uenit ad Syriam, censor gentis à Cæsare destinatus, & approbator uniuscuiusq̃ sententiæ. Mittitur etiã cũ eo Copinius ductor totius equestris agminis, potestatemq̃ omniũ Iudæorũ gerens. Venit etiam Cyrenius in Iudæã, (nã dispẽsationi Syriæ fuerat adunata)

uniuersorũ

Natiuitas Christi commendanda.

Augustus Cæsar.

Augusti nomen.

Iosephi testimoniũ de exactione Syriaca.

Cyrenius.

uniuersorũ depreciaturus substãtias, & Archelai redditurus pecunias. Porro Iudæi, licet in ipsis initiis descriptiõis nomẽ dirũ haberẽt, subiiciunt tñ, ne amplius resisterẽt, psuadẽte illis põtifice Iozaro. Boeti namq; erat iste filius, & illi quidẽ euicti ratiõe põtificis, depreciari suas permisere substãtias. Hactenus retulimus uerba Iosephi. E quibus perspicue intelligit, hanc descriptionẽ fuisse actionẽ cẽsus, & æstimationẽ facultatũ, quã exactionem uocamus, in qua singulorũ nomina cõscribuntur, & iuxta facultates suas ad cõferenda tributa censent. Cum igit hic cẽsus in Iudæa agerẽt, ibant omnes, ut profiterent, singuli in suã ciuitatẽ, hoc est, in metropolim suæ tribus. Habebãt enim singulæ tribus suas Metropoles. In Beniamin metropolis erat Hierusalẽ, in Iuda, Bethlehẽ, in aliis tribubus aliæ erant metropoles. Ascendit aũt & Ioseph à Galilæa de ciuitate Nazareth in Iudæã, in ciuitatẽ Dauid, quæ uocat Bethlehẽ, eo q; esset de domo & familia Dauid, ut profiteret, cũ Maria despõsata sibi uxore, quæ erat prægnans. Hic mihi uide quàm sancta, & q̃ abscõdita sint opa Dei ab oculis huius mũdi. Primũ enim, Ioseph & Maria ascendũt in Bethlehẽ, ut, iudicio quidẽ humano, iuxta dogma Cæsaris in Bethlehẽ censerent: Iudicio aũt spiritus sancti, & in oculis Dei lõge aliud agit. Dictũ enim est per pphetã Michã capite quinto: Et tu Bethlehẽ, nõ es minima inter principes Iuda. Ex te enim mihi egredietur, qui sit dominator in Israel. Proficiscunt ergo Ioseph & Maria ad Bethlehẽ, ut iuxta externã quidẽ speciẽ decreto magistratus sui obediãt, sed hoc agit Deus, ut oraculũ spiritus sancti impleat, & Christus secundũ decretũ suũ in Bethlehẽ nascat. Quo exemplo monemur, ut in ciuilibus rebus, quantũuis molestis, magistratui nostro obsequiũ diligẽter præstemus. Si enim parẽtes Iesu Christi, regis cœli & terræ, obedierũt decreto magistratus Ethnici, quã obedẽitiam, quem honorẽ nos nostro magistratui nõ deberemus? Et si Maria in hac pfectione, quã suscepit ad obsequendũ decreto principis sui, trñ beneficiũ cõsecuta est, ut in ea pareret Iesũ Christũ, unigenitũ filium Dei, & saluatorẽ mundi, profecto nihil non beneficiorũ etiam nobis sperandũ est, si propter Deum magistratui nostro legitimam obedientiam exhibeamus. Deinde, nec illud ociosum est, quòd Christus uoluerit tempore primæ descriptiõis seu exactionis in Iudæa nasci. Hoc enim exemplo significat sese tunc maxime adesse, cum longissime abesse uideatur. Etenim prophetæ uaticinati sunt de Christo, quòd sit populum suum liberaturus à iugo oneris, uirga humeri, & sceptro exactoris, ut unusquisque secure sub ficu & uite sua habitet. Et paulo ante Zacharias quoq; spiritu sancto repletus prophetauit dicens: Vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiremus ipsi. Cum igitur hæc uaticinia prophetarum impleri deberent, omnia longe diuersa apparent, quàm promissa erant. Iudæi amiserant libertatem suam, premebantur seruitute Romana, & iam orbis eorum prima descriptione censebatur, quod descriptionis nomen ipsis eo magis execrandum erat, quo plus ad confirmationem perpetuæ ipsorum seruitutis spectare uidebatur, adeóq; apparebat hoc census tempore, prophetarum oracula uana, Rempublicam Israeliticam deploratam, & statum Iudaicæ gentis prorsus euersum esse. Sed ecce, cum omnia perdita ac propè defleta uiderentur, præsto adest promissus ille Messias IESVS CHRISTVS, ut è uirgine nascatur, & omnia uaticinia prophetarum uere impleat, ac populum suum à crudelibus suis exactoribus liberet. Hæc autem non commemorantur nobis, ut sciamus tantum, sed ut in usum nostrum transferamus, & his fidem nostram in aduersis confirmemus. Quid enim, si alia tibi accidunt, quàm uerbum DEI promisit? num mendax est DEVS? num de salute tua conclamatum est? Bona uerba:

Descriptio Syriæ.

Opera Dei à mundo abscõdita.

Magistratui obediendum.

Christus adest, cũ maxime abesse uidetur.

Deus nõ eſt mendax, ſed opera eius ſunt ſancta, & tunc maxime præſto adeſt, cum longiſsime abeſſe uidetur, tunc maxime periclitantẽ adiuuat, cum periculũ ad ſummum peruenit. Bono igitur animo eſto, & ſi Dominus moram fecerit, expecta eũ, quia uenies ueniet & non tardabit. Sed pergamus ad ea, quæ ſequunt. Factũ eſt autem cum eſſent ibi, impleti ſunt dies, ut pareret, & peperit filium ſuum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præſepio, quia non erat ei locus in diuerſorio. Quid primum dicam? quid explicem? Tanta eſt in breuibus his Euangeliſtæ uerbis ſententiarum maieſtas ac pondus, ut unde primum incipiam, planè ignorem. Admirer ne diuinam beneuolentiam, quæ ſeſe ad expurgãdas hominum ſordes tam humiliter demiſerit? an commendem hominum fœlicitatem, quos Deus tanta miſeratione dignatus eſt, ut propter ſalutem eorum, filium ſuum è ſumma fœlicitate, in extremam infœlicitatem deiecerit? Tanta autem eſt horũ beneficiorum magnitudo, ut pro ipſorum dignitate, nullus humanus captus eatis comprehendere, multo minus uerbis eloqui poſsit. Proinde, amici in Chriſto dilectiſsimi, ſi id non poſſumus efficere, quod magno deſiderio cupimus, agite dũ, efficiamus id quod poſſumus, & conſideremus, quoquo modo licet, quanta bona per incarnationem Chriſti hominibus allata ſint, quantaq; commoda homines per Chriſti natiuitatem accipiant, è quantis item malis liberentur. Hæc enim tanta ſunt, ut ſi uel ſaltem per nebulam, quod dicit, oſtenſa fuerint, pectus quamuis ſaxeum, ac Hyrcana tygride natum, ad gratitudinẽ & obſequiũ Dei inuitare poſſunt. Primum igitur uideamus, quantum bonorum theſaurum, filius Dei, (quem hodie hominem ex Maria uirgine natum eſſe prædicamus) ab æterno à patre genitus, poſsideat. Deinde uero, quid homo ſine Deo ſit, quantamq; malorum lernam homo Deo carens intra ſe contineat, & mox manifeſtum erit, quid bonorum à filio Dei, homine facto, ad filios hominum allatum ſit. Ac principio dicemus, quid ſit filius Dei, homine nondum aſſumpto. Eſt autem certa & firma fide ſentiendum, quòd filius Dei, qui eſt Ieſus Chriſtus, non ſit nuncupatione tantum, aut communicatione, quemadmodum homines filii Dei dicuntur, ſed reuera & natura Deus: Nec eſt ſentiendum, quòd ſit propoſitum quoddam in patre, & cogitatio tranſiẽs, ſicut quidam impie hallucinantur, ſed quod ſit hypoſtaſis & perſona à Patre diſtincta. Etenim ſacra ſcriptura docet, Chriſtum adorandum, inuocandum, & in ipſum confidendum eſſe. Adhæc teſtatur ipſum creare, uiuificare, & ſaluare. Adorabunt eum, inquit Pſalmus, omnes reges terræ, omnes gentes ſeruient ei. Quòd aũt hæc adoratio non ſit talis, qualis etiam ciuili magiſtratui exhibetur, ſed adoratio ſoli Deo competens, teſtantur alia ſcripturæ loca, quæ docent Chriſtum inuocãdum, & in ipſum ſperandum ac confidendum. In die illa, inquit Eſaias, radix Ieſſe ſtabit in ſignum populis, gentes ipſum deprecabuntur. Et de Stephano ſcriptum eſt: Lapidabant Stephanum inuocantem ac dicentem: Domine Ieſu ſuſcipe ſpiritum meum. Ipſe quoq; Chriſtus de ſeipſo dicit: Qui credit in me, habet uitam æternam. Et ſicut Pater ſuſcitat mortuos & uiuificat, ſic & filius, quos uult uiuificat. Solus autem Deus eſt adorandus, in ſolum Deum eſt confidendum, ſolus Deus creat, uiuificat, & ſaluat. Cum igitur hæc omnia in Ieſum Chriſtum filium Dei competant, neceſſario ſequitur, ipſum natura Deum eſſe, diſtinctã tñ perſonã à Patre & Spiritu ſancto. Sic enim ipſe Chriſtus perſonas diuinæ naturæ diſtinguit, dicens: Baptizate in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti. Et ut adhuc manifeſtius intelligamus, quid ſit filius Dei, audiamus electum illud organõ Dei, Apoſtolum Paulum, qui ad Coloſſenſes ſcribens, in primo capite, de diuinitate Chriſti ita loquitur: Chriſtus filius Dei, imago

Filius Dei, Chriſtus uerus & naturalis Deus.

Adorare Chriſtum.

Chriſtus diſtincta perſona à patre & ſpiritu ſancto.

Dei, imago est Dei inconspicui, primogenitus uniuersæ creaturæ. Et ad Hebræos: Ipse, inquit, est splendor gloriæ, & expressa imago substantiæ Dei. Ac rursus ad Colossenses: In Christo, inquit, sunt omnes thesauri sapientiæ ac scientiæ recondit. Et mox: In illo inhabitat omnis plenitudo Dei corporaliter. Quid ergo est Deus, aut quæ est plenitudo Dei, ut & plenitudo filii Dei cognoscatur? Deus est summa bonitas, incomparabilis iusticia, immensa misericordia, infinita beatitudo, æterna fœlicitas, omnipotēs maiestas, indeficiens gloria, sempiternum gaudium, breuiter, Deus est omne bonum. Deficiunt enim me uerba ad explicandam plenitudinem Dei. Et quis est, qui hanc explicare, aut saltem cogitatione comprehēdere queat? Cum igitur hæc sit plenitudo Dei, necesse est eam quoque esse plenitudinem filii Dei. Nam filius Dei non est sic imago patris, ut in cera sigillum imaginem sui relinquit. Neque enim cera est imago substantiæ sigilli, sed est imago tantum figuræ sigilli. At filius Dei, non solum figuræ patris, uerum etiam substantiæ seu naturæ eius imago est. Proinde, quicquid Deus pater est, hoc omne, ueluti in diuino prōptuario, filius Dei natura in se complectit. Vnde, ut pater est summa bonitas, ita filius, ut pater est immensa misericordia, ita filius, ut pater est infinita beatitudo, ita filius. In summa, ut pater est omne bonum, ita hoc omne in filio propriissime expressit, ut merito filius Dei, totius diuinæ naturæ thesaurus pronunciandus sit. An non uides, quomodo sol ille uisibilis, splendorem suum genuinū radiis suis imprimat? At multo efficacius Sol ille cœlestis, radio filii sui gloriam splēdoris sui imprimit. Etenim sol uisibilis splendorem duntaxat radiis suis accommodat, non item naturam seu substantiam, aut ut Græci dicunt, οὐσίαν, hoc est, essentiam. Non enim eadem est solis & radiorum essentia. Pater autem splendorem gloriæ suæ filio suo ita imprimit, ut simul etiam naturam seu essentiā suam largiatur. Habes igit̄, quid sit filius Dei, nimirum, natura Deus, & expressa imago substantiæ patris. Audiamus nūc, quid sit filius hominis, sine Deo. Non est autem quòd quispiam existimet, me modo, in hac orationis parte, de eo filio hominis locuturū, quem filius Dei assumpsit, qui peccatum non fecit, nec est inuentus dolus in ore eius, de hoc enim postea dicemus, sed de ipsa humana natura loquar, in quam & Adam, & omnes filii Adā per inobedientiam conjecti sunt. Quis autem eam melius cognosceret, quàm is, qui etiam abscondita Dei perscrutatur? quis eam manifestius explicaret, quàm is, qui etiam inuisibilia perspicacitate sua penetrat, nimirum spiritus sanctus, qui non tam Dei quàm omnium creaturarum arcanas profunditates, prorsum inuestigatas & exploratas habet. Hic igitur hominem in sacra scriptura ita describit: Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Dices autem: Hoc Dauid de seipso, non de alio loquitur. Quasi uero Spiritus sanctus non confiteatur in Dauide, nomine & prætextu Dauidis, omnium hominum impuritatem. Si enim tam sanctus uir, & qui iuxta cor Dei electus erat, in peccatis conceptus & natus est, quid de aliis hominibus sentiendum est? Quòd si hoc te non moueat, ut sentias omnes homines peccato obnoxios esse, audi generalem tubam: Omnis homo mendax. Et iterum: Dominus de cœlo prospexit super filios hominum, ut uideat, si est intelligens aut requirēs Deum. Omnes declinauerūt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Omitto syluam testimoniorum, quæ huc è libris noui testamēti afferri possunt. Quicquid est ex carne, caro est. Itē: Natura sumus filii iræ. Item: Conclusit Deus omnes sub peccato, ut omnium misereatur. En, hæc est descriptio filii hominis in sacra scriptura. Dicitur in peccatis cōceptus & natus, dicitur mendax, dicitur damnatus, inferno propter peccatum ob

Deus quid?

Filij Dei plenitudo.

Filius hominis.

Dauid in peccatis cōceptus & natus.

noxius,& Satanæ mancipium.Quæ cum ita se habeãt,reliquum est, ut ostẽdamus quanta beneficia hominibus per natiuitatem Domini nostri Iesu Christi contigerint.Is enim filius Dei, quem antea indicauimus naturalem omnium diuinorum bonorum imaginem ac thesaurum esse,filium hominis,non è uirili semine,sed è spiritu sancto absq; omni peccato conceptum,ita induit, ac complexus est,ut ad ipsũ omnia sua naturalia bona,in patre ab æterno possessa, secum aduexerit, adeóque tam arcto uinculo sese unà cum uniuersis suis hæreditariis bonis cum hominis filio coniunxit,ut una persona è filio Dei & filio hominis facta sit. Sic enim Ioannes scribit: Verbum caro factum est. Et Paulus ad Galatas: Vbi uenit (inquit) plenitudo tẽporis,emisit Deus filium suum,factum ex muliere. Cum aũt filius Dei & filius hominis, sint una & indiuisa persona in Christo Iesu, ipsæ quidem naturæ Dei & hominis diuersæ sunt, attamen opera naturarum toti personæ cõmunia sunt, ut quẽadmodum filius Dei creat,ita & filius hominis, & quemadmodum filius Dei uiuificat,iustificat & saluat,ita & filius hois. Atque ita filius hominis fit in Christo,ppter filium Dei in unitate personæ coniunctum,creator,uiuificator,& saluator. Ac contra,filius Dei fit propter unitatẽ personæ, quam habet cum filio hominis,esuriens, sitiens,impotens,ignorans, passibilis & mortalis. Vt enim in homine duæ diuersæ naturæ, corpus & anima, in unitate personæ coniunguntur, ita in Christo sociantur Deus & homo, imo multo propior est coniunctio Dei & hominis in Christo,quàm animæ & corporis in homine. Nam in homine falsum est, si dixero, anima est corpus,aut corpus est anima,at in Christo uerissime dicit̃,Deus est homo,& homo est Deus. Sed hic obstrepes mihi: Si filius Dei in Christo omnia sua hæreditaria bona cum filio hominis communia habet, ergó ne dicemus filium hominis esse impassibilem & immortalem, quemadmodum nec filius Dei natura sua pati aut mori potest? affirmabimus ne filium hominis nihil diuinarum rerum ignorare,sicut filius Dei nihil ignorat? Cur igitur credimus Christum pro nobis passum & mortuum? cur ipse sua ipsius uoce testatur, se non omnia patris arcana nosse, dicens: De die illo ac tempore nemo nouit,ne angeli quidem,qui in cœlo sunt, nec ipse filius Dei,sed solus pater? Ad hæc facile respondebitur,si primum consideremus,unde afflictiones & mors originem suam trahant, deinde, si nobis ob oculos ponamus exinanitionẽ & humiliationem Iesu Christi. Afflictiones igitur, & mors è peccato oriuntur. Dicit enim Paulus: Stipendium peccati mors est,quod mutuatum uidetur ex eo, quod Dominus in Genesi capite secundo ait: Quocunq; die comederitis,morte moriemini. Et iterum inquit Paulus: Propter unum hominem, peccatum in mundum introiit,ac per peccatum mors. Iam cum filius hominis in Christo (sic enim mihi docendi gratia loquendum est) è spiritu sancto conceptus sit,peccatum non fecerit,nec fuerit inuentus dolus in ore eius, non uideo quid aliud consequatur,q̃ quòd filius hominis in Christo,si uoluisset, nec doloribus, nec morti obnoxius fuisset. Adhæc, quando filius Dei omniscius & omnipotens, in unam personam cum filio hominis per incarnationem conuenerit,quomodo potuisset filium hominis,si uoluisset,aliquid latere,quod non latet filium Dei? Quomodo igitur Christus passus, quomodo mortuus, quomodo ignorans factus est? Profecto non in phantasmate,ut impius Marcion sensit,sed uere passus & mortuus est,ac quod ignorauit,uere ignorauit,non tamen natura cogente,alioqui enim pro se tantum,non pro nobis mortem subiisset,sed uoluntate libera, spõtanea suæ impassibilis & immortalis naturæ abnegatione,scientiæ ac aliorum suorum bonorum exinanitione,seu, si ita mauis, dissimulatione, & uoluntaria omnis humanæ fragilitatis,

Filij Dei incarnatio.

Persona una, Deus & homo in Christo.

Afflictiones & mors unde?

Christus non natura cogente, sed sponte uoluntate passus est.

fragilitatis, absq; tñ peccato, assumptione. Nam quòd Christus nulla coactione, sed spōtanea prorsus uoluntate, humanas imbecillitates in se assumpserit, satis per spicue ipse suis uerbis testatur. Apud Ioannem capite decimo ait: Nemo tollit animam meam à me, sed ego pono eam à me ipso, potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo rursus sumendi eam, hoc mandatum accepi à patre meo. Et iterum, capite decimo quarto: Venit princeps huius mundi, & in me non habet quicquam, sed ut cognoscat mundus, quòd diligo patrem, & sicut mandatū dedit mihi pater, sic faciam. Huc accedit, quod paulus ad Philippenses scribens, capite secūdo inquit: Idem affectus sit in uobis, qui fuit & in Christo Iesu, qui cū in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, ut esset æqualis Deo, sed semet ipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudine hominum factus, & habitu inuentus ut homo, humiliauit semetipsum, factus obediens usq; ad mortem, mortem autē crucis. De filio, inquies, Dei sentit Paulus, q̄ fuerit in forma Dei: cur igitur hæc ad filium hominis in Christo accōmodas? Ego uero nihil certius ac firmius credendū esse censeo, quàm quòd Christus iuxta diuinitatē, Deo æqualis sit, & persona in diuina natura à Patre distincta, eiusdem tamen cum patre essentiæ, quemadmodū supra demōstrauimus. Sed ut existimē Paulum hoc loco de filio hominis loqui, nō uanis argumentis adducor. Sequitur enim: Quapropter Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectat cœlestium, terrestriū & infernorum, & omnis lingua cōfiteatur, quòd Dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris. Hæc uerba significant Christū iuxta humanitatē, seu, filium hominis, exaltatum esse. Si ergo iuxta filiū hominis exaltatus est in summam sublimitatē, consectaneū est, ipsum antea iuxta filium hominis exinanitū fuisse. Diuina enim natura in Christo per se nunq̄ exinanita est, sed humanitas eius exinanita est, quæ etsi formis Dei, propter unitatem personæ cum filio Dei, affecta erat, has tamen ad tēpus abnegauit, formis seruilibus assumptis, donec per crucē & mortem in regnum patris penetraret. Tunc enim uere apparuit, id quod erat, &, ut Paulus ait, declaratus est filius Dei cum potentia, secundum spiritum sanctificationis, ex eo, quòd resurrexit à mortuis. Cum igitur, (ut uel tandem, id quod propo- *Natiuitatis Christi utilitas.*
sueram, explicem) filius Dei assumpserit in unitate personæ filium hominis, & Deus factus sit homo, quid obsecro aliud consequeretur, quàm quòd per incarnationem Iesu Christi uera iusticia, summa fœlicitas, adeóque omnia diuina bona, ex inuisibili mundo, in hunc uisibilem mundum aduecta sint. Erāt enim antea omnes huius mundi homines Satanæ propter peccata traditi, & inferno adiudicati, at quia unigenitus filius Dei homo factus est, asportauit secum ad hominē, quicquid est bonorum diuinorum: maxime autem, deuicto Satana, libertatem, & extincto inferni igne, cœlum, ac perpetuam fœlicitatem. Sed iterum obstrepes mihi: Hæc, inquiens, bona ad eum hominem allata sunt, quem filius Dei in unitate personæ assumpsit. Quid autem profuerit aliis hominibus, quòd hic solus sit tam beatus & fœlix? Recte sentis, quòd tanta bona ad filium hominis, quem filius Dei assumpsit, per incarnationem allata sint, nec id quicquam aliis hominibus prodesset, nisi idē filius hominis seipsum abnegasset, seipsum exinaniuisset, & ius suum tempore carnis suæ, in hoc mundo sponte dereliquisset. At bene habet, Iesus Christus abnegauit seipsū, & derelicto iure suo, factus est sub lege, factus est infirmus, sitiens, esuriēs, dolens & patri obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Ideo impetrauit a patre per exinanitionem & obedientiam suam, ut quotquot in ipsum crederent, eorundem bonorum hæredes efficerentur, & quæ natura Christus possidet, *Christus exinanitus.*

Fide participes reddimur bonorũ Christi.

ea adoptione homines per fidẽ acciperent. Quotquot, inquit Ioannes, receperũt eum, dedit eis, ut liceret filios Dei fieri, uidelicet his, qui credidissent in nomen ipsius: Et Paulus: Emisit Deus filium suum, factum ex muliere, factum legi obnoxium, ut eos, qui legi erant obnoxii, redimeret, ut adoptione ius filiorum acciperemus. Quoniam autem estis filii, emisit Deus spiritum filii sui in corda nostra clamãtem, Abba pater. Itaq; iam non es seruus sed filius, quod si filius, & hæres Dei per Christum. Et rursus apud Ioannem: Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternã. Non enim misit Deus filium suum in mundum, ut condemnet mundum, sed ut seruetur mundus per eum, qui credit in eum non condemnatur. Ac Petrus in posteriori sua epistola ait: Gratia uobis & pax multiplicetur per agnitionem Dei, & Iesu Domini nostri, sicut eius diuina uirtus omnia nobis largita est, quæ ad uitam & pietatem pertinent, per agnitionem eius, qui uocauit nos per gloriam & uirtutem, per quæ preciosa nobis ac maxima promissa donata sunt, ut per hæc efficeremini diuinæ consortes naturæ. Sed dies me deficeret, si uellem omnia scripturæ testimonia hic commemorare, quæ bona Christi, nostra per fidem fieri, comprobant. Proinde, quanta bona filius Dei attulit per incarnationem ad filium hominis, quem assumpsit, tanta bona attulit aliis quoq; hominibus, quotquot ipsum fide agnoscũt. Vnde sicut Christus est filius Dei, ita homines, antea mancipia Satanæ, fiunt nunc per Christum filii Dei. Sicut Christus habet placatum Deum patrem, ita homines natura filii iræ, habent nunc per Christum, Deum patrem placatum. Sicut Christus sanctus est, ita homines antea in peccatis concepti & nati, fiunt nunc per Christum sancti, per hoc quod non imputantur eis peccata propter Christum. Denique, sicut Christus per extremas afflictiones, in summam & perpetuam fœlicitatẽ, qua nunc fruitur, penetrauit, ita homines antea perpetuæ infœlicitati & damnationi obnoxii, penetrant nunc in Christo per omnia genera afflictionum & damnationum, ad fruendam una cum Christo sempiternam fœlicitatem. Quis pro tantis beneficiis misericordiæ diuinæ dignas gratias, nõ dico referre, sed agere posset? Quid retribuemus Domino pro omnibus quæ retribuit nobis? certe non possumus ei gratius officium uicissim præstare, quam ut Iesum Christum filium suum, nobis cum tanto beneficiorum thesauro propositum, prompta fide excipiamus, clementiam Dei per Christum exhibitam palam adnunciemus, & quod gratis accepimus, fideli obedientia conseruemus, per eundem Iesum Christum Dominum nostrum, qui est una cum patre & spiritu sancto Deus laudandus in secula Amen.

HOMILIA XII.

HEri ostendimus, non quidem pro rei magnitudine & dignitate, sed pro nostra mediocritate, quantum beneficiorum, & commodorum, nobis per natiuitatem Domini nostri Iesu Christi allatum sit: hodie explicabimus circumstantias, quibus Euangelista Lucas natiuitatem CHRISTI describit.

" Peperit (inquit) filium suum primogenitum. Quid ais Luca? CHRISTVS ne filius Mariæ primogenitus fuit? Ergo sentis, Mariam alios quoque liberos post hunc peperisse? Fuere quidem, qui occasione huius uocabuli, negarunt perpetuam uirginitatem Mariæ, & senserunt Mariam peperisse quidem CHRISTVM in uirginitate, sed postea alios libe-

Primogeniti nomen.

alios liberos è Ioseph suscepisse. Et hanc sententiã aliis quoque locis scripturæ probare conati sunt. In Matthæo enim dicitur: Non cognouit eam, donec peperisset filium suum primogenitum. Et alias fit mentio fratrum Christi. Sed huic errori iãdudum satis copiose responsum est à sancto Hieronymo, in libello, quem scripsit cõtra Heluidium, huius erroris autorem. Nam Euangelistæ uocant Christum primogenitum Mariæ, non ꝙ postea alios quoq; liberos pepererit, sed ꝙ ante Christum, nullum alium pepererit. Et apparet hunc errorem de nomine primogeniti, potissimum ex ignorantia Hebraicæ proprietatis ortum. Quod enim nos primogenitũ dicimus, nimiꝝ uocabulo à noie ordinali ducto, hoc Hebræi simpliciter uocant בכר Bechor, quod interpretãtur quidem latini, primogenitum, at Hebræa dictio nullam eiuscemodi compositionem continet. Significat autem simpliciter eum, qui uuluam aperit, siue alii post ipsum generentur, siue non generentur. Proinde ex hoc uocabulo pluralitatem liberorum Mariæ comprobare, non solum est error, sed etiam idiomatum peregrinæ linguæ insciti a. Sed relinquamus has ineptias suis autoribus, & prosequamur nos ea quæ de natiuitate Christi sequuntur. Et pannis eum inuoluit, & reclinauit eũ in præsepio, quia non erat ei locus in diuersorio. Quod alias Nazareni ad Christũ iam adultum dicunt: Medice cura teipsum: aut quod principes Iudæorum clamarunt ad ipsum in cruce pendentem: Alios seruauit, seruet seipsum, si hic est ille Christus, ille Dei electus: hoc ipsum posset incredulus quispiam infanti Christo obiectare, ac dicere: Quid? si hic infans est in unitate personæ cum filio Dei coniunctus, si est uere filius Dei, creator cœli & terræ, ac seruator mundi, cur non effecit, ut nasceretur in aula imperatoria, ac inuolueretur holosericis, aut attalicis auro intertextis, & inuolutus reclinaretur in lecto eburneo, aut cubili aureis laminis distincto? Ecce autem, quid magni tibi de hoc infante polliceberis? nascitur in stabulo iumentorum. Parentibus enim eius, tum præ paupertate, tum præ nimia hominum multitudine, non erat relictus alius in publico diuersorio locus. Natus autem inuoluitur abiectis fasciis, quibus fortasse ditiores uix tergendis calceis usi fuissent. Inuolutus reclinatur in præsepio. Quid igitur ad hæc dicemus? Profecto non est de hoc infante iudicandum secundum externam speciem, sed secundum ueritatem & suam ipsius naturam. Tanta enim est potẽtia & maiestas huius infantis, ut potuisset, si uoluisset, homo absq; omnibus miseriis nasci, inuolui, & reclinari. In hoc eñ infante inhabitat Deus nõ tantũ spiritualiter, quẽadmodũ in aliis piis hoĩbus, sed inhabitat in ipso corporaliter, ita ut unã personã cũ ipso cõstituat. Tanta aũt fuit charitas eius erga nos peccatores, ut maluerit nos miseros seruare, q̃ ius suũ persequi. Abnegauit igit & exinaniuit seipsũ, ac coniecit se in fascias, fœnũ & præsepe, primũ ob hanc causam, ut his miseriis Dñm Deũ nostrũ, ꝓ peccatis nostris placatũ reddat. Nos eñ illi peccatores sumus, qui sceleribus nostris, non solum fœnum & præsepe, sed etiam sepulchrum & infernum pro lecto, ac Satanam pro puluinari meriti sumus. Christus igitur, etsi absq; peccato fuerit, suscepit tamen in se sua sponte stipendia peccati, ut pro peccatis nostris, quibus nos omnes miserias tẽporarias & perpetuas meriti sumus, satisfaceret. Non enim sentiendum est, ꝙ Christus tunc primum inceperit pro peccatis nostris pati, quando uinctus ad flagella & crucem ductus est, sed quòd tota uita Christi fuerit passio pro peccatis nostris, quæ passio in cruce consummata est. Deinde, coniecit se Christus in fœnum, stramen, & præsepe, ut pauperes, quibus uix est fœnum pro puluinari, in sua miseria consolaretur, & ut fœnum ac præsepe in lectos & puluinaria cõsecraret. Nam qui tam pauperes sunt, ut nõ habeant plumas, sed necesse

Christi passio quando incepit.

habeant in fœno & ſtramine dormitare, hi exiſtimare ſolent, ſe ita infœlices eſſe, ut non ſolum ab hominibus, uerumetiam ab ipſo Deo contemnantur, & ſentiunt, nõ eos, qui in fœno iacent, ſed qui in lectis eburneis cubant, à Deo reſpici. Vt igitur Chriſtus hanc falſam opinionem ex animis miſerorum eximeret, coniecit ſe in fœnũ & præſepe, & ſanctificans illa, reipſa ſignificauit, q̃ quo quis miſerior ſit, eo plus à Deo reſpiciatur. Quid ergo hoc ſpectaculo admirabilius, quid magis ſtupendum? Is enim Chriſtus, omnium rerum Dominus, omnium bonorum theſaurus, deniq; totius diuinitatis plenitudo, ſtatim ab initio incarnationis uſq; adeo ſeipſum exinaniuit, ſeſe abnegauit, ſeſe, ut ita dicam, euacuauit, ac omnibus bonis abdicauit, ut iaceat hic in præſepio, nõ iã ut oĩm reg̃ dominus, ſed omniũ rerũ indigus, non ut bonorum theſaurus, ſed ut paupertatis promptuarium, non ut deitatis plenitudo, ſed ut infœlicitatis lerna. Quid enim hoc puero miſerius, qui pro more brutor̃ in ſtabulo naſcitur? quid eo indigentius, qui integris linteaminibus caret? quid eo pauperius, qui nec incunabula habet, ſed pro incunabulis, in præſepio reclinatur? nihil tamẽ eſt hoc puero, in omni rerum natura nec fœlicius, nec ditius, nec magnificentius. O admirandam rerum commutationem, o ſtupendum commercium. Plenitudo fit indigentia, diuitiæ fiunt paupertas, fœlicitas fit infœlicitas: Quis non ad tanti miraculi celſitudinem obſtupeſceret? Sed o nos fœlices, o nos ter q̃ quater q̃ beatos, propter quos hæc omnia à Dño noſtro Ieſu Chriſto facta ſunt. Iacet enim hic omnium rerum indigus, & dedicauit indigentiam, ut eſſet nobis organon ad omnem abundantiam, iacet pauper & miſer, & conſecrauit paupertatem & miſeriam, ut eſſet nobis commodum inſtrumentum ad omnem plenitudinem & fœlicitatem. Quid igitur miſeriam times? Quid indigentiam horres? quid paupertatem formidas? En, Chriſtus in omnes has calamitates ſeſe coniecit, ut tu Chriſtum in his per fidem comprehendas, & in Chriſto theſaurum omnium bonor̃ poſſideas. Sed poſtq̃ Chriſtus, qui eſt oĩm bonor̃ theſaurus, in Bethlehem natus eſt, palam quoq; reuelatur, ut poſsit eſſe uſui. Quid enim profuerit theſaurus abſconditus? Videndum igitur, quomodo reueletur. Et paſtores erant in regione eadem in agris agentes, & excubantes excubias nocte ſuper gregem ſuum. Et ecce angelus Domini ſtetit iuxta illos, & claritas Dei circumfulſit illos. Et timuerunt timore magno. Obſerua, angelum Domini, poſt natum Chriſtum, primum eſſe concionatorem Euangelii de Ieſu Chriſto. Reuelat autem angelus natiuitatẽ Chriſti, & concionatur de ipſa, non Romano imperatori, non regi Herodi, non Pontificibus Hieroſolymitanis, & Phariſæis præ carnali ſua ſanctitate turgentibus, ſed quia Chriſtus natus erat in abiectiſsimo loco diuerſorii, adnunciatur etiam abiectiſsimis hominibus, & iis, qui cum loco natiuitatis Chriſti multam habebant familiaritatem, nimirum paſtoribus, & adnunciatur iis, non quiduis agentibus, non ocioſis, non dormitantibus, ſed uigilantibus, & ſuper gregem ſuum excubantibus. Primum igitur, iterum obſerua Deum neminem deſpicere, quòd in hoc ſeculo ſit contẽptibilis, ſed potius reſpicere. Vide enim, quid hoc loco fiat. Deſpicit Dominus reges, & mittit angelum ſuum ad paſtores, genus hominũ abiectiſsimum, deſpicit magnates, & reſpicit infimates, præterit doctos, & diuertit ad rudes. Quæ res non fruſtra nobis toties in ſcriptura inculcatur. Hæc enim falſa opinio, quòd Deus abominetur hunc, quem mundus abominatur, omnis ferè impietatis radix eſt. Nam qui hac perſuaſione infectus eſt, is nec credit promiſsionibus Dei in aduerſis, quia putat ſe non reſpici à Deo, nec inuocat Deum, quia exiſtimat ſe nõ exaudiri à Deo. Si pauper eſt, non legitimæ uocationi, ſed impoſturis operam dat, quia non putat

patri cœleſti

fœnum, ſtramen, & præſepe, à Chriſto ſanctificata.

Angelus concionator Euãgelij.

Contemptus opinio, ad impietatem inuitat.

patri cœlesti tantum ocii esse, ut ipsum respiciat ac nutriat. Si malo affectus est à proximo, ultionem quærit, quia opinatur Deum non tanti facere ipsum, ut uindictam sumat de aduersariis suis. Si mortem ob oculos positam habet, desperat, quia putat Deum non curare salutem ipsius. Breuiter, nihil est impietatum quod non ex ista persuasione oriatur. Exemplo igitur pastorum, ad quos Angelus Domini mittitur, palam declaratur, hanc persuasionem esse falsissimam, adeoq; manifeste comprobatur, nihil diligentius, & maiori sollicitudine ac cura, ab oculis Dei respici, quàm homines miseros, contemptos & abiectos. Sacrificium, inquit Dauid, Deo, spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies. Et in Esaia: Ad quem, ait Dominus, respiciam, nisi ad pauperculum & contritum spiritu, & trementem sermones meos? Deinde, quòd angelus apparet pastoribus excubantibus super gregem suum nocte, hortatur nos ad uigilantiam, & diligentiam sectandæ suæ cuiusq; uocationis. Apparet enim angelus Domini, non in cubilibus suis lasciuientibus, non uino sese noctu ingurgitantibus, non ignauis & somnolentis, sed uigilantibus & custodientibus gregem suum, qua apparitione, uigiliæ & labores, qui iuxta legitimam officii uocationem suscipiuntur, in sancta & Deo grata opera consecrantur. Sed audiamus nunc contionem angeli. Et dixit angelus illis: Nolite timere. Ecce enim euangelizo uobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est uobis hodie saluator, qui est Christus Dominus, in ciuitate Dauid. Et hoc uobis signum: Inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio. Hæc est prima contio Euangelii, post natum Christum, omni gaudio plena. Nolite, inquit, timere. Timetis fortasse phantasma, timetis spectrum? Sed ne timeatis, en ueritas adest. Timetis subitum fulgur? Sed ne timeatis, en uera lux nũc exorta est, quæ illuminat omnẽ hominẽ uenientẽ in hunc mundum. Et hactenus timuistis mortem, sed deponite quæso uanum timorem, en uitam uobis præsentem adnuncio: timuistis infernum, sed cœlum hodie uobis apertum est: timuistis perditionem, sed ecce natus est uobis hodie saluator. Qualis? num qualis fuit Mose, aut Iosua, aut Saul, aut Dauid? Minime gentium, sed CHRISTVS DOMINVS, nimirum is, de quo dictum est, quòd sit contriturus caput serpentis, quòd in ipso benedicendæ sint omnes gentes, quòd sit superaturus iugum oneris, uirgam humeri, & sceptrum exactoris, sicut in die Midian, quòd sit propter iniquitates hominum uulnerandus, & propter peccata eorum percutiendus, ut homines cum DEO pacificentur, liuore eius sanentur, & noticia sui iustificentur, adeóque perpetuo saluentur. Hæc enim omnia prophetæ de Messia seu CHRISTO uaticinati sunt. Nam cum audis, CHRISTVM à prophetis & angelo saluatorem prædicari, non intelligendum est, quòd sit talis saluator, qualem eum Iudæi carnales fingunt, uidelicet, quòd sit magno militum exercitu Israelitas à Romano imperio, & omnibus aliis hostibus liberaturus, ac externa maiestate in toto orbe dominaturus, nec est talis saluator, qualem eum somniant hypocritæ. Hi enim sentiunt Christum non esse nisi iudicem, qui sedeat pro tribunali, ac iudicet omnes homines, & eum quidem iustum reputet, ac in æternam uitam recipiat, qui pro peccatis suis satisfecerit, & multa operibus suis meruerit, eum autem reiiciat, & æterno supplicio tradat, qui peccata sua non expiauit operibus suis, nec legem DEI obseruauit. Talis, inquã, saluator non est CHRISTVS. Sed talis est, primum, qui passione sua pro peccatis hominum satisfaciat, DEVM patrem hominibus propicium reddat, mortem uincat, infernum debellet, & Satanam opprimat. Hoc enim est uere ad-

Contempti, coram Deo precioſi.

Vigiliæ ſanctæ.

Chriſtus qualis ſaluator.

Iustus, quis?

uersarios hominum uincere, & opprimere. Deinde, qui reputet eos iustos, ac saluet, non qui operibus suis peccata sua expiant, hoc enim nulli hominum possibile est, quippe qui nullum bonum opus tam sanctum faciunt, quod legi DEI exacte satisfacere queat, sed eos, qui credunt quod propter ipsum habeant remissionem peccatorum suorum, & placatum patrem in cœlis. Quid autem iucundius, quid gratius, quid acceptius, quid nobis magis salutiferum de CHRISTO prædicari aut per CHRISTVM præstari potest? Tametsi enim liberatus sis à Romano imperatore, aut aliis carnalibus hostibus, interim autem obnoxius sis peccatis, Satanæ, & perpetuæ morti ac damnationi, quid obsecro tibi profuerit? quam utilitatem è carnali liberatione capies? certe ea liberatio nihil est, absque CHRISTO, nisi uia ad sempiternam captiuitatem in perpetuo supplicio. Qui autem per CHRISTVM liberatus est à peccatis, morte, Satana & inferno, is etiamsi ab hostibus carnalibus captiuus teneatur, aut ab aliis afflictionibus male afficiatur, tamen nulla est tanta miseria, quæ non sit ipsi adiumento in bonum, & ueram salutem. Hunc igitur saluatorem agnoscamus, hunc per fidem comprehendamus, ut in ipso & propter ipsum ueram ac perpetuam salutem consequamur. Sed quid sibi uult, tam abiectum, tam humile signum, quo angelus pastoribus CHRISTVM ostendit: Inuenietis, inquiens, infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio? Hoc tam contemptibili signo potuissent pastores ad incredulitatem potius & abominationem, quàm ad fidem, & ad uisitandum CHRISTVM inuitari. Quid? si seruator est, cur non seruat se à paupertate? Si Messias est, cur non nascitur in aula regia, & inuoluitur holosericis? Sed quia CHRISTVS humiliauerat sese forma serui accepta, uoluit etiam humilibus signis agnosci, & in sordido stabulo inueniri. Nec est, quòd CHRISTVS eo tantũ tempore uoluerit in laceris pannis ac fœdo præsepio inueniri: quin potius, ad finem usque huius seculi in abiectis rebus inueniri solet. Quid contemptius coram mundo hominibus stultis, & ignobilibus? at Paulus affirmat CHRISTVM in his potius quàm in sapientibus & nobilibus inueniri. Videtis, inquit, uocationem uestram, fratres, quòd non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi claro genere nati, uerum quæ stulta erant secundum mundum, delegit DEVS, ut pudefaceret sapientes. Quid ipsa Euangelii prædicatione humilius? Apostoli & ecclesiastæ sunt homines despecti, & ut Paulus ait, excrementa mundi ac peripsemata. Verba eorum non sunt in eminentia sermonis aut sapientiæ. Sed in hac pannorum uilitate, inuenitur IESVS CHRISTVS. Nos prædicamus, inquit Paulus, CHRISTVM crucifixum, Iudæis quidem offendiculum, Græcis uero stulticiam, sed iisdem uocatis Iudæis pariter & Græcis, CHRISTVM DEI potentiam, ac DEI sapientiam. Et alias: Non me pudet Euangelii CHRISTI, potentia siquidem DEI est ad salutẽ omni credenti. Iam uero, uide mihi quoque aquã baptismi, quæ etsi iuxta externam speciem sit elementum nusq̃ non obuium, & uulgare, in ipsa tamen inuenit remissio peccatorum, hoc est, CHRISTVS IESVS, unà cum Patre & Spiritu sancto. Dicit. n. CHRISTVS: Baptizate in noie Patris & Filii & Spiritꝰ sancti. Ac Petrus: Baptizet, inqt, unusquisq; uestrũ, in noie Iesu Christi, in remissionẽ peccatoꝝ, & accipietis donũ spiritus sancti. Et Paulus: Quicunq;, ait, baptizati estis, Christũ induistis. Quid dicã de pane & uino cœnæ dominicæ? Hæc apparent nihil aliud esse, q̃ quod uidentur, nimirum, panis & uinum, creaturæ ad uerã

Christus in abiectis inuenitur.

Ignobiles.

Despecti.

Baptismi aqua.

Cœna dominica.

ræ ad ueram ſalutem nihil facientes. Sed ſi conſideres ea ſecundum uerbum Domini, tunc certo cognoſces, q̃ in his laceris admodũ panniculis, & in hoc abiecto præſepio inueniatur uerum corpus Chriſti, & uerus ſanguis eius, quæ unà ſecũ habent remiſsionẽ peccatorũ, & uitam æternã. Dicit enim Chriſtus: Hoc eſt corpus meum quod pro uobis frangitur, & hic ſanguis meus, qui eſt noui teſtamenti, qui pro multis effunditur, in remiſsionem peccatorũ. Poſtremo, quid abominabilius coram mundo, hoĩbus aut paupertate, aut fœda ægritudine, aut infamia, aut aliis miſeriis & calamitatibus oppreſsis? attamen licet etiam apud hos Chriſtũ inuenire. Reclinat enim ſeſe Chriſtus ad ipſos, cũ ait: Beati pauperes ſpiritu, quoniã ipſorum eſt regnum cœlorũ. Beati qui lugent, quoniã conſolationẽ accipient. Et alias: Eſuriui & dediſtis mihi edere. Sitiui, & dediſtis mihi bibere. Amẽ dico uobis, quatenus feciſtis uni de his fratribus meis minimis, mihi feciſtis. Ac rurſus: Facit iudicium pupillo & uiduæ, amat peregrinum & dat ei uictum atq̃ ueſtitũ. Non igit̃ offendamur aut humilitate prædicationis Euangelicæ, aut externa uilitate ſacramentorum, aut fœditate hominum pauperum & abiectorum, ſed quia uerbũ Domini docet in his inueniri Chriſtum, apprehendamus illud fide, & inquiramus Chriſtum, ut eo inuento, perpetuam ſalutem conſequamur per eundẽ Ieſum Chriſtũ, qui eſt unà cum Patre & ſpiritu ſancto Deus laudandus in ſecula Amen.

Pauperes.

HOMILIA XIII.

EUelatus eſt Ieſus Chriſtus paſtoribus per angelum, & duobus, ſaluatoris uidelicet, & Meſsiæ ſeu Chriſti uocabulis, explicata ſunt beneficia, quæ credẽtibus per Chriſtum contingunt. Nunc audiamus, quomodo miniſtri Chriſti, qui ſunt angeli Dei, ſe ipſos reuelent, ac miniſterium ipſorum explicent. Si enim Domini officium nobis manifeſtatũ eſt, haud abſurdum eſt, ut & ſeruorum ac miniſtrorum eius officium cognoſcamus, quo beneuolentia & clementia Domini erga nos cõmendatior & illuſtrior redderet. Dicit ergo Lucas: Et ſubito facta eſt cum angelo multitudo militiæ cœleſtis, laudantium Deum & dicentiũ: Gloria in altiſsimis Deo, & in terra pax, hoĩbus bona uoluntas. Vnus angelus paſtoribus de Chriſto prædicauerat, & ecce mox magna angelorum caterua congregat̃ cum ipſo, primum ob eam cauſam, ut ſciremus non homines ſolum prophetas, uerumetiam innumerabilẽ multitudinẽ angelorũ & militiam cœleſtẽ, eius contionis teſtes eſſe, quæ habeat̃ de Ieſu Chriſto, q̃ ſit ſaluator, hoc eſt, remiſsor peccatorũ, placator iræ Dei, & ſeruator in morte ad uitam æternã. Nec exiſtimes, hos angelos in hac tantũ angeli contione præſto adfuiſſe, nunc autem abeſſe. Semel em̃ in hac angeli contione ſeſe manifeſtarũt, ut hac apparitione declararent & cõprobarẽt, ſeſemp illic præſto adeſſe, ubicunq̃ Euangelion de Ieſu Chriſto uere prædicat̃, ac teſtimonium illi reddere, q̃ ſit potẽtia Dei ad ſaluteꝫ omni credẽti. Vnde & Paulus iubet mulieres poteſtatẽ habere in capite, ꝓpter angelos. Quod certe nõ iuberet, niſi ſentiret angelos in eccleſia Dñi, ubi Euangeliõ Chriſti adnunciat̃, p̃ſentes adeſſe. Si igit̃ q̃ris autoritatẽ & multitudinẽ teſtiũ Euãgelii Chriſti, en habes nõ hoĩes, ſed angelos Dei, nec unũ angelũ, ſed totã militiã cœleſtẽ, q̃ eſt innumerabilis. Deinde apparent alii angeli cum hoc concionali angelo, ut quia explicuerant officium Chriſti Domini ſui, ipſorum quoq̃ officium & miniſteriũ nobis explicent. Explicant aũt illud carmine ſuo encomiaſtico, quod recitãt in laudem Dei. Principio eĩm dicũt:

Angelorũ apparitio, ad qd conducat.

Euangelij teſtes, non tantum homines, ſed etiã angel

Angelorū officia. Gloria in excelsis Deo. His uerbis significant, primū ipsorū officium esse, q̄ ineffabili ac inenarrabili uoce laudent Deum. Vnde in Esaia capite sexto, clamant Seraphim alter ad alterum: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Zebaoth, plena est omnis terra gloria eius. Laudare autem Deum, non est tantum uerbis gloriam & sanctitatem Deo tribuere, sed est confiteri solius Dei esse potentiam, iusticiam, sanctitatem & fœlicitatem, & Deum quidem nullius egere, omnes autem alias creaturas Dei indigere, & Deo à nullo posse benefieri, omnibus autem à Deo benefieri. Hoc uero confiteri quid aliud est, quàm seipsum prorsus abiicere & condēnare? Proinde, cum angeli laudent Deum, eo ipso ingenue corā Deo fatentur, quòd quantum in ipsis est, absq̄ Deo, non sint, nisi creaturæ impotentes, iniustæ, immundæ & infœlices. Vnde etiam in Esaia uelant faciem & pedes suos. Facies angelorum, est uenustas eorum, qua diuinitus exornati sunt. Pedes angelorū, sunt opera eorum, quibus coram Deo ambulant aut conuersantur. Velant igitur faciem & pedes suos, quia non iactant coram Deo uenustatem iusticiæ aut sanctitatis ipsorū, nec sunt inflati operibus aut meritis suis, sed uelaminibus suis confitētur, ea omnia corā Deo esse immunda & prophana. Si hoc faciunt angeli, qui nunq̄ a Deo defecerunt, quid nos homines totos in peccatis conceptos & natos facere decet? Immane, quantum ab angelorum uirtute distemus. Horum uel unus est potētior & sanctior omnibus aliis creaturis, attamen non audent illi iactare sua merita, dona aut uirtutes: Nos autem si uel mediocri aliqua uirtute, uel uno sordido numulo, proximum nostrum superamus, mirum, quas effiemus glorias. Hæc autem arrogātia ipsissimum Satanæ & malorū angelorum, qui in ueritate non steterūt, opus est, & homines his Satanæ desideriis ac operibus obsequentes, mancipia Satanæ sunt, & habebūt idem iudicium cum Satana, uidelicet ut catenis nocis uinci, in tartarū præcipitētur. Ait enim scriptura: Oculos superborum humiliabis. Et iterum: Dispersit superbos mente cordis sui. Deinde dicunt angeli: In terra pax. Quibus uerbis explicant secundum ipsorum officium. Angeli enim curant, ut publica pax & tranquillitas in terra, hoc est, in omnibus regnis, principatibus, politiis, urbibus, pagis & familiis consistet. Etenim Satan tam inuidus spiritus est, ut non solū bona nostra spiritualia, sed etiam corporalia perdita & extincta cupiat, ac tam potēs est, ut quod cupit, possit etiam perdere. A deoq̄ noctes atq̄ dies nihil aliud meditat, quam ut id agat & perficiat, quod audit, homicida. An non uides, quantopere infidiatus sit sancto Hiobi: Quid panolethriæ conatus sit inferre Israēlitis per Pharaonem, per Philistinos, per alias gentes? quid itē ecclesiæ Christi, per tyrannos & persecutores? Dominus autem Deus noster commendauit angelis hoc ministerū, ut Satanæ resistāt, & conatus eius frangāt, adeoq̄ ut pacem, quā Satan turbat, conseruent. Nisi enim pax ab angelis cōseruaretur, non essent in terra nisi dissidia, bella, homicidia & latrocinia. Vnde angelus ad Danielem ait: Princeps regni Persarum restitit mihi uiginti & uno diebus, & ecce Michael unus de principibus primis uenit in adiutorium meum. Et mox. Nunc reuertar, ut prælier aduersus principē Persarum. Ac iterum: In tempore illo consurget Michael princeps magnus, qui stat pro filiis populi tui. Postremo addunt angeli: Hominibus bona uoluntas seu beneplacitum. Cæterum, pro beneplacito, Græci habēt εὐδοκία, & sic ferè interpretantur illud quod Hebræi dicunt רצון. Significat autem affectum pium, placationem seu gratiam. Hoc igitur est tertium officium angelorum, quod mirum in modum optent ac precētur, ut Deus faueat hominibus, ut Deus affectū pium erga homines gerat, ut homines placeant Deo, ut sint gratiosi apud Deum, & habeant propici

Angelorum facies.

Angelorum pedes.

Arrogantia hoīm reprehenditur.

Satanæ inuidia.

propiciũ Deum. Vnde in Zacharia orat angelus Dñi dicẽs: Domine Zebaoth, usquequo tu non misereberis Hierusalem, & urbium Iuda, quibus iratus es? Et hoc loco in natiuitate Christi, præ gaudio gestiunt angeli, quod uideãt Christum natum, propter quem Deus hominibus propicius redditur. Et alias: Gaudium est magnũ in cœlis super uno peccatore pœnitentiam agente. Breuiter, angeli sunt spiritus administratorii, ad hoc diuinitus ordinati, ut seruiant Deo & hominibus. Vnde in Daniele: Millia millium ministrant ei, & decies millies centena millia assistunt ei. Et Psalmus canit: Immittitur angelus DOMINI in circuitu timẽtium eum, & eripiet eos. Et rursus: Angelis suis mandauit de te, ut custodiant te in omnibus uiis tuis, ne forte offendas ad lapidem pedẽ tuum. Ad Hebræos quoque scribitur: Omnes sunt administratorii spiritus, qui in ministerium emittũtur propter eos, qui hæredes erunt salutis. Habes nunc officia angelorum, quæ aliquatenus etiam imaginem eorum explicant. Quanquam enim angeli interdum in forma adolescentum apparuerunt, tamen hæc non est propria eorum imago. Et pictores solent angelos pingere habitu adolescentum cum alis, sed hæc sunt ludi pueriles. Nam si quis posset pingere talem imaginem, quæ tota nihil aliud esset, quàm ardor & inflammatio ad sui ipsius contemptum, & laudem ac gloriam Dei, adhæc quæ tota esset cura & labor ad cõseruandam pacem in terra, præterea, quæ tota esset sollicitudo & diligentia, ut homines haberent placatum DEVM, & defenderentur à Satana: is hac imagine, aliqua ex parte angelorum imaginem exprimeret. Quid ergo? num, quia tanta sunt angelorum ministeria, in angelos est confidendum, & angeli sunt inuocandi? Nequaquam. Hoc enim esset ex angelis Deũ facere. Sed in angelis, clementia, misericordia, & bonitas Dei erga nos agnoscenda est, ut discamus in solum DEVM cõfidere, & solum Deum adorare, quẽ & angeli adorant, & qui ex mera & gratuita clementia angelos ordinauit, ut nostri curam gererent. Quæ cum ita se habeant, perstringamus etiam ea, quæ sequuntur. Et factum est, ut discesserunt ab eis angeli in cœlum, pastores loquebantur ad inuicem: Transeamus usq; Bethlehem, & uideamus hoc uerbum, quod factum est, quod DOMINVS ostendit nobis. In hac pericope, principio discessus angelorum obseruandus est. Discessus enim eorum, non est uolatus in superiorem regionem aëris, instar auium, sed est euanescentia ex oculis nostris. Et cum angeli ad cœlum discedunt, non necesse habent longa locorum spacia emetiri. Vbi enim DEVS habitat, ibi cœlum est. Habitat autem DEVS ubiq;: Cœlum, inquit, & terram ego impleo. Et: Cœlum mihi sedes est, & terra scabellum pedũ meorum. Cum igitur angeli apparent uisibiliter, in terra esse dicuntur: Cum uero iterum ab oculis nostris euanescunt, confestim in cœlo esse dicuntur. Vnde & si in cœlo uersentur, nihilominus tamen nobiscum sunt, & ministerio suo nobis seruiunt. Angeli eorum, inquit CHRISTVS, in cœlis, semper uident faciem patris mei, qui est in cœlis. Deinde consideremus in pastoribus magnam uirtutẽ fidei. DOMINVS enim DEVS noster maiori affecit honore pastores illos abiectos, quàm omnes reges & principes terræ, eo quod illis primis natiuitatem unigeniti filii sui per angelum adnunciauit, & eos ad uidendum ipsum in præsepio iacentem uocauit. Vicissim igitur honorant & ipsi DEVM, ac primum quidem, adhibent uerbo DEI fidem, quo honore non potest DEO quicquam gratius à nobis contingere. Deinde exhortantur se inuicem, (quod charitatis est) ut uocationem

Angelorum imago.

Angelorum discessus.

Cœlũ ibi ubi Deus.

Pastores honorati.

Dei sequantur, & saluatorem mundi quærant. Agite dum, inquiunt, trãseamus usq; Bethlehem, & uideamus hanc rem, quam Dominus nobis per angelum reue
» lauit: Nec mora, uenerunt festinantes, & inuenerũt Mariam, & Ioseph & infan
» tem positum in præsepio. Quis fidem horum pastorũ satis digne explicare pos
Pastorum fides cõmendatur. set? Verbo enĩ Dei tam fortiter credunt, ut relicto grege suo in agris, festinabundi Christum inquirant. Nec existimes, hanc profectionem mediocri eos periculo rerum suarum constitisse. Pascunt enim & custodiunt gregem ad alienos dominos pertinentem. Cum igitur ad inquirendum Christum, gregem relinquunt, hoc discrimen subeunt, q; si interim gregem amisissent, necesse habuissent dominis pro eo, uel tota substãtia sua, ut erant pauperes, uel perpetua seruitute satisfacere. Itaq; periculo exponunt ob Christum, omnes res, & corpora sua. Sed bene habet: Deus qui ad pericula uocat, seruat quoq; periclitantẽ, & maioribus eum beneficiis afficit. Hi enĩ pastores, dum obsequunt, cum periculo amittẽdi gregis sui, uocationi Dei, non solum seruant gregem incolumem, sed etiam inueniunt Messiam, hoc est, inueniũt summam iusticiam & fœlicitatem. Finge eos metu amittendi gregis, Christum ex uocatione Dei non inquisiuisse, num igitur hac ratione rebus suis probe consuluissent? Minime gentium. Quia enim non secuti essent uocationem Dei, profecto & ipsi & grex maledictioni obnoxii facti fuissent. Dicit enim scriptura: Si audire nolueris uocẽ Domini tui, maledictus eris in agro, maledicta erunt armenta boum tuorum, & greges ouium tuarum. Et si, ut Christus ait, perditurus est animam, qui contra uocationem Dei inuenerit eam, quãto magis amissurus est gregem suum, qui contra uocationem Dei seruat eum. Sed alia quoq; re declarant hi pastores magnitudinem fidei suæ. Non enim offenduntur parentum Christi uilitate, non hospitii humilitate, non præsepis contemptu, quo minus hũc puerum, Messiam agnoscant. Superbi Pharisæi non dignati fuissent, talem & tam miserũ puerum in præsepio iacentem, & panniculis inuolutum, humanis oculis aspicere, nedum ipsum longe positum quærere, & inuentum pro Messia uenerari. At quia pastores intendũt oculos suos potius in uerbum Dei ab angelo annunciatũ, quàm in externas rerum species, ideo credunt hic in præsepio iacentem, summam potentiam, iusticiam, sanctificationem, & redẽptionem. Atq; hoc est opus, quod ab oculis huius mundi absconditũ est, quod nullus principum huius seculi cognouit, sed reuelatum est pastoribus. Vnde & Christus: Gratias, inquit, ago tibi Pater cœli & terræ, q; absconderis hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelaris ea paruulis, certe Pater, sic fuit bona uoluntas apud te. Monent igitur nos hi pastores ut habentes uerbum & uocationem Dei, nõ sinamus nos à fide uerbi & sectãda uocatione diuina, neq; periculis quantumuis grauibus, neq; offendiculis depelli, sed ut perseueremus in constanti obedientia, plenissime scientes, nos id quod iuxta uerbum Dei ex fide sequimur, certo consecuturos esse. Iam uero uideamus quid in
» uento Christo pastores agant. Videntes autem (inquit) notum fecerunt uerbũ,
» quod dictum erat illis de puero hoc. Et oẽs, qui audierũt, mirati sunt de his quæ dicta erant a pastoribus ad ipsos. Maria autem conseruabat omnia uerba hæc, conferens in corde suo. Et reuersi sunt pastores, glorificantes & laudãtes Deum, in omnibus quæ audierant & uiderant, sicut dictum est ad illos. Pastores maxima beneficia Dei acceperunt. Primum enim audierunt angelum concionantem de natiuitate Christi. Deinde uiderunt & audierunt multitudinem angelorum gestientium ac laudantium Deum. Postremo inuenerunt Christum, hoc est, suam ipsorum iusticiam, sanctitatem, salutem, redemptionem & fœlicitatem. Quas ergo gratias

referunt

referunt Deo pro tantis beneficiis? Primum quidem in gratiarũ actionẽ diuulgãt & prædicant omnia quæ audierũt ac uiderunt, & ubique adnunciát gloriá & laudẽ Dei, hoc eſt, cõmendant in gẽtem clementiã & miſericordiam Dei, q̃ Deus ipſos non cõtemplerit, ſed reuelauerit eis Chriſtum, & q̃ Chriſtus uenerit in hunc mundum, & factus ſit homo, ut quotquot in ipſum crederent, haberent uitam æternam. Non eſt aũt acceptior Deo gratiarũ actio, q̃ cõmendatio noſtri ſui, non eſt gratius Deo ſacrificiũ, q̃ laus miſericordiæ & clemẽtiæ eius. Non in ſacrificiis tuis, inquit, arguã te, non accipiam de domo tua uitulos, neq̃ de gregibus tuis hircos. Quid ergo accipies? Sequit: Immola Deo ſacrificiũ laudis, & redde altiſsimo uota tua. Et mox: Sacrificiũ laudis honorificabit me, & illic iter, quo oſtendam illi ſalutare Dei. Ac rurſus: Laudabo nomẽ Dei cum cãtico, & magnificabo eum in laude. Et placebit Deo ſuper uitulũ nouellũ, cornua producentẽ & ungulas. Sed quia de hac re ſupra in cantico Zachariæ & Mariæ plura diximus, ſuperuacaneum eſt hoc loco multa dicere. Deinde in hoc quoq̃ paſtores ſe gratos erga Deũ declarant, q̃ reuertanẽ inuento Chriſto ad gregẽ ſuum, & uocationi ſuæ diligenter ſeruiant. Non eñ uult Chriſtus, ut ſe inuento ignaui ociemur, ſed ut in ſua quiſq̃ uocatione ſectanda, Dominum Deum benefactorem noſtrum, tum uerbis, tum operibus uerbo Dei mandatis, glorificemus. Cæterum licebit etiam, ut ab his paſtoribus, quanquã rudibus, ciuilem honeſtatem diſcas. Sunt enim quidam adeo præcipites & loquaces, ut quamprimum audiuerint noua quædam, confeſtim priuſquam ea explorata ſint, in omnibus tonſtrinis, ueluti aborſus urgeret, & quæ audiuerunt, uentrẽ diſruptura eſſent, niſi ea euomuerint, ita feſtinabundi & anheli ſubinde aliis atq̃ aliis tanquam certiſsima obtrudunt & inculcant. At horum garrula futilitas paſtorũ exemplo reprehenditur. Paſtores enim audita natiuitate Chriſti, re non tam noua, quam expectatiſsima & maxime omnium admiranda, non continuo hinc inde ad diuulgandam hanc rem in urbibus Iudææ diſcurrunt, ſed principio de rebus uiſis & auditis inter ſe cõſultant, deinde, quod audiuerũt, explorant, poſtremo quod certiſsime cognouerunt, hoc poſtea iuxta uocationem Dei omnibus diuulgant. Diſcamus igitur exemplo horum paſtorum garrulitatem linguæ compeſcere, & non niſi compertiſsima & exploratiſsima adſeuerare. Sed quomodo audito res uerba paſtorum exceperunt? Alii quidem omnes (inquit) qui audierunt, mirati ſunt de his, quæ dicebantur à paſtoribus, Maria autem conſeruabat omnia uerba hæc, conferens in corde ſuo. Admirantur auditores nouitatem rei, ſed nullum legimus, talem fidem nuncio paſtorum adhibuiſſe, ut Meſsiam inquiſierit. Audierunt ea tanq̃ admiranda, non crediderunt tanq̃ ſalutifera: Sola Maria ita hæc admiratur, ut & fidem ſuam ex his confirmet. Nam ut antea in paſtoribus admirati ſumus ſimplicem fidem nullis offendiculis concuſſam, ita nunc in uirgine Maria modeſta fidei conſtantia commendanda eſt. Alia enim quæpiam mulier, aut ambitioſior, aut garrulior, cum antea ex angelo audiuiſſet filium ſuum ſuper ſolium Dauidis regnaturum, & nunc uidiſſet eum à paſtoribus tantum, uiliſsimo hominum genere, uiſitari, reputaſſet uocem angeli uanum fuiſſe commentum. Si enim uera eſſent quæ de puero dicta ſunt, non paſtores, ſed magnates & reges ipſum uiſitarent, & natalem eius magno gaudio celebrarent. Aut forte neſcio quas muliebres gloriolas de ſeipſa efflaſſet, & iactaſſet, quòd ipſa tanti pueri genitrix eſſet, quòd uirgo concepiſſet & peperiſſet eum. At nihil tale de uirgine modeſtiſsima audis.

Paſtorũ gratitudo.

Gratitudo Deo accepta, quæ?

Garrulitas arguitur.

Mariæ fides.

Ex omnibus enim iis, quæ circa puerum fiebant, tacita secum colligit certissima fidei suæ argumenta, optime gnara, quòd Dominus Deus noster opera sua admodum humiliter inchoet, honorificentissime autem peragat. Quare demus etiam nos operam, ut exemplo Mariæ conciones de Iesu Christo, & miracula, quæ de ipso è scriptura narrantur, in corde nostro conferamus, & fidem nostram confirmemus, quo ex fide iustificati, ueram salutem consequamur, per Iesum Christũ Dominũ nostrũ, qui est una cũ Patre & spiritu sancto Deus laudãdus in secula Amen.

HOMILIA XIIII.

POstquam cõsummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, uocatum est nomen eius Iesus, quod uocatũ est ab angelo, priusquã in utero conciperetur.

Paucissimis uerbis describit Lucas circumcisionẽ Dñi nostri Iesu Christi, sed hæc pauca magnum in gentium bonorum thesaurũ nobis ostentant. Quare uestris adiuti precibus explicabimus ea pro nostra mediocritate, ac primũ exponemus ipsam circumcisionis rationẽ in genere, deinde dicemus etiã de circumcisione Christi. Postremo adiiciemus quædam de nomine Iesu. Circumcisio igitur est auulsio præpucii, in signum fœderis, quod pepigit Deus cum Abraamo & semine eius. Quod ut melius intelligamus, uidendum est, quod sit pactum aut fœdus, quod Deus cum Abraamo & semine eius pepigit. De hoc autem fœdere, in Genesi capite decimo septimo ita scriptum est: Dixit Deus ad Abraam: Ego sum, & ponam pactum meum tecum, erisq; pater multarum gẽtium. Nec ultra uocabitur nomen tuum Abram, sed appellaberis Abraam, quia patrem multarum gentium constitui te, faciamq; te crescere uehementissime, & ponam te in gentes, reges quoque ex te egredientur. Et statuam pactum meum inter me & te, & inter semen tuum post te in generationibus suis fœdere sempiterno, ut sim Deus tuus & seminis tui post te. Daboq; tibi & semini tuo post te terrã peregrinatiõis tuæ, & omnem terram Canaan in possessionem æternam, eroq; Deus eorum. Et hoc pactum Dei aliàs aliter explicatur. In capite decimo Geneseos ita dicitur: Faciam te in gentem magnam, & benedicam tibi & magnificabo nomen tuum, erisq; benedictus. Benedicam benedicentibus tibi & maledicam maledicentibus tibi, atq; in te benedicentur uniuersæ nationes terræ. In capite decimo tercio dicitur: Omnem terram quam conspicis, tibi dabo & semini tuo usq; in sempiternum, faciamq; semen tuum sicut puluerẽ terræ. In capite decimo quinto dicitur: Suspice cœlum & numera stellas si potes. Et dixit ei: Sic erit semen tuum. In capite uicesimo secundo: Per memetipsum iuraui, dicit Dominus, quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito propterme, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, & uelut arenam quæ est in littore maris. Possidebit semen tuũ portas inimicorum suorum, & BENEDICENTVR IN SEMINE TVO OMNES GENTES TERRAE. Habes fœdus aut pactũ Dei cum Abraamo, quod ut significantius nobis ob oculos ponatur, digeremus in capita seu articulos. Primus igitur pacti articulus est, ꝙ Deus uelit nomen Abraæ magnificare & gloriosum reddere. Secundus articulus, ꝙ Deus constituat Abraamum patrem multarum gentium. Tertius, ꝙ Deus uelit semen Abraæ multiplicare sicut stellas cœli, puluerem terræ & arenam maris. Quartus, ꝙ Deus uelit semini Abraæ

Circumcisio quid?

Pactũ Dei cũ Abraamo.

Pactum Dei cũ Abraamo in capita digestum.

trad:

æ tradere terram Canaan in perpetuam possessionem, nimirum donec externũ semen Abraæ propriam politiam & Remp. in hoc orbe habuerit, & pro populo reputatum fuerit. Ad hunc articulũ pertinẽt & alii, in quibus promittitur Abraæ, ꝙ Deus uelit dare Abraamo ex semine suo reges, & uelit posteris eius dare uictoriã super hostes suos ac portas inimicoꝝ suorũ. Hæc eñ omnia requiruntur ad conseruationem externæ politiæ & ciuilis Reip. Quintus articulus, qui & præcipuus est, ꝙ Deus uelit Abraamo dare semen, in quo omnes gentes benedicendæ sint. Hoc autem semen est Christus Iesus. Sextus, ꝙ Deus uelit omnes illos benedicere, hoc est, reputare iustos, & reddere fœlices, qui sunt ex fide Abraæ, hoc est, qui credunt in semen Abraæ Iesum Christũ, sicut Abraam credidit. Septimus, qui est summa & caput omnium articulorum pacti, ꝙ Deus uelit esse Deus Abraæ & seminis eius, primum quidẽ corporalis, quod ab Abraamo per Isaacum descendit, deinde & spiritualis seminis, quod est ex fide Iesu Christi filii Abraæ. Hic septimus articulus cõprehendit in se non tantum priores, sed etiam multos alios articulos. His eñ paucis uerbis, quæ Deus ad Abraamum dicit: Ego ero Deus tuus, & seminis tui post te, promittit Deus omnibus qui huic pacto fidem adhibent, sicut Abraam adhibuit, primũ, si qs ægritudine corporali affectus fuerit, ꝙ Deus uelit esse Deus eius, & curare ægritudinẽ eius. Deinde si qs pauptate premat, ꝙ Deus uelit esse Deus eius, & in pauptate eũ adiuuare. Adhæc, si quis ab aliis contẽptus, & cõuiciis, cõtumeliis, iniuriis, probro aut dedecore affectus fuerit, ꝙ Deus uelit esse Deus eius, & contemptũ in honorem, conuicia in laudem, probra in gloriã uertere. Præterea, si quis in exiliũ fuerit electus, ꝙ Deus uelit esse Deus eius, & ipsum in exilio saluũ cõseruare. Deinceps, si quem peccata turbent, ꝙ Deus uelit esse Deus eius, & peccata per semen Abraæ Iesum Christum remittere. Insuper, si cui mors ob oculos ponatur, ꝙ Deus uelit esse Deus eius, & ipsum in morte incolumẽ seruare. His adde, si quis doloribus inferni comprehẽdatur, ꝙ Deus uelit esse Deus eius, & ipsum è doloribus inferni liberare. Breuiter, Deus promittens se Deũ fore Abraæ & seminis eius, promittit credentibus omnia cœlestia & diuina beneficia, tam in hoc seculo quàm in futuro. Nam si ego pergerem totam huius pacti sententiam explicare, necesse haberem omnes promissiones & omnia Euangelia, quæ in tota sacra scriptura continentur, commemorare. Ea enim omnia non sunt nisi huius pacti expositio & explicatio. Atq; hoc quidem pactum, principio nudis tantum uerbis inter Deum & Abraamum iactabatur. Postea autem, quo firmius ac certius redderetur, adiecit ei Dominus Deus noster circumcisionem præpucii, ut esset huius pacti signaculum. Et ait: Circumcidetur ex uobis omne masculinum, circumcidetis autem carnẽ præpucii uestri, hoc sit signũ fœderis inter me & uos. Omne, inquam, masculinũ octo dierum circumcidetur inter uos, in generationibus uestris, tam uernaculus quam empticius circumcidetur, & quicunq; non fuerit de stirpe uestra. Eritq; pactum meum in carne uestra in fœdus æternum. Etenim, quemadmodũ in contractibus, pactis & testamentis ciuilibus, primũ quidẽ literæ à notariis conscribuntur, in quibus articuli conuentionis & pacti ex ordine recitantur, deinde, quo maior his literis fides adhibeatur, solent honestorum uiroꝝ sigillis muniri ac consignari, ut quisquis notas sigilloꝝ uideat, certus fiat de pacto in literis comprehenso: Ita Dominus Deus noster tale pactum, quale supra cõmemorauimus, cum Abraamo & semine eius initurus, primum quidem tractauit illud cum Abraamo reuelationibus & colloquiis. Deinde, quo id, quod in mutuis colloquiis sæpe tractatum & definitum erat, confirmaretur, addidit circumcisionem, tanq; certissimum pacti

Pacti diuini cum Abraamo sententia.

Testamentorum ciuilium commemoratio.

signaculum,& testimonium. Sed quid hoc? inquies: Circumcisione præpucii nihil potest dici aut stultius aut magis ridiculum,quid igitur sibi uult Deus,q hoc signum pacto suo affigat? An non potuit inuenire magis præclara & conspicua signa? Cur non iussit Deus unicuiq Israelitæ pro signo pacti in quauis manu sex aut septem digitos crescere? aut cur non addidit aliud quoddam admirabile signum humano corpori,quo conspicuum foret,hoc signum diuini fœderis signum esse? Sed audi tu uicissim, Dominum Deum nostrum prudentissimo consilio eligere puerilia, stulta, & ridicula. Primum, ut sapientiam huius seculi pudefaciat, & suam sapientiam commendet. Etenim homines huius seculi, quamuis sapientes, stultissime tamen sapientissima quæq opera Dei tractant. Contra autem, Dominus Deus noster tantæ est sapientiæ,ut etiam stultissima sapientissime tractet. Quanto igitur excellit sapientia Dei,sapientiam hominum? Deinde, ut nos assuefaciat iudicare de operibus eius, non secundum externam speciem, sed secundum uerbum eius. Tametsi enim opera Dei,siue ea sint signa, siue res uerbo eius mandatæ, uideantur in speciem abiectissima, tamen si considerentur & comprehendantur iuxta institutionem,mandatum, ac uerbum eius, nihil potest ipsis aut diuinius aut admirabilius dici. Quid contemptius,quam pauxillum aquæ? at si illud pauxillum aquæ uerbo Domini ad baptismum assumatur, abluit credentem à peccatis suis, id quod nulla alioqui humana potentia efficere potest. Quid inefficacius frustulo panis, & una & altera guttula uini? at illa in cœna Domini in corpus & sanguinẽ Christi consecrata,animam pascunt, quam nulla alioqui creatura pascere potest. Atque hoc non de sacramentis tantum, sed etiam de aliis operibus uerbo Domini mandatis aut prohibitis,sentiendum est. Nonne esus pomi res est admodum puerilis? Sed uerbo Domini in hunc usum consecratus erat, ut Adam ex pomo uescens morte moreretur,non uescens autem immortali uita uiueret. Parum est, si proximum tuum uno aut altero obolo decipias, at non est parum, q Dominus uerbo suo illud prohibuerit, & deceptori pœnam maledictionis minatus sit. In his enim tam sacramentis, quam operibus non est iudicandum secundum speciem,sed secundum uerbum Domini,è quo sacramenta & opera autoritatem suam habent. Vnde & circumcisio apparet perse res ualde ridicula,sed qualecunq hoc signum uideatur,certe si consideres illud secundum instituentis uerbum & autoritatẽ,ac secundum efficaciam suam,quam in credẽtibus operatum est, iudicabitur sapientissimum & diuinissimum. Etenim principes huius seculi solent literis pactoq & fœderum suorum præclarissima & magnificentissima sigilla appendere, in quibus uel sexcentaq regionum imagines exculptæ sunt,sæpenumero tamẽ fallũt,& possessorẽ literarũ uacuũ dimittunt. At Deus appendit pacto suo stultũ & ridiculum signum,nullus tamẽ unquã,qui pacto fidẽ adhibuit, hoc signo falsus est. Non fefellit hoc signũ Abraamũ,non Isaacũ,non Iacobũ,non Iosephũ, non Mosen,non Dauidẽ,non Prophetas: Sed hi omnes,quia crediderũt pacto Dei,circũcisione cõfirmati sunt,& perpetuã salutẽ adepti sunt. Nam q multi alii circũcisione signati perierint,non ideo sentiendũ est,signũ esse uanũ, sed imputandũ est ipsoq incredulitati,q gestãtes signũ pacti,nullã fidẽ uerbis pacti adhibuerint, sed pactũ ipsum impietate sua irritũ fecerint, ac illũ abiecerint, qui dixit: Ego ero Deus uester. Esse aũt circũcisione signatũ, & pacto nõ credere,pinde est, ac si quis literas annui reddit9 dilaceraret,& sigillũ cõseruaret illæsum,q d obsecro,pdesset ei sigillũ literis cõscissis? Ita q pacto nõ credũt, è signo nullã capiũt utilitatẽ. At querbis pacti fidẽ adhibebãt,his circũcisio,q̃ est signũ pacti,maxima erat fidei suæ cõfirmatio,

Stulta eligit Deus.

Opera Dei non secũdum externã speciem sed secundũ uerbũ Dei iudicanda.

Aqua baptismi.

Panis cœnæ Dominicæ.

Circũcisio p se ridicula.

& in omni

& in omnibus aduersis atq; afflictionibus consolatio. Ex his nunc manifestissime apparet, in quem usum Dominus Deus noster circumcisionem in carnali progenie Abraæ instituerit. Et quia ex his illustratur etiam usus nostrorũ sacramentorum, baptismi uidelicet ac cœnæ dominicæ, non pigebit usum circumcisionis paulo pluribus indicare. Primum enim circumcisio non fuit instituta, ut esset tantũ nota, qua Iudæi a gentibus distinguerentur. Ex institutione quidem circumcisionis hoc secutum est, q̃ Iudæi hoc signo a gentibus distincti sunt, attamen hæc distinctio non est principalis usus, nec præcipua causa institutionis circumcisionis. Sic etiam baptismus & cœna dominica discernunt Christianum a Iudæo & Turca, hic tamen non est præcipuus usus eorum. Deinde circumcisio non est instituta, ut significaret tantum spiritualem circumcisionem. A c recte quidem sentiunt, qui docent externam circumcisionẽ significare, q̃ debeamus circumcidere omnia carnalia desyderia, & omnem naturalem nostram concupiscentiam aduersus legem Dei. Sic enim & Mose interpretatur circumcisionem dicens: Circumcidet Dñs Deus tuus cor tuum, & cor seminis tui, ut diligas Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua. Et Ieremias: Circumcidimini Domino, & auferte præputia cordium uestrorum, ne forte egrediatur ut ignis, indignatio mea. Ac Paulus: Circũcisi, inquit, estis circumcisione, quæ fit sine manibus, dum exuistis corpus peccatorum carnis per circumcisionem Christi. Etenim, sicut Iudæi unum membrum corporis circumciderunt, ita pii omnia membra sua circumcidere debent. Nam apud Matthæum capite quinto dicitur: Si oculus tuus dexter obstaculo tibi fuerit, erue illum & abiice abs te. Et si dextera tua manus obstiterit tibi, amputa eam, & proiice abs te. Expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, ac non totum corpus tuum coniiciatur in gehennam. Et capite decimo octauo: Quod si manus tua uel pes tuus obstaculo est tibi, abscinde eum & proice abs te. Bonum est tibi ad uitam ingredi claudum aut mutilum, potius quam duas manus uel duos pedes habentem, mitti in ignem æternũ. Quod de oculis, manibus & pedibus dicitur, hoc etiam de ore, lingua, labiis, auribus, adeoque omnibus membris humani corporis intelligendum est, ea uidelicet circumcidenda esse, ne fiant organa, quibus peccata perpetremus. Sed qua parte, & quo gladio aut cultro concidenda sunt? num ea pars quæ extrinsecus uisibiliter extat, gladio corporali ita detruncanda est, ut eam à corpore in caluariam proiiciamus? Absit. Nemo enim corpori suo talem iniuriam inferre, nec suiipsius carnifex esse debet. Sed concidenda sunt ea parte, qua uires ad peccandum accipiunt. Accipiunt autem uires peccãdi à corde. Cor enim est capitalis ille nequam, è quo omnium malorum lerna exoritur. E corde, inquit Christus, exeũt cogitationes malæ, cædes, adulteria, stupra, falsa testimonia, furta, conuicia, hæc sunt quæ impurant hominem. Et Ieremias: Prauum est cor hominis & inscrutabile. Itaq; circumciso corde, omnia alia membra circumcisa erunt, & corde mutilato, erunt & omnia alia membra ad peccandum mutila. Sed quo gladio debet hæc circumcisio cordis fieri? Certe nihil effices, si externo gladio profunda cordis effodias. Sic uitam ei corporalem auferes, impietatem & malitiam nõ auferes. Proinde ad circumcidendũ cor, distringẽdus est gladius spiritus, qui est prædicatio Euangelii de Iesu Christo, quod is satisfecerit pro peccatis nostris, & placauerit nobis patrem. Si quis ergo hanc prædicationẽ de Christo in corde suo fide exceperit, huic primum non imputabũtur peccata, sed reputabitur iustus propter Christum, deinde dabitur ei spiritus sanctus, cuius uirtute fit, ut reliquiæ peccati non regnent in mortali suo corpore, sed ut membra

Circumcisionis utilitas.

Circumcisio cordis.

Circumcisio membrorum humanorum quomodo fiat?

Cor, sentina malorum.

sua accõmodet arma iusticiæ Deo. Atque hæc quidem est circumcisio spiritualis quam, ut diximus, adumbrat externa circumcisio Iudæorum, attamen hæc externa circumcisio, non est potissimum ob hanc caussam instituta, ut adumbret tantũ piritualem circumcisionem. Sic & baptismus significat quidem mortificationem & uiuificationem, & cœna dominica significat mutuam inter nos charitatem, hæc tamẽ significatio non est præcipua caussa institutionis eorum. Postremo, circumcisio non est instituta, ut circumcisum ex opere, quod uocant, operato iustificet.

Circumcisionis abusus.

Pharisaica enim & impia opinio est, quòd opus & meritum circumcisionis iustificent. Ac fuerunt multi, qui uoluerunt credentibus in Christum, circumcisionem tanquam opus ad iustificationem necessarium, & tãquam meritum propter quod peccata remitterentur, ac pater placaretur, obtrudere: sed hæc opinio ex diametro cum fide in Iesum Christum pugnat, & Euangelion prorsus extinguit. Quare repudiata est ab Apostolis in cõcilio Hierosolymitano, quod in Actis Apostolicis capite decimo quinto scriptum est. Nec illic tantum repudiata est, uerumetiam repudiatur tota Euangelii prædicatione, quæ docet, quòd remissio peccatorũ, quæ est iusticia nostra, contingat nobis, nõ propter ulla merita operum, sed tãtum per fidem propter Iesum Christum. Sic & magna impietas est, sentire quòd baptismus institutus sit, ut propter meritum operis contingat ei qui baptizatur remissio peccatorum, etiam si nulla fide præditus sit. Non minor impietas est sentire, ꝙ cœna dominica instituta sit, ut sacrificulus ex opere operato Missæ mereatur non sibi solum, sed etiam omnibus aliis tam uiuis quàm mortuis, pro quibus sacrificat, remissionem peccatorum. Hoc enim est prorsus fidem conculcare, & Christum abnegare, ac opus Missæ in locum Christi substituere. Nullius enim operis ab homine operati, sed solius Iesu Christi meritum est, remissio peccatorum, & placatio patris qui est in cœlis. De qua re nũc non est dicendi locus. Proinde ad explicandam rationem circumcisionis redeamus. Reliquum autem est, ꝙ circũcisio ad hunc præcipueusum diuinitus instituta sit, ut sit certum signum uolũtatis diuinæ erga Israëlitas, & confirmatio fidei eorum, qui credebãt pacto Die cum Abraamo inito. Vnde scriptura dicit: Hoc sit signum fœderis inter me & uos. Non dicit, signum sit discriminis inter uos & gentes, sed signum fœderis inter me, me inquam, & uos. Ac Paulus ad Romanos scribens: Abraam, inquit, accepit signum circumcisionis, signaculum iusticiæ fidei, quæ fuerat in præpucio, hoc est, Abraamo & semini eius instituta est circũcisio, ut hoc signo conscientia credẽtis certificetur & confirmeť, ꝙ Deus uelit pactũ suũ seruare, & oẽs eos iustos reputare, qui credũt in semẽ Abraæ promissum, in quo oẽs gentes sint benedicendæ. Atque adeo tantũ abest, ut opus operatum circumcisionis merito suo iustificet circumcisum, ut potius ipsa circumcisio signaculum sit, nullum opus merito suo operantem iustificare, sed ꝙ iusticia, quæ est remissio peccatorum, contingat tantum per fidem, propter semẽ Abraæ promissum, qui est Iesus Christus Dominus noster. Vnde quoties pii inter Israelitas opprimebantur ab hostibus suis, & periclitabantur de internicione gentis suæ, reuocabant in memoriam signaculum circumcisionis, quo confirmabant fidem suam, ꝙ Deus uelit ipsos liberare ab hostibus, & gentem Israeliticam seruare. Sic Ionathas filius Saulis inuasurus Philistinos, recreabat fidem suam circumcisione, dicens ad armigerum suum: Veni transeamus ad stationem incircumcisorũ horum, si forte faciat Dominus pro nobis, quia non est Dño difficile saluare uel per multos uel per paucos. Sic Dauid pugnaturus aduersus Goliathem, fidem suam cõfirmabat circumcisione dicens: Quis est iste Philistæus incircumcisus, qui ausus est

Baptismi abusus.

Cœnæ dominicæ abusus.

Circumcisionis præcipuus usus.

Circumcisio confirmatio fidei.

maledi

maledicere exercitui Dei uiuentis? Adeoq; quotquot priuatim tentabant de peccatis, morte & perpetua damnatione, hi, si reuocabant circumcisionem suam in memoriam, erigebant fidem suam, & confortabant conscientiam suam, ac per signaculum circumcisionis certificabatur, q; Deus sit ipsis propicius, ac remittat eis peccata, ꝓpter pactū suū de semine Abraæ, ꝓmisso, & uelit eos seruare in morte, ne pereant, sed ut ꝑ mortē in ꝑpetuam fœlicitatē ingrediant. Hic fuit ꝑcipuus ac maxime obseruabilis usus circūcisionis apud Israelitas. Idē, prsus est principalis usus nostrorum, sacramentorum, baptismi, & cœnæ dominicæ. Non enim instituta sunt ad expiandum horum operum meritis peccata nostra, sed ut sint signacula iusticiæ fidei, & certa testimonia cōscientiæ, q; Deus uelit nobis propter Christum peccata remittere, per fidem, ac nos per fidem iustos reputare, & in omnibus afflictionibus seruare ad uitam sempiternam. Sed de ratione nostrorum sacramētorum alias plura. Et fortasis etiam de circūcisione plura nunc diximus, q̄ in hoc loco cōueniat. Sed quid facerem? Cum instituissem sermonem de circumcisione, consultius mihi uisum est, ut rationem eius aliquāto prolixius & rudius explicem, q; ut nimia breuitate obscurem. Quanquam ne sic quidem omnia, quæ de ratione circūcisionis dici possunt, exposuerim, attamen ea quæ dicta sunt, hoc tempore sufficere uidentur. Cum igitur circumcisio in genere sic sese habeat, uideamus nunc circūcisionem Domini nostri Iesu Christi. Ac principio admirabitur fortasis quispiā, qui fiat, q; Christus passus sit se circūcidi, nō tam ob hanc causſam, q; Christus minime indiguerit signaculo circumcisionis, quippe qui est ipsamet iusticia, sanctificatio & redemptio, quàm quod Paulus scribat, Christum & circumcisionem minime conuenire: Ecce, inquiēs, ego Paulus dico uobis, q; si circumcidamini, Christus nihil uobis proderit. Nemo autem hoc dicat: Christus puer fuit, & nescisse quomodo parentes ipsius tractauerint ipsum. Etenim puer quidem fuit, & conditiones puerorum in se habuit, in hoc tamen puero inhabitauit omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Quare non est sentiendum, q; præter dispensationem & ordinationem eius, aliquid de ipso actum sit. Ergo quia circūcisus est, sua uoluntate & ordinatione circumcisus est. Quid igitur dicemus? Primum obseruandum est, q; cum Paulus scribat, Christum his, qui circumciduntur, nihil prodesse, non loquitur de ipso circumcisionis opere, & legitimo eius usu, sed de abusu & impia opinione, qua circumcisio à pseudoapostolis & hypocritis exigebatur. Hi enim exigebant circumcisionem, tanq̄ opus, propter cuius meritum & dignitatem Deus placaretur, & remitteret peccata, quemadmodū etiā antea diximus. At hæc opinio prorsus est impia, & ex diametro pugnat aduersus Christum. Vnde, postq̄ Paulus dixit: Si circūcidamini, Christus uobis nihil proderit, ut manifeste declararet se loqui de impia opinione in exigenda aut assumenda circumcisione, diserte addit: Christus uobis factus est ociosus, quicunq; per legem iustificamini, à gratia excidistis. Iuxta hanc igitur opinionem, q; opus circumcisionis merito suo hominem iustificet, circumcisio & Christus haudquaq̄ conueniunt. Alioqui aūt multis nominibus optime conueniunt, id quod tunc cognobile fiet, si commemoremus causſas, propter quas Christus circumcisus est. Principio igitur circūcisus est Christus, ut testimonio suo comprobaret ueterem legem diuinitus institutam, ac in suo genere & tempore bonam esse. Deinde, ut omnes ad obedientiam in rebus externis & ciuilibus suo exemplo inuitaret, etiāsi obedientiam iure non debeant. Christus enim nihil debuit obedientiæ legis de circumcisione, maluit tamen circumcidi, q̄ publicam ordinationem turbare. Sed hæ sunt accessoriæ causſæ, ꝓpter quas

Baptismi & cœnæ dominicæ præcipuus usus.

Circumcisus Christus quare.

Circumcisio euacuat Christum.

Christus circumcisus est. Maxima aũt oĩm & præcipua causa ea est, quam tradit Apostolus Paulus ad Galatas ita scribens: Vbi uenit plenitudo tẽporis, emisit Deus filiũ suum, factũ ex muliere, factum legi obnoxium. Propter quam causſam: Sequitur: Vt eos qui legi erãt obnoxii redimeret, ut adoptione ius filioꝝ acciperemus. Legi aũt obnoxiũ esse, est iuri legis obnoxiũ esse. Porro ius legis est, ꝙ obliget omnes hoies ad seruandam legẽ, & maledicat ac condemnet omnes eos, qui præuari canẽ legem. At nullus est hoim, etiam sanctissimorum, qui toti legi plene satisfecerit. Fuerunt quidem multi, qui honestã uitam in hoc seculo duxerunt, nullus aũt fuit, qui legem Dei omnino impleuerit. Lex enim est spiritualis, & requirit nõ solum opera extrinsecus sancta, sed etiã ipsam operatoris personam sanctam, & ab omnibus peccatorum sordibus puram ac mundã. Nos aũt omnes sumus carnales, in peccatis concepti & nati, & sub peccatũ uenditi. Quanq̃ enim, qui in Christũ credunt, consequunẽ spiritũ sanctum per fidem, tamẽ remanent adhuc in credente reliquiæ carnis, quæ faciunt, ut nec credentiũ in Christum opera sint satis sancta, aut legem Dei perfecte impleant. Quare lex hoc ius habet in oẽs homines, ꝙ cõdemnet eos, & æternis maledictionibus ac cruciatibus ipsos tradat. Quo iugo, quo onere, quid potest dici grauius, quid intolerabilius: Sed bene habet, Iesus Christus uenit in hunc mundum, & subiecit se obedientiæ legis, per circumcisionẽ, (Qui enĩ circumcidiẽ, ut Paulus ait, debitor est totius legis seruãdæ) ac impleuit legem perfectissime, ut quotquot in ipsum crederent, ab hoc durissimo legis iure per ipsum redimerentur, ut lex non amplius habeat ius maledicendi & damnandi eos. Lex enĩ requirit perfectam iusticiam & sanctitatem. Qui aũt credũt in Christum, his nõ imputanẽ peccata, sed reputãtur iusti & sancti per fidẽ propter Christũ. Qui aũt reputanẽ iusti & sancti, hi iam habent quod lex requirit, iusticiam uidelicet, & sanctitatẽ, habent aũt illud non ex opeꝝ suorum meritis, sed per fidẽ ꝓpter Christũ, qui de peccato condẽnauit peccatũ per carnẽ, ut iustificatio legis impleretẽ in nobis, & qui est finis legis ad iustificationẽ omni credenti. Itaq; lex iam nullũ habet ius dãnandi eos, qui habẽt remissionẽ peccatorum in Christo Iesu Dño nostro. Vnde & Paulus ad Galatas scribens: Christus, inquit, redemit nos à maledictione legis, dũ pro nobis factus est maledictio. Nihil igitur iucũdius, nihil gratius, nihil magis salutiferum conscientiæ propter peccatum & mortẽ territæ atq; afflictæ narrari potest, quãm ꝙ Christus Iesus in tantũ sese humiliauerit, ut obediẽtiæ totius legis per circumcisionẽ sese subiecerit. Quid enĩ diceres: Non in totũ circũcisus sum corde, nec habeo cor, prsus à peccatis puꝝ, moriar ergo & perpetuo condẽnabor? Nam Christus ideo circũcisus est, ut tu haberes in ipso remissionẽ eorũ etiam peccatoꝝ, à quibus cor tuũ nondum est purificatũ. Aut quid obstreperes: Nunq̃ legi Dei pfecte satisfeci, imo magnis flagiciis, & atrocibus sceleribus legem Dei uiolaui, obiici ar igitẽ sempiternis cruciatibus? Nam Christus ideo per circũcisionem legi Dei se subiecit, ut obediẽtia sua expiaret peccata tua, & placaret tibi patrẽ qui est in cœlis. Habes q dutilitatis nobis afferat circũcisio Christi. Nunc postremo de noie Iesu dicemus, de quo, quoniã antea quoq; diximus, nunc breuiores erimus. Vocatũ est, inquit Euangelista, nomen eius Iesus, quod uocatum erat ab angelo, priusquam in utero conciperetur. Sic enim angelus supra ad Mariam dixit: Vocabis nomen eius Iesum. Et in Matthæo addit causam huius nominis: Ipse enim, inquit, saluum faciet populum suum à peccatis suis. Nam quem Hebræi Iesum uocãt eũ nos nostra lingua saluatorẽ uocamus. Fuerũt aũt & multi alii, q nomẽ Iesu, hoc est, saluatoris habuerũt. Nam & nomẽ Iosuæ, q duxit Israelitas p Iordanẽ in terrã Canaã, idẽ est cum noie Iesu. Filius quoq; Syrach, qui cõscripsit librũ, cui titulus est,

Legis ius.

Legis exactio.

Iesu nomen quid significet.

Eccleſi

Ecclesiasticus, Iesus uocatur. Et in Zacharia mentio fit Iesu, qui fuit sub Zerubabele sacerdos magnus. Iam & in libro Iudicum, Athniel, Ehud, & alii multi, saluatores dicuntur. Sed hoc nomen Iesu seu saluatoris, in nullum alium meliori iure competit, quàm in Christum Dominum nostrum. Alii enim, aut nomen sine re gesta runt, aut si multum fecerunt, liberauerunt populum suum ad aliquod tempus ab externis hostibus, & seruarũt eum aliquandiu tutũ à latronibus huius seculi. Solus autem Christus ita liberat & seruat populum suum, qui sunt credentes in ipsum, ut habeant perpetuam liberationem & salutem, non solum ab hostibus externis, sed etiã à spiritualibus astutiis in cœlestibus. Saluat enim Christus, quemadmodũ angelus ait, populum suũ à peccatis. Qui autem à peccatis saluatur, is quoq; à stipẽdiis & suppliciis peccatorum saluatur. Stipendia uero & supplicia peccatorum sunt, primũ, ira Dei, deinde omnes corporales afflictiones, uidelicet, bellum, pestis, grando, frigus, paupertas, infamia, morbi, captiuitates, seruitutes, & mors ipsa, postremo perpetua damnatio, & sempiternus cruciatus. Hæc sunt merita & stipẽdia peccatorum. Christus igitur saluans à peccatis, saluat quoq; ab ira Dei, & placat Deũ, adhæc seruat in omnibus afflictionibus, adeoq; per ipsam mortem ducit credentẽ ad perpetuam uitam & sempiternam fœlicitatem. Itaq; nomen Iesu, in nullũ aliũ, quàm in hunc Christum Dominum nostrum uere competere potest. Sed Christũ esse Iesum, hoc est, saluatorem, etiam impii hypocritæ inter Christianos ore suo cõfitentur. Sentiunt autẽ talem esse saluatorem, quòd eum tantum à peccatis saluet, qui pro peccatis suis satisfecerit, & meritis operum suorum remissionem peccatorũ impetrauerit. At hoc non est Christum uere Iesum seu saluatorem, sed tantum iudicem & condemnatorẽ confiteri. Nullus enim hominum est, qui possit operibus suis pro peccatis satisfacere, ac mereri remissionem peccatorum. Quicquid enim homo operatur, indiget remissione peccatorum. Nam, aut manifeste contra legẽ Dei peccat, & tunc certum est, opus illud indigere uenia, aut facit opus secundum legem Dei, tunc & ipsum, quia est imperfectum, nec ad plenum propter carnem nostram legi Dei satisfacit, necesse habet non imputari pro peccato. Cum ergo ita se res habeat de operibus hominum, qui fieri posset, q; cum ipsa sint corã Deo peccata, pro peccatis satisfacerent, ac peccata expiarent? Proinde, sentire quòd Christus tantum eos à peccatis saluet, qui meritis operum suorum pro peccatis satisfaciunt, est sentire, q; Christus nullum hominem saluet, & est prorsus è seruatore carnificem, è saluatore condemnatorem facere. Christus autem dixit: Non misit Deus filium suum in mundum, ut condemnet mundum, sed ut seruetur mundus per eũ. Itaq; Christus talis est saluator, quòd saluet populum suum, qui sunt credentes in ipsum, omnino gratis per fidem, & reputet eos iustos per fidem, absq; omnibus meritis operum, sed tantum propter suum ipsius sanguinem, quo placauit patrem, & meruit ac impetrauit nobis remissionem peccatorum. Gratia enim, inquit Paulus, estis seruati per fidem, idq; non ex uobis, Dei donum est, non ex operibus, ne quis glorietur. Non enim esset gratia, sed debitum, si esset ex meritis operum. Adhæc, necesse est, ut conscientia sit certa de remissione peccatorum. Vbi enim nõ est certitudo, ibi est dubitatio. Vbi autem est dubitatio, ibi in tentationibus mortis desperatur. Quæ autem salus desperatis? Oportet igitur conscientiam de remissione peccatorum, placato Deo certã esse. Non posset autem esse certa, si Christus non saluaret, nisi propter merita nostrorum operum. Aut enim nulla habemus merita, aut si aliqua uidemur habere, non sunt sufficientia, nec perfecta, & habent tantum gloriationẽ corã mũdo, nõ corã Deo. Proinde, ut cõsciẽtia de remissiõe peccatorũ

Christus, qualis sit saluator.

Opera hominũ omnia, indigent remissione peccatorum.

certa sit, necesse est, q̃ Christus sit gratuitus saluator, qui cum sit uerax & constans in promissionibus suis, non potest fieri, ut hi qui in ipsum credunt, fallantur. Hunc igitur Iesum, hoc est, saluatorem, obuiis, quod aiunt, ulnis excipiamus, & omnem fiduciam nostram in ipsum collocemus, ut per fidem iustificati, ueram salutem cõsequamur, in eodem Christo Iesu Domino nostro, qui est unà cũ Patre & Spiritu sancto Deus laudandus in secula Amen.

HOMILIA XV.

IN præcedenti Homilia diximus, Iesum Christum subiecisse sese per circumcisionem obedientiæ legis, ut nos à iure & tyrannide legis redimeret. Quod igitur magno nostro cõmodo inchoauit, hoc subinde magis ac magis peragit, donec totam nostram salutem absoluat. Itaq; post obediẽtiam, quam præstitit circumcisioni, subiicit etiam sese legibus, quæ de purgatione puerperaꝝ, & de oblatione primogenitoꝝ scriptæ

» sunt. Sic enim Lucas ait: Postquam impleti sunt dies purgationis eorum, secun
» dum legem Mosi, tulerunt illum in Hierusalem, ut sisterent eum Domino, sicut
» scriptum est in lege Domini: Omne masculinum adaperiens uuluam, sanctum Do
» mino uocabitur. Et ut darent hostiam, secundũ quod dictum est in lege Domini,
» par turturum, aut duos pullos columbarum. Duæ leges è ueteri testamento nobis in hoc loco proponuntur. Altera de purgatione puerperarum, altera de oblatione & sanctificatione primogeniti, quæ quanquam sint Leuiticæ, & nihil ad eos, qui non sunt sub lege Mosi, pertinere uideantur, tamen quia cõtinent in se multa, quæ faciunt ad illustrandum Christum, & ad formandos mores nostros, agite amicissimi, explicabimus eas, quantum nostro proposito satis est, & ostendemus quid nobis ex ipsis obseruandum sit. Prior itaque lex de puerperio scripta est in Leuitico, capite duodecimo, ubi sic legitur: Locutus est Dominus ad Mosen dicens: Loquere filiis Israel, & dices ad eos: Mulier si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit septem diebus iuxta dies separationis menstruæ, & die octauo circũcidetur infantulus, ipsa uero triginta tribus diebus manebit in sanguine purificationis suæ. Nihil sanctum tanget, nec ingredietur in sanctuarium, donec impleantur dies purgationis suæ. Si autem fœminam pepererit, immunda erit duabus hebdomadibus iuxta ritum fluxus menstrui, & sexaginta sex diebus manebit in sanguine purificationis suæ. Cumque expleti fuerint dies purificationis suæ, siue pro filio, siue pro filia, deferet agnum anniculum in holocaustum, & pullum columbæ siue turturẽ pro peccato, sacerdoti ad ostium tabernaculi testimonii, qui offeret illa coram Domino, & placabit pro ea, & sic mundabitur à profluuio sanguinis sui. Ista est lex parturientis masculũ siue fœminam. Quod si non inuenerit manus eius, nec potuerit offerre agnum, sumat duos turtures, uel duos pullos columbarum, unum in holocaustum, alterum pro peccato, placabitq; pro ea sacerdos, & sic mundabitur. Hactenus recensuimus legem de purgatione puerperarum, in qua prima facie duo præcipue inepta & absurda occurrunt. Prius illud est, q̃ puerpera tam immunda tempore puerperii sui reputat, ut non permittatur tangere aliquid sanctificatũ, nec ingredi in sanctuarium. An non matrimonium res est sancta & diuinitus instituta? nonne infans bona Dei creatura est? & ipsum puerperium bona Dei ordinatio est? cur igitur puerpera adeo immunda iudicatur, ut repellatur ab ingressu sanctuarii? Tolerabile esset hoc iudicium legis, nisi superstitiosi adiecissent his etiam impias opiniones.

Puerperii lex explicatur.

Puerperæ immundicia.

opiniones. Quia enim lex dicit: Nihil sanctum tanget, nec ingredietur in sanctuarium, sentiunt puerperas esse in potestate Satanæ, & excogitauerunt uaria remedia ad fugandum Satanam, uidelicet aspersiones aquæ benedictæ, incensiones luminum sanctificatorum, suffimenta herbarum consecratarum, & mirabiles multarũ crucium characteres. Alterum ineptum uidetur, q̃ pro purgatione iubet lex offerre agnum anniculũ, & pullum columbæ, siue turturem, aut duos pullos columbarum. Quid hæc animalcula ad purgationem facerent, quando ipsa non admodũ pura sint? Ad hæc igitur ex ordine respondebimus. Ac primum, alto iudicio considerandum est, q̃ hæc lex non sit humanum somnium, aut anilis fabula, sed diuinum dogma. Scriptura enim in eo loco ita præfatur: Locutus est Dominus ad Mosen. Vnde uidemus esse decretum & mandatum Domini Dei nostri. Quæ aũt Dominus decernit, ea certe sapientissima & rectissima sunt, etiamsi nobis stultissima & absurdissima uideantur. Quid enim stultum decerneret is, qui tantam orbis cœli & terræ molem & potenter creauit, & sapienter disposuit, & prudenter administrat? Accedit huc, quòd hoc decretum inuulgauit Deus populo suo, non per insanum quempiam aut stultum hominem, sed per Mosen, uirum in omni sapiẽtia diuina & humana clarissimum, ut planè & ob autorem, & ob ministrum necesse habeamus fateri, quòd hæc lex sapientissime lata sit. Itaque decernit lex, puerperam tantisper immundam, dum compleantur dies purgationis eius, non quòd his diebus puerpera sit in potestate Satanæ propter puerperium. Propter hoc enim potius est in protectione Dei, q̃ in potestate Satanæ. In Genesi enim capite tertio, ipsemet Dominus Deus noster affigit mulieres in crucem partus & puerperii, dicens: Multiplicabo ærumnas cum eris grauida. In dolore paries filios. Quos autem Deus in crucem suffigit, & quibus afflictiones imponit, his quoq; eo ipso auxilium suũ pollicetur, & humeros suos supponit ad sufferendam unà crucem. Mulieres igitur tempore partus & puerperii, potius sunt in potestate Dei q̃ Satanæ. Adhæc, apostolus Paulus in priori epistola ad Timotheum capite secundo scribens: Mulier, inquit, salua fiet per generationem liberorum, si manserit in fide ac dilectione & sanctificatione cum castitate. Si ergo generatio liberorum organon est, quo mulieres in fide manentes saluantur, quomodo puerperæ essent in potestate Satanæ? Et in eadem Epistola capite quinto ait: Volo iuniores uiduas nubere, liberos gignere, & domum administrare. Vides, q̃ liberos gignere, cõmemoretur inter officia mulierum. Si autem est officium mulieris, qui fieret, q̃ mulier propter officium suum potestati Satanæ traderetur? Absit igitur, ut puerperæ sentiant se propter puerperium in potestate Satanæ esse, sed sciant & credant, se eo magis esse in protectiõe Dei, quo grauiores sunt dolores partus, & quo ipsæ infirmiores sunt in puerperio. Hæc autem mulier uere sub potestate Satanæ esse dicenda est, quæ non credit, q̃ peccata eius per Christum remissa sunt, & quæ in peccatis manet, nec ab ipsis resipiscit. Homines enim traduntur Satanæ, non propter puerperiũ, sed propter peccatum: & qui propter peccatum traditi sunt Satanæ, hi non possunt expellere Satanam incensionibus luminum benedictorum, suffimentis herbarum consecratarum, aut aliis superstitionibus. Satan enim spiritus est, & non expellitur talibus corporalibus rebus, quæ non sunt uerbo Domini ad expellendũ Satanam ordinatæ. Qui enim non reputat fernum, (quemadmodum Satan in Iobe sub nomine Behemoth describitur,) & qui reputat æs quasi lignũ putridum, quẽ nõ fugat uir sagittarius, qui quasi stipulã æstimat malleũ, & deridet uibrantẽ hastã, quomodo is nõ derideret fumũ herbæ, & splendorẽ parui luminis? Habent quidẽ herbæ & luminæ

Puerperarũ superstitiones.

Puerpera nõ est in potestate Satanæ.

Puerperii sanctitas.

Satan non expellitur herbis.

uerbum Domini, q̃ sint bonæ Dei creaturæ, & in usum nostrum ciuilem sanctificatæ, sed non habent uerbum Dei, q̃ expellant Satanam, immo potius sic de ipsis sentiendum est, q̃ abutentes eis impia superstitione, aduocent magis q̃ expellant Satanam. Proinde si uere uoluetis Satanam expellere, expelle peccatum. Peccatum autem non nisi per fidem in Iesum Christum expellitur. Vbi autem est uera fides, ibi etiam fidei fructus, qui est obedientia erga legem Dei, sequitur. Optima igitur ratio expellendi Satanæ est, ut credas in Iesum Christum, q̃ propter ipsum habeas remissionem peccatorum, & ut ex fide uocationem Dei sectens & mandatis eius obedias. Atq; ita habes, puerperas non dici immundas coram Deo, q̃ sint ob puerperium in potestate Satanæ: Dicuntur autem immundæ, primum ciuiliter coram hominibus, q̃ his diebus, à publicis congregationibus, à grauibus laboribus, & quod coniugibus maxime obseruandum est, à congressu maritorum suorum, propter imbecillitatem corporis, & alias corporales abominationes, separatæ esse debeant. Itaq; immundæ reputantur non coram Deo, sed coram mũdo, & præcipue coram maritis suis. Maritis inquam, immundæ sunt puerperæ, non Deo. Vnde Dominus Deus noster grauissimam pœnam minatur his, qui sese hac immunditiatur piter coinquinant. Sic enim in Leuitico capite uicesimo scribitur: Qui dormierit cum muliere in fluxu menstruo, (reputatur autem & totum puerperii tempus pro fluxu menstruo) & reuelauerit turpitudinem eius, ipsaq; aperuerit fontem sanguinis sui, interficientur ambo de medio populi sui. Ad Iudæos, inquies, ista lex pertinuit, qui Mosen legislatorẽ suum agnouerunt, non ad Christianos, qui à lege Mosi per Euangelion liberati sunt. Fateor, Euangelion nos liberare à iure legis Mosi, non tamen permittit nobis, quiduis pro nostra libidine agere. Ac Euangelion non alligat quidem nos ad Leuiticas cærimonias Mosi, alligat autẽ nos ad obseruationem honestatis naturalis, & exigit à nobis legem naturæ, ac honestatem moꝝ ciuilium. Datur enim nobis per fidem in Christum spiritus sanctus. Spiritus sanctus autem non abolet legem naturæ, sed potius illustrat eam, & dat uires faciendi eam, quantum in hac carne possibile est. Non fert igitur Euangelion, ut quicquam sceleris aduersus legem naturæ designes. Naturæ autem nõ lex tantum, sed quæ est lege potentior, necessitas exigit, ut mulieres quæ partu laborauerunt, aliquot hebdomadibus à laboribus conquiescant, donec uires in partu concussas recuperent, ne si mox à partu laboriosis negociis sese ingerant, magnis incommodis tum se tum prolem afficiant. Et quia huic quieti, mos ac consuetudo, quæ in rebus ciuilibus pro lege habetur, sex aut septem plus minus hebdomades post partum definiit, ac naturalium rerum periti sentiunt, hoc temporis spacium, ad recuperandas uires in partu confractas (nisi fortasis alius morbus puerperæ, ut interdum fieri solet, acciderit) sufficiens esse, certe mulieres puerperæ huic consuetudini, non aliter quàm diuinæ ordinationi seruire debent. Adhæc ipsa hominum natura mẽstruam mulierum imbecillitatem horret, & hortatur maritos, ut hisce diebus habeant uxores suas inuiolatas. Quare, si qui hanc naturæ legem uiolant, non inter homines, sed inter immundissimas & fœdissimas sues computandi sunt, & quanq̃ nõ afficiantur publico supplicio, iuxta legem Mosi, grauissimis tamen maledictionibus Dominus Deus noster in ipsos, tanq̃ in prophanatores, & præuaricatores naturalis legis & honestatis animaduertet. Hactenus recensuimus priorem causam, propter quam puerperæ immundæ reputentur. Nunc addemus posteriorem. Dicuntur enim & immundæ propter significationem. Nam hac legis cærimonia significatur, omnes homines è uirili semine prognatos uere coram Deo immundos,

in peccatis

Satan quomodo expellatur.

Puerperarũ immũdicies.

In euangelio conceditur libertas, non licentia,

Puerperii tempus.

in peccatis conceptos & natos esse, ac uera spiritus sancti mundicia & puritate carere. Fuerunt enim cærimoniæ legis ueluti publicæ contiones de rebus diuinis, de fide, timore Dei, & charitate in proximum. Et aliæ quidem aliud concionatæ sunt. Hæc autem cærimonia de immundicia puerperarum concionatur nobis, qp simus natura filii iræ, & sub peccatum conclusi, nec possimus nostris naturalibus uiribus à peccato purificari. Hic enim legis scopus est, ut nos nobismetipsis ostẽdat, & peccata nostra ac immundiciã nobis ob oculos ponat. Quare non tantum uerbis sed etiam cærimoniis id agit, ut nos ipsos agnoscamus, & ab agnitiõe nostri, ad cognitionem & fidem Iesu Christi Domini nostri, per quem solum purgamur, perueniamus. Et hæc quidem de caussis immũdiciæ puerperarum dicere uoluimus. Nunc autem oblationes quoq; earum breuiter explicemus. Lex enim dicit: Cum expleti fuerint dies purificationis suæ, siue pro filio siue pro filia deferet agnum anniculũ in holocaustum, & pullum columbæ siue turturem pro peccato. Quod si non inuenerit manus eius, nec potuerit offerre agnum, sumat duos turtures uel duos pullos columbarum, unum in holocaustum, alterum pro peccato, placabitq; pro ea sacerdos, & sic mundabitur. Quid audio? Oblatus ne agnus & turtur, aut duo turtures placant Deum, & mundant mulierem offerentem? Si tam facile placatur Deus, & mundatur peccatrix, quid egemus Christo? At tu rem sic habeas: Primum, sicut immundicia puerperæ, non est nisi ciuilis immundicia, quemadmodum supra ostẽdimus, ita oblationes agni & turturis in lege Mosi, non sunt nisi ciuiles placatiões & satisfactiones. His eñ oblationibus & cærimoniis puerpera satisfecit Reip. suæ, ut iterum reciperetur in publicas hominum congregationes, & ad ciuilia sua negocia admitteretur. Sic oblationibus legalibus placatur non quidem Deo ad perpetuam salutem, sed ciuili Reip. peccans per ignorantiam. Sic placatur leprosus aut scabiosus, sic placatur, qui depositum abnegauerit & reddiderit, sic deniq; placant omnes, qui malo suo exemplo Reip. offendiculum præbebant, & in honestatem ciuilem peccabant. Hæ enim oblationes non satisfaciebant coram Deo pro peccatis, nec placabant Deum ad æternam salutem. Nunquid placari, inquit prophe ta, potest Dominus in millibus arietum, aut in multis millibus hircoꝝ pinguiũ? Et alius: Quò, inquit, mihi multitudinem uictimarum uestrarum? dicit Dominus. Sed satisfaciebant coram hominibus, & placabant eos, quibus cum præuaricator legis ciuilem consuetudinem agebat. Deinde erant quoq; sacrificia legis instituta, ad significationem, & admonitionem. Quanq̃ enim non satisfaciebant pro peccatis coram Deo, sed tantũ coram hominibus in ciuili republica, tamẽ significabant uerum illud & unicum propiciatorium sacrificium, quod est, mors Domini nostri Iesu Christi, & admonebant offerentes fidei suæ, qp futurum esset, ut semen Abraæ benedictum pro peccatis ipsorum offeratur, cuius solius sacrificio haberent remissionem peccatorum, & placatum patrem in cœlis. Agnus igitur pro puerpera in holocaustum oblatus, adumbrauit Iesum Christum, de quo Ioannes Baptista dixit: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Et puerpera agnum offerens, admonita est, qp Christus sit pro peccatis ipsius moriturus, & sacrificio suo peccata expiaturus. Idem quoq; significauit turtur aut pullus columbæ, in sacrificium pro peccato oblatus. Cæterum sacrificium turturis aut pulli columbæ, præter significationẽ & admonitionem fidei, continet etiam doctrinam morum, & format honestatem ciuilem. De turturibus. n. & columbis scribunt hi, qui sunt rerum naturalium periti, qp pudicitia illis prima sit, & ignota adulteria, coniugi fidem non uiolent, communemq; seruent domum, nisi celebs aut uidua, domum nõ relinquat, & imperiosos

Legis cærimoniæ, quid sint.

Legis scopus.

Puerperarũ oblationes.

Oblationes legis sunt ciuiles placationes.

Agnus adumbrat Christũ.

Turturis significatio.

Turturis natura.

mares, subinde etiam iniquos ferant. Amor utriq; sobolis æqualis. Parturiéti solatia & ministeria ex mare. Itaq; ut Mose coniuges non uerbis tantum sed & signis officii sui admoneret, iussit puerperam offerre, non perdicem, quæ oua sua frangit, non coccygem, qui parit in nidis alienis, & supponit ona alienis incubatoribus, sed turturem aut columbã, quæ sunt pudicitiæ, castitatis, & amoris cõiugalis symbola. Vnde sicut Salomon pigrum ad formicam remittit, ut discat ab ea sapientiã & laborem, ita Mose remittit mulieres è puerperio egredientes ad turturem & columbam, ut discant ex illis, non ideo sibi licere pudicitiam suam prostituere, quia egrediuntur puerperium, sed potius debere, ad agendas Deo gratias pro beneficiis in partu & puerperio concessis, pudicitiam sancte colere, & fidem coniugi seruare. Quanq; igitur post reuelatum Euangelion cessauerunt sacrificia legis, non tamen cessauerunt ea, quæ per sacrificia legis significata & adumbrata sunt. Atq; adeo ne cesse habent mulieres hoc tempore agnum & turturem pro more, non legis, sed Euangelii offerre, hoc est, credere in Iesum Christum, q; ipse pro peccatis earum satisfecerit, & placauerit patrem, deinde etiam sectari pudicitiam, & non uiolare fidẽ coniugi. Hæc.n. si fecerint, & coram Deo per fidem, & coram hominibus per castitatem, mundæ ac sanctæ reputabuntur. Hæc de lege puerperii dicta sufficiunt. Per

Primogenitorum lex.

gemus igitur ad explicandam alteram legem, quæ est de oblatione & sanctificatione primogenitorum. Hæc autem lex scripta est in Exodo capite decimo tertio. Cũ introduxerit te, inquit Mose, Dominus in terram Cananæi, sicut iurauit tibi & patribus tuis, & dederit tibi eam, separabis omne quod aperit uuluã Domino, & quod primitiuũ est in pecoribus tuis masculini sexus. Item capite tricesimo quarto: Omne quod aperit uuluam generis masculini, meum erit, de cunctis animantibus tam de bobus q̃ de ouibus. Et in Numeris capite octauo: Mea sunt omnia primogenita filiorum Israel, tam ex hominibus q̃ ex iumentis. Sed quomodo, inquies, hæc separatio & sanctificatio, aut oblatio primogenitorum facta est? Num filii primogeniti instar ouium & boum mactati ac sacrificati sunt? aut si superstites manserunt, & ad diuinum ministeriũ in tabernaculo ordinati sunt, quomodo potuit eos omnes tabernaculum capere? Certe quidam impie pii, ut rex Manasses, rex Moab, & alii, immolauerunt primogenitos suos, ad exemplum, ut prætexebant, Abraæ, & in honorem, sicuti putabant, Dei, sentientes se hoc opere peccata sua maxime omnium expiare, & Deum placare, de quibus Micheas ait: Nunquid dabo primogenitum meum pro scelere meo, fructum uentris mei pro peccato animæ meæ? Sed

Primogenitorum oblatio.

hac immolatione nihil fuit nec crudelius, neque magis impium. Obseruandum igitur est, q; Dominus non præcipiat hac lege primogenitos filios mactare & immolare, sed ita se res habuit: Omnes omnium tribuum primogeniti offerebantur in tabernaculum seu templum, sed ex illis soli primogeniti tribus Leui eligebant̃, & seruabantur ad ministerium in tabernaculo testimonii, primogeniti autem reliquarum tribuum redimebantur quinq; siclis argenti. Sic primogenita bouis, ouis, & capræ sacrificabantur. Animalia autem immunda redimebantur. In Numeris enim capite octauo ita scribitur: Separabis Leuitas de medio filiorum Israel, ut sint mei, & postea ingrediantur ut ministrent in tabernaculo testimonii. Sicq; purificabis & mouebis eos ad mouendam, quoniam dono donati sunt mihi à filiis Israel. Pro primogenitis enim quæ aperiunt omnẽ uuluam in Israel, accepi eos. Et mox: Tuli Leuitas pro cunctis primogenitis filiorum Israel. Et capite decimo octauo dicit Dominus ad Aaron: Quicquid primum erumpit è uulua cunctæ carnis, quod donant Dño, siue ex hominibus siue de pecoribus fuerit, tui iuris erit, ita dũtaxat,

ut hominis

ut hominis primogenitum redimatur, similiter & omne animal quod immundũ est, cuius redemptio erit post unum mensem, pro æstimata pecunia, nempe siclis argenti quinque, pondere sanctuarii. Siclus uiginti obolos habet. Primogenitum autem bouis & ouis & capræ non redimantur, quia sancta sunt. Habes cærimonias ac ritus legis de oblatione primogenitorũ. Videamus nunc causas, propter quas hæc lex instituta fuit. Primum igitur instituta est lex ista, ad reuocandum & retinẽdum in memoria miraculum de primogenitis in Aegypto æditum, & ad cõmonefaciendos Israelitas, ut gratias Deo agerent pro beneficio, quod primogenitis eorum in Aegypto admirabiliter contigit. Sic enim in Exodo capite decimotertio scribitur: Cum interrogauerit te filius tuus cras dicens: Quid est hoc? Respõdebis ei: Manu potenti eduxit nos Dominus de terra Aegypti, de domo seruitutis. Nã cum induratus esset Pharao, & nollet nos dimittere, occidit Dominus omne primogenitum in terrá Aegypti, à primogenito hominis usq; ad primogenitũ iumẽtorum. Idcirco sacrifico Domino omne quod aperit uuluam masculini sexus. Et omnia primogenita filiorum meorum redimo. Erit igitur quasi signum in manu tua, & quasi monimentum ante oculos tuos, q̃ manu potenti eduxerit uos Dominus de Aegypto. Ex his manifeste habes, oblationes legis non esse opera satisfactoria pro peccatis coram Deo, sed esse monimenta aut rerum admirabiliter à Deo gestarum, aut rerum per Christum gerendarum. Vbi autem homines harum rerũ admonentur, ibi eruditur de ira & seueritate Dei erga impios, & contra, de misericordia & clementia Dei erga pios seu credentes in ipsum. Vbi uero eruditur de ira & clementia Dei, ibi discunt timorem Dei, & pascunt ac confirmant fidem suam in Deum. Oblationes igitur primogenitorum, & aliæ id genus cærimoniæ legis, non fuerunt ociosa & uana spectacula, sed fuerunt utilia ad discendum timorem Dei, & confirmandam fidem erga Deum. Deinde instituta fuit hæc primogenitorum oblatio, ut his quasi redditibus & uectigalibus ordo sacerdotum aleretur, & ministerium ecclesiasticum conseruaretur. In distributione enim terræ Canaan, aliis oĩbus tribubus Israel suæ sortes in ea terra datæ sunt. Ad Aaroné aũt & Leuitas dicit: In terra eorũ nihil possidebitis nec habebitis partẽ inter eos. Ego pars & hæreditas tua in medio filiorum Israel. Itaq; ut Leuitæ & sacerdotes alerentur, ordinauit Dominus Leuitis decimas filiorum Israel, & sacerdotibus oblationes, & id genus alia. Sic enim in Numeris capite decimo octauo scribitur: Loquutus est Dominus ad Aaron: Ecce dedi tibi custodiam leuandæ meæ, nempe omnia quæ sanctificantur à filiis Israel, tibi tradidi pro officio sacerdotali, & filiis tuis iure perpetuo. Et mox: Omne anathema in filiis Israel tuum sit. Quicquid primum erumpit è uulua cunctæ carnis, quod donant Domino, siue ex hominibus siue de pecoribus fuerit, tui iuris erit, ita duntaxat, ut hominis primogenitum redimatur. Hoc, quanquam iuxta externam cærimoniam nihil ad Christianos pertinet, tamẽ admonet eos, ut ministros ecclesiæ, qui docent Euangelion, & administrant sacramenta, libe raliter adiuuent. Pollicetur enim Christus illis qui hoc fecerint magna præmia, & dicit: Quicunq; ad bibendum dederit uni ex pusillis his poculum aquæ frigidæ tãtum, nomine discipuli, amen dico uobis, non perditurus est mercedem suam. Et rursus: Quatenus fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Contrà minatur Dominus his, qui contemnunt ministros ecclesiæ, & fame eos tantum non perire sinunt, grauissima supplicia. In Aggeo enim capite primo dicitur: Quia domus mea, inquit Dominus, deserta est, & uos festinatis unusquisq; in domum suã, propter hoc super uos prohibiti sunt cœli ne darent rorem, & terra phibita est

Primogenitorũ lex in quẽ usum instituta.

Oblationes legis, monimenta diuinorum beneficiorũ.

Ministri ecclesiæ alantur.

ne daret germen ſuum. Et in Malachia capite quarto: Si affigit homo Deum, quia uos configitis me? Et dixiſtis: In quo configimus te? In decimis & in primiciis. Et in penuria uos maledicti eſtis, & me configitis gens tota. Inferte omnem decimam in horreum meum, ut ſit cibus in domo mea, & probate me ſuper hoc, dicit Dominus, ſi non aperuero uobis cataractas cœli, & effudero uobis benedictionẽ uſq; ad abundantiam. Poſtremo inſtituta fuit oblatio primogenitorum, ad ſignificandam & adumbrandã ueram oblationem & ſanctificationem Domini noſtri Ieſu Chriſti. Chriſtus enim multis nominibus primogenitus dicitur. Initio, primogenitus omnis creaturæ, ut Paulus ait. Deinde primogenitus matris ſuæ. Nouiſsime, primogenitus ex mortuis. Is autem primogenitus, non ſimpliciter Deo oblatus & ſanctificatus eſt, ſed eſt ſanctus filius Dei ab æterno, & eiuſdem cum Deo eſſentiæ, ac homo factus, peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius, adeoq; nihil in ipſo, niſi quod ſanctum ac diuinum eſt, reperias. Itaq; ad ſignificandum, q̃ is primogenitus ſolus uere ſanctus & Deo oblatus ſit, inſtituta eſt oblatio primogenitorũ in Iſrael. Cæterũ, quemadmodum Chriſtus hoc, q̃ ſit filius Dei, non ſibi ſoli reſeruat, ſed dat omnibus, qui in nomen ſuum credunt, poteſtatem filios Dei fieri, & quod ipſe iure naturæ habet, hoc dat credentibus, ut habeant iure adoptionis: ita hoc, q̃ ſit primogenitus, & habeat iura primogenituræ, non ſibi ſoli retinet, ſed cõmunicat quicquid id ſit, omnibus in ipſum credentibus, ut omnes fiant primogeniti, etiamſi alioqui ſint terciogeniti, aut quartogeniti. Nos enim natura omnes ſumus primogeniti Aegyptiorum, ſeu, ut ſignificantius dicam, primogeniti Satanæ, ad interitum deſcripti, ut ſimus propter peccatũ eidem internicioni obnoxii, cui primogenita Aegytiorum & filii diabolí. Chriſtus autem, quia factus eſt patri ſuo obediens uſque ad mortem crucis, redemit nos à primogenitura Satanæ, & tranſtulit nos in ius & hæreditatem filiorum Dei, ut, ſicut ipſe pro iure primogenituræ duplicem habet hæreditatem, regnum uidelicet ac ſacerdotium, ita nos per ipſum efficiamur reges, dominantes principi tenebrarum, & ſacerdotes, placantes Dominum Deum patrem noſtrum qui eſt in cœlis, per fidem propter Chriſtum. Vnde Apoſtolus ad Hebræos ſcribens: Acceſsiſtis, inquit, ad montem Zion, & ad ciuitatem Dei uiuentis, Hieruſalem cœleſtem, & ad innumerabilium angelorum cœtum, & ad contionem primogenitorum, qui conſcripti ſunt in cœlis. Ponamus igitur nobis in omnibus afflictionibus noſtris oboculos, ius illud primogenituræ, quod per Chriſtum habemus, & confirmemus fidem noſtram, ut certificemur, q̃ angelus exterminator nihil iuris in nos habeat, ſed q̃ ſanguis Ieſu Chriſti poſtibus cordis noſtri per fidem aſperſus, nos potentiſsime defendat, ac ex omnibus aduerſis eripiat. Habes interpretationem harum duarũ legum, quarũ Lucas in hac hiſtoria de purgatione Mariæ mentionem facit. Nunc ergo paucis mihi uide, in quantã legis ſeruitutem Dñs noſter Ieſus Chriſtus ſeſe coniecerit. Quanquã eñ mater eius uirgo pepererit, & ipſe ab æterno ſanctus, & in plenitudine temporis è ſpiritu ſancto cõceptus eſſet, tñ uoluit, ut mater eius quaſi cõceptu & partu ſordidata eſſet, dies purgatiõis à lege p̃ſcriptos, & oblationẽ puerperæ obſeruaret. Voluit p̃terea, ut ipſe adduceret in Hieruſalẽ, & corã Dño ſiſteret iuxta legẽ, q̃ſi ex impura Adami carne pgnatus eſſet, & nullã unq̃ ſanctitatẽ habuiſſet. Nõ pmiſit ſibi, ut parẽtes ſuos in offerẽdo ipſo arrogãter affaret: Heus, qd conamini, ut offerar Dño? En ego ipſe cœli & terræ Dñs ſum, nec ulla humana ſanctificatiõe indigeo. Nõ ſupbe ſacerdoté oblatiões purgatiõis accipientẽ corripuit: Quid tu ſtulte ſacrificule inſanis, q̃ p me purgatiõis munera accipis, quãdo ego ſim lõge oĩm puriſsim⁹ & ſanctiſsim⁹ ẽ

Chriſtus primogenitus.

Primogenitura Chriſti cõmunicatur credentibus.

Chriſti obedientia & humilitas.

Nihil

Nihil huiuscemodi arrogantium uerborum è Christo audis. Sed subiicit sese summa humilitate obedientiæ legis, nimirum ut exemplo suo erudiret nos, quo eundem affectum cum ipso induamus, ne quid fiat per contentionem, & inanem gloriam, sed per humilitatem animi, alium quisq; se præstantiorẽ existimemus, ne iua quisq; spectemus, sed quæ sunt aliorum, ut proximo placeamus in bonum ad ædificationem. Quid enim nobis arrogamus? quid cristas erigimus? En unigenitus filius Dei, qui nulla unq; sorde maculatus erat, opinionem tamen sordium non recusat, quo nostro commodo seruiret. Et nos adhuc audemus gloriari in diuitiis, sapientia, potentia, & aliis id genus nugis, qui tamen non sumus nisi puluis & cinis, nullo non sordiũ genere coinquinatiꝰ. Ac Christus, etsi habebat ius usurpãdæ diuinæ maiestatis, non tamen hoc ius persecutus est, sed fecit se, ut seruum, legi obedientẽ. Nos uero nullum cuiq; officium præstare solemus, nisi id ciuili iure debeamus, ac ne id quidem integre præstamus, sed hoc tñ quærimus, ut nobis ab aliis omnia officioꝝ genera exhibeantur. Quid igitur erit nobis? Profecto, quia tam arrogantes sumus, ut nullum cuiq; officium exhibeamus, nisi iure ciuili debitum, reliquũ erit, ut & Dñs Deus noster nihil nobis, nisi debitum præstiturus sit. Debet autem nobis infernum & perpetuam damnationẽ, propter peccata nostra. Hæc igit illi expectãda sunt, qui nihil cuiq; delictorũ remittit, nec ulli gratis seruit, sed in omnibus sum mũ suum ius, quod, iuxta uetus dictũ, summa est iniuria, persequit. Sed hoc minimũ est, q̃ Christus hoc legis obsequio exemplum humilitatis nobis exhibet. Maximũ autem est, q̃ hoc obsequio expiauerit impuritatem nostrã, & expurgauerit sordes nostras, ac placauerit nobis patrem qui est in cœlis. Quia enim ut sordidus infans in templum oblatus est, ideo impetrauit, ut quotquot in ipsum crederent, ab omnibus peccatorum sordibus ita purgarentur, ut etsi adhuc peccata sentirent, ea tñ remitterentur propter ipsum per fidem, & donaretur illis spiritus sanctus, qui facta carnis mortificaret. Excipiamus igitur hunc infantem obuia fide, ut à peccatis mũdati, salutem consequamur per ipsum Dominum nostrum Iesum Christum, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus laudandus in secula Amen.

Arrogantiæ malum.

Deus, quid hominibus debeat.

HOMILIA XVI.

EXplicuimus hesterno die duas leges, alteram de purgatiõe puerperarum, alteram de sanctificatione primogenitoꝝ. Ostendimus præterea, quas ob caussas Christus sese his legibus subiecerit. Nunc uidendum erit, quid Maria pro purgatione obtulerit. Hoc enim cognoscere, nec est curiosum, nec superuacaneum, sed ad confirmandam fidem nostram, & ad consolandũ nos in afflictionibus paupertatis ac penuriæ, maxime utile. Etenim in lege de purgatiõe puerperaꝝ duplex præscribit hostia, altera diuitibus, altera pauperibus. Deferet, inquit, agnũ anniculũ in holocaustũ, & pullum columbæ siue turturẽ pro peccato. Quod si uero nõ inuenerit manus eius, nec potuerit offerre agnũ, sumet duos turtures uel duos pullos columbarum, unũ in holocaustũ & alteꝝ pro peccato. Quid igit Maria obtulit? Num oblationẽ diuitũ, agnũ anniculũ? At nulla hic fit ab Euãgelista mentio agni, sed ait: Vt darẽt hostiã, secundũ quod dictũ est in lege Dñi, par turturuꝝ aut duos pullos colũbaꝝ. “ “

Equo manifestum fit, parentes Iesu, pauperũ munus obtulisse, nec potuisse præ inopia agnũ offerre. Quid ergo hoc sibi uult, q̃ cum Christus sit longe oĩm ditissimus, & oĩm diuinorũ bonorũ thesaurus, in extremã tamẽ paupertatẽ coniiciatur?

Maria obtulit munus pauperum.

In natiuitate eius inuoluitur panniculis, & reclinat in præsepi. Quid hæc sunt nisi paupertatis argumenta? Nunc in purgatione offerunt duo pulli columbarũ, quod & ipsum magnæ paupertatis indiciũ est. Postremo ipse quoq; extremã suã paupertatẽ ingenue fatet: Vulpes, inquiens, foueas habent, & uolucres cœli nidos, at filius hominis non habet ubi caput reclinet. Quid hac inopia indigentius? Sed nõ est q̃ sentias, Christũ graue paupertatis onus temere in sese suscepisse. Etenim, paupertas aut penuria stipendium & supplicium est peccati. Maledictus, inquit Mose, eris in ciuitate, maledictus in agro, maledictum horreum tuum, & maledictæ reliquiæ tuæ. Ac mox: Seruies inimico tuo, quem emittet tibi Dominus in fame, & siti, & nuditate, & omni penuria, & ponet iugum ferreum super ceruicem tuam, donec te cõterat. Christus igitur, qui fuit absq; omni peccato, suscepit in se hoc supplicium peccati, primum, ut peccata nostra coram Deo expiaret, & Deum patrem nobis propicium redderet. Deinde ut paupertatem suo usu consecraret, & mala quæ in paupertate insunt, aduentu suo dissiceret, ac nos ueras diuitias in paupertate inuenire doceret. In paupertate enim insunt, infamia, contemptus, esuries, frigus, & mors famis, quæ est longe omnium durissima ac miserrima. Vnde homines huius seculi, paupertatem plus q̃ ipsam mortem horrent, quippe, q̃ existiment omnia malorũ genera in paupertatem ueluti in sentinam effusa esse. Quare tot excogitant artes, tot impostura, tot doli, tot sycophantiæ, tot fuci, tot mendacia, tot periuria, quibus alius acquirendis, alius retinendis, alius augendis opibus studet, non aliam ob causam, quàm q̃ quisq; paupertatem non solum timet, uerumetiam pestis angue & cane odit. Itaq; Christus, cum ingressu suo in paupertatem fugaret peccatum, fugauit etiam ea mala, quæ propter peccatũ in paupertate inerant, ac effecit, ut quia ipse, qui est omnium bonorum thesaurus, in paupertatem ingressus est, reperiant in ea nunc per fidem in ipsum, non infamia, sed gloria, non contẽptus, sed honor, non esuries, sed rerum abundantia, non frigus, sed refrigerium, non mors famis, sed uita perpetuæ plenitudinis & fœlicitatis. Hæc autem apprehenduntur in paupertate non sensu, quo pii omnium miserrimi uidentur, sed fide, qua pii longe omnium ditissimi sunt. Etenim Christus Iesus tantæ fuit industriæ, tãtæ solertiæ ac prudentiæ, ut suscipiens in se paupertatem, inuenerit in ea omnia genera uerarum diuitiarum. Diminuisti, inquit psalmus, eum paulominus ab angelis. (Ecce paupertatem & abiectionem Christi.) Gloria & honore coronasti eum, constituisti eũ super omnia opera eius. Omnia subiecisti sub pedes eius, boues & oues & uniuersa pecora campi. (Ecce diuitias, quas Christus in paupertate inuenit.) Audiamus & alium prophetam. Ecce, inquit Zacharias, rex tuus uenit tibi iustus & saluator, ipse pauper, & ascendens super asinam & super pullum filium asinæ. Paupertatem regis audisti. Nunc audi diuitias eius, quas in paupertate reperit: Loquetur pacem gentibus, & potestas eius à mari usq; ad mare, & à fluminibus usq; ad fines terræ. Hoc autem quicquid est industriæ & artificii, inueniendi uidelicet diuitias in paupertate, non exercuit Christus propter seipsum, sed propter nos, ut quotquot in ipsum crederemus, idem artificium per ipsum sciremus. Vnde Paulus, in posteriori epistola ad Corinthios scribens: Quasi, inquit, morientes & ecce uiuimus, quasi correpti, & non occisi, quasi dolẽtes, semper tñ gaudẽtes, quasi pauperes, multos tñ ditãtes, ut nihil habẽtes & tñ omnia possidẽtes. Et iterũ: Nostis beneficentiã Dñi nostri Iesu Christi, q̃ ppter uos pauper factus sit, cũ esset diues, ut uos illius pauptate diuesceretis. Cæterũ, Christus non solũ aduẽtu suo cõsecrauit paupertatẽ in organõ, quo ueræ diuitiæ parari queũt, sed etiã reprehẽdit uanitatẽ eorum, qui sese in externam

Paupertas.

Paupertatem Christus susceptit.

Diuitiæ inueniuntur in paupertate.

paupertatẽ

paupertatē temere & nonnunq̄ impie cōiiciunt. Sunt enim hypocritæ, qui ſuapte ſuperſtitione, ſine uocatione Dei exponunt ſeſe uoluntariæ, ut uocant, paupertati, & cum domi habeant unde uiuant, aut labore ſibi uictum parare poſsint, tamē aut ad templa ſanctorum mendicimonio perigrinanť, aut ad monaſteria ordinū mendicantium ſecedūt, ut illic ſibi uictum mēdicitate parent, aut relictis uxore, liberis, & facultatibus, incertis ſedibus uaganť, id quod ab inſano illo hominum genere, quod Anabaptiſtas uocāt, fieri uidem⁹. Atq; hi omnes glorianť ſe exemplū Chriſti in paupertate ſectari, ac ſperant ſe merito huius imitationis & operis cōſequi remiſſionem peccatoꝝ ſuorum, iuſticiam, & uitam ſempiternā. Sed uanam eſſe horum gloriationem, & impiā opinionem, Chriſtus ſuæ paupertatis ratiōe docet. Primū enī Chriſtus ſua ipſius paupertate pro peccatis hominū ſatisfecit, & remiſsionē peccatoꝝ credentibus in ipſum meruit. Impietas igitur eſt ſentire, q̄ opus paupertatis ab hominibus ſuſceptum, mereať remiſsionem peccatoꝝ. Deinde Chriſtus non coniecit ſe temeritate quadā in paupertatem, ſed ex uocatione Dei patris ſui, & ex obedientia, quam debuit patri. Miſſus enim eſt Chriſtus in hunc mūdum ā patre, ut omnes in ſe peccatoꝝ pœnas, inter quas & una eſt paupertas, aſſumeret. Quanq̄ igitur potuiſſet etiam in hoc ſeculo diues eſſe, maluit tamē uocationi Dei obedire, & iuxtā uoluntatem patris ſui pauper uiuere, quàm contra uoluntatem eius, & utilitatē noſtram, diuitias huius ſeculi poſsidere, memorabili exemplo, non paupertatem temere adſciſcendam, ſed uoluntati & uocationi Dei in quauis reſeruiendū eſſe. Proinde, quemadmodū ſacerdotes Baal impie faciebant, q̄ ſeipſos nulla Dei uocatione flagellabāt, & cultris incidebant, & ut hæretici Circumcelliones, de quibus multa ſcribit ſanctus Auguſtinus, non pietatem, ſed crudelitatem exercebāt, q̄ ſe ipſos è ſaxis præcipitabant, ac interimebant, fingentes ſe morte ſua mortem Chriſti imitari, & per mortem ad uitam feſtinare: ita hi temeraria impietate exemplum paupertatis Chriſti ſectanť, qui abſq; uocatione Dei exponunt ſeſe paupertati, ut huius imitationis merito peccata ſua expient, & uitam conſequanť. Etenim, ſicut ſanus corpore non debet abiicere ſanitatem, & adſciſcere ægritudinē, ſine uocatiōe Dei, nec potēs potentiā ſuā, nec ſapiēs ſapientiā ſuā, ita nec qui habet facultates, debet eas abſq; uocatiōe Dei dereliquere, & ſeipſum paupertati aut mēdicitati exponere. Sed neceſſe habet quiſq; uocationē Dei expectare, & in ea uoluntati Dei ſemp obedire. Habes ſanitatē corporis, noli donū Dei conténere, ſed gratias age. Accidit corporis ægritudo, noli aduerſus Deū murmurare, ſed manū Dñi patiēter ſuſtine. Habes potentiā, noli tyrānide abiectos opprimere, ſed uiduā & pupillū defende. Deiectus es ā potētia, noli Deo cōuiciari, ſed maieſtatē Dei agnoſce, qui deponit potētes de ſede & exaltat humiles. Sic ſi habes diuitias, noli eſſe elato animo, neq; ſpē ponas in diuitiis incertis, ſed in Deo uiuēte, & da operā, ut diues ſis bonis operibus, & facilis ad impartiendū. Si paupertas obuenerit, agnoſce Chriſtū in pauptate, & affatim diues eris, ſi cū Chriſto pauper fueris. Breuiter, ut nec proſperā abiicieda, nec aduerſa aduocanda ſunt ſine uocatiōe Dei, ita requirit uocatio Dei, ut in omnibus ſiue proſperis ſiue aduerſis, uolūtati Dei & uerbo eius obſequamur: Sic Hiob, cū eſſet diues, nō abiecit diuitias ſuperſtitioſe, ſed timebat Deū & recedebat ā malo, nō comedit buccellā ſuā ſolus, ſed cōmunicabat de ea pupillo, non deſpexit nudū, ſed de uellēribus ouiū ſuarū calefecit eū. Cū uero pauper fieret, & omnibus bonis ſuis priuaretur, dixit: Dñs dedit, Dominus abſtulit, ſit nomen Domini benedictum. Sic Dauid, cum rex eſſet, non abiecit regnum, ſed defendit pauperem, pupillum, & uiduam. Cum uero eiiceretur, dixit: Si inuenero gratiam

Paupertas hypocritarum.

Paupertas Chriſti, peccatorū noſtrorū expiatio.

Baalitici ſacerdotes.

Circumcelliones.

Dona Dei nō abijcienda.

Hiob in diuitijs pauper, in paupertatē diues.

Dauid pauper & diues.

in oculis Domini, reducet me. Si autem dixerit mihi, non places, præsto sum, facũ at quod bonum est coram se. Sic Paulus ad Philippenses scribens: Ego, inquit, didici in quibus sum, his contentus esse. Noui & humilis esse, noui & excellere, ubiq; & in omnibus institutus sum, & saturari & esurire, & abundare & penuriam pati. Omnia possum per Christum, qui me corroborat. Discamus igitur & nos hoc artificiũ, ut & diuitiis, si adsint, recte utamur, & paupertatem, si adfuerit, moderate feramus, & credamus eã per Christũ, nõ perditiõis, sed salutis organõ esse. Atq; hæc de paupertate Christi dicta sint. Audiamus nũc, quid interim in hac oblatiõe Christi in tẽplum cõtigerit. Ecce, inquit Euãgelista, homo erat in Hierusalẽ, cui nomen Simeõ: Et homo iste iustus & timoratus, expectãs consolationẽ Israel, & spiritus sanctus erat in eo. Et responsum acceperat Simeõ à spiritu sancto, nõ uisuꝝ se mortem, nisi prius uideret Christũ Dñi. Et uenit spiritu in templũ. Progressus negocii Christi omnino initiis respõdet. Vt natus est Christus in miseria & paupertate, ita à pauperibus tantum & abiectis hominibus agnoscitur. Non enim à regibus, sed à pastoribus uisitatur. Non à Pharisæis, sed quemadmodum Matthæus scribit, à Magis adoratur, qui & si in sua gente illustres uiri habebantur, apud Iudæos tamẽ erat genus hominum, ueneficii nomine contemptum & inuisum. His auspiciis admodũ humilibus respondet etiam hoc, quod nunc Euangelista describit. Puerum enim in templum oblatum, nondum sacerdotes agnoscunt, nondum pontifices salutant, nondum reges honorant, sed senex quispiam, nomine Simeon, ciuis Hierosolymitanus, nullo nec diuitiarum, nec dignitatis, nec officii nomine clarus, ad salutandum & complectendum puerum accurrit, qui fortasis in oculis hominum delirare, & mentis suæ inops uisus est: at qualis qualis ab hominibus reputatus sit, certe scriptura magnis laudibus eum ornat. Homo, inquit, iste, iustus ac timoratus erat. Quæ maior laus, quod excellentius encomium, quæ potior gloria potuisset huic seni cõtingere, quàm q̃ spiritus sanctus cõmendet eũ à iusticia & timore Dei? Sunt qui cõmendantur à fortitudine, à potentia, à maioꝝ nobilitate, à diuitiis, & aliis id genus donis: at nulla est honestior laus, q̃ quæ alicui propter iusticiam & timorem Dei contingit. Sunt qui famam nominis sui, altis pyramidibus, armorum suorum suspensionibus, aliisq; monumentis posteritati consecrare studeant, at non potes diutius gloriam nominis tui conseruare, q̃ si operam dederis iusticiæ & timori Dei. Sic enim, & si obliuiscantur nominis tui homines in hac terra, nunq̃ tamen obliuiscẽ eius Dominus Deus noster, unà cum tota militia cœlesti. In memoria, inquit, æterna erit iustus, ab auditione mala non timebit. Et iterum: Memoria iusti cum laudibus, & nomen impiorum putrescet. Itaq; si quis gloriam & immortalitatem nominis sui quærat, hoc unum noctes atq; dies meditetur, hoc unum agat, ut colat iusticiã, & sectetur pietatẽ. Sed unde habuit Simeon, q̃ fuerit iustus? Expectãs, inquit, consolationem Israel. Expectatio autem & consolatio, non Israelis solum, sed etiam omnium gentium est Messias, Christus Iesus Dominus noster, quem promisit Deus, ut mederetur contritis corde, ut prædicaret captiuis indulgentiam, & consolaretẽ omnes lugentes, ac daret eis oleũ gaudii pro luctu, quẽadmodũ Esaias dicit. Expectare igitur consolationem Israelis, est credere in Iesum Christum, q̃ per ipsum habeamus ueram salutem & liberationem. Iam, non sunt ulla opera hoĩm tam sancta, ut propter illorum merita quispiam iustus coram Deo reputari queat, quãdo nulla sint adeo pfecta, quæ legi Dei satisfaciãt, & quæ nihil sordiũ ac impuritatis in se cõtineant. Sola aũt fide, ppter Iesum Christũ reputant hoies corã Deo iusti, & hæc sola hoĩm iusticia est, q̃ credãt sibi iniusticiã suã ppter Christũ remissã esse.

Paulus in omnibus institutus.

Christi initia humilia.

Simeon ciuis Hierosolymitanus.

Laus quæ sit honestior.

Nominis celebritas quo modo uere paretur.

Iusticia Simeonis, unde.

Messias solus omnium gentũ salus.

Quanq̃

Quanq̃ igit̃ Simeon honestissimæ uitæ coram mũdo fuerit, tamen non est reputatus coram Deo iustus, ex operibus suis, sed hæc fuit iusticia eius, q̃ expectauit consolationẽ Israelis, hoc est, credidit in Christum, q̃ per ipsum habeat gratis remissionẽ peccatorum, & saluté. Cæterum, qui iustificatur per fidẽ, is etiam donatur spiritu sancto, ut uirtute eius bona opera faciat, & honestam uitam ducat, nõ ut hac honestate peccata expiet, sed ut uocationi diuinæ obsequatur, & ei seruiat, qui ipsum à peccatis & morte redemit. Vnde & Simeon donatus est per fidem spiritu sancto, cuius efficacia factum est, ut non accõmodaret membra sua, arma iniusticiæ peccato, sed ut accõmodaret ea, arma iusticiæ Deo. Attamen præter hoc cõmune omnibus credentibus donũ, singulari quoq; spiritus dono præditus atq; ornatus fuit. Spiritus sanctus, inquit, erat in eo, & acceperat responsum à spiritu sancto, non uisurum se mortẽ, nisi prius uideret Christum Dñi. Vide, quanto dono Simeon oẽs patriarchas & prophetas excelluerit. Nam patriarchis quidẽ promissus erat Christus, & pphetis aduentus eius reuelatus erat per spiritum sanctum, nulli tamẽ eor̃ promissum erat, q̃ esset Christũ oculis corporalibus in hoc seculo uisurus, quanq̃ id summis quisq; uotis exoptabat. Simeoni aũt hæc promissio cõtigit, q̃ non solũ habiturus sit in Christo saluté per fidẽ, sed etiam q̃ non sit moriturus, nisi prius his oculis suis Christũ hoiem factum uideret. Ad Apostolos inquit Christus: Vestri beati sunt oculi, quia uident, & aures uestræ, quia audiunt. Amen eñ dico uobis, q̃ multi prophetæ & iusti desiderauerũt uidere quæ uidetis, & non uiderũt. Non minori iure Simeonis quoq; oculos beatos pronunciabimus, q̃ conspexerint desideratũ cunctis gentibus, & speciosum præ filiis hominũ. Non hæc dicimus, quia minus beati sunt, qui credũt, & tamẽ non uidẽt. Ad Thomam eñ ait Christus: Quia uidisti me Thoma credidisti, beati qui non uiderunt & crediderũt: sed quia, si præter fidẽ, qua sola ppter Christũ nobis uera salus cõtingit, reliqua dona inter se cõferanẽ, profecto multo beatius & acceptius donũ est, Christũ oculis corporalibus uidere, q̃ regnum aliquod aut principatum in hoc seculo possidere. Et si optio data esset Dauidi, ut utrũ mallet eligeret, uel regem esse, uel Christum in carne uidere, certe elegisset potius Christũ uidere, q̃ regẽ esse. Si eñ ingenue confiteẽ, meliorẽ esse unum diẽ in atriis Dñi, in quibus prædicat̃ lex Dei, sup millia, & eligit abiectus esse in domo Dei sui, q̃ habitare in tabernaculis peccatorũ, quãto magis optasset præ oĩbus huius seculi opibus & maiestate, Christũ uidere oculis suis corporalibus, & ulnis gestare, ac facie ad faciẽ cum ipso colloquiẽ. Ac magna quidem Simeonis & aliorum fœlicitas fuit, quibus contigit Christũ in carne uidere, multo aũt fœlicior nostra est sors q̃ illorum. Illi eñ uiderunt Christum adhuc humilem, & despectum: Nos autem uidemus nunc Christum in toto orbe terrarum glorificatum, & à mari usq; ad mare dominãtem, adeoq; reipsa uidemus impleta esse, quæ Christus de imperii sui dilatatione prædicauit: Venient, inquit, ab oriente & occidente, & aquilone & austro, & accumbent in regno Dei. Proinde tanto maior nobis danda est opera, ut quod donum clementia Dei accepimus, gratitudine conseruemus, & obsequio fidei bene eo utamur. Cæterum, ut redeamus ad Simeonẽ, q̃ spiritus sanctus reuelauerit ei oraculo suo, uidẽdum ab ipso Christũ, apparet id haud quaq̃ absq; uerbi Dei organo factum esse. Didicerat enim sanctus iste senex è sacra scriptura, spiritum sanctum per patriarcham Iacob ita prophetasse: Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec ueniat Silo, & ipse erit expectatio gentium. Videbat autem sua tempestate, sceptrum & ducatum à tribu Iuda alienigenam ac Idumæum in Israel re-

Simeonis donum excellit donum prophetarum,

Christum corporalibus oculis uidere, ingens donum.

Simeon spiritum sanctum accepit per uerbum Dei.

quot iam annis ablatum esse, & Herodem alienigenam ac Idumæum in Israel re-

gnare. Adhæc legerat in Daniele, septuaginta annorũ hebdomades, hoc est, quadringentos nonaginta annos à secundo anno Darii Artaxerxis Longimani, usq; ad aduentum Christi fore. Animaduertebat autem earum hebdomadaꝝ numerum propè iam completum esse. Huc accedit, q; ex his uaticiniis uulgaris etiam fama inter Israelitas eo tempore ferebatur, Christum in lege promissum mox nascẽdum. Hinc tot oriebant' in Iudæa seditiones eorum, qui sese Christos iactabant, & à Deo ad liberãdum populum missos gloriabant'. Hinc & Herodes, quemadmodũ testatur Philo, sororẽ suam Salomen, & maritum eius de tribu Iuda, adhæc proprium filium, quem ex uxore eiusdem tribus susceperat, interfecit, q; diceretur iam natus Christus in lege promissus. His igit' organis, uaticiniis uidelicet prophetarum, usus est spiritus sanctus, & manifestauit per ipsa Simeoni, q; non esset moriturus, ni si prius uideat Christum Domini. Quare obseruandum est, sacram scripturam esse organon spiritus sancti, quo Deus nobiscũ loquit', & ea nobis reuelat, quæ ad salutẽ nostram utilia & necessaria sunt. Iam, quantum uidetur, hæc promissio de uidendo Christo dicta est ad Simeonem, nondum adhuc annis grauem, sed iuuenem, & necesse habuit impletionem eius expectare usq; ad senectutem. Dicit cũ postea: Nunc dimittis seruum tuum in pace. E quibus uerbis coniicere licet, Simeonem multo tempore non admodum tranquillam conscientiam habuisse, q; non redderetur oraculi sui compos. Quantos enim putas arietes fidem Simeonis perpessam esse, dum uidebat patriam suam intestinis seditionibus diuexatam, externis bellis afflictam, ac totam Remp. Israelis dilaceratam, se etiam subinde magis ac magis in senium uergentem, & morti appropinquantem, oraculum tamen spiritus sancti de uidendo à se Christo non impleri? Sed hæc est natura promissionum Dei, q; non implent', nisi fides eius, cui dictæ sunt, exerceat'. Exercetur aũt fides aduersis. Proinde in credendis pmissionibus Dei non cõmittamus, ut propter aduersa à fide deficiamus, sed ut propter ea in fide fortiores efficiamur. Vnde & Simeon tantã adhibuit fidẽ oraculo spiritus sancti, ut etsi oĩa uideret promissioni Dei aduersa, tñ cõtra spem in spe credidit, & tanto certius reputauit uerbum Dei, quanto alia oĩa incertiora uidebat. Sed nec hoc prætereundũ est, q; in oraculo spiritus sancti, Christus, diserte Christus Dñi uocat'. Quod enim Græcis Christus est, Hebræis est Messias. Messias aũt significat unctũ. Iam & reges & sacerdotes in lege unctione consecrabant'. Cum igit' spiritus sanctus uocat Christũ, Dñi Christum, significat ipsum unctum esse à Deo in regem & sacerdotẽ, ut & potenter nos ab oĩbus malis liberet, & clementer pro nobis apud Deũ interpellet, ac Deum nobis placatũ reddat. A deoq; respicit spiritus sanctus in illud Esaiæ: Spiritus Dñi sup me, eo q; unxerit me, ad ꝓdicandum humilibus misit me, ut mederer cõtritis corde, & prædicarẽ captiuis indulgentiã, & clausis apertionẽ. Dicit' & Saul Christus Dñi, & alii, qui fuerũt reges in Israel. Sed is Iesus, solus est uerus Christ⁹ Dñi, q; populũ in ipsum credentẽ, à peccatis & morte liberat, & ꝑpetua fœlicitate donat. Porro idẽ spiritus, qui significauerat Simeoni uidendũ ab ipso Christũ, mouet quoq; ipsum, ut in tẽplum, ea hora qua Christus offerebat', adueniat. Sic. n. scribit Lucas: »» Et uenit spiritu in tẽplum. »» Et cũ inducerẽt puerũ Iesum parẽtes eius, ut facerẽt secundũ consuetudinẽ legis ꝑ »» eo, ipse accepit eũ in ulnas suas, & bñdixit Deũ. Hic iam Simeon factus est fidei & spei suæ cõpos, hic iam nõ solũ oculis suis uidet, sed etiam ulnis gestat eũ, quẽ cœli cœloꝝ capere non possũt, & brachiis suis eũ cõplectit', q manu sua cœlũ & terrã, & oĩa quæ in eis sunt, cõtinet, adeoq; tñ thesauꝝ manibus suis portat Simeon, quãtus nulli unquã clarissimorũ regum, aut potentissimorum monarcharum cõtigit.

Herodis crudelitas.

Sacra scriptura, organon spiritus sancti

Simeonis afflictiones.

Promißionũ Dei impletio tarde promouet.

Meßiæ uocabulum.

Quid igi

Quid igitur pro tantis beneficiis Dño Deo ſuo rependit? Quas ei gratias refert?

Benedixit (inquit) Deum & dixit: Nũc dimittis ſeruũ tuum Domine, ſecundũ uerbum tuum in pace. Quia uiderunt oculi mei ſalutare tuum. Quod paraſti ante faciem omnium populorum. Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Iſrael. Carmen eſt, conſtans quatuor uerſiculis. Sicut aũt Zacharias & Maria, ac ante eos, Moſe, Debora, Anna, Dauid, & multi alii, declararunt gratitudinem ſuam erga Deum carminibus, nec quicq̃ potuerũt inuenire, quod pro acceptis beneficiis Deo acceptius redderent, q̃ publica Encomia, in quibus gloria nominis Dei cõmemoratur, ita nunc Simeon erumpit è ſpiritu ſancto in carmẽ, quo teſtat gratum animum ſuum erga clementiam Dei. Explicat aũt in hoc carmine Chriſtũ, & illuſtrat eum maximis laudibus & ornatiſsimis titulis ac epithetis. Docet præterea exemplo ſuo, unde uera pax cõſcientiæ oriat, & qua re fiat, ut prompte & alacriter mortem expectemus, adeoq; mortem uincamus. Nunc, inquit, dimittis ſeruum tuũ Dñe, ſecundum uerbum tuũ in pace. Non ait, dimittis me, ſed dimittis ſeruũ tuũ. Nihil habeo in me, de quo poſsim in iudicio tuo gloriari, niſi unũ hoc, q; tu ſis Dñs meus, & ego ſeruus tuus, non talis qui fecerim omnẽ uoluntatem tuã, ſed talis, qui cum non fecerim uoluntatem tuam, & debuiſſem iure damnari, à te tñ clementer ſeruatus ſum. Serui enim antiquitus dicebantur, non ꝓprie hi, quorũ opera ad tẽpus conducitur, ſed hi, qui in bello capti potuiſſent interfici, nõ tñ interficiebant, ſed ſeruabant & uendebant. Quibus aũt uendebant, hi habebant in eos uitæ necisq; poteſtatẽ, & quodcunq; ꝓ ipſos acquirebat, id dñis acquirebat, atq; adeo, tã abiectæ ſortis habebant, uix ut pro hoĩbus cõputarent. Cũ igit Simeon appellat ſe in carmine ſuo, ſeruũ Dñi, primũ qdem cõmendat clementiam Dei, q; cũ is potuiſſet ipſum ꝓpter iniq̃tates ſuas perdere, miſericorditer tñ ſeruauerit: deinde confitet extremã ſuã humilitatẽ & abiectionẽ, q; in ſe prorſus nihil habeat, quod alicuius ſit momẽti in cõſpectu Dei, ſed q; Deus habeat in ipſum oẽm poteſtatẽ uitæ & necis, & ipſe indignus ſit, qui corã Deo pro hoĩe habeat. Nihil aũt eſt ualidius ad excitandã clementiã Dei, quã ſic ſeſe agnoſcere, corã Deo abiicere, & ipſum ex fide inuocare. Vnde Dauid Dñm ad ꝓſtandã miſericordiã excitaturus, toties ſerui nomẽ inculcat: O Dñe, inquiens, quia ego ſeruus tuus, ego ſeruus tuus, & filius ancillæ tuæ. Et itez: Fac cũ ſeruo tuo ſecundũ miſericordiã tuã, & iuſtificationes tuas doce me. Seruus tuus ſum ego, da mihi intellectũ, ut ſciã teſtimonia tua. Ac rurſus: Perdes omnes, qui tribulãt animam meam, quoniam ego ſeruus tuus ſum. Quod aũt Simeõ, poſt cognomẽ ſerui, addit in primo uerſiculo carminis ſui, (ſecũdũ uerbũ tuũ) cõmendat ueritatẽ, pmiſsionis Dei. Verbũ. n. ſeu, pmiſsio ad Simeonẽ dicta, hæc fuit, q; nõ eſſet uiſur⁹ mortẽ, niſi prius uideret Chriſtũ Dñi. Quanq̃ igit multa huic uerbo aduerſa apparuerint, & uideret uanũ eſſe figmentũ, tamen qa oĩs homo mẽdax, tu aũt Dñe Deus me⁹ uerax es, id cumulate ꝓſtas quod pollicitus es, & dimittis me nũc in pace. Hactenus. n. multis annis expectaui ſollicitus ad uentũ Chriſti tui. Quid ibi diffidentiæ non ſuggerebat caro? qd non infidelitatis inſpirabat Satan? Et qa differebas, pmiſsionẽ tuã de uidendo à me Chriſto, ſollicitabar quoq; putare oés pmiſsiones tuas uanas eſſe. Hic tũ, immane, quãtus tumultus in cõſcientia mea oriebat, quãtis pturbationibus Satã animũ meũ cõcuciebat, modo pctiũ meũ mihi ob oculos ponẽs, modo imaginẽ mortis maxime mihi terribilẽ oſtẽtans, modo horribiles inferni flãmas intra meſuſfians, q; bus rebus in tantũ pturbabar, ut animũ ꝓpẽ de ſalute mea deſponderẽ. Nunc aũt, o me fortunatũ ſe nẽ, dimittis ſeruũ tuũ Dñe, ſecundũ pmiſsionẽ tuã in pace, nũc reddis conſcientiã meam tranquillam, nunc ſecurus mortem expectabo, nunc lætus mortem adibo,

Carmina ſunt oblatiões gratitudinis.

Seruorum cõditio apud ueteres.

Seruũ Domini eſſe, quid ſit.

Clemẽtia Dei quomodo excitetur.

Veritas Verbi Dei.

Quid ergo tibi, mi senicule, contigit, q̃ tam subito in diuersum mutatus es, antea maxima tristicia concussus, nunc maxima lætitia perfusus? qua caussa prius tantum non emortuus, nũc tanto gaudio, quasi demum reuixisses, exultas? certe non de nihilo est hoc gaudium. Audiamus igitur ipsummet Simeonem. Sic enim reddit gaudii sui caussas: Quia, inquiens, uiderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum, lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel. Non existimes hæc uerba esse nugas delyri senis, aut ludos muliebres. Fateor, hos esse mores huius seculi, ut maiores infantibus suis blandientes, lusu quodam uocent eos, Principes, Duces, Reges, Cæsares, aliisq̃ claris epithetis dulces suos affectus erga pueros exprimant, cum interim sciant, eos aliquãdo uix pastores porcorum fore. At quæ Simeon hic dicit, non sunt ludibundæ blandiciæ, sed maxime seriæ ueritates, non sunt nugæ humani affectus, sed ipsissima sentẽcia spiritus sancti. Viderũt, inquit, oculi mei salutare tuum. Potuisset Simeõ paucissimis caussam lætitiæ suæ absoluere, & dicere: Ideo dimittis me nunc in pace, quia uidi Christum. Sed quo maiestatem Christi magis perspicue exponat, omittit nomen Christi, & reponit in locum eius tria potissimum epitheta, seu mauis, titulos, quibus Christus omnium clarissime explicatur, & usus eius manifestissime ostenditur. Primum igitur epitheton, quo Christus in hoc carmine ornatur, est, salutare. Viderunt, inquit, oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum. Apparet Simeonem hanc particulam mutuo accepisse ex Esaia, capite quinquagesimo secundo. Ibi enim prophera de Christo ita cõcionatur: Parabit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium, & uidebunt omnes fines terræ salutare Dei nostri. Quod Esaias futurũ uaticinatur, hoc canit nunc Simeon impleri, uidelicet Christum Dominum nostrum, qui est uerũ salutare, reuelatum esse in carne, & in hoc constitutum esse, ut coram omnibus populis tam Iudæis quàm gentibus manifestetur. Quomodo autem dilucidius potuisset explicari Christus, quàm epitheto salutaris? Alii reges audiunt illustrissimi, inuictissimi, clementissimi, sed accidit interdum, ut reipsa longissime ab epithetis & cognominibus suis distent. Christus uero audit, salutare Domini Dei nostri, quo breuiter quidem & simpliciter, sed tamen uerissime exprimitur, id quod est Christus. Nam, si peccata conscientiam torquent, & perpetuæ damnationi obiiciunt, Christus est salutare, nimirum salutiferum malagma, quod per fidem peccatis impositum, ita sordes peccatorum exiccat, expurgat & sanat, ut quisquis in Christũ crediderit, quamuis in se peccata habeat & sentiat, tamen coram Deo purus à peccatis, iustus & sanctus reputetur. Si autem Christus salutare est, in medendis & expurgandis peccatis, consequitur, eum esse salutare in omnibus aduersis & afflictionibus, adeoq̃ in doloribus mortis & inferni. Si enim quis affligitur, Christus est salutare, qui cum peccata remittat, efficit quoq̃ ut afflictio non sit organon infœlicitatis sed fœlicitatis. Si quis morti & inferno in conscientia sua obiicitur, Christus est salutare, qui, cum pro peccatis nostris coram Deo patre suo satisfecerit, commutat horrores mortis & inferni, in uiam non ad perditionem, sed ad uitam & perpetuam salutem. Amplectamur igitur hoc salutare Dei, & quod Simeon ulnis gestauit, nos fide gestemus, ut & ipsi in pace dimittamur. Alterum epitheton, quo Simeon Christum explicat, est, lumen. Vident, inquit, oculi mei hunc, qui non solum est salutare, sed etiam lumen ad reuelationem gentium, hoc est, lumen quod non inter Iudæos tantum lucebit, sed etiam gentibus reuelabitur, & gentes illuminabit, ut & ipsæ è tenebris mortis & inferni, ad lucem sempiternæ fœlicitatis

Conscientiæ gaudiũ unde?

Christi epitheta.

Christus salus.

Christus lumen.

peruen-

perueniant. Videtur & hæc pars carminis ex Esaia desumpta esse. Sic enim ille de Christo, capite quadragesimo secundo scribit: Dedi te in fœdus populi, in lucem gentiũ, ut aperires oculos cæcorum, & educeres de cõclusione uinctum, de domo carceris sedentes in tenebris. Et iterum capite quadragesimo nono: Parum est, ut sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & feces Israel conuertendas. Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usq; ad extremum terræ. Ac rursus, capite sexagesimo: Surge, illuminare Hierusalem, quia uenit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est. Et ambulabunt gẽtes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui. Vnde & ipse Christus in Ioanne dicit: Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen uitæ. Quæ ergo sunt illæ tenebræ, quas Christus, lumen, repellit? Tenebræ sunt, primum, omnis humana uirtus, sapientia & iusticia, quæ etsi in humanis rebus & in oculis hominum splendeant, tamen ad comparandam gratiam Dei, ad placandum Deum, ad satis faciẽdum pro peccatis, & ad acquirendam ueram fœlicitatẽ, densissimæ tenebræ sunt. Christus aũt lux est, quia ipse est, propter quem comparatur gratia Dei per fidem, propter quẽ placatur Deus, ut remittat peccata, & largiatur uitam sempiternam. Deinde tenebræ sunt, omnes doctrinæ philosophorum, omnes leges siue Ethnicorum, siue etiam Mosi. Hæ enim etsi prosint, ac necessariæ sint ad formandos mores ciuiles, ad coercendos malos à sceleribus, & ad agnoscenda peccata nostra, tamen ad expianda peccata, & ad formandam ueram iusticiam corã Deo, prsus tenebræ sunt. Solus aũt Christus lux est, propterea, ꝙ qui Euangelio eius credit, habeat in ipso expiationem & remissionem peccatorũ, quæ est iusticia nostra, etiam in iudicio Dei constãs. Postremo tenebræ sunt peccata, mors & infernus. Sed Christus uera lux est, ꝙ pro peccatis satisfecerit, mortem uicerit, & infernum extinxerit his, qui in nomine eius credunt. Hanc igitur lucem sectemur per fidem, ut dispulsis tenebris, ad cœlum, rectà & inoffenso pede ambulemus. Tertium epitheton, quo Simeon Christum explicat, est, gloria plebis Israel. Vident nũc, inquit, oculi mei gloriam plebis tuæ Israel. Tametsi enim Christus sit gloria omnium eorum, qui in ipsum credunt, siue sint Iudæi siue Ethnici, propter aliquot tñ causas dicitur potissimum gloria plebis Israel. Primum, quia Christus, priusq̃ homo factus est, huic soli genti promissus, & in hoc populo prædicatus fuit. Deinde, quia quicquid claritudinis & maiestatis populo Israelitico in hoc mundo contigit, id contigit ei propter Christum. Multiplicauit enim Deus semẽ Abraæ, & dedit ei uictoriam super hostes, terram Canaan, Politian & regnum, non propter ipsorũ iusticiam, sed propter Christum, ut esset gens, in qua uaticinia de Christo reuelarentur, & usq; ad natiuitatem eius conseruarẽtur. Postremo, quia Christus natus est ex Israel secundum carnem. Qua gloria nihil illustrius ulli unq̃ populo, in toto orbe terrarum contigit. Glorientur sanè alii populi, Assyrii, Babylonici, Aegyptii, Græci, & Romani, ꝙ ex ipsis egressi sint potentissimi monarchæ, sapientissimi philosophi, prudentissimi Rerumpub. administratores, & inuictissimi imperatores: at habent Israelitæ, quo his omnibus populis medium unguem ostendant. Ex ipsis enim egressus est unigenitus filius Dei, seruator mundi, qui tanto interuallo omnes huius seculi potentes & sapiẽtes post se relinquit, quãto cœlum à terra distat. Sed quo maior illorum gloria est, ꝙ Christus sit ex ipsis secundum carnem natus, eo fœdiori ignominia nunc notantur, ꝙ Christum impie reiecerint, & tanq̃ peripsema huius mundi conculcauerint. Iudæi enim nunc in externa turpitudine uersantur, ita ut sint miserrimi omniũ hominũ, non tam, quia nullam habent in hoc seculo Remp. q̃ ꝙ prorsus

Tenebræ à Christo repelluntur.

Iusticia humana tenebræ.

Philosophorũ doctrina, & lex Mosi, tenebræ.

Peccata sunt tenebræ.

Christus, gloria Israelis.

Iudæi à Deo abiecti.

à Deo abiecti, & in perpetuam internicionem traditi sunt. Tota autem gloria Christi ad nos transiit, qui sumus ex gẽtibus. Quid igitur? Ne, inquit Paulus, efferamur animo, sed timeamus. Si enim Deus non pepercit naturalibus ramis, uide ne qua fiat, ut nec nobis parcat. Repulit Dominus Iudæos propter impietatem, quanto magis nos gentes repellet, si impietatem Iudæorũ æquamus. Repulit aũt Iudæos, non quia Christum crucifixerunt, sed quia quem crucifixerũt, in eum nõ crediderunt, nec ex prædicatione Euangelii de Iesu Christo resipuerunt, ita non repellet nos Dominus, quia peccauimus, alioqui iam antea repulsi essemus, sed repellet, quia cõtra quem peccauimus, eius Euangelio nullam fidem adhibemus, nec ex fide pœnitentiam agimus, sed pars persequimur Euangelion tyrannide, pars hypocrisi, pars contemptu & fastidio. Demus igit operã obedientia fidei, ut quæ gloria Christi ad nos translata est, ea perpetuo nobiscum maneat. Habes nũc carmen Simeonis, quod senex ille spiritu sancto repletus, ad declarandam gratitudinem animi sui erga Deum, composuit. In quo, primum exemplo suo ostendit, unde uera pax & tranquillitas conscientiæ proueniat, & unde alacres ad aggredi endam morté efficiamur, nimirum ex eo, q̃ agnoscimus Christum uictorem peccati & mortis. Si enim mortem in nobis & in se ipsa cõtemplemur, nihil ea est horribilius, aut formidabilius. Si autem apprehendamus Christum ulnis fidei nostræ, & contemplemur in ipso mortem, tunc conspectu mortis in tantum non desperamus, ut potius aut cum Simeone exclamemus: Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum uerbum tuum in pace, aut cum Paulo dicamus: Cupio dissolui & esse cum Christo. Deinde explicat Simeon Christum, tribus clarissimis epithetis, & uocat eum salutare omnium populorum, lumen gẽtium, & gloriam Israelis, ut his titulis maiestatem Christi illustret, & aut incredulos ad fidem prouocet, aut infirmos in fide confirmet, aut firmos in fide cõseruet. Quod si in hunc usum, aut uerba scripturæ audiamus, aut carmina & psalmos diuinos cantemus, profecto ingentia Dei beneficia consequemur, per fidem in Dominũ nostrum Iesum Christum, qui est unà cum Patre & spiritu sancto Deus laudandus in secula Amen.

HOMILIA XVII.

QVanquam ea, quæ Simeon antea de infante Iesu è spiritu sancto cecinit, magna admiratione digna sint, tamen plus fortasis admirabitur quispiam, quid sibi illud uelit, q̃ parentes Iesu carmen Simeonis admiratione exceperint. Sic enim ait Lucas: » Et erant pater & mater eius mirantes su » per hæc, quæ dicebantur de illo. Cur enim super hæc Simeonis uerba admiratur hi, qui antea tot testimoniis certificati sunt, q̃ hic infans sit uerus ille Messias saluator mundi? Nonne Maria didicerat ex Gabriele, se fore matrem Messiæ, filii Dei altissimi? An non Ioseph cognouerat ab angelo, coniugem suam cõcepisse è spiritu sancto saluatorem mundi? Nonne ambo audiuerãt pastores è uisione angelorum prædicantes, hunc esse Christum Dominũ? An nõ uiderant Magos hunc pro summo rege agnoscentes & adorantes? quid igitur accidit eis, q̃ nunc ob Simeonis uerba admirãtur? Num fortasis humilitate Christi offensi, nihil eorum crediderunt, quæ uiderant? Absit. Non enim admirantur, quia non credunt, sed quia credunt, ideo admirantur. Qui enim non credunt, hi non admirantur, sed contemnunt & rident. Qui autem credunt, hi, quo clariora testimonia de Christo audiũt, & quo dilucidius Christum agnoscũt, eo maiori admiratione

Admiratio ex fide.

miratione corripiuntur. Vnde & nomẽ Domini dicitur admirabile, & opera eius admirabilia, non quia non creduntur, sed quia summa fidei admiratione à piis audiuntur. Quare non est incredulitas, sed fides, quòd parẽtes Iesu encomion, quo Simeon Christum illustrat, admirentur. Cæterum Simeon addit carmini benedictionem. Et benedixit illis Simeon. Quid ergo est, benedixit? Bene precatus est illis, bonam fortunam & salutem eis optauit. Solenne enim est, ut proximis nostris, in omnibus ipsorũ negociis & fortunis bene precemur, & cũcta prospera omnemur. Non est aũt existimandũ, ꝙ, quia hæ benedictiones uulgari cõsuetudine usurpentur, uanæ sint, & ciuilis tantum morum honestas, ac uerba, ut uocant, honoris, non item potentia ad salutem. Mandat eñ Christus Apostolis dicens: In quã cunq; domum primum intraueritis, dicite: Pax huic domui. Et ut uideas huiusce modi benedictionẽ ac precationẽ nõ esse uanam, addit: Si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax uestra. Filius autem pacis est, qui ex fide pacem habet cũ Deo, & benedictionem seu optionem pacis ex fide, tanq̃ uerbũ Domini Dei nostri, excipit. Hac igitur promissione qua dicitur: Requiescet super illum pax uestra, cõsecrauit & sanctificauit Christus omnes benedictiones nostras solennes, ut quem admodum Euangelion est potentia Dei ad salutem omni credẽti, ita & illæ benedictiones, quæ sunt pars Euangelii, sunt omnibus excipientibus eas ex fide, efficaces ad consequenda hæc beneficia Dei, quæ uerbis optantur. Proinde non sunt aliter à proximo nostro excipiendæ, q̃ uoces è cœlo ad nos delatæ, & per ipsosmet angelos adnũciatæ. Nam hac in parte maxime uerũ est, quod uulgo aiunt: homo homini Deus. Sed de hac re aliàs quoq; diximus. Proinde audiamus nunc eam cõcionem, quam Simeon benedictioni suæ adiecit. Et dixit ad Mariam matrem eius: Ecce positus est in ruinam, & in resurrectionem multorũ in Israel, & in signũ cui contradicetur. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut reuelentur ex multis cordibus cogitationes. Amabo te, quomodo hæc inter se conueniunt? Antea ornauit Simeon Christum clarissimis titulis, uocauit eum salutare Dei, lumen gentium, & gloriam Israelis, mox benedixit parentibus Iesu, optauit illis in puero Iesu omnia fœlicia ac prospera, nunc autem planè, ut apparet, diuersum de Christo concionatur: Dicit eum fore ruinam multorum in Israel, & in signum contradictorium. Quomodo hæc cõueniunt cum titulo salutaris, & gloriæ? Et addit, gladium, hoc est, maximum dolorem inuasurum Mariam propter filium suũ. Hæccine est benedictio, quam Maria è filio suo consequetur? At non delyrat hic senex, nec mente sua destitutus hæc loquitur, sed sicut antea Christum laudauit, & parẽtibus eius benedixit è spiritu sancto, ita & hæc concionat̃ è spiritu sancto. Hæc eñ concio, quam Simeon encomio & benedictioni suæ ueluti appendicem addit, admodũ necessaria est, nõ tantũ ob hãc causſam, ut doceat, quomodo laudes & benedictiones eius accipiẽdæ sunt, sed etiã ob eã causam, ut manifeste exponat, quo modo oĩa uaticinia & ꝓmissiones de Christo in uniuersa scriptura intelligendæ sunt. De Christo. n. magna & admirãda in scriptura p̃dicant̃: Primum, ꝙ sit redẽptturus omnẽ populũ Israel. Deinde, ꝙ nullus nec audeat nec possit ei resistere. Postremo, ꝙ sui habituri sint in ipso omnẽ fœlicitatẽ, & perpetuã uitam. Ne igit̃ hæc carnaliter, & iuxta mores huius seculi intelligant̃, depingit nũc Simeon externam formã ac faciẽ Christi, quali ille sese huic mundo ostensurus ac declaraturus est, ut doceat, ea quæ de regno & maiestate Christi scripta sunt, non carnaliter sed spũaliter intelligẽda esse. Dicit ergo primũ: Ecce posit9 est hic ĩ ruinã, & in resurrectionẽ multoꝝ in Israel. In ꝓphetis eñ scriptũ est, ꝙ regnãte Messia, Israelitæ nõ sint am-

Benedictiões uulgares non sunt uanæ.

Pacis filius quis?

Bonæ precationes pars Euangelij.

Christus ruina Israelis,

plius casuri corã inimicis suis, sed sint uicturi in summa securitate & fœlicitate. In die bus illis, ait Hieremias, saluabitur Iuda, & Israel habitabit confidẽter. Et iterũ: Ne timeas serue meus Iacob, & ne paueas Israel. Quia ecce ego saluũ te faciã de longin quo, & semẽ tuũ de terra captiuitatis tuæ. Et reuertẽt Iacob, & requiescet, & prospe rabit, & non erit qui exterreat eũ. Et Amos: In die illa, inquit, suscitabo tabernacu lũ Dauid, quod cecidit, & reædificabo aperturas murorũ eius, & ea quæ corruerũt, reædificabo. Ac mox: Et plantabo eos sup humũ suã, & non euellã eos ultra de ter ra sua quã dedi eis, dicit Dñs Deus. Quin & Simeon in carmine suo uocauit Chri stũ salutare Dei, & gloriam Israelis, quo significauit, Israelẽ nũc, nato Christo, glo riosum fore, & summã saluté habiturũ. Ne igit hæc ita intelligerent, quasi oẽs car nales & externi Israelitæ in Christo ita saluarent, ut in hoc seculo tranquillã uitã du cerẽt, & post hanc uitã sempiterna fœlicitate fruerent, ostẽdit Simeon, Christũ ne quaq̃ talẽ fore in hoc seculo regẽ, ut oẽs Israelitæ externã in eo tranquillitatẽ habe ant, sed talẽ, qui in hoc seculo nihil minus appareat q̃ rex, qui sit despectus & nouis simus uiroꝝ, plenus doloribus & infirmitatibus. Vnde, etsi multi Israelitæ, nihil offensi formis crucis, in ipsum credẽt, & in eo resurgẽt, ac ppetuã saluté iuxta ꝓmis siones ante cõmemoratas consequent, tamẽ plures hac horribili specie Christi ita offendent, ut auersuri sint ab ipso uultũ suũ, & eũ tanq̃ summã maledictionẽ abomi naturi. His ergo positus est Christus in talẽ ruinã & casum, ut & in hoc seculo affli gant, tũ in corpore, tũ in conscientia, & in futuro, sempiterno supplicio afficiant. Ea dẽ planè Paulus ex Esaia de Christo cõcionat ad Romanos: Impegerũt, inquiẽs, in lapidẽ offendiculi, quẽ admodũ scriptũ est: Ecce pono in Zion lapidẽ offendi culi, & petrã offensionis, & oĩs q̃ credit in eo, nõ pudefiet. Et Petr9, in priori sua epi stola capite secũdo: Vobis, inqt, precios est lapis, qui creditis. Cæteꝝ iis, qui non credũt, lapis quẽ reꝓbauerant ædificãtes, & lapis in quẽ impingit, & petra ad quã offenditur. Quin & ipse Christus in Ioanne ait: In iudicium ego in hunc mun dum ueni, ut qui non uident, uideant, & qui uident, cæci fiant. Est igitur CHRISTVS duplicis formæ: Altera est lapis offensionis, petra scandali, lapis ab ædificatoribus reprobatus, laqueus & ruina. Habet aũt Christus in se du os potissimũ næuos aut uerrucas, quibus hæc forma aut potius deformitas ei affin git. Prima uerruca est, humlitas externæ cõuersationis, & abiectio corã hoĩbus, qua hi, qui expectant Messiã in hoc mũdo glorios um, & qui nõ q̃runt nisi carnalẽ fœlici tatẽ huius seculi, ita offendunt, ut Christus eis, prsus fit stulticia. Secũda uerruca est, doctrina Christi, qua condẽnat oẽm hoĩm iusticiã, & docet nulla opera posse corã Deo iustificare factorẽ, nec posse ea mereri gratiã Dei, ac uerã fœlicitatẽ, sed solã re missionẽ peccatoꝝ p ipsum, esse iusticiã nostrã corã Deo. Ex hac doctrina, offen dunt partim hypocritæ ac Pharisæi, qui cũ audiũt bona opa in causa iustificatiõis reiici & condẽnari, abominant Christũ, tanq̃ hæreticũ longe oĩm impiissimũ: par tim offendunt etiã hoĩes carnales, licentiã carnis sectãtes. Hi. n. cũ audiunt bona o pera nõ iustificare, q̃is scelerũ genera secure ppetrant, & quod libet, sibi licere pu tãt. Atq; his oĩbus Christus est lapis offendiculi, lapis reꝓbatus, laqueus & ruina. Altera forma, Christus est lapis anguli, lapis precios us, liberatio & resurrectio. Mis sus enim est in hunc mundum à Deo patre suo, ut congregaret filios DEI in unum, non solum ex Israel, sed etiam ex gentibus. Ipse enim, inquit Pau lus, est pax nostra, qui fecit ex utrisque unum. Ac mox: Iam non estis ho spites & incolæ, sed cõciues sanctoꝝ, ac domestici Dei, superstructi sup fundamentũ Apostoloꝝ & prophetaꝝ, summo angulari lapide ipso Iesu Christo. Adhæc mis sus est Christus in hũc mundũ, ut satisfaceret p pctis hoĩm, & Satanã ac mortẽ uin ceret. His igit, qui in Christũ credũt, & huic p̃dicationi de Christo fidẽ adhibent, fit

Christus rex spiritualis.

Christi du plex facies.

Christi uer rucæ.

Christus lap is angularis,

Christus liberatio & resurrectio, uidelicet, ut per ipsum liberentur à peccatis & Satana, ac à morte resurgant in uitam sempiternam. Itaq; non est sentiendum, q̃ omnes externi Israelitæ aduentu Messiæ saluentur, sed q̃ hi qui credunt in Christum, siue sint ex Iudæis siue ex gentibus, consequentur omnes promissiones Christi, in hoc quidem seculo per fidem, in futuro autem, perpetuo promissarum rerum fructu. Reliqui uero, qui non credunt, abiicientur in perpetuas tenebras, & in sempiternum interitum. Habes, quibus Christus sit salus, lumen, & gloria, quibus item sit casus, excæcatio, & confusio. Deinde positus est Christus (inquit Simeon) in signum cui contradicitur. Est & hæc de Christo contio necessaria. Nam de Christo dicitur: Orietur in diebus eius iusticia, & abundantia pacis donec auferatur luna. Et dominabit̃ à mari usq; ad mare, & à flumine usq; ad terminos orbis terrarum. Coram illo procident Aethiopes, & inimici eius terram lingent. Et mox: Adorabunt eum omnes reges, omnes gentes seruient ei. Et rursus: Adorabunt ipsum semper, tota die benedicent ei. Ac in Esaia: Gens & regnum, quod non seruierit tibi, peribit, & gentes solitudine uastabunt̃. Ex his promissionibus de Christo, expectabant carnales Iudæi, aduentu Christi tantam rerum omnium tranquillitatem in toto orbe terrarum fore, ut non tantum Iudæi, uerumetiam omnes aliæ gentes sint Messiæ tanq̃ summo regi seruituri, nec quispiam inueniatur, qui ei, non dico, resistere, sed nec uel mutire aduersus ipsum audeat. Expectabãt quoq;, aduẽtu Christi summam fore concordiam omnium populorum in religione Christi, & pollicebantur sibi, Christum omnes gentes in unam Iudæorum religionem redacturum, nec quenquam futurum, qui audeat huic religioni contradicere, & nomen Christi persequi aut conuiciis inceffere. Sed hunc esse carnalem intellectum promissionũ de Christo, indicat nunc Simeon dicens: Positus est in signum cui contradicitur. Principio enim Christus est signum, hoc est, portentum & monstrum, quod præcipuis in hoc seculo, & maiori multitudini hominum tantæ abominationis est, ut auertant ab eo uultum suum, & execrentur illud ueluti catharma & peripsema huius seculi. Deinde, signum est, hoc est, ueluti scopus, ad quem sagittarii iacula sua dirigunt, ita in Christum tendit hic mundus arcum suum, & mitit in renes eius filias pharetræ suæ. Ad extremum, signum est, hoc est, uelut uexillum belli, ad quod diripiendum omnes ex aduerso hostes, quantis possunt uiribus contendunt. Hinc enim Iudæi, illinc gentes obstrepent ei. Et inter Iudæos, hinc abominabunt̃ eum Pharisæi, Sadducæi, Scribæ, Pontifices. Ac qui primarii Dei cultores uidebantur, hi primarii erunt Christi Dei persecutores, illinc uulgus aduersus Christum clamabit, crucifige, tolle eum. Inter gentes autem hinc gladium suum stringent in Christũ potentes & principes, illinc syllogismos suos aduersus Christum expediẽt philosophi ac sapientes huius seculi. Et quod admirãdum est, inter ipsos Christianos, hinc hæretici & schismatici Christũ diripient, illinc hypocritæ, sub nomine Christi, nomen Christi blasphemiis afficient. Atq; adeo hi sibi in omnibus huius terræ populis optimi ac præstantissimi uidebuntur, qui maxime omnium gloriam & maiestatem Christi in hoc seculo opprimunt & conculcant. Quæ cum ita se habeant, necessarium est, ut quæ prophetæ de maiestate Christi uaticinati sunt, non intelligantur de externa huius seculi, sed de spirituali maiestate, quã Christus habiturus est coram Deo Patre suo, & in iis, qui in ipsum credunt. Dominabitur enim à mari usq; ad mare, quia Euangelion Christi spargetur in totum orbem terrarum, & per illud ita dominabitur, ut colligat ex oĩbus gentibus, qui in ipsum crediturí, & nomen eius adoraturi, adeoq; tota die ipsum benedicturi sunt. Ac alii quidẽ oẽs

Christus signum contradictorium.

Carnalium expectatio de Christo.

Christus portentum.

Christus scopus sagittariorum.

Christus uexillum belli.

Christo, q̃ contradicunt.

Christi Dominium.

contradicent & resistent ei, sed tamen uel tandem peribunt, & solus Christus omnia erit in omnibus, regnabitq; perpetuo cum his, qui in ipsum crediderunt. Cæterum hæc concio de Christo, etiam hisce temporibus non est ociosa aut supervacanea. Sunt enim homines quidam salutis suæ adeo negligentes, ut palàm fateantur, se in tot dissidiis ac contentionibus religionis nostræ, nulli parti fidem adhibituros, sed interim ciuilia sua negocia tractaturos, donec absq; contradictiõe definitum & declaratum fuerit, quæ sit uera religio, aut fides. Hi ergo impii procrastinatores ex hac Simeonis cõcione discent, quo tempore uoti sui compotes erũt. Christus (inquit) positus est in signum cui contradicitur. Nemo seipsum fallat, nemo uana spe seipsum decipiat, putans fore aliquando in hoc mundo, ut, non dico omnes gentes, sed omnes tantum qui Christiano nomine censentur, in ueram maiestatem Christi absq; contradictione consentiant. Fuerunt enim semper antichristi, & nunc sunt antichristi, & erunt semper antichristi donec hoc seculum pertransierit. Quare abiice hanc uanam expectationem, & da operam, ut in tempore, dũ lux lucet, Christum uere agnoscas. Sunt & alii homines in fide Christi adhuc imbecilles, qui contentionibus & contradictionibus fidei offenduntur. Horum quoq; offendiculo medetur cõcio ista Simeonis, & monet eos, ut in fide Christi constẽt, nec propter contradictiones ab ea dimoueant. Positus enim est Christus in signũ contradictionis, non quia non sit uerus Christus, sed quia hic mundus, qui est mendax, non possit ueritatem Christi ferre. Vnde, quanto plus mendacium ueritati cõtradicit, tanto maior fides ueritati adhibenda est. Postremo, uertit Simeon sermonem suum ad Mariam matrẽ Iesu, & dicit: Tuam ipsius animam pertransibit gladius. Hoc dicto iterum significat, promissiones de Christo non esse carnaliter intelligendas. Nam de conditione eorum temporum, quibus Christus regnaturus est, Esaias ita scribit: Ecce ego, inquit Dominus, creo Hierusalem exultationem, & populum eius gaudium, & exultabo in Hierusalem, & gaudebo in populo meo, & nõ audietur in ea ultra uox fletus & uox clamoris. Et iterũ: Ponam te in superbiã populorum, gaudium in generatione & generationem. Iam, si aduentu Christi populus eius perpetuo gaudio afficietur, certe tale gaudium præcipue ad matrẽ quoq; Christi pertinere uidetur. Si enim filius alienos lætitia perfundit, quanto magis id præstabit matri suæ? Sed docet hoc in loco Simeon, gaudium quod electis & Mariæ è Christo continget, non posse intelligi de carnali gaudio & uoluptate. Penetrabit, inquit, gladius tuã ipsius animam, hoc est: Præclara de filio tuo, Maria, à prophetis adnunciata sunt, lætissima de ipso ab angelis tam aliis, quàm tibi ipsi reuelata sunt, quin & ego ipse magnifica de ipso è spiritu sancto paulo ante prædicaui. Proinde expectas fortasis in eo multam huius seculi fœlicitatem, & polliceris tibi de ipso in hoc mundo ingens gaudiũ, glorioſum honorem, & nescio quas maiestates, sed caue ne erres. Magnus est, fateor. Vnigenitus Dei filius est, fateor. Messias & saluator mundi est, fateor, attamen parum gaudii & exultationis de ipso in hoc seculo habebis. Cœlum ipsum in hac terra expectas, sed inferni potius dolores te propter ipsum in hac uita obruent. Magnam lætitiam tibi promittis, sed extrema tristicia propter ipsum afficieris, adeoq; gladius doloris animam tuã penetrabit. Videbis enim adhuc ipsum cõtemptissime tractari, & turpissima morte condemnari, ac crudeliter tanquam hominem longe omnium sceleratissimum in cruce occidi, idq; ab ipsis Iudæis populum Dei sese gloriantibus, quæ tãto te dolore afficient, ut mors multo optabilior esset, nec aliter afficieris quàm si quis anciptiti gladio cor tuum transfigeret. Quare, quæ de gaudio per Christum afferendo

Antichristi semper fuerunt sunt & erunt.

Imbecillitatis fidei medela.

Fœlicitas temporũ Christi.

Doloris gladius, in Maria.

scripta

ſcripta ſunt, non intelligas de carnali, ſed de ſpirituali gaudio, quod habebit cõ ſcientia per fidẽ corã Deo, propterea q̃ Chriſtus placauit patrẽ, & ſatisfecit pro peccatis noſtris, ac impetrauit nobis, ut habeamus in ipſo, poſt hanc uitã, ſempiternã fœlicitatẽ. Atque hic mihi uide, quam ſortẽ Chriſtus his, qui maxime ipſi cognati ſunt, in hoc ſeculo tribuat. Nõ aũt loquor de cognatis carne, ſed de cognatis fide, inter quos & Maria mater eius adnumeranda eſt. Quo eñ quis magis Chriſto per fidẽ cognatus eſt, eo maiores ipſi afflictiões in hoc ſeculo Chriſtus immittit. Cuius rei exempla tibi ſunt, Abel, Ioſeph, Dauid, prophetæ, & oẽs quotquot Chriſtũ fide agnouerũt. Nec mirũ. Non eñ eſt ſeruus maior Dño ſuo. Et iuſtũ eſt, ut quo ſignaculo Pater filiũ ſuum in hoc mundo cõſignauit, eodẽ quoq; filius cognatos ſuos conſignet. Quid igit̃ faciemus? Num ideo Chriſtũ reiiciemus, ne, dum cognati eius per fidẽ efficiamur, multis afflictionibus obruamur? Abſit. Sed eo magis Chriſto per fidẽ iũgamur, ut quemadmodũ ipſe per crucẽ & mortẽ intrauit in gloriam patris ſui, ita &, agnoſcens in nobis ſuarũ paſſionũ ueſtigia, ducat nos per afflictiones in ſempiternã ſalutẽ. Quoties igit̃ propter Chriſtum affligimur, quoties propter confeſsionẽ Euangelii de iuſticia fidei in Chriſtũ aduerſa patimur, meminerimus ad Mariam dictũ eſſe: Tuam ipſius animam gladius penetrabit, ut ex hoc dicto conſolationẽ accipiamus, & in fide cõfirmemur, q̃ eo magis cognati ſimus Chriſti, quo grauioribus doloribus affligimur. Sed quid eſt illud, quod Simeon in fine ſuæ cõtionis addit, dicẽs: Vt reuelent̃ ex multis cordibus cogitationes? Non ocioſe adiicit, ſed oſtẽdit hoc dicto, quid ex eo, quòd Chriſtus ſit poſitus in ruinã, in ſignum contradictionis, & in gladium eorum qui ipſi maxime cognati ſunt, inter homines conſequatur. Nam, quia Chriſtus tam deformi facie hominibus apparet, ideo palàm reuelantur latebræ & receſſus cordium humanorum, nimirum, q̃ in corde hominum quamuis ſanctiſsimoꝝ ſumma lateat impietas in Deum, & extrema incredulitas in Chriſtum Domini. Priuſquam enim Chriſtus hac deformi facie apparet, impietas cordis humani prorſus abſcondita eſt & ignota, ac hi uidentur maxime ad Chriſtum pertinere, qui ſunt ab eo alieniſsimi. Poſtquam uero deformitas faciei Chriſti reuelatur, & palàm prædicat̃, ibi tum erumpit impietas cordis, & manifeſtatur incredulitas eius. Nonne ante reuelationem Chriſti, Caiphas, Annas, Sacerdotes, Scribæ & Phariſæi, uidebantur ipſiſsimus eſſe populus Dei? At reuelato Chriſto, impietatem ſuam uſq; adeo declararunt, ut nemo antea credidiſſet, eos tam uirulentos eſſe oſores Dei. An non ante Chriſtum, omnes Iudæi uidebantur planè eiuſdem religionis, quòd omnes expectabant Meſſiam, omnes iiſdem cærimoniis utebantur, omnes eadem ſacra faciebant, eandémque legis doctrinam audiebant? Sed aduenientẽ Chriſto manifeſte apparuit, maximam impietatis lernam antea, ſub ſpecie eiuſdem religionis, in cordibus eorum latuiſse. Alius enim non requirebat CHRISTVM, alius contemnebat, alius conuiciabatur, alius perſequebatur, alius condemnabat, alius clamabat, tolle, crucifige eum. Et qui credebant in ipſum, Apoſtoli, Diſcipuli, & mater eius, nihilominus tamen, uidentes eum à Pontificibus condemnatum, & turpi cruci affixum, offendebãtur in eo, adeoque apparebat tunc, ipſorum quoque cogitationes uanas, & corda impia eſſe. Iam uide mihi, an non & hiſce noſtris temporibus multorum cordium cogitationes ex reuelatione Euangelii manifeſtentur? Quis enim antehac unquam credidiſſet, ſummos pontifices, ſacrificulos, & monachos, eſſe impios eccleſiæ Chriſti deuaſtatores? quin potius ab omnibus habiti ſunt eccleſiæ columnæ & propugnacula. Nunc autem, quia reuelatur Euangelion de iuſticia

Chriſtianorũ ſors in hoc ſeculo.

Cordis impietas reuelatur ex Chriſto.

fidei, propter Christum, reuelantur quoque cogitationes cordium ipsorum, & apparet ipsos longe omnium impiissimos esse, eo quòd Euangelion, quod antea sepropugnare gloriabantur, nunc crudelissime persequant. Quid dicam de aliis hypocritis, quos certe nemo putasset hactenus Dei osores esse, sed uidebant esse sanctissimi? quid aũt de his nũc fiat, uide. Reuelato Euangelio, reuelant & impiissimæ cordium ipsorũ cogitationes, uidelicet, quòd abnegato uero Christo, tot Christos sibi effinxerint, quot opera ad satisfaciendũ pro peccatis suis, & ad placandã iram Dei fecerunt. Atq; adeo, Christo reuelante deformitatem externæ suæ faciei, reuelantur impietates cordiũ, non in hypocritis tantũ, uerumetiã in omnibus aliis hominibus. Reuelant aũt, non ut in impietate pereamus, nõ eñ uult morte peccatoris, & non uenit in hũc mundũ, ut condẽnet mundũ, sed reuelant, ut ipsam agnoscamus, & per fidẽ resipiscamus in Christo Iesu Domino nostro, qui est unà cũ Patre & Spiritu sancto Deus laudandus in secula Amen.

Christorum multitudo.

HOMILIA XVIII.

AVdiuimus testimoniũ Simeonis ciuis Hierosolymitani de Iesu Christo, audiamus nunc testimoniũ Hannæ mulieris uiduæ. In ore .n. duũ aut triũ, inquit scriptura, stat omne testimoniũ. Sicut aũt testimoniũ Simeonis nõ magni reputabat coram mũdo, pp terea q̃ Simeon uidebat ob seniũ delyrare, & erat paruæ admodũ existimationis in hoc seculo, attamen, quia qd̃ testatus est, è spũ sancto testatus est, testimoniũ eius nõ tanq̃ hoĩs, sed tanq̃ spũs sancti oraculũ à piis agnoscitur: ita eluſit fortasis quispiã impudens homo testimoniũ, quod Hanna Christo exhibuit, & reiecit illud, quia Hanna sit anus delyra, & minime idonea ad tã eximiũ negociũ, de Messia testificandũ. Sed quid ad pios, impiorũ cauillationes? Quod negociũ hic agit, negocium spũs, non huius seculi est. Ac scimus quidẽ, ad negocia huius seculi testificanda conquiri testes corã mundo claros & magni noĩs. Ad negocia aũt spiritus, hi testes præcipue idonei sunt, qui coram Deo nobiles & clari sunt, etiam si in hoc seculo nullã autoritatem habeant. Videamus igit, quàm magni nominis & claritudinis fuerit Hanna corã Dño Deo nostro, ut ex cõmendatione eius, autoritatẽ testimonii, quod Iesu Christo p̃buit, cognoscamus. Et erat (inquit) Hanna prophetissa, filia Phanuel de tribu Aser. Hæc processerat in diebus multis, & uixerat cum uiro suo annis septẽ à uirginitate sua. Et hæc uidua usq; ad annos octoginta quatuor, quæ non discedebat de templo, ieiuniis & obsecrationibus seruiẽs nocte ac die. Hæc est descriptio ac commẽdatio personæ Hannæ. Ac primum, dicitur filia Phanuelis de tribu Aser. Mirabitur ergo quispiam, qui fiat quòd Dominus non elegerit testem Christi sui, de celebriori aliqua, & honoratiori tribu, ni mirũ, Beniamin, aut Iuda, aut Ephraim. Inter duodecim eñ tribus Israel, Aser postremũ penè dignitatis locũ obtinebat. Vnde & Hanna eo abiectior in hoc seculo iudicabat, quo ex abiectiori tribu originẽ duxerat. Sed bene est: Deus habitat quidẽ in altis, humilia aũt respicit in cœlo & in terra, & eligit q̃ sunt ignobilia & contẽpta in hoc mundo, ut pudefaceret ea quæ sunt celebria & glorioſa. Proinde, quo humilior erat Hanna, ob humilitatẽ tribus suæ in hoc seculo, eo magis idonea ad testificãdũ de Christo, à Dño Deo nostro iudicata est. Deinde describit Lucas, eã uersatam esse in trib⁹ huius uitæ generibus, uirginitate uidelicet, matrimonio, & uiduitate. Ac uirginitatẽ quidem sancte seruauit, donec legitimo marito nuberet. Post in matrimonio uixit pudicissime septem annis. Cum autem maritus eius diem

Hannæ descriptio.

suum

ſuũ obiret, pmanſit uidua, in quo uitæ genere honeſtiſsime uixit, & ptigeratiã, cũ Chriſtus in templum offerretur, octuageſimum quartum ætatis ſuæ annũ. Quod igitur ad hæc tria uitæ genera attinet, Hanna nullo honore alias matronas excellebat, ſunt enim uulgaria & communia. Quod autem attinet ad fidem & pietatem eius, qua in his uitæ generibus uerſata eſt, ſi non coram mundo, certe coram Deo celebris ac glorioſa fuit. Quia enim expectauit redemptionem Iſrael, hoc eſt, credidit in Chriſtum, & ſeruiuit ex hac fide uocationi ſuæ, ideo non fuit minus Deo grata, cum eſſet uxor, in legitimo coniugio, quàm cum eſſet uirgo aut uidua in cœlibatu. De his enim tribus uitæ generibus, uirginitate, matrimonio ac uiduitate, non ſunt audiendi monachi & hypocritæ, qui ſentiunt ea tale habere corã Deo (non, inquam, coram hoc mundo tantum, ſed etiam coram Deo) diſcrimen, ut uirginitas & uiduitas longe præſtent matrimonio in oculis & iudicio Dei. Ac tribuunt uirginitati fructum ſeu meritum centeſimum, uiduitati ſexageſimum, matrimonio autem tanquam rei abiectæ & prophanæ, triceſimum. Et fuerunt etiam his ſuperſtitioſiores, qui matrimonio nullum locum fructus dederunt, ſed primum & centeſimum tribuerunt martyrio, ſecundum ſeu ſexageſimum uirginitati, tertium, qui eſt triceſimus, tribuerunt uiduitati. Matrimonium autem relegarũt inter ea genera uitæ, non quæ Deo grata ſunt, ſed quæ duntaxat indulgentia quadã permiſſa ſunt, & uix ſeparārunt illud à ſcortatione. Vnde & uox illa manauit: Nuptiæ terram replent, uirginitas cœlum, quaſi uero legitimi coniuges ad cœlum non pertinerent. Sed ualeãt illæ hypocriticæ ſuperſtitiões, & ſentiamus nos de his tribus uitæ generibus, id quod ſcriptura docet. Dicit autem ſcriptura: Reipſa comperio, quòd nõ ſit perſonarũ reſpectus apud Deũ, ſed in quauis gente qui timet ipſum & operatur iuſticiã, is acceptus eſt illi. Si uero pius acceptus eſt Deo, ſiue ſit de gẽte circũciſa, ſiue incircumciſa, quanto magis acceptus eſt pius Deo, ſiue in hoc ſiue in alio uitæ genere diuinitus ordinato uiuat. Et Paulus ait: Circumciſio nihil eſt, præpucium nihil eſt, ſed obſeruatio mandatorum Dei. Et iterum: Non eſt Iudæus, neq; Græcus, non eſt ſeruus neq; liber, non eſt maſculus ac fœmina. Omnes enim uos unus eſtis in Chriſto Ieſu. Ac mox: In Chriſto Ieſu neq; circumciſio quicquam ualet, neque præpucium, ſed noua creatura. Si autem in Chriſto nihil prodeſt circũciſio, quæ tamen in lege Moſi ſeueriſsime mandata erat, & non obeſt præpucium, quod tamen in lege abominabile iudicatur, quomodo poſſet in Chriſto uirginitas aut uiduitas per ſe præferri cõiugio? Fatemur quidem, hæc tria uitæ genera in hac corporali uita magnum inter ſe diſcrimen habere, & donum uirginitatis ac uiduitatis præſtantius eſſe coniugio, ſi non coram Deo ad iuſtificationem, ſed coram hoc mundo, ad rationem agendæ uitæ, inter ſe comparentur. Sicut enim donum eloquentiæ præſtat architectonicæ, & donum prudentiæ adminiſtrandæ Reip. præſtat agriculturæ, ita donum uirginitatis ac uiduitatis ſuperat cõiugium. Vnde Paulus ait: Qui cœlebs eſt, curat ea quæ ſunt Domini, quomodo placiturus ſit Domino. At qui duxit uxorem, ſollicitus eſt de his quæ ſunt mũdi, quomodo placiturus ſit uxori. Diuiſa ſunt hæc duo. Innupta curat ea, quæ ſunt Domini, ut ſit ſancta cum corpore tum ſpiritu. Contra, quæ nupta eſt, curat ea quæ ſunt mundi, quomodo placitura ſit uiro. Quibus uerbis Paulus non præfert cœlibatum coniugio coram Deo, in ratione iuſtificationis. Non enim ſentit, cœlibatum magis iuſtificare quàm coniugium, ſed præfert eum coram mundo, in ratione agendæ uitæ. Qui enim cœlebs eſt, & habet donum continentiæ, is liberius uitæ genus habet, & poteſt maiori tranquillitate operam dare ſtudio ſacrarum literarum, & publicis in eccleſia ſacris. Qui autem non habet donum continentiæ, & init coniugium, is non habet

Virginitas
Matrimoniũ.
Viduitas.

Cœlibatus.

Coniugium.

amplius tantam libertatē uiuendi, nec poteſt ſemper publicis ſacris in eccleſia adeſſe, ſed neceſſe habet uxori & liberis uictum quærere, & alia negocia tractare, quibus impeditur, quo minus queat continuam operā dare publicis ſacris. In ratione igit̄ tranſigendæ uitæ in hoc ſeculo, cœlibatus multū præſtat cōiugio. In ratione autē iuſtificationis coram Deo, profecto ita ſe res habet, quòd ſicut prudens Reipub. adminiſtrator non magis iuſtificatur coram Deo propter prudentiam ſuam, quàm architectus propter artem ſuam, & orator nō eſt magis iuſtus coram Deo propter eloquentiam ſuā, quàm ruſticus propter agriculturā ſuam: ita uirgo aut uidua, nō magis meretur iuſtificationem propter uirginitatem aut uiduitatē ſuā, quàm coniunx propter cōiugium, & cōiugalia officia ſua. Remiſsio enim peccatorū & iuſticia coram Deo non cōtingit propter noſtra opera, ſiue uirginitatis, ſiue uiduitatis, ſiue coniugii, ſed tm̄ propter Chriſtum per fidem. Ex qua fide unusquiſque poſtea ſeruire debet ſuæ uocationi, ſiue uirgo ſiue uidua ſiue coniunx fuerit, non quòd hæc opera ſatisfaciant pro peccatis noſtris, & iuſtificent nos coram Deo, ſed quòd fieri debeant, ut habeamus teſtimonia fidei noſtræ, & Deo ad teſtificandā gratitudinē noſtram obſequamur. Hæc ergo tria uitæ genera per ſe coram Deo æqualia ſunt, & ſicut Paulus de fœmina & mare dicit: In Chriſto Ieſu non eſt mas, non eſt fœmina, ſed noua creatura, ita de his generibus uitæ uere dicitur: In Chriſto Ieſu non eſt uirgo, non eſt uidua, non eſt coniunx, ſed noua creatura. Nihilominus tamen fiunt & ipſa inæqualia corā Deo, nō quidē per ſeſe, ſed per inæqualitatē perſonarū in his uitā ſuam agentiū. Da uirginem aut uiduā credentem, quòd habeat remiſsionem peccatorū propter Chriſtum, & ſeruientem ex hac fide ſuæ uocationi, tunc uirginitas aut uiduitas erit optima. Da coniugem piam fide & obſequiis fidei, tunc & coniugium erit optimum. Vnde ſanctus ille Auguſtinus non audet uirginitatem Ioannis Baptiſtæ præferre coniugio Abraæ. Rurſus, da uirginem impiam, & coniugem piam, profecto erit tunc coniugium optimum, & uirginitas peſsima. Aut, da uirginem piam & coniugem impiā, tunc erit uirginitas optima, & coniugium peſsimū. Breuiter, talia erūt hæc uitæ genera coram Deo, quales ſunt perſonæ quæ in his uitam agunt. Quare in eligendo genere uitæ non hoc ſentiendū eſt, alterum altero corā Deo magis iuſtificare, ſed magna opera adhibenda eſt, ut in eo uitæ genere, quod nobis diuina ordinatione & uocatione cōtigit, Domino Deo noſtro placeamus. Tunc aūt placebimus ei, ſi crediderimus, quòd Chriſtus nobis placauerit patrē, & remiſerit nobis peccata gratis propter ſuā miſericordiā, quam fidē tunc nobis ipſis certam reddemus, ſi ex ea uocationi noſtræ obediēter ſeruiamus. Quæ cum ita ſe habeant, reuertemur nunc ad Hannam, cuius occaſione in hanc de tribus uitæ generibus diſputationē incidimus. Hæc eñ Hanna, ut placuit Deo in uirginitate & uiduitate, ita non minus placuit ei in coniugio. Qua de cauſſa? Nū quia uirgo aut coniunx? Minime, ſed quia expectauit redemptionem Iſrael, credidit in Meſsiam, quòd is expiaturus eſſet peccata ipſius, & ex hac fide ſeruiuit Dño operibus tā uirginitatis, q̄ coniugii. Adhæc, cū uidua eſſet, non diſcedebat, inquit Lucas, de templo, ieiuniis & obſecrationibus ſeruiens nocte ac die. Nonne ergo meliora fuerunt opera uiduitatis quàm coniugii? In cōiugio neceſſe habuit domum adminiſtrare, & liberos educare. In uiduitate autem, non diſceſsit de templo, ieiuniis & obſecrationibus diu noctuq̄ ſeruiuit, quæ opera, non dices præſtantiora operibus coniugii? Fateor, hæc opera uiduitatis, quæ de Hanna commemorantur, ac commodatiora ſunt ad audiēdum uerbū Dei in templo prædicatum, & ad faciēda publica ſacra, non autem ſunt meliora ad expianda meritis ipſorum peccata. Ac

Hanna unde placuit Deo.

tranquilliora quidem sunt ad peragendam hanc uitam, non autem sunt sanctiora ad satisfaciendum dignitate ipsorum pro peccatis, & ad promerendam uitã æternam. Sed ut hoc uitæ genus, quod Hanna in uiduitate obseruauit, melius intelligatur, animaduertendum est, solennem fuisse in Iudaismo consuetudinem, quòd mulieres aliquot piæ ac religiosæ ante ostium tabernaculi testimonii excubuerint, ac publicis sacris sine intermissione operam dederint. Et hæ mulieres dicebantur exercitus Deo militantes, quòd sicut strenui milites pro castris suis excubant, ne ab hostibus diripiantur, ita hæ mulieres strenuam operam in faciẽdis sacris ante ostium tabernaculi nauabant, ne cultus Dei abiectus & contemptus haberetur. Horũ exercituum mentio fit in Exodo capite tricesimo octauo: Fecit, inquit scriptura, labrum æneum cum basi sua, sub aspectu exercituum, hoc est, mulierũ, quæ militabant ante ostium tabernaculi testimonii. Et in priori libro Samuelis, capite secundo: Filii Eli dormiebant cum mulieribus, quæ excubabant ad ostium tabernaculi. In catalogum igit᷑ harum mulierum, quæ Deo in templo semper militabant, tradidit sese Hanna post mortem mariti sui, & uixit ibi religiosissime, non enim discedebat de templo. Existimo enim, aut eiuscemodi mulieres priuata habuisse habitacula in atriis templi, aut hoc intelligendum esse iuxta familiarem modum loquendi, quòd ea non dicatur de templo discedere, quæ semper in omnibus publicis sacris præsto adest, & nulla sacra negligit, etiamsi suo tempore ad ædes suas abeat. Sic & de eo quod sequitur, sentiendum est: Ieiuniis & obsecrationibus seruiẽs nocte ac die. Quomodo Hanna semper diu noctuq; ieiunauit & orauit? Quando præbuit corpori necessarium uictum, ne deficeret? quando iuxta naturæ necessitatem somnũ cepit? Cum igitur non potuit ita ieiunare & orare, ut nec cibum sumeret, nec dormiret, intelligendum est id iuxta uulgi sermonem, quo is noctu diuq; aliquid facere dici t᷑, quod frequentissime omniũ facit. Ille diu, inquimus, noctuque potat, cũ interim & edat & dormiat, aliáque opera exerceat. Et alius diu noctuque scribit aut legit, quo significamus præcipua eius negocia esse scribendi aut legendi. Vnde & Hanna recte dicitur ieiuniis ac orationibus diu noctuq; seruiisse, quia hoc opus, hic labor, hoc artificium, hoc exercitium eius erat, ut siue mane siue uespere sacra in templo fierent, ipsa præsto aderat, nec committebat, ut ulla publica sacra negligeret. Nomine enim obsecrationis, non tantum preces, sed etiam omnia alia publica sacra, siue sacrificia & oblationes, siue prædicatio uerbi DEI, siue orationes & psalmorum cantus, intelliguntur. Et quia nemo potest utiliter his sacris uacare, nisi sobrius, propterea quòd qui dant operam crapulæ & commessationibus ac conuiuiis, hi non sumunt sibi ocium, ut sacris adsint, aut si adfuerint pleno ac distento uentre, in somnum potius uertuntur, quàm quòd serio obseruent, quid rerum sacrarum agatur. Ideo in scriptura ieiunia fere cum orationibus coniunguntur. Sic Iosaphat cum audisset incursionem Ammonitarum & Moabitarum in fines Israeliticos, contulit se totum ad precandum DOMINVM, & prædicauit ieiunium uniuerso Iudæ. Sic Dauid ait: Humiliabam in ieiunio animam meam, & oratio mea in sinu meo conuertetur. Sic Daniel rogabat & deprecabatur DEVM in ieiuniis. Neque enim fieri potest, ut uel attente uerbum Dei audias, uel serio cũ Deo loquaris, quod fit per orationẽ, nisi sobrius fueris. Quare diu noctuq; seruire ieiuniis & deprecatiõibus, nihil aliud est, q̃ semper sobriã uitã ducere, & rebus sacris in sobrietate uacare. Sed quo cõsilio, qua opinõe, inquies, Hãna ieiuniis & oratiõibus semper operã dedit? Nũ ea opiniõe, qua hypocritæ solent

Mulieres exercitus Dei.

In templo noctu diuq; uersari quid sit.

Orationis nomine, quid intelligatur.

Ieiunia.

ieiunare & orationibus uacare, nimirum, ut meritis horum operum satisfaciãt pro peccatis suis, & iustificentur coram Deo: non enim iam addam, ut glorificent coram hominibus? Absit tam impium à muliere piissima consilium. Hoc enim non est ieiunare & orare seu sacra facere ex fide, sed contra fidem. Vera enim fides requirit ut credamus, quòd Iesus Christus satisfecerit pro peccatis nostris, & q; Deus remittat nobis peccata nostra gratis, non propter merita nostrorum operũ, sed propter meritum Christi, adeoq; quòd reputemur iusti coram Deo, non per opinionẽ nostram propter opera nostra, sed per fidem propter Christum. Vbi igitur ieiunatur & oratur ea opinione, quòd merita horum operum expient peccata, ibi ieiunatur & oratur contra ueram fidem, & afficitur Christus blasphemia. Hanna autẽ his sacris operam dedit ex fide. Porro, sacris ex fide operam dare, primũ est credere, quòd propter solum Christum habeamus remissionem peccatorũ, & reputemur iusti coram Deo, deinde est sacra iuxta suam quæq; rationem & analogiam fidei facere. Ieiunii uero ratio est, non quòd iustificet merito suo ieiunatorem, sed quod sit opus, quo corpus in officio retinetur, ne rebellet menti, sed aptũ & idoneum sit ad obsequendum spiritualibus motibus mentis. Crapula enim & ebrietas non solum afferunt corpori incommoda ualetudinis, sed etiam perturbant mentem, & faciũt homines ferociores in iracundia, in libidine, & in omnibus aliis affectibus. Salomõ dicit: Vinum facit subsannatores, & ebrietas parit tumultus. Et Oseas: Vinum, inquit, & ebrietas auferunt cor. Ac Christus: Attendite, ait, ne corda uestra grauent crapula. Nunquam, inquit ille, ebrium castum putabo. Et: Sine Cerere & Bacchо friget, non tãtum Venus, sed & alii affectus. Sobrietas igitur aut ieiunium ad hoc ualet, ut corpus habeat frenũ, quo à perturbanda mente cohibeatur, & est is uerus usus ieiunii, ut fomenta carnalibus affectibus subtrahantur, ne si hi crapula & ebrietate excitentur, non sit ullus locus spiritui sancto. Sic & orationis usus ac ratio est, nõ quòd ex opere eius operato pro peccatis satisfiat, alioqui hypocritarum oratio eo magis pro peccatis satisfaceret, quo magis multiloqua esset, quod tamẽ Christus ipse damnat, sed quòd excitet atque alat fidem nostram, qua sola propter Christũ impetramus quod petimus. Quo eñ grauiores sunt afflictiones in piis, eo uehementior solet esse oratio & inuocatio auxilii diuini. Quo autem uehemẽtior est affectus orationis, eo maiori sollicitudine scrutat promissiones, quibus recepit Deus, se inuocantes nomen ipsius adiuturum. Quo plus uero promissiones Dei ob oculos reuocantur, eo magis excitatur & animat fides orantis. Hic est igitur usus orationis, quòd sit quasi folliculus quidam, quo sufflatur & inflammatur fides, quam in omnibus afflictionibus promissoni Dei adhibere debemus. Sic etiam longe alii sunt usus sacrificiorum, sacramentorum, & aliorum sacrorum ac operũ, quæ uerbo Domini præcepta sunt, quàm quòd sint satisfactio pro peccatis coram Deo, de qua re nunc nõ est dicendi locus. Quapropter Hanna ieiuniis & precatiõibus seruiuit, non ut propter opera illa coram Deo iustificaretur, sed ut ex fide propter Christũ iustificata, carnem suam ieiunio perdomaret, ac orationibus & aliis sacris, aut fidẽ suam confirmaret & testaretur, aut ex fide Deo obediret. Postremo, dicitur Hãna, prophetissa, qui titulus maxime omnium facit ad commendationem eius testimonii, quod Hanna Christo exhibuit. Prophetissa enim est, quæ habet spiritũ sanctũ, non modo mouentem ad credendum reuelatis Dei promissionibus, quod donũ omnibus ad salutem necessarium est, sed etiam reuelantem certos modos, certas personas, certa tempora, quibus promissiones Dei implentur. Hanna igitur tale donum Spiritus sancti habuit, quo non solum credidit promissionibus de Christo dictis

Ieiunij uera ratio.
Ebrietas.
Crapula.
Sobrietas.
Orationis uerus usus.
Prophetissa quæ dicatur.

dictis, sed quo etiam cognouit, hoc ipsum esse tempus aduentus Christi, & hūc puerum uerum esse Christum. Nec mirum, quòd Hanna tali donō spiritus prædita fuerit. Ante enim de ipsa scriptum est, quòd seruierit diu noctuq; ieiuniis & orationibus, quo, ut ostendimus, significatur, eam semper sobriam fuisse discipulam uerbi Dei. Auditus autem uerbi Dei, organon est, quo donatur spiritus sanctus. Quare, cum Hanna ex prædicatione uerbi Dei adepta est spiritum sanctum, agite dū, amicissimi, sectemur assidue auditum uerbi diuini, ut & nos clementia Dei id donum spiritus accipiamus, quo Iesum Christum Dominum nostrum uere agnoscamus. Habes nunc descriptionem personæ Hannæ, quam Euangelista ideo tot uerbis adumbrauit, ut indicaret testimonium eius, quod Christo dedit, è spiritu sancto profectum esse, & maximum ueritatis pondus atq; autoritatem habere. Audiamus igitur, quod sit illud testimonium. Et hæc ipsa hora superueniens, uicissim confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem in Hierusalem. Paucissimis uerbis testimonium Hannæ describitur, sed multa in his comprehenduntur. Cum enim Lucas ait: Vicissim confitebatur Domino, remittit lectorem ad testimonium Simeonis prius positum, & indicat, quòd sicut Simeon laudauit Dominum, & confessus ac testatus est, quòd is puer sit salutare Domini, lumen gentium, & gloria plebis Israel, hoc est, uerus Messias, ita & Hanna similiter laudat nunc Dominum, & palàm confitetur ac testatur, omnibus qui expectabant redemptionem, hunc infantem, uerum esse saluatorem & redemptorem, à prophetis prædictum, & tanto tempore expectatum. Qui autē hæc de isto infante prædicat, is simul etiam prædicat omnia ea, quæ prophetæ de Messia cōcionati sunt, uidelicet, q̄ is solus satisfaciat pro peccatis nostris, & uincat mortem, Satanā & infernum, ut nos propter ipsum per fidem iustificati uincamus etiam mortem, & per uaria genera afflictionum ad perpetuam fœlicitatem perueniamus. Cum igitur Hanna testaretur ciuibus Hierosolymitanis, qui expectabant redemptionem, hunc infantem esse Messiam, non tantum ipsos, uerumetiam nos omnes admonuit, ut in hunc solum fiduciam nostrā collocemus, & credamus, nos propter hunc solum habere peccatorum remissionem per fidem. Quæ cum ita se habeant, quis nunc suspicari posset, Hannam ieiuniis & precationibus ideo seruiisse, quòd sperauerit se propter opera illa remissionem peccatorum suorum consecuturam? Si ēm hac opinione ieiunauit, quare nunc prædicat in hoc infante redemptionē? Si aūt hoc prædicat, id quod in confesso est, profecto eo ipso testatur, se redemptionem, hoc est, remissionem peccatorum & salutem, non propter suam iusticiam, sed propter hunc Christum habere. Hanc igitur Hannam ponant sibi ob oculos, in exemplum fidei & morum, cum omnes mulieres, tum præcipue seniores uiduæ. Primū enim Hanna non despondit animum suum, quia uidua fuit, quod genus mulierū in hoc seculo miserum habetur, nec reiecit Christum, q̄ iam primum Christus in senectute ipsi reuelatur, sed quo miserior uidebatur, eo maiora sibi beneficia à Deo per fidem pollicebatur, & quanto in grauiori senectute Christum cognoscebat, tāto fortiori fide ipsum complectebatur. Sic & omnium aliarum uiduarum interest, ut exemplo Hannæ, non ob contemptum sui desperent, sed potius diuina clementia in suo uitæ genere fortiter confidant. Promisit enim Deus, se fore iudicem uiduarum, & atrocia supplicia minatus est his, qui uiduā malis afficiunt. Et ut palàm testaretur se uiduas summo fauore complecti, & ipsas in afflictionibus earum consolari uelle, misit prophetam Eliam ad uiduam Sareptanam, ut in rerum omnium penuria, farina uiduæ in cado non deficeret, neq; deesset oleū in urceo, usq; ad illū

cc
cc
cc

Hānæ testimonium de Christo.

Hanna exemplum omniū tam utrorum q̄ mulierum.

Viduæ.

diem, in quo Dominus daret pluuiam super faciē terræ. Adhæc effecit per uerbū prophetæ Elizæ, ut uacua uasa pauperis uiduæ implerentur oleo, quo illa creditoribus satisfaceret, quemadmodū est in quarto libro Regum, capite quarto. Quibus miraculis palàm testatus est Dominus, se uiduas in afflictionibus earum adiuturū. Proinde, quo miseriores sunt uiduæ, eo maiori fide in Domino constare debent. Sed & illud uiduis, præsertim senioribus, ab Hanna discendum est, q̄ sicut hæc in reuelatione Christi non respōsauit spiritui sancto: Quidē deficiam à religione maiorum meorum, & in tam graui mea senectute nouam fidem capessam? Certe manebo in fide parentum meorum, quoꝝ tempore hic puer nondū natus erat, nihilominus tamen credo ipsos saluatos esse. Talia, inquam, Hanna non respōsauit spiritui sancto, sed mox reuelationi eius obediit, & credidit in hunc puerum, q̄ ꝓpter ipsum habeat remissionem peccatorum & iusticiam: Ita seniores uiduæ non aduersentur pertinaciter Euangelio, quod nunc primum ipsis reuelatur, nec obuertant maiorum suorum & iuuētutis suæ religionem, quam nolint derelinquere, & nouū illud Euangelion agnoscere, sed præbeant sese dono Dei obedientes, & Euangelion de Iesu Christo fide accipiant. Hoc enim Euangelion, quod prædicamus de Iesu Christo, q̄ propter ipsum solum habeamus remissionem peccatorum, & placatum patrem in cœlis per fidem, non est noua religio, sed est noua & multo tempore incognita, aut neglecta ueteris & auitæ religionis nostræ reuelatio. Hæc fuit religio Adami, Abraami, omnium Patriarcharum, omnium Prophetarum, omniū Apostolorum, omnium deniq̄ piorum, qui fuerunt ab initio huius seculi, & erunt usq̄ ad consummationem seculi. Deinde habent quoq̄ uiduæ exemplum moꝝ & conuersationis uitæ suæ in Hanna. Sic enim & Paulus in priori epistola ad Timotheū capite quinto scribēs: Quæ, inquit, uere uidua est & desolata, sperat in Deo, & perseuerat in obsecrationibus & precationibus noctu diuq̄. Hoc tamē exemplū Hannæ ita sectandum est, ut nihilominus testimoniū, quod Hanna Iesu Christo exhibuit, semper ob oculos positum conseruetur, nimirum, q̄ peccata non remittant nobis propter iusticiam nostrorum operum, sed q̄ is Iesus sit uerus Messias & redemptor populi sui, propter quē solū remittant nobis peccata, & habeamus uitā æternam, qui est Dūs noster, unà cū Patre & Spiritu sancto Deus laudādus in secula Amē.

Euangelion Christi, nō est noua religio.

Viduarū cōuersatio.

HOMILIA XIX.

ABsoluimus natiuitatem & circumcisionem Domini nostri Iesu Christi, puerperiū item Mariæ, & testimonia, quæ à Simeone & Hanna infanti Iesu data sunt. Audiamus nunc incrementa ætatis Iesu, & quid in iis ab ipso gestum sit cognoscamus. Vt perfecerunt omnia (inquit Lucas) secundū legem Domini, reuersi sunt in Galilæam, in ciuitatem suam Nazareth. Puer autem crescebat, & confortabatur spiritu, plenus sapiētia, & gratia Dei erat in illo. Lucas pauciſsimis perstringit infantiam Christi, tum q̄ festinet ad descriptionem eorum, quæ Christus in ministerio suo Euangelico egit, tum q̄ ante ipsum Matthæus, ea quæ post puerperium ante duodecimum ætatis Iesu annum de ipso acta sunt, descripsit. Sed quoniam aliàs multæ nugæ de infantia Iesu Christi feruntur, nos addemus hic ea, quæ ex Euangelista Matthæo firma & certa sunt. Si quid præterea de infantia Christi iactatur, fides penes autores esto. Matthæus igitur scribit, q̄ angelus Domini apparuerit Iosepho in somnis, non quidem in Bethlehē, ubi natus erat Christus, sed in Nazareth, ad quam urbē post puerperiū & purifica-

Christi infantia.

& purificationem, iuxta legem Hierosolymis factam, reportatus erat, & monuerit eum, ut assumat puerum & matrem illius, ac fugiat in Aegyptum, & illic maneat donec reuocetur: futurum enim esse, ut Herodes quærat puerum ad perdendum eũ. Ioseph igit diuino oraculo obediens, in Aegyptũ secessit unà cum Maria & puero. Et cum interea temporis Herodes Bethlehemiticos pueros interimeret, mansit Ioseph in Aegypto usque ad obitum Herodis, hoc est, annis plus minus septẽ. Dicitur enim Christus anno regni Herodis tricesimo natus, Herodem autem regnasse triginta septẽ annis, passim historiæ testant. Quare cum Herodes, post septimum annum discessus Iosephi in Aegyptum, crudelissimo genere mortis interiisset, Ioseph itẽ oraculo admonitus ex Aegypto ad patriã rediit, & quia timebat, ne Archelaus filius Herodis eadẽ tyrannide, qua pater, in pueros è familia Dauidis natos grassaret, non est profectus in fines Bethlehemiticos, sed secessit in partes Galilææ, ac habitauit in ciuitate Nazareth. Hæc de infantia Christi certa & firma sunt, quæ ideo hic cõmemoraui, ut his cõtenti, uanas nugas de infantia Christi repudiemus. Postq igit Ioseph post mortẽ Herodis in Galilæã rediisset, puer interim quemadmodũ Lucas scribit, succrescebat, corroborabaturq spiritu, & implebat sapientia, & gratia Dei erat super illum. Quid audio? inquies: An nõ Christus natura uere Deus erat, quid ergo dicitur corroborari spiritu & impleri sapientia? quasi uero non esset unus Deus cum Spiritu sancto, & non possideret ab æterno totam ac perfectam sapientiam? Et si dicamus, eum non diuinitate sed humanitate corroboratum esse spiritu, & impletum sapientia, mox obiiciet quispiam: An nõ Deus assumpsit hominẽ in unam personam, ut quas conditiones Deus habet, eas etiam haberet homo? Sicut ergo Deus ab æterno perfectam sapientiam possedit, ita etiam continuo dedit homini in unitatem personæ assumpto, ut haberet totã & perfectam sapientiam. Quid ergo Lucas ait: Corroborabatur spiritu & sapientia, quasi unà cum incremento corporalis ætatis creuerit quoq in Christo spiritus & sapientia? Sed ad hæc facile potest responderi, si discernamus maiestatem & humiliationem Christi. Potuisset enim Christus iuxta potentiam & autoritatem maiestatis suæ, statim ab initio humanæ suæ natiuitatis, & perfectus statura corporali, & perfectus sapiẽtia spirituali esse, sed quia assumpsit nostri causa hominem, ideo noluit hunc hominem statim pro maiestate sua ostentare, sed humiliauit & abnegauit semetipsum, ac omnes humanas imbecillitates, absq peccato tamen, in se recepit. Vnde quemadmodum alius quispiam infans paulatim adolescit tum corpore, tũ animo, ut & statura subinde augescat, & loqui ac sapere discat, ita infans Christus & corpore & animo adoleuit. Ac primum quidem nec fari, nec ambulare, nec sapere sciuit, sed tantum flere & portari, & foueri, deinde aũt progrediente ætate didicit loqui, ambulare & sapere, pro aliorum puerorũ more, hoc tm discrimine, q alii pueri in peccatis cõcepti ac nati, in peccatis quoq adolescãt, hic aũt puer è spiritu sancto cõceptus, in spũ etiã sancto adoleuerit. Non enim sentiendũ est, q alii infantes ac pueri nõ habeãt peccatũ, quia nondũ id externo oqe designauerint, nec propterea sunt coram Deo innocentes, quia coram hoibus uident innocentes, sed quæ cunq atrocissima scelera & impietates, in flagiciosissimis qbusq adultis hoibus uides, ea in infantibus latere, & corã oculis Dei apparere sentiendum est. Ac quẽadmodũ catulus lupi nondũ quidem oues ore suo dilaniat, attamen natura dilaniãdi oues non minor in ipso est, q in lupo adulto, ita natura peccãdi, imo & ipsa peccati impietas non minor est in infante, q in homine adulto. Quotquot enim ab Adam nascuntur, absq spiritu Dei nascuntur. Vbi autem non est spiritus Dei, ibi est

Christi adolescentia.

Infantes habent peccatũ.

ſpiritus Satanæ. Vbi aũt regnat ſpiritus Satanæ, quid non uitiorũ illic reperire ſ̃t? Ibi eñ non eſt timor Dei, ſed ignorantia Dei, ibi non eſt fiducia erga Deum, ſed cõtemptus & odium Dei. Cum igiť infantes ſint natura filii iræ, & concipiunť ac naſcuntur ſine ſpiritu ſancto, profecto manifeſtum eſt, q̃ in omnibus iis peccatis, quoꝝ ſpiritus Satanæ autor eſt, naſcuntur. Sed bene habet: Vnigenitus filius Dei aſſumpſit infantem, & oẽs infirmitates infantilis ætatis, non quidẽ ſua cauſſa, nihil eñ ipſe unq̃ peccauit, quo tales infirmitates meritus eſſet, ſed aſſumpſit eas infantiũ cauſa, ut his expiaret peccata infantiũ, & placaret eos Dño Deo noſtro, quo liberati è poteſtate Satanæ, filii Dei per Chriſtũ efficerenť. Proinde, ſaluti infantium omnino neceſſarium eſt, ut Chriſto per baptiſmum inſeranť, quo in filios Dei adoptati, & ſpiritu ſancto donati, in eodẽ etiam ſpiritu, ſapientia, & gratia Dei adoleſcãt, & miniſterio parentum, per eruditionem & correptionem Dñi educentur. Cæterum, quanq̃ Chriſtus humiliauerit ſeſe, quemadmodum diximus, & creuerit iuxta hominum imbecillitatẽ, tum ſtatura corporis, tum dotibus animi, tum etiam donis ſpiritus ſancti, tamẽ cum duodecimum ætatis ſuæ annum attigiſſet, & cum parentibus ſuis ad Hieruſalem profectus eſſet, inſtituit diſputationẽ cum doctoribus Hieroſolymitanis, ſupra ætatẽ ſuam, ac ſpecimẽ exhibuit, ſe quamuis humiliatũ, & aliàs pro ratione tantum ætatis ſuæ ſapiẽtem, habere tñ in ſe quiddam homine
» maius, & diuinius. Audiamus igitur de hac re narrationem Lucæ. Et ibant parẽ
» tes eius quotannis in Hieruſalem in die feſto Paſchæ. Quid? An non licebat ipſis feſtũ Paſchæ domi ſuæ agere? Cur tanto itinere è Galilæa in Iudæam ad Hieruſalem ob paucorũ dierum feſtum proficiſcũtur, idq̃ ſingulis annis? Num fortaſsis, ut labore tanti itineris & tam longinquæ peregrinationis peccata ſua expient, & ſingulis paſsibus ſingulas peccatorum indulgentias mereanť? Sed hac impia opinione ad tẽpla & ſepulchra ſanctorum hypocritæ peregrinanť. Ioſeph uero & Maria eo cõſilio & opinione ad Hieruſalem in feſto Paſchæ peregrinãtur, qua lex Domini illud requirebat. Lex aũt Domini requirebat hanc profectionem ad diem feſtum Paſchæ, nõ ut opus ſatisfactorium pro peccatis, quid eñ alioqui neceſſe fuiſſet Chriſtum pro peccatis mori? ſed ut externam cærimoniam, qua diuinũ beneficiũ Iſraeli in egreſſu ex Aegypto præſtitũ in memoriam publice reuocaretť & cõſeruaretur. Dicit eñ lex in Deuteronomio, capite decimo ſexto: Tribus uicibus per annum apparebit omne maſculinum in tuũ coſpectu Dñi Dei tui, in loco quẽ elegerit, in ſolennitate azymorum, in ſolennitate hebdomadarum, & in ſolennitate tabernaculorũ. Habes ubi lex requirat profectionẽ ad ſolennitatem Paſchæ, nunc audi, quo conſilio, qua opinione eam requirat. Dicit enim ſcriptura in eodẽ capite: Obſerua menſem Abib, ut facias Phaſe Dño Deo tuo, quoniam in mẽſe Abib eduxit te Dñs Deus tuus de Aegypto nocte. Et mox: Septẽ diebus comedes abſq̃ fermento panẽ afflictionis, quoniã in pauore egreſſus es de terra Aegypti, ut memineris diei egreſsionis tuæ de Aegypto oĩbus diebus uitæ tuæ. Et in Exodo, capite duodecimo: Habebitis, inquit, hunc diem in monimentũ, & celebrabitis eũ ſolennẽ in generationibus ueſtris cultu ſempiterno. Ex his manifeſtũ eſt, q̃ obſeruatio feſti Paſchæ, & profectio uirorum ad eum locũ, in quo Phaſe immolabať, inſtituta fuit, ut hac cærimonia hiſtoria liberationis ex Aegypto publice tractareť, & bñficia Dei, in ea liberatione Iſraeli exhibita, oĩbus hoc ritu ueluti ob oculos depingerenť, ac repræſentarenť. Præterea, ut ſignificaretur, futurũ eſſe uerum agnũ Paſchalẽ Chriſtum Dñm noſtrũ, qui ſua immolatione nos à peccatis & morte liberaret. Beneficia aũt Dei in memoriã reuocare, minime uanũ ac ocioſum eſt. Sic eñ & clemen

Infantiũ peccata Chriſtus expiauit.

Peregrinatio ad templum Hieroſolymitanum.

Paſchæ inſtitutio.

& clementia Dei cõmendatur,& fides auditorũ animaꝫ. Quare, ut obſeruatio Paſchæ non fuit uanũ ſpectaculum,ita nec parentes Ieſu, ad fallendum tm̃ temporis ociũ,ſed potius ad paſcendam & confirmandã fidẽ ſuam de clementia Dei, quotannis in Hieruſalem,in feſto Paſchæ profecti ſunt. Quid ergo nobis,inquies,faciendum eſt? Num neceſſe habemus exemplo parentũ Ieſu, in Hieruſalem ſingulis annis ad cõfirmandam fidẽ noſtram proficiſci? Certe etiamſi id uellemus,hiſce temporibus,& hoc ſtatu rerum non poſſemus,nec ſi poſſemus,neceſſarium eſſet. Poli tia enĩ Moſi nũc prorſus abrogata eſt,& poſtq̃ uerus agnus paſchalis,Ieſus Chriſtus ſeſe pro peccatis noſtris obtulit,& à mortuis reſurgens,A poſtolos ſuos Euangeliõ in uniuerſum orbẽ terrarum ſpargere iuſsit,non eſt neceſſe,ut ad obſeruandum feſtũ Paſchæ,& ad cõfirmandam fidẽ noſtram in Hieruſalẽ proficiſcamur, ſed in eũ locum,ubi Euangelion de Ieſu Chriſto uere & ſyncere prædicaꝫ,proficiſcendũ nobis eſt, & peregrinandum. Ibi uere eſt locus Dei, & conſpectus Domini noſtri, ubi Euangelion de CHRISTO prædicatur, & Euangelii ſacramenta iuxta inſtitutionem Chriſti tractantur. Nam in prædicatione Euangelii, & in diſpenſatione ſacramentorum eius, manifeſte reuelatur, & ſignaculis confirmatur,q̃ Dñs Deus noſter ſit nobis per Ieſum Chriſtũ unigenitum filium ſuum placatus,& remittat nobis peccata noſtra gratis,tantũ propter Chriſtum per fidẽ, ac donet nobis propter eundem Chriſtum uitam æternam. Clementia autem & gratuita miſericordia,eſt ipſiſsima facies Dei,adeoq̃ mẽs,cor,& animus eius. Vniuerſæ,inquit Dauid,uiæ Dñi miſericordia & ueritas,requirẽtibus teſtamentum eius. Itaq̃ ſi uoluerimus ad cõſpectum Dñi proficiſci, & faciem eius contemplari, ac ex clementi eius aſpectu fidem noſtram confirmare,profecto illuc eũdum eſt, ubi nobis Chriſtus in Euangelio & ſacramẽtis eius uere prædicatur, ac diſtribuiẽ. Neq̃ enim uſquam gentium amicioré uel clementiorem faciẽ Dei inuenies, q̃ in Euãgelio de Ieſu Chriſto. Et illic reperies per fidem non ſolum aliquot dierum aut annoꝝ indulgentias,id qd impii hypocritæ in meritis operum & peregrinationum ſuarum quærũt,nec tamen inueniunt,ſed etiam oĩm peccatorum remiſsionem,& perpetuam liberationem à morte & inferno,ac ſempiternã fœlicitatẽ. Danda tantummodo eſt opera, ne, quæ per fidem in Euangelio Ieſu Chriſti inuenis & accipis,ingratitudine & inobedientia rurſus abs te reiicias. Inuenis remiſsionẽ oĩm peccatorum,ſed ſi ad perpetranda peccata, ueluti canis ad ſuum ipſius uomitũ, & ſus lota ad uolutabrum cœni, reuertaris, poſtrema fiunt peiora primis. Accipis ſpiritum ſanctũ,ſed ſi prophanis impietatibus te iterum tradideris, amittis ſpiritũ ſanctum,& tradis te ſpiritui Satanæ. Inuenis cœlum, & reportas tecum ex Euãgelio perpetuam fœlicitatem,ſed ſi nõ ambulaueris in timore Dñi, in locum cœli & fœlicitatis ſuccedit infernus & extremus interitus. Quare,magna cura adhibenda eſt, ne,quæ ex Euangelio per fidem propter Chriſtum acceperimus, impietate amittamus. Sed reuertamur ad profectionem parentũ Ieſu in Hieruſalem, & uideamus quid illic actum ſit. Cum factus eſſet(Ieſus) annorum duodecim, aſcẽdentibus illis Hieroſolymã,ſecundũ conſuetudinẽ dici feſti,cõſummatisq̃ diebus cum rediirent,remanſit puer Ieſus in Hieruſalem,& non cognouerunt parentes eius. Exiſtimantes aũt illum eſſe in comitatu, uenerunt iter dieí,& requirebant eum inter cognatos & notos. Et non inuenientes,regreſsi ſunt in Hieruſalem,requirẽtes eum.

Peregrinatio ad Hieruſalẽ

Templũ Dei, ubi Euangeliõ prædicatur.

Facies Dei quæ?

Quòd puer Ieſus inſciis parẽtibus ſuis in Hieruſalem remanet, & magnã ſollicitudinem parentibus iniicit, poſſet fortaſsis in alio quodã puero malicia & inobedientia,aut ſaltem imprudentia uideri. In puero aũt Ieſu,bonum & prudens conſilium fuiſſe ſentiendum eſt. Audiamus igiẽ primum,quantis animi doloribus parẽ

tes Iesu afficiantur, postq̃ non inuenerunt cum inter cognatos & notos: Deinde, qua de caussa Iesus insciis parẽtibus in Hierusalem remanserit, cum tamen id uel uno uerbo ipsis significare licuisset. Nam cum parentes eius redeant itinere diei ad Hierusalem, ut ipsum quærant, & Maria postea cũ ipso iam inuento non leuiter ex postulet, dicens: Fili, cur fecisti nobis sic? Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te, manifestũ est, maximis eos curis & sollicitudinibus interim exercitatos fuisse. Quo enim parentes magis propicii sunt, eo grauioribus curis sollicitantẽ, si filii uspiam absint, aut cessauerint. Quid uero parentibus Iesu suspicionum non suggessisset tempoꝝ suorum tyrannis? Ante eñ necesse habuerunt unà cum puero suo in Aegypto exulare, propter tyrannidẽ Herodis, ne ab Herode interficeret. Et quanq̃ Herodes mortuus esset, ac filius eius Archelaus in Iudæa regnaret, tamẽ non potuerunt sibi meliora & securiora de filio, q̃ de patre eius polliceri. Pater interfecerat prius Salomen sororem suam & maritum eius de tribu Iuda, suũ quoq; ipsius filium quem ex uxore tribus Iuda susceperat, adhæc infantes Bethlehemiticos, nulla alia causa, quàm ꝙ formidauerat, ne regnum suum per Christum, è tribu Iuda nascendum, amitteret. Quo pacto igit̃ potuissent parentes Iesu, Archelaum iam regnantẽ, è tã crudeli bestia natũ, clementiorẽ suspicari? ac non huiusmodi quædã mala secum cogitare, mutuisq; sermonibus inter se conferre: Ah, puer noster Iesus fortasis proditus est, fortasis captus & in uincula cõiectus est, fortasis & occisus est, ne regnum affectet. Si eñ Herodes nõ pepercit propter ipsum infantibus bimulis, imo nec suis ipsius liberis, quomodo parceret huic nostro iam adulto Archelaus, sæui patris sæuus filius? His curis aliud deinde accedebat, nimirum, ꝙ parentes reputabant se iam ob amissum puerũ suũ, discrimen tam uitæ corporalis q̃ perpetuæ suæ salutis subire. Si eñ Archelaus puerũ occidit, certe insidiabitur quoq; uitæ parentũ eius. Et, ut maxime cõtentus sit cæde pueri, quid non supplicii nobis propter incuriam & negligentiam nostram, à Dño Deo nostro patre eius, expectandũ est? Si eñ Deus tanta diligentia ante mandauit, ut cum ipso secederemus in Aegyptũ, ne ab Herode occideretur, & cum ex Aegypto rediremus, oraculo admonuit, ne in Iudæa, ubi regnat Archelaus filius Herodis, sed in Galilæa habitaremus, quanta seueritate nunc in nos animaduertet, ꝙ puerum in Iudæam reduxerimus, aut egredientes è Hierusalem non diligenter custodierimus? Profecto uidemus, nos nihil aliud q̃ extremam internicionem & perpetuam damnationem manere. Quid si uero parentes Iesu, non solum desperabundis curis, uerumetiam malis offendiculis affecti sunt, secum fortasis in animo suo eiusmodi quæpiam uoluentes: Quid? si hic Messias esset, qualis est ab angelis & hominibus quibusdã prædicatus, qui fieri posset, ut iuxta diuinũ præceptum non obediret parẽtibus, sed clam se ab ipsis subduceret, & in tantum mœrorem cõiiceret? & quomodo posset esse Messias omnis fœlicitatis autor, quando hactenus nulla unq̃ prospera fortuna in eo usi sumus? Cum nasceretur, cogebamur cẽsum dare Romano imperatori, & ad stabulum iumentorum diuerti, quã ibi paupertatem cum ipso non pertulimus? Post q̃ natus est, necesse habebamus cũ ipso in Aegyptũ fugere, quas ibi miserias non uidimus? Nunc cũ factus est adolescens, subinde maioribus & grauioribus periculis ꝓpter ipsum obiicimur. Quis igit̃ crederet ipsum esse Messiã populi sui saluatorẽ? Nõ est incredibile hos dolores ac offendicula multo acriꝰ & uehemẽtius, q̃ nos explicuimus, animũ parentũ Iesu pupugisse, nec idipsum dissimulat ipsa mater, cũ postea dicit: Pater tuus & ego dolẽtes q̃rebamus te. Sed hæc nobis ad excitãdas cogitatiões uestras satis uisa sunt, quãdo quicq̃d est harũ reꝝ, melius animo cõprehẽdi, q̃ uerbis explicari queat. Videamus aũt nũc quã ob causam

Parentum Iesu curæ.

Christus

Christus insciis parentibus suis in Hierusalē remanserit. Non hoc quærimus nūc, quamobrē remanserit, postea eñ sequiē, ipsum ob negocia patris sui cœlestis remā sisse, sed quærimus qua de causa remanserit in Hierusalē insciis & nō cōsultis parē tibus suis, & quare parentes fefellerit, cum tamē uno uerbo potuisset hos parentū suorū dolores cauere, & ipsis indicare, se ob negocia patris sui cœlestis in Hierusalem aliquandiu remansurū. Ineptum esset, fateor, ac ociosum, in alio quodam puero ista puerilia scrutari, & multā prudentiā in imprudēti puerorū ætate inuestiga re: at in rebus gestis eius pueri, qui est unigenitus filius Dei, & ob nostram salutē homo factus, curiosum esse, haudquaq̄ uanū est. Proinde Iesus ob eā causam fallit parētes suos, ut in ipsis reuelet & traducat p̄posteros omniū ferè parentū mores erga liberos suos. Traducit aūt eos, non ut parentes infamiæ exponat, sed ut uitia eoꝝ corrigat, & uirutē modestiæ doceat. Quos eñ affectus in parētibus Iesu uides, eosdem propemodum in oibus parentibus inuenies. Nam, quod ad hoc, de quo nūc tractamus, negocium attinet, parentes Iesu nullā mediocritatem seruant. Aut nimis incurii sunt, aut nimis solliciti. Dum egrediunt̄ è Hierusalem, nō dant operā, ut puerum simul cum ipsis abducant. In primi quoque diei itinere, ne gry quidē de puero inquirunt, ibi stertunt, ibi securissimi sunt. Postquam uerō, uel tandē inquisitum, non repererunt inter cognatos, ibi tum è summa incuriā, in summam & extremam sollicitudinem euadunt, atque ita se gerūt, perinde ac si nullus esset Deus in cœlo, qui aliquam puerorum rationem habeat. Hac imagine repræsentantur & alii parentes, qui in ratione liberorum suorum habēda, aut nimium ad sinistram, aut nimium ad dextram declinant. Nunc eñ maiori cura iumenta sua tractant, q̄ liberos, nūc aūt tanta sollicitudine pro liberis suis afficiunt̄, ut noctes etiā insomnes ducant. Sed hæc immoderatio fœdissima est, & prudenter monet nos uetus illud dictum: Ne quid nimis, ut in omnibus rebus mediocritatē seruemus. Sed quibus rebus, inquies, possunt parentes immoderatos suos affectus erga liberos ita compescere, ut nec nimis eos negligant, nec nimis pro eis anxii sint? Audi, si non uenusta, attamen uera & utilia. Duo nobis diuinitus proposita sunt, per quæ possumus affectus nostros moderari. Alterum est præceptum Dei, alterum promissio Dei. Præceptum timorem Dei, promissio fidem instituit. Vbi autem est timor Dei, ibi non relinquit̄ locus ignauiæ. Et ubi est fides, ibi nullus locus impiæ sollicitudini relinquit̄. Quod igit̄ ad parentes in ratione liberorum suorum habēda attinet, præceptum est: Filii sunt tibi, erudi illos, & curua à iuuentute ceruicē eorum. Et liberi sunt dona ac depositum Dei. Depositum aūt Dei, summa cura custodienda sunt. Si eñ neglecta fuerint aut perdita, de manibus depositarii requirent̄. Vnde & Eli summus in Israel pontifex plectit̄, qđ deliquerunt filii eius. In hæc præcepta & exēpla si parē tes intuent̄, discunt timorē Dei, ut excutiant ignauiam ac somnolentiā in erudiē dis liberis suis. Promissio aūt Dei est, q̄ angeli puerorum semper uideāt faciē Dei patris, qui in cœlis est. Pueri eñ non habent tantum patrem in terra, sed etiā in cœlo, qui ordinauit angelos suos, ut uice nutricum pueros custodiant. Vnde & exemplis declarauit, se longe melius & fœlicius pueros seruare, q̄ parētes sperare, aut etiam optare queant. Iacob lugebat amissum filium suū Ioseph, tanq̄ à fera interēptum, sed Deus interim euehebat ipsum in principatum Aegypti. Kis pater Saulis ualde sollicitus erat pro filio suo Saule, amissas asinas quærente, & existimabat eū aut crus perfregisse, aut à latronibus trucidatū esse, sed interim mandato Dei ungebatur à Samuele in regem Israelis. Sed quid longinqua persequor? Huius rei accōmodatissimum nobis in præsentia exemplū proponitur. Ioseph & Maria maxi-

Parentū præposterа cura.

Parētum affectus moderandi.

Pueri ab angelis custodiuntur.

mis curis & anxietatibus puerꝝ Iesum quærũt, & suspicant ipsum aut captũ aut interfectum. Sed ecce sedet ipse in tẽplo, in summo honore, in medio doctorꝝ ob prudentiã & eruditionẽ eius obstupescentiũ. Itaqꝫ si parentes in has ꝓmissiones Dei & exẽpla ꝓmissionum intueant, discẽt infideles ipsorꝝ curas pro liberis non solũ impias sed etiam uanas esse, & confirmabũt fidẽ suam, ut, postq̃ officiũ suum erga libe ros pro sua uocatione fecerint, moderate ferãt fortunas liberorũ, & credãt eos quãuis amissos, aut ignoratos, aut etiã mortuos, Dño Deo nostro maxime oĩm curæ esse. Postremo id quoque obseruandũ est, ꝙ in parẽtibus Iesu proponit nobis imago cõscientiæ in his hoĩbus, qui Christũ per infidelitatẽ amittunt. Etenim, quem admodũ parentes Iesu, amisso puero suo, magnis doloribus corripiunt, ingẽti cura nõ tm̃ de salute pueri, sed etiã de sua ipsorũ salute tam corpis q̃ animæ cruciant, ut supra demonstrauimus, ita quibus cõscientiis Christus ex oculis fide euanescit, in iis nulla, prsus tranquillitas relinquit. Ex una parte peccata ꝑpetuum exitiũ minant, ex altera Satan morte & inferno comitatus, oĩa dira & horrẽda incurit, adeoq̃ nulla hic pax aut securitas esse potest, donec Iesus Christus iterũ per fidẽ reperiat. Reperit aũt in tẽplo, in medio doctorũ, ut postea sequit, & templũ locus est, ubi sacra scriptura & uerbũ Dei docet. Significat igit Christũ in uerbo Dei, & in prædicatione Euangelii sui reperiri. Quare summa danda est opera, ut amisso aut repulso Christo per peccata, inquiramus eũ in Euangelio suo per fidẽ, & credamus nos propter ipsum habere peccatorum nostorum remissionem, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus laudandus in secula Amen.

Christus amissus ubi reperiatur.

HOMILIA XX.



xposuimus causſam, propter quã puer Iesus insciis & inconsultis parentibus suis, in Hierusalẽ remanserit. Audiamus igit nũc, quid potissimũ causæ fuerit, cur non quidẽ insciis parentibus, sed reipsa in Hierusalem remanserit, & quid illic egerit. Et factũ est, inquit Euangelista, post triduum, in
» uenerunt illum in templo sedentẽ in medio doctorũ, audi
» entẽ illos & interrogantẽ eos. Stupebãt aũt oẽs, qui eum audiebant, sup intelligen
» tia & responsis eius. Et uidentes admirati sunt. Et dixit mater eius ad illũ: Fili, q̃d
» fecisti nobis sic? Ecce pater tuus & ego dolentes q̃rebamus te. Et ait illis: Quid est,
» quòd me quærebatis? Nesciebatis, ꝙ in his, quæ patris mei sunt, oportet me esse?

Habes breuibus causam cur in Hierusalem remanserit. In his, inquit, quæ patris mei sunt, oportet me esse, hoc est, necesse habui inchoare officiũ, ad q̃d à Deo patre meo in hunc mundũ missus sum, & exhibere specimẽ eius ministerii, ad q̃d diuinitus uocatus sum. Sed ut quicquid id est, melius intelligamus, paucis inquiremus, ad q̃d officiũ & ministeriũ missus sit Iesus in hunc mundũ. Sic enm̃ manifestum erit de quibus rebus inter doctores Hierosolymitanos disputauerit. Iesus igit missus est à Deo patre suo in hũc mundũ, ut esset uerus ille Messias, de quo ꝓphetæ lõge ante uaticinati sunt, & ut huius Messiæ officio uere defungeretur. De Messiæ aũt officio scribit Esaias: Sedebit, inquiẽs, sup soliũ Dauid, & sup regnũ eius, ut cõfirmet illud & corroboret in iudicio & iustitia à modo & usqꝫ in sempiternũ. Et mox: Iudicabit in iustitia humiles, & arguet in æquitate pauperes terræ. Et percutiet terrã uirga oris sui, & spiritu labiorũ suorũ interficiet impiũ. A cꝫ ꝓphetæ aliàs de officio Messiæ multa cõcionant, uidelicet, ꝙ Messias efficiet, ut nullus iniustus sit in regno suo, nec ulla iniquitas remaneat in populo suo, & ꝙ mors ita debellãda sit per ipsum, ut nullus amplius in populo suo moriatur, sed quotquot ipsum regẽ agnoscunt, habeant perpetuam uitam & fœlicitatem. Hæc enim sunt officia Messiæ, ad quæ

Christi officium.

administrã

adminiſtranda Dominus Deus noſter Ieſum filium ſuum in hunc mundum miſit. Audi ergo, quomodo hæc officia duodecimo ætatis ſuæ anno publice inchoëtt: Inuenerunt, inquit, eum in templo, ſedentem in medio doctorum, audientem illos & interrogantem eos. Papè, quid hoc? Prædictum eſt à prophetis, Meſsiam in regio throno Dauidis ſeſſurum, & regnum in iudicio & iuſticia adminiſtraturꝝ: Ecce aũt, cum Ieſus hoc quod prædictũ eſt publice inchoare, & aliquod regiminis ſui ſpecimen exhibere uellet, conſedit in ſchola literaria, in cathedra doctorꝝ inter Rabbinos. Quid cõuenit cathedræ doctorum cũ throno regio? Cur non potius Ieſus hoc ætatis anno magnam ſecum cateruã equitum & peditum ſubito oſtentauit, & in throno deaurato, regia maieſtate tremẽdus apparuit, ut aperte declaraſſet, ſe eſſe uerꝝ illũ Meſsiã ſeu Chriſtũ, per prophetas à Deo promiſſũ? Scio noſtrã carnẽ, talẽ quidẽ Meſsiam optare, qui in hoc ſeculo magna pompa dominẽt, & aduerſarios noſtros, q̃ primum contra nos mutierint, mox in cõſpectu noſtro pro libidine nõſtra opprimat, ac nos claros & fœlices in hoc mũdo reddat, ſed uerus ille Meſsias nõ uult talis eſſe rex, quales ſunt reges in hoc ſeculo. Proinde, cũ uellet officii & regni ſui ſpecimẽ exhibere, inuenit nõ in throno regio, nõ inter arma, gladios & tela, ſed in tẽplo, in ſchola literaria, in cathedra doctorꝝ, inter libros, ut ſignificet hãc eſſe conditionẽ regni ſui, q̃ id in hoc ſeculo non cõſtet in externa maieſtate & ſenſu carnis, ſed tm̃ in uerbis & fide, in doctrina, & doctrinæ per fidem apprehẽſione, ut ſit rex non uiſu, ſed tm̃ auditu, & nõ ſenſu carnis, ſed tm̃ fide cordis perceptibilis. Prædicatur.n. de Meſsia, q̃ ſit ſpecioſus præ filiis hominũ, & diffuſa ſit gratia in labiis ſuis, ſed ecce tam turpis & fœdus in oculis hoim apparet, ut nihil eo abominabilius exiſtimetur. Adhæc, prædicatur de ipſo, q̃ defendat ac ſeruet ſnos, & opprimat aduerſarios eorꝝ, ſed hæc præter uerba nihil prorſus eſſe uidentur. Nã ſicut Chriſtus, ita & qui in Chriſtũ credunt, omnibus afflictionũ generibus in hoc ſeculo afficiuntur, impiis interim longe omnium fœliciſsime uiuentibus. Deinde prædicatur de Chriſto, q̃ liberet ſuos à peccatis & morte, & faciat eos iuſtos ac perpetuo fœlices. Qui credit in me, inquit, non uidebit mortem inæternum. Sed hæc mera uerba apparent, ſenſu rerum ab his uerbis longe diſtante. Tametſi. n. credas in Chriſtũ, adhuc tamen peccatum ſentis, & neceſſe habes in tenebras mortis ac putredinis abire. Habet igitur regnum Chriſti hanc conditionem uſq; ad extremum huius ſeculi diem, ut nudis & meris uerbis conſtet, reipſa autem extrinſecus minime appareat. Neceſſarium autem eſt ad conſeruandam & confirmandã fidem noſtram in aduerſis, ut hanc conditionẽ regni Chriſti probe cognitã & perſpectã habeamus. Cũ .n. affligimur, & peccata ac mortẽ ſentimus, immanẽ, quantũ caro tunc trepidet, & quia reipſa longe alia ſentit, q̃ Euangelion de Ieſu Chriſto prædicat, exiſtimat Euangelion eſſe uaniſsimas nugas, & mera ocioſorum hominum ſomnia. Hic ergo tẽpus eſt, ut reuocemus nobis ob oculos cõditionẽ regni Chriſti, quã habet in hoc ſeculo, nimirũ, q̃ ſit regnũ nõ maieſtatis ſenſibilis, ſed uerboꝝ credibiliũ, q̃ & ſi nũc & ſenſui & intellectui nihil minus, quã quod ſonãt aut promittũt, apparẽt, tm̃ ſi ea cõtra ſenſũ & intellectũ, fide tanquã lumẽ in tenebris ſequamur, eo certe nos ducẽt, ubi etiã ſenſu ppetua luce & fœlicitate fruemur. Scilicet, quia tu nõ ſentis nũc reipſa, quod uerba Euãgelii pollicent, ideo uana & mẽdacia iudicabis? at ea minime uana eſſe cõprobauit Chriſtus ipſe, primũ miraculis ſuis, q̃ uerbo ſuo ædidit, deinde p ſona ſua, qua reſurrexit à mortuis, aſcẽdit in cœlũ, & cõſedit à dextris Dei, in ſeipſo teſtificãs, potentiã Satanæ & mortis, iuxta Euãgelion ſuũ, deictã & oppreſsã eſſe. Quin & ueritatẽ ac potentiã Euãgelii cõfirmauit miraculis, quæ Apoſtoli in noie Ieſu Chriſti ædiderũt. Ea em̃ miracula, quid aliud ſunt, q̃ ſignacula & teſtimonia,

Chriſtus in cathedra doctorum, nõ in throno regio.

Chriſtus qualis rex ſit.

Euangelij cõfirmatio.

q̄ Euangeliō de Iesu Christo nō sit, ut apparet, merū & nudū uerbū, sed efficax potē tia ad salutē omni credēti: Ita quid cōmemoratē ea quoq; signacula, quibus Dñs Deus noster ueritatē Euangelii de Christo, etiam ante Christum natum confirmauit? Per memetipsum, dicit Dominus ad Abraā, iuraui, benedicent in semine tuo omnes gentes terræ. Et in psalmo: Iurauit Dominus & non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum secundum ordinē Melchisedec. Et itez: Iurauit Dominus Dauid ueritatem & non frustrabit eum, de fructu uentris tui ponam super sedem tuā. Quid ad hæc dicemus? Dominus Deus noster tantæ est ueritatis & constantiæ, ut quod semel simpliciter & nudis uerbis promittit, id etiam præstet, quanto ergo firmius id præstabit, quod iuramento firmauit? Hominibus omnis controuersiæ finis est, quemadmodū ad Hebræos scribitur, si accedit iurisiurandi confirmatio, quanto certius id iudicandum, & absq; omni controuersia credendum est, quod iureiurando Dei confirmatur. In Ieremia quoq; hæc dicit Dominus: Si irritum poteſt fieri pactum meum cum die, & pactū meum cum nocte, ut non sit dies & nox in tempore suo, & pactum meum irritū esse poterit cum Dauid seruo meo, ut non sit ex eo filius qui regnet in throno eius, & Leuitæ & sacerdotes ministri mei. Hac cōparatione ostē dit Dominus maximam Euangelii sui firmitudinē ac certitudinē. Quid enī in hoc seculo certius, q̄ quòd subinde nocte sequatur dies, & tenebras noctis dissiciat lumē diei? Eant sanè omnes, quotquot sunt in totoorbe terrarū principes, reges & imperatores, ac collata omni sua potentia conentur impedire, quo minus nocte sequatur dies, quid obsecro hoc aliud erit, q̄ q̄ dicit θνομαχεῖν; Quòd si nulla humana potentia hanc noctis ac diei conditionē & ordinationē impedire aut mutare potest, qui fieret, ut pactum cum Abraamo & Dauide à Deo initum, & iuramento Dei firmatum, hoc est, Euangelion Domini nostri Iesu Christi, quod promittit propter Christum iusticiam & uitam sempiternam, retractaretur, & uanum efficeretur? Quid enim, etiamsi non statim ueritatem huius pacti reipsa sentias, num ideo falsum erit? At nec noctu sentis splendorem diei, & satis tibi consultum putas, si saltē accenso lumine te in tenebris noctis consoleris, interim tamen splendorem diei certissime futurum expectas, nec quisquam est, qui possit tibi uerisimiliter persuadere, q̄ tenebræ noctis non afferant secum lucem diei. Quid autem hic mundus aliud est, q̄ perpetua nox, & palpabiles tenebræ? Et quid uerbum Domini, ac Euangelion Iesu Christi aliud est, q̄ lumen in nocte accensum, & lux in tenebris lucens? Lucerna, inquit Dauid, pedibus meis, uerbum tuum. Et Petrus: Habemus, inquit, firmiorem sermonem propheticum, cui dum attenditis, ceu lucernæ apparenti in obscuro loco, recte facitis, donec dies illucescat, & lucifer exoriatur in cordibus uestris. Proinde, quemadmodum is qui ambulat in nocte, & gestat præ se lumen accēsum, quanq̄ nondum sentiat reipsa splendorem diei, sed exiguam tantum lucem præ se uideat, cætera autem omnia opacissimæ tenebræ sunt, certus tamen est, hanc exiguam lucem nunciam diei esse, & diem proxime imminere: ita qui in hoc seculo uiuit, & habet per fidem lumen Euangelii Iesu Christi, quanq̄ nondum sensu percipiat sanctitatem, uitam & fœlicitatem, & præter sonum Euangelii alioqui nihil aut extra aut intra se sentiat, q̄ peccata, mortem, & damnationem, tamen lumen illud Euangelii certum est nuncium omnium diuinorum bonorū, & eum qui per fidem ipsum sectatur, ad lucem perpetuæ fœlicitatis infallibiliter perducet. Habes, quam ob caussam Iesus officiū Messiæ inchoaturus, & specimē regni sui daturus consedere rit non in aula regia, sed in templo, non in throno imperatorio, sed in cathedra doctorum, non inter tela & gladios, sed inter libros sacræ scripturæ, nec bellauerit armis

Mundus nox. Euangelion lumen.

armis ferreis, sed disputauerit prudenti sermone, uidelicet, ut significaret regnum suum in hoc seculo non fore in externa maiestate, sed in prædicatiõe Euãgelii sui, quod etsi nũc appareat nihil aliud præter sonũ & uocẽ esse, tamen tantæ est ueritatis & efficaciæ, ut cœlum & terra præteritura sint, uerba autem Euangelii non præteribunt. Cæterum Rabbini, doctores, & omnes auditores admirabantur, & obstupescebant ob tantam adolescentis huius sapientiam & eruditionẽ in rebus diuinis, quantam nec à sene quopiam, per omnem ætatem suam in diuinis literis uersato, expectassent. Mater autem eius Maria obiurgat eũ, & expostulat cũ ipso: Fili, inquiens, cur feciſti nobis sic? Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Filius es, an nescis igitur, quid filius debeat parentibus? Honora, inquit lex, patrem & matrẽ, ut sis longæuus super terram. Ergo qui parentes non honorat, non dimidiabit dies suos. Et alias dicitur: Maledictus qui exasperat matrẽ suã. Cur igitur feciſti nobis sic? Nullã prorsus causam habes nos sic despiciendi & cõtemnendi. Nihil enim unq̃ mali in te commisimus, sed potius omnia, quæ potuimus beneficia in te contulimus. Ego in præsepio adhuc iacentem magna cura foui, postea, quas non molesti as, quos non labores, quæ non pericula nomine tuo perpessi sumus, quando necesse habuimus tecũ in Aegyptum fugere, & quãta sollicitudine te usq; ad hoc ætatis educauimus? Si alia quædam calamitas te inuito nobis accidisset, boni cõsuluissemus, nunc autem hoc nobis molestum est, q̃ nobis feciſti sic, q̃ tua sponte nos cõiecisti in tantũ dolorem, ut mallemus mortẽ oppetere, q̃ itez̃ tantis terroribus obici. Quid autẽ inter se distant, parentes gladio interficere, & parẽtes in terrores mortis, qui ipsa morte grauiores sunt, sua culpa adigere? Non est igit̃ mediocre scelus, fili, quod in nos parentes tuos designasti. Hæc est increpatio, qua Maria Iesum obiurgat, quæ iustissima quidẽ esset erga alium quẽdam adolescentem, qui peruersa sua cõtumacia in parẽtes suos peccasset: Erga adolescentẽ aũt Iesum, nullũ planè locũ habet. Proinde Iesus obiurgat uicissim grauissime obiurgantes parẽtes, adeòque penè abnegat eos: Quid est, inquiens, quòd me quærebatis? Nesciebatis, q̃ in his, quæ patris mei sunt, oportet me esse? Hoc q̃d aliud est, q̃ si dixisset: Quid mihi uobiscum? Nõ agnosco nunc uos parentes, aliũ habeo parentẽ, cui tantam debeo obedientiã, ut propter ipsum non tantũ uos, sed etiam uitã meam relinquere me oporteat. Quid ergo causæ, inquies, est, q̃ Christus tã duriter, & inhumaniter in parẽtes suos inuehit̃? Nũ hoc exẽplo suo docet liberos respõsare parẽtibus suis? Absit. Qui factus est patri suo obediẽs usq; ad mortẽ crucis, nõ docuit liberos peruicaciã erga parẽtes suos: sed potius lõge anteq̃ homo factus est, uocauit liberos ad honorẽ parẽtibus exhibendũ, & castigationes eorum perferẽdas. Audi, inquit, fili paternã castigationẽ, & legẽ matris tuæ ne negligas. Nam ea demũ capiti tuo pulcherrima bulla fuerit, & collo torques. Quod aũt nũc parentibus respõsat, sua quadã p̃rogatiua, & haud iniuste id facit. Maria eñ obiurgauit eũ tanq̃ magni & horrẽdi criminis in parentes suos commissi reum. Necesse autem est, Christum procul ab omni peccato & crimine abesse. Ipse enim est, qui hoc officio defungitur, ut satisfaciat pro peccatis hominum, reddat Deum hominibus propicium, uincat Satanam & mortem, ac sit omnium eorum saluator, qui in ipsum confidunt. Si autẽ alicui peccato obnoxius esset, quomodo posset pro aliorum peccatis satisfacere? Si propter peccatũ esset sub ira Dei, & potestate Satanæ ac mortis, quomodo Deũ placaret? Quomodo Satanã & mortẽ uinceret? Quomodo eos, qui in ipsũ credũt seruaret? Obiurgat igit̃ obiurgãtes parẽtes, ut ostẽdat se nulli prsus pcõ aut crimini obnoxiũ esse.

Mariæ obiurgatio.

Christus parentes suos abnegat.

Christus innocens.

Ferre enim potest, ut capiatur, uinciatur, alapis & flagellis cædatur, in crucem suffi gatur, & interficiatur, non potest autem ferre, ut alicuius peccati aut criminis accu setur, id que non facit ambitione quadam carnali, ad uenandam humanã gloriã, sed necessitate spirituali, ad statuendam salutẽ nostrã, nimirum ut discamus, nos ta lem habere Christum, qui ex omni parte sanctus & purus est, nec ulla in eo peccati macula hæret. Possumus igit in hunc tuto cõfidere, & per fidem securi esse, quòd propter ipsum uere habeamus iusticiam, sanctitatem & salutem. Deinde alia quoq; causa est, cur parentes suos obiurget. Postulant enim ut potius ipsis quàm uocatiõi suæ seruiat. Obiurgat igitur eos, ut doceat magis obediendum esse Deo quàm hominibus. Etenim obsequium quidẽ, quod homo homini, ut seruus domino, subditus magistratui, filius parentibus, & omnino proximus proximo debet, tantisper etiam Deo præstatur, dum homo non iubet hominem peccare & uocationẽ Dei derelinquere. At si aliud postulet homo, aliud iubeat Deus, tunc uocatio & iussio diuina abrogat omnem eam obediẽtiam, quam homini debemus. Quare, siue magistratus iubet peccare, siue parentes præcipiũt fidem abnegare, & legem Domini uiolare, usurpemus hanc Christi uocem, & respõdeamus: An nescitis, quòd in his, quæ patris nostri sunt, nos esse oporteat? Hæc enim inobedientia erga homines, summa est obedientia erga Deũ. Sed quid est illud quod sequitur? Et ipsi non intellexerunt uerbum, quod locutus est ad eos. An nescierũt Iesum è spiritu sancto conceptum, & filium esse altissimi? Nonne angelus ad Mariam dixit: Spiritus sanctus superueniet in te, & uirtus altissimi obumbrabit tibi. Quapropter & quod nascetur sanctum, uocabitur filius Dei? Meminerunt quidem ista parentes, sed expecta runt & ipsi in Iesu, non doctum quendam Rabinum, sed illustrem in hoc seculo regem. Quare non est mirum, quòd cum Iesus loquatur de officio docendi Euãgelii, ad quod à patre suo cœlesti missus est, non intelligant, quid sibi his uerbis suis uelit. Hoc fortasis mirum alicui uidebitur, quòd cum tam duriter parentes suos obiurgauerit, ac propè à se reiecerit, nihilominus tamen, ut sequitur, descendit cum eis, & uenit Nazareth, & erat subditus illis. Quid? non agnoscit illos, præ patre suo cœlesti, parentes, attamen comitatur eos Nazareth, & illic præstat ipsis, ut parenti bus, obsequium suum? Sed hoc explicatu haud difficile erit, si rationem Iesu Christi probe teneamus. Quod enim attinet ad ministerium suum, ad quod à Deo patre in mundum missus est, ibi nulli hominum, nulli creaturæ nec in cœlo nec in terra, cedit, ibi nec parentum, nec ullius principis aut regis rationem habet, ut in gratiam hominum uel ministerium suum non exequatur, uel falsa doceat. Cum apud Matthæum turbas doceret, & mater ac fratres eius auocarent ipsum à munere docendi, respondit: Quæ est mater mea, aut qui sunt fratres mei? Et protensa manu sua in discipulos suos dixit: Ecce mater mea & fratres mei. Quisquis eñ fecerit uoluntatem patris mei qui est in cœlis, ipse meus frater, & soror & mater est. Et apud Lucam, cum quidam Pharisæorum dixissent ad ipsum: Exi & uade hinc, quia Herodes uult te occidere, respondit eis: Ite & dicite uulpi illi: Ecce eiicio dæmonia, & sanitates perficio hodie & cras, & tercia die consumor. Veruntamen oportet me hodie & cras & perendie ambulare, quia fieri non potest, ut propheta pereat alibi quàm Hierosolymis. Vides Christum in ministerio suo nec parentibus nec regibus cedere. Quod autem attinet ad humiliationem eius, ibi, ut circumciditur, & in templum iuxta legem primogenitorum offertur, ita & parentibus suis obsequitur, & tributum regibus persoluit, adeoq; cum maledictis incesseretur, non regessit maledicta, cum malis afficeretur, nõ minabat. Potuisset quidẽ optimo iure à parẽtibus obsequiũ

Parentibus obediendum, sed usque ad aras.

Parẽtibus obsequitur Christus.

obsequium ipsi præstandũ,& à regibus tributum ipsi persoluendũ exigere,& maledicentes ac malefaciẽtes uno oris spiritu ad unum omnes perdere. Cur ergo id nõ fecit? Non uenerat in hunc mundum, ut sibi ministraretur, sed ut ipse ministraret, utq; daret animam suam redemptionem pro multis. Obediuit enim præter ius parentibus suis, non tantũ ut exemplum præberet filius ad obediendũ parentibus, sed potissimum, ut hac sua humiliatione satisfaceret pro peccatis filiorum in parentes cõmissis,& placaret eis patrem qui est in cœlis. Huc igitur respiciant filii, primum, ut discant se propter obedientiam Christi, Domino Deo patri nostro reccõciliatos esse,& habere peccatoꝝ suorum remissionem: deinde, ut hoc exemplũ Christi ad testandam fidẽ suam, & ad referendas Deo gratias pro beneficiis per Christum exhibitis, sequantur, & parentes suos quouis honoris genere colant. Si enim Christus, etsi nullum debebat parentibus suis obsequium, subditus tamen fuit illis, quid nobis faciendum censeas, à quibus & naturales & scriptæ leges obedientiã parentibus præstandam requirunt? Porro autẽ, ut & id quod sequitur breuiter explicemus, quãquam mater Iesu non intellexerat uerba eius, tamen conseruabat omnia uerba hæc in corde suo. Ad quid autem prosunt uerba Christi nõ intellecta? Parũ quidem tunc cum audiuntur, prodesse uidentur, attamen si ea obseruatu digna iudicaueris,& alta mente reposueris, erit tempus ut & intelligas, & fidem tuam per ipsa confirmes. Iesus autem proficiebat sapientia,& ætate, & gratia apud Deũ atq; homines. Breuissimis explicat Euangelista, quid Christus à duodecimo ætatis suæ anno usq; ad triceſimum annum, quo demum ministeriũ suũ perfecte inchoauit, egerit. Subditus fuit parentibus, profecit statura corporis & sapientia animi, adeoq; subinde gratiosior fiebat tam coram Deo, (spiritus enim Dei magis ac magis sua dona in Christo ostentabat) quàm coram hominibus, quibus ob eximias dotes subinde acceptior erat. Quid curiose inquiris de genere uitæ, quod Christus in adolescentia & iuuentute ante publicam functionẽ ministerii sui sectatus est? En habes, quo curiositati tuæ obuiam eas. Subditus fuit parentibus,& parens fuit faber lignarius. Christus igitur artem fabrilem in adolescentia & iuuentute exercuit. Nã quem Nazareni in Matthæo filium fabri, eum in Marco simpliciter τέκτονα, hoc est, fabrum lignarium uocãt. Quid horres? num id tibi offendiculo est, quod dixi Christũ in iuuẽtute artẽ fabrilẽ exercuisse? Sed quæ est illa reuerẽtia, fateri Christũ cõiecisse sese in horrendã maledictionẽ crucis, ppter nostra pctã, interim tũ religiõe quadã nolle asseuerare Christũ, dũ ætatis suæ tẽpus tulit, in exercitiũ sordidi & laborioſi artificii sese ad expiãdas nostras sordes cõiecisse. Fateor, artificiũ fabrile humilius & abiectius apparere, q̃ ut tantæ maiestati Christi cõueniat, ueꝝ memineris CHRISTVM non aduenisse in hũc mundum, ut maiestatem suam tempore carnis suæ ostentaret, sed ut suiipsius humiliatione & exinanitione Patrem suum qui est in cœlis nobis placaret, & pro peccatis nostris satisfaceret. Et qui hominem assumpsit, non dedignatus quoque est humana artificia exercere. Quare, sicut CHRISTVS assumendo hominem, sanctificauit hominem, ut, quicunque in CHRISTO IESV homo est, sanctus & beatus sit, ita exercendo artificium manuarium, sanctificauit artificia manuaria, ut, quicunque in CHRISTO IESV artificium aliquod manuarium exercet, sanctum & benedictum opus exerceat. CHRISTVS enim tam sanctus est, ut omnia, etiam ipsas afflictiones & mortem, attactu & usu suo, nobis sanctificauerit, & in utilitatem salutis nostræ consecrauerit, qui est unà cum Patre & Spiritu Sancto DEVS laudandus in secula AMEN.

Christus in iuuentute faber lignarius.

Artificia manuaria per Christum sanctificata.

CAPVT TERTIVM

HOMILIA XXI.



IN SVPERIORIBVS Capitibus descripta est annũciatio, conceptio, natiuitas, infantia, adolescentia & iuuentus Ioannis Baptistæ, & Domini nostri Iesu Christi. Ac in his quidem ætatis gradibus nondũ quicquam nec à Ioanne, nec à Christo pro publico ministerio prædicandi Euangelii actum est. Ioannes enim habitauit interim, quẽadmodum in fine primi capitis scriptũ est, in deserto, & duxit illic uitam eremiticam admiranda duricia, non uescebatur ullo delicato cibo, sed locustis & melle syluestri: non bibit uinum & siceram, non amictus est mollibus uestibus, sed habebat indumentum è pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos, quemadmodum supra ostendimus. Christus autem habitauit in urbe Nazareth, fuit subditus parentibus, duxit uitam ciuilem, dedit operam artificio fabrili, nec usurpauit sibi publicum docẽdi officium ante tricesimum ætatis suæ annum, nisi q̃ duodecimo anno specimen quoddam uocationis suæ in Hierusalem inter doctores exhibuerit. Nunc igitur, quod fœlix faustumq; sit, describitur tempus illud salutis, quo Euangelicum negociũ, quod est potentia Dei ad salutẽ omni credenti, reuelatur, nunc describitur tempus illud acceptum, quo uera Christianissimi religio instauratur. Dicit enim Euangelista: »» Anno decimoquinto imperii »» Tiberii Cæsaris, Põtio Pilato præside Iudææ, Tetrarcha uero Galilææ Herode, Philippo autẽ fratre eius Tetrarcha Iturææ & Trachonitidis regionis, & Lysania Abilenes Tetrarcha, sub pontificibus Anna & Caiapha, factum est uerbum Domini super Ioannem Zachariæ filium in deserto. Quid hoc, inquies? expectabã instaurationem Christianæ religionis, & ecce tu mihi narras, quo tempore uerbum Domini factum sit ad Ioannem Baptistam. Ergo ne Christianismus non fuit ante Ioannem Baptistam, sed ab ipso iam primum institutus esse describit? Profecto Christiana religio, ut sola uera & salutifera est, ita prima omnium post conditum orbẽ & hominem prædicata fuit. Nam cum Adam aduersus Deum peccasset, & ad serpentem diceretur: Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum ac semẽ illius. Ipsum conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius, instituta est religio Christiana. Et quæ uerbo Domini instituta erat, ea subinde magis ac magis reuelabatur. Nam post Adam, dicitur ad Abraam: In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ. Deinde post Abraam audit Dauid: Suscitabo semẽ tuum post te, quod egredietur de utero tuo, & firmabo regnum eius. Ipse ædificabit domum nomini meo, & stabiliam thronum regni eius usq; in sempiternum. Postea hæ promissiones à prophetis egregie explicantur & illustrantur, de qua re nunc non est locus plura dicendi. Iam promissiones illæ in solum Iesum Christum respiciunt, & de Iesu Christo prædicãt, q̃ sit superaturus Satanam, benedicturus omnes qui in ipsum credunt, & habiturus perpetuum regnum. Manifestum igitur est, Christianam religionem ab initio conditi orbis institutam & prædicatam esse. Quanq̃ autem omnes, qui ante Christum natum & reuelatum his promissionibus confisi sunt, & in

Christiana religio uetustissima.

uenturũ

uenturum Christū crediderunt, remissionem peccatorum, iusticiā, & salutem per fidem propter Christū consecuti sint, hæ tñ promissiones nondum erant reipsa cōpletæ, (nondū enī Christus hominem induerat) nec erant in totum orbem uulgatæ, sed in una tantum, eaq; non magna gente prædicabant. Præterea, hæc gens, etsi habebat tam magnificas promissiones de Christo, tñ adhuc sub lege Mosi tanquam sub pædagogo custodiebat, cōclusa in eam fidē, quæ erat reuelanda, & tanq; puer, sub elementis mundi, erat in seruitutē adacta, quemadmodū Paulus ait. Accedit huc, q; etsi Christus his temporibus, quibus Ioannes uitam in deserto egit, iuxta ueteres promissiones natus erat, tamē nondum erat populo Israel manifestus nec demonstratus, & noua fidei, quæ est in ipsum, sacramenta nōdum erant instituta. Cum igit Euangelista nūc describat ministeriū Ioannis Baptistæ, quo Christus publice reuelat & demonstrat, quo & Baptismus, nouum fidei in Christum sacramē- *Ioannes Baptista instaurator Christianissimi.*
tum, instituit, quemadmodum mox explicabimus, sentiendū est, exordium Christianissimi, & instaurationem Christianæ religionis hoc loco describi. Ait ergo Lucas: Factum est uerbū Dñi super Ioannem Zachariæ filium in deserto. Quod illud, inquies, uerbū est? Vocatio est, qua Dñs præcepit Ioāni, ut ministeriū suū, ad quod non tantū ab utero matris suæ segregatus erat, uerumetiā per prophetas longe ante uocatus fuerat, inchoet & capessat. Nam cum angelus Gabriel adnunciaret Zachariæ conceptionem & natiuitatem Ioannis, explicat etiam ministerium eius dicens: Spiritu sancto replebit iam inde ab utero matris suæ, multosq; filiorū Israel cōuertet ad Dñm Deum ipsorum. Et ipse præcedet ante illū cum spiritu & uirtute Eliæ. Et Esaias describens abrogationē legis, & nouam ministerii Euangelici institutionem, ait: Vox clamantis in deserto, parate uiam Dñi, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri. Rursus Malachias, cum aduentum Christi describeret: Ecce ego (inquit) mittā angelum meum & præparabit uiā ante faciem meam. Et paulo post: Ecce ego mittā uobis Eliam prophetam anteq; ueniat dies Dñi magnus & horribilis, & conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum, ne forte ueniam & percutiam terram anathemate. Hæc prophetarū oracula in Ioannem respiciunt, & significant, q; Ioannes debeat primus esse minister noui testamē- *Ioannes primus minister noui testamenti,*
ti seu Euangelii, ac ministerium in deserto inchoare, hoc est, nouam Christianismi religionē instituere, ac Christum ipsum populo demonstrare, ut Christianismus in deserto Galilææ incipiat, & è deserto in Galilæā, è Galilæa in Iudæam, è Iudæa in totum orbem terrarum dimanet ac diuulgetur. Nunc igit fit uerbum Dñi ad Ioannem, quo præcipit ei Dñs, ut hoc ministerium capessat, & Christianismum instituat. Christianismus aūt constat ministerio prædicandi Euangelii de Iesu Christo, & baptizādi in remissionem peccatorū. Iussit ergo Spiritus sanctus Ioannē prædicare Euangelion Iesu Christi & baptismum instituere, ac baptismo peccata hominum abluere. Nam Ioannem primum esse ministrum noui testamēti, & primū apostolum reuelati Euangelii, ac dispensatorem baptismi, hoc est, inchoatorē & instauratorem Christianismi, testat principio ipsum cognomem Baptistæ. Ideo enī uocatur Baptista, q; per ipsum Dominus Deus noster instituerit baptismum, lauacrum regenerationis, per qd credentes in Christo renascuntur & à peccatis abluūtur. Nam baptismum Ioannis non alium esse, q; quem Christus postea confirmauit, & quo Apostoli in nomine Christi usi sunt, ac Ecclesia semper usq; ad nouissimū diem utit, posthac indicabimus. Deinde, idē quoq; testant uerba Christi, de Ioanne ita dicentis: Amen dico uobis, non exortus fuit inter eos qui nascunt è mulieribus, maior Ioanne Baptista. Et mox: A diebus Ioannis usq; ad hūc diem regnū *Christianismus quibus constet.*

cœlorum uim patiť,& uiolenti rapiunt illud. Nam oēs,pphetæ & ipſa lex, uſq; ad Ioannem prophetauerunt. Et apud alium Euangeliſtam: lex & prophetæ uſq; ad Ioannem. Ab eo tempore regnum Dei annunciať,& quiuis in illud uim facit. Quibus uerbis p̄ponit Chriſtus Ioannē,& Moſi legislatori,& prophetis Moſi interp̄tibus. Præponit aūt illum his,non ſanctitate aut iuſticia operū,quod eñ ad iuſticiā humanam attinet, non iuſtificať in cōſpectu Dei oīs uiuens, ſed p̄ponit eum functione miniſterii. Iam nullum aliud miniſterium lege aut maius aut excellētius eſt, q̄ miniſterium noui teſtamenti ſeu Euangelii de Ieſu Chriſto. Illud eñ auget peccatum,hoc aūt adminiſtrat iuſticiam: illud eſt adminiſtratio mortis, hoc adminiſtratio uitæ: illud eſt potentia ad condēnationem,hoc eſt potentia ad ſalutē. Cum igiť Chriſtus p̄ponit Ioannem legi & prophetis, & affirmat à tempore Ioannis regnum Dei annūciari,profecto manifeſte ſignificat,Ioannē primum eſſe apoſtolū reuelati Euangelii,ac inſtauratorē Chriſtianiſmi. Sed quia hoc negocium fuit initium tum reuelationis earū rerum, quas patriarchæ ex promiſsionibus diuinis in fide expectarunt,tum maximæ oīm mutationis,quæ unq̄ non ſolum in Galilæa & Iudæa,uerumetiam in toto orbe terrarum fuit,ideo Lucas diligentiſsime adnotat tēpus,quo uidelicet imperatore Romano, quo præſide Iudææ, quibus tetrarchis finitimarum regionū, quibus item ſummis pontificibus uerbum Dñi factum ſit ad Ioannem,& iuſſus ſit Ioānes nouum illud miniſteriū capeſſere. Id aūt factum eſt anno decimoquinto imperii Tiberii imperatoris. Hic eſt ille Claudius Tiberius Nero,tertius à Iulio Cæſare Romanorum imperator, de quo multa extant in ethnicis ſcriptoribus,& ab inſtituto noſtro alienum eſt,plura de ipſo in hoc loco dicere.

Tiberius Cæſar.

Eodem tēpore præſidem egit in Iudæa Pontius Pilatus. In Galilæa aūt tetrarcha erat Herodes cognomento Antipas. In Ituræa, quæ eſt regio in Cœle Syria,& in Trachonitide,quæ eſt iuxta regionem Decapolitanam, tetrarchā egit Philippus frater Herodis. In Abilene,quæ ſic dicta eſt ab urbe Abila in tetrarchia Paneade,tetrarcha fuit Lyſanias. Nam Herodes primus huius nominis, cognomento Aſcalonita,harum oīm regionum rex fuerat. Poſt mortem uero eius diuiſum eſt regnum, & ordinatum in tetrarchias,quæ forraſsis ſic dicunť,à cuſtodia militū,quoꝝ quatuor cohortes, tetrarchia uocanť. Ac Iudæa quidē ceſsit Archelao filio Herodis. Sed cum is principatū ſuū crudeliter adminiſtraret,eiectus eſt à Cæſare in exiliū,& Iudæa adiungiť diſpenſatiōi Syriæ. Primus igitur præſes Iudææ poſt eiectū Archelaum fuit Cyrenius, ſub quo facta eſt deſcriptio, cuius ſupra in principio ſecundi capitis mentio habita eſt. Poſt Cyreniū, Capinius, poſt Capinium, Marcus, poſt Marcum Annius Rufus, poſt hunc Valerius gratus, poſt quem Pontius Pilatus præſes Iudææ efficitur, qui ex hiſtoria paſsionis Dñi noſtri Ieſu Chriſti, nobilis eſt. Aliæ aūt partes regni Herodis, aliis filiis eius ceſſerunt, de quibus rebus, quoniam Ioſephus in hiſtoria Iudaicaꝝ antiquitatū plura ſcripſit, non eſt neceſſariū hic multa cōmemorare. Iam & Lucas pontifices eius tēporis, quo uerbum Dñi ad Ioannē factū eſt, adſcribit. Sub pontificibus, inquit, Anna & Caiapha, qui & ipſi ex hiſtoria paſsionis Chriſti nobiles ſunt, & ſi plura de his cognoſcere libet, Ioſephus conſulēdus erit. Habes igiť, quo Romanoꝝ imperatore, quo anno imperii eius, quo p̄ſide Iudææ, qbus tetrarchis partiū regni Herodis, quibus pontificibus Hieroſolymitanis, in qua regione, uidelicet, Galilæa, quo loco, nimirū in deſerto, per quē itē hoiem, ſcilicet Ioannē Baptiſtā, Chriſtianiſmus inceperit, & miniſteriū p̄dicandi Euangelii ac baptiſandi, in quo Chriſtianiſmus cōſiſtit, à Dño Deo noſtro inſtitutū & ordinatum ſit. Ac prodeſt hoc tēpus diligenter obſeruare, cum ob multas alias cau

Iturææa.

Abilene.

Herodes.

Tetrarchia.

Cyrenius.

Pontius Pilatus.

alias cauſſas, tum præcipue ad cognoſcendam propheciam Danielis, quæ de ſeptuaginta hebdomadibus extat. Si enim ſupputaueris à ſecundo anno Artaxerxis Darii Longimani regis Perſarum, quo anno exiit ſermo ut Hieruſalem iterũ ædificeť, & prophetæ Aggæus & Zacharias populũ ad reædificationem hortari cœperũt, uſq; ad decimum quintũ annũ imperii Tiberii Cæſaris, inuenies ſexaginta nouem hebdomades annorũ, iuxta Danielem. Quo tempore Daniel p̃dixit peccatũ accepturum finẽ, delendam iniquitatẽ, adducendam iuſticiã, implendas uiſiones & pphecias, uñgendum ſanctũ ſanctorũ, adeóq; Chriſtum tũc maieſtate ducis futurum. Hæc igiť, quæ Daniel prædixit, hoc tempore cõpleri incipiunt, quo Ioannes p̃dicat baptiſmum pœnitentiæ in remiſsionẽ pctõrum, & baptiſat Chriſtum, in quẽ à baptiſmo aſcendentẽ deſcẽdit ſpiritus ſanctus corporali ſpecie quaſi colũba, & audita eſt uox de cœlo: Tu es filius meus dilectus, in quo cõplacitum eſt mihi. Sed priuſq; explicemus concionẽ & baptiſmũ Ioannis, modeſtiæ, in affectãdis & capeſſendis publicis officiis, exemplo Ioannis admonẽdi ſumus. Tametſi enĩ hoc uiro nullus ſanctior erat, qui ab utero matris ſanctificatus eſt, & in deſerto cõtinentiſſimam uitã ad ſectandã uocationẽ Dei duxit, noluit tamẽ publicum docẽdi miniſterium prius capeſſere, q̃ uerbo Dñi legitime uocareť, & nos ineptiſsimi acſcelera tiſsimi hoĩes, nullis ſæpenumero nec corporis nec animi dotibus præditi, audemus, nõ expectata ulla legitima uocatione, publica officia tam eccleſiaſtica q̃ ciuilia, nugis, impoſturis & adulationibus ambire, ac aliis malis artibus arripere, quod certe nihil aliud eſt q̃ ſeipſum uocare, hoc eſt, Deum contẽnere, & ſe ipſum pro deo adorare. Quæ enĩ eſt hæc impudentia, q̃ reputas te prudentioré Dño Deo tuo, & uoluntati eius præſcribis? An ideo ad publica officia arripienda, non expectato iudicio Dei feſtinas, quia times ne Dñs te in priuato uitæ genere agentẽ aut ignoret aut non reſpiciat? At nõ eſt q̃ te uano hoc timore excrucies. Deus habitat quidem in altis, ſed humilia reſpicit in cœlo & in terra. Cœlũ, inquit, ſedes mihi eſt, & terra ſcabellum pedũ meorũ, & putabis ipſum non oĩa quæ in cœlo & in terra ſunt, intueri? An exiſtimas ullũ tam obſcurũ locũ eſſe, in quo te latentẽ Dñs non inuenire poſsit? Inuenit Ioſephum filium Iacob in carcere, & eduxit eum ad principatum Aegypti. Inuenit Moſen poſt oues ambulantẽ & uocauit ipſum ad ducatũ Iſraelis. Inuenit Saulem aſinas patris quærentẽ, & unxit eum in regem. Inuenit Dauidem oues patris cuſtodientẽ, & uocauit eũ ad regnũ. Inuenit Ionam in uentre ceti, & eduſtum ipſum è ceto miſit ad Niniuitas. Quid plura? hunc Ioannẽ, de quo nobis nũc ſermo eſt, inuenit in deſerto, & uocauit eũ ad officiũ longe oĩm maximũ & clariſſimũ. Proinde, cõfide, ſi Dñs perſpexerit te uſui futuŗ, conſpectũ eius nõ effugies. Aſaltem illud mihi cogita, nullam poſſe ibi fœlicitatem in rebus gerẽdis eſſe, ubi non eſt incrementum Dñi. At qui daret Dñs incrementũ ſuum, ubi nulla eſt uocatio Dñi? Quare nihil conſultius eſt, q̃ uocationẽ Dei expectare. Quid? q̃ & Dñs nõ ſolum non dat incrementũ non uocatis, ſed etiam temeritatẽ eorum ſeuerius punit. In numeris, Korah non contẽtus munere Leuitico, ſummũ ſacerdotium affectat, ſed uiuus in infernum deſcendit. In ſecundo libro Samuelis, Vſa percutitur, q̃ contra uocationẽ ſuam arcã Dñi tetigit. De rege Vſia tradit ſcriptura, q̃ nimia fortunæ, ſperitate in tantã arrogantiã elatus fuerit, ut non cõtentus regia maieſtate, arripuerit etiã officiũ adolendi thymiamata, quod in lege ſolis ſacerdotibus cõmiſsũ erat. Sed huius temeritatis quæ pœna ſecuta eſt? Statim orta eſt lepra in frõte regis, & fuit leproſus uſq; ad diẽ mortis ſuæ. Proinde, q̃ſquis ſupplicĩ Dei effugere uelit, & benedictionẽ Dñi in miniſterio ſuo optauerit, non feſtinet ut ante uocatus

Hebdomades ſeptuaginta Danielis.

Ioannes modeſtiæ exemplum.

Vocatio Dei expectanda.

Temeritas in uocatorũ punitur.

onẽ Dei, procarnali suo affecto, officiũ aliquod capessat, sed expectet uocationẽ legitimã, & uoluntati diuinæ obsequat. Cæterũ, de ratione diuinarũ uocationũ, nũ Dñs semper mirabiliter per angelũ de cœlo missum, an etiã per parentes, per magistratus, per bonos & prudẽtes uiros, aut per alia legitima organa, nos ad officia uocet, & num quis seipsum uocare dicat, si officiũ aliqd̃ sua quidẽ spectẽte, sed tamẽ more legitimo appetat, non est huius loci differere. Sed hoc potius nũc nobis perstringendũ est, quomodo Ioannes diuinæ uocationi obedient, & quæ fuerit doctrina eius. Sic eñ ait Lucas. Et uenit (Ioannes) in oẽm regionẽ finitimã Iordani, prædicãs baptismũ pœnitẽtiæ in remissionẽ pctõrum. Ioannes ad ministerium suum diuinitus uocatus, non amplius delitescit, sed, pcedit, & uenit in oẽm regionem finitimã Iordani Quid ergo in his regionibus agit? prædicat. Quid prædicat? num Iudaismũ, ut hoies circumcidant, & offerant boues ad consequendã remissionẽ pctõrum ex meritis operũ? nequaq̃. Num Pharisaismũ, ut hoies manus lauẽt, dilatẽt phylacteria sua, longas & certas preces orent, ut ex his operibus iustificentr? absit & hoc à Ioanne. Sed p̃dicat baptismũ pœnitentiæ in remissionem pctõrum, hoc est, prædicat Christianismũ. Nam Christianismus nihil aliud est q̃ baptismus pœnitentiæ in remissionẽ peccatorũ Quid ergo? nihil ne aliud p̃dicauit Ioannes, q̃ hoc subinde inculcãdo, baptisemini? Docuit quidẽ hoc, & baptisauit turbas ad se uenientes in Iordane, sed obseruandũ est, totũ negociũ & ministerium Ioannis baptismum dici, unde & hic Ioannes cognomine suo non uocat Euangelista, sed BAPTISTA, propterea q̃ ad p̃dicationẽ Euãgelii de Iesu Christo, primus diuina ordinatione & mandato baptismũ instituerit. Explicemus igit̃ ministerium & prædicationẽ Ioannis, ut cognoscamus doctrinã eius, nihil aliud esse, quàm ipsissimam Euangelii doctrinã, & baptismũ eius, nihil plane à baptismo Apostolorũ differre, ex quo iterũ nobis manifestũ erit, Christianismũ à Ioanne Baptista publice inchoatũ esse. Itaq̃ uenit Ioannes, quemadmodũ Lucas scribit, in oẽm regionem finitimam Iordani, prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorũ. Paucissimis uerbis summa negocii & ministerii Ioannis comprehenditur. Vnde & Matthæus scribit Ioannẽ ita dixisse: Pœnitentiã agite, in propinquo eñ est regnũ cœlorũ. Prædicauit igit̃ Ioãnes pœnitentiã, & hortatus est populũ, ut resipiscerẽt, ac pœnitentiã agerent. Sunt aũt duæ præcipuæ partes pœnitentiæ, prior est agnitio pctõr̃, posterior, fides, q̃ propter Christũ peccata remittant. Et his partibus additũ sacramentũ baptismi, tanquam signaculũ, quo remissio peccatorũ credenti applicat, & conscientia credentis certificat. Cum igitur Euangelistæ testent Ioannẽ prædicasse pœnitentiã, aut baptismum pœnitentiæ in remissionẽ peccatorũ, perspicue significãt, ipsum principio docuisse populũ, ut agnoscãt peccata sua. Agnoscere aũt pctã sua, non hoc tantũ modo fit, si publicus latro aut adulter agnoscat & confiteatur se latronẽ aut adulterũ, sed est agnoscere, q̃ non possimus legi Dei nostris operibus pfecte satisfacere, & quanq̃ debeamus obedire legi, & bona opera facere, tñ hæc obediẽtia, quia est imperfecta, & hæc opa quia sunt per se in cõspectu Dei impura, nõ iustificẽt nos, neq̃ possint in iudicio Dei constare, adeoq̃ est idẽ agnoscere, quod Dauid confitet dicens: Tibi solũ pecco, & malũ corã te facio, hoc est, quocunq̃ respiciã, non inuenio in me nisi peccata. Si ob oculos mihi posuero scelera aduersus legẽ Dei perpetrata, manifestũ est, ea peccata esse. Si autem bona opera cõmemorauero, inuenio in ipsis quoq̃ peccata, inperfectiones, adeoq̃ impietates, ꝓpter quas nõ licet mihi in his opibus gloriari. Vnde fit, ut quicquid agã, contra Deum peccem, aut eñ legem Dñi manifeste uiolo, aut legi non satisfacio.

Ioannis prædicatio.

Christianismus, quis sit.

Baptismus totum negociũ Ioannis.

Pœnitentiæ partes.

Peccatorum agnitio, quomodo fiat.

Opera hominum peccata sunt.

Cæterum

Cæterum ubi hæc est peccatorũ agnitio, ibi agnoscit etiam ira Dei & iudicium cõ dẽnationis eius propter peccata. Quare agnoscere peccata, est agnoscere se non satis facere legi Dei, & se mereri iram Dei, ac cõdemnationẽ. Atq; hæc quidem prior pars est doctrinæ Ioannis. Deinde docuit populũ, ut credant, q̃ habeant remissionẽ peccatorũ suorũ, non propterea q̃ descẽdant ab Abraamo, nec propter circumcisionem, nec propter sacrificia legis, aut alia bona opera, sed propter Christum, iam natum quidem & inter ipsos uitam agentẽ, sed nondum reuelatũ. Postremo adiecit huic doctrinæ sacramentũ baptismi, & baptizauit hoies, non nomine suo, sed noie Dei, hoc est, Patris, Filii, & Spiritus sancti, ut remissio peccatorum, pp ter Christum credentibus applicaret, & conscientiæ credentiũ certificarentur, q̃ ad ipsos uere pertineat remissio peccatorũ, ppter Christum. Hæc eñ omnia Ioannem docuisse passim scriptura testat. De agnitione peccatorum dicit: Pœnitentiam agite. Et progenies uiperarum quis submonstrauit uobis ut fugeretis à uentura ira? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ, & ne cœperitis dicere intra uos ipsos: Patrẽ habemus Abraam. De fide aũt in Christum, & baptismo ait: Ego quidẽ in aqua baptizo uos, sed ueniet fortior me, cuius non sum dignus soluere corrigiam calciamẽtorum, ipse uos baptizabit spiritu sancto & igni. Et iterum: Ecce agnus ille Dei, qui tollit peccata mundi. Ac rursus: Pater diligit filium, ac omnia dedit illi in manũ. Qui credit filio, habet uitam æternam, qui uero non credit filio, non uidebit uitam, sed ira Dei manet super eum. Nunc igit confer mihi doctrinã Chtisti & Apostolorum, cum hac doctrina Ioannis, & uidebis nullum prorsus inter ipsas discrimẽ esse. Nam cum Christus inciperet prædicare, dixit: Agite pœnitentiam, instat enim regnum cœlorũ. Post hac, cum emitteret Apostolos, iubet eos sic prædicare ac dicere: Appropinquauit regnum cœlorũ. Concionat præterea Christus apud Ioannem Euangelistam: Non misit, inquiens, Deus filium suum in mundũ, ut condemnet mundũ, sed ut seruet mundus per eum. Qui credit in eum, non condemnat. Qui uero nõ credit, iam condẽnatus est, quia non credidit in nomẽ uni geniti filii Dei. An non hæc concio Christi, prorsus cum ea Ioannis concione, quã modo de fide in filium Dei recitauimus, conuenit? Adhæc post resurrectionẽ suam Christus ait: Oportet prædicari nomine Christi pœnitentiam ac remissionẽ peccatorum in oẽs gentes. Quid aũt Ioannes aliud prædicauit quàm hæc duo, pœnitentiam & remissionẽ peccatorum, hoc est, agnitionem peccatorũ & fidẽ? & prædicauit hæc certe non suo nomine, sed nomine Christi, cuius quoq; nomine hoies baptizauit. Iam & audi mihi cõcionẽ Petri, quam in die Pentecostes post acceptũ donũ spiritus sancti habuit. Cum eñ quidam cõpuncti corde dicerent ad Petrũ & reliquos Apostolos: Quid faciemus uiri fratres? Respondit illis Petrus noie omnium Apostolorum: Delictorum pœnitẽtiam agite, & baptizetur unusquisq; uestrũ in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum. Quid hæc uerba aliud sunt, quàm prædicare baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum, sicut de Ioanne scriptum est? In summa, doctrina Christi & Apostolorũ has duas partes cõplectitur, q̃ sint agnoscenda peccata, & q̃ sit credendum in Christũ, propter quẽ peccata remittunt, & in his doctrinæ partibus consistit Christianismus. Quas partes cum Ioannes baptista primus oim, nato Christo, urgeat, & inculcet, manifestũ est, doctrinam eius plane nihil differre à doctrina Christi & Apostolorũ, adeóq; ipsum esse primarium Christianismi instauratorẽ. Sed inquies: Si doctrina Ioannis plane idem Euangelion est cum Euangelio, quod Christus & Apostoli prædicauerunt, consectaneũ erit, baptismũ quoq; ipsius nihil differre ab eo baptismo, quẽ

Peccatorũ remissio unde?

Ioannis & Apostolorũ doctrinæ collatio.

Christus postea Apostolis cõmendauit, dicens: Euntes docete oẽs gentes, baptisantes eos in nomine patris & filii & spiritus sancti? Si aũt idẽ est baptismus Ioãnis cum eo baptismo, quem Christus Apostolis cõmendat, in nomine suo gentibus dispẽsandũ, cur Ioannes postea dicit: Ego quidẽ baptizo uos aqua, sed ueniet fortior me, cuius non sum dignus soluere corrigiã calceamentorũ, ipse uos baptisabit spiritu sancto & igni? De hoc quidẽ dicto Ioãnis postea paulo copiosius diſseremus, nũc breuiter respondemus, baptismũ Ioannis & Apostolorum ac totius Ecclesiæ Christianæ, non solũ plane eundẽ esse, uerũetiam Ioannẽ primum esse instaurato rem eius baptismi, quo adhuc hodie utit̃ Ecclesia, & quo utet̃ usq; ad cõsumationẽ seculi. Talis eñ est baptismus Ioannis, qualis est doctrina & uerbũ eius. Nam cũ sacramenta ex uerbo pendeant, & à uerbo constituantur, necesse est ut sese ad uerbum comparent, & iuxta rationem uerbi, è quo sanctificationem suam accipiunt, iudicentur. Demonstrauimus autem doctrinam & uerbum Ioannis nullum habere discrimẽ à doctrina & uerbo Apostolorũ. Quomodo igit̃ fieri posset, ut baptismi eorũ discrimen haberẽt? Accedit huc, q̃ Ioannes baptisauit hoies in remissionem peccatorũ, quemadmodũ Lucas ait: Prædicans baptismũ pœnitentiæ in remissionẽ peccatorũ. Porro, remisio peccatorũ non contingit nisi in nomine Christi. Necesse igit̃ est Ioannẽ baptisasse in noie Christi. Si aũt hoc nomine baptisauit, manifestũ est, baptismũ eius nihil differre à baptismo Apostolorum, quo nũc Ecclesia utitur. Jam finge mihi quẽdam ex fide in Christum, quem Ioannes prædicauit, ab ipso Ioanne baptismũ in Iordane accepisse, & prius diem suũ obiisse, q̃uel Christus passus est, uel Apostoli post pentecostẽ baptismũ à Christo demandatũ distribuerunt, quid de hoc senties? Num dices eum in peccatis mortuũ esse, & non accepisse ueram remissionẽ pct̃orũ ex fide In Christũ per baptsimũ Ioannis? Absit. Quia eñ credidit in Christũ à Ioãne prædicatũ, & inhac fide à Ioanne baptisatus est, ideo tantũ remissionis pct̃oꝝ & salutis ei per hũc baptismũ contigit, quantũ postea alteri cuipiã ab Apostolis baptisato cõtigit. Et ut amplius aliquid addã: Si Christus ipse suo externo ministerio, quendã in ipsum credentẽ aqua baptisasset, quanq̃ neminẽ aqua baptisauit, quẽadmodũ Ioannes Euãgelista capite quarto scribit, attamẽ si, inquã, baptisasset aqua, pfecto nihil plus remissionis peccatoꝝ & salutis per baptismum accepisset à Christo baptizatus quàm à Ioanne aut Petro baptizatus. Cur ergo ipsemet Ioannes distinguit baptismum suum à baptismo Christi, dicens: Ego baptizo aqua, Christus autem baptizabit uos spiritu sancto & igni? Respõdeo. His uerbis Ioannes non distinguit inter externũ suum ministerium, & inter externum ministerium Christi & Apostolorum, quod enim ad hoc attinet, plane inter ipsos conuenit, sed distinguit inter ministerium suum externum & inter ministerium Christi internum, & distinguit personã suam à persona Christi. Ioannes enim tantũ est minister externus & non internus autor spiritus, nec est illa persona quæ uerbo & baptismo suo efficatiam spiritus sua autoritate tribuit. Christus autẽ non est tantum externus minister, sed etiam internus autor spiritus, & est illa persona quæ uerbo & baptismo, siue Ioannis siue Apostolorum, efficatiam spiritus sua autoritate largitur. Ioannes fert tantum suis uiribus ad uerbum Euangelii, uocem, & ad baptismum manum plenam aqua. Christus autem fert suis uiribus ad uerbũ & baptismum ipsum spiritum sanctum, & efficacẽ spiritus sancti operationem, id quod comprobauit in die Pentecostes, quo misit spiritum sanctum in Apostolos specie linguarum ignearum. Et Ioannes non est illa uera lux, sed missus erat ut testaretut de luce. Christus autem uera lux est, quæ illuminat omnem hominem uenientẽ in mundũ. Quod aũt Ioannes de se ipso dicit erga Christũ collato, hoc idẽ

Ioannis baptismus.

Ioannis & Christi discrimen.

sentiendum est de omnibus Apostolis & ministris Euãgelii ad Christum collatis. Ac certe hoc idem de seipsis ingenue fatentur. Petrus eñ, cũ uideret spiritũ sanctũ datum Cornelio & aliis gentibus, ait: Num quis prohibere potest quo minus aqua baptizẽtur hi, qui spiritum sanctum acceperunt sicut & nos? Quid hæc uerba aliud significãt, quàm ꝙ Petrus affirmet, se ministrũ quidem aquæ, non autẽ autorẽ dandi spiritus esse? Atq; adeo prorsus illud est, quod Ioannes dicit: Ego quidem baptizo aqua, sed Christus baptisat spiritu sancto. Paulus quoq; ad Corinthios scribens: Sic nos, inquit, æstimet homo, ut ministros Christi & dispensatores mysterio rum Dei. Et paulo ante: Quis est Paulus? quis Apollo? nisi ministri, per quos credi distis, & ut cuiq; Dñs dedit. Et mox: Neq; qui plãtat est aliquid, neq; qui rigat, sed ꝙ dat incrementũ Deus. Ergo ne, inquies, ministerium Euãgelii quo uel Ioannes uel Apostoli functi sunt, non erit ministerium spiritus, sed mera & nuda externa larua, ad nihil aliud q̃ ad publicum spectaculum utilis? Absit. Quanq̃ enim hoc non sit magisterium, tamen est ministerium spiritus. Et ministri Euangelii non dant quidem sua autoritate spiritum sanctum, attamen Christus in hunc usum posuit ipsos, ꝙ uelit per ministerium ipsorum cuicunq; uoluerit spiritum sanctum dare. Dei, inquit Paulus, cooperarii sumus. Et iterum: Fecit nos idoneos ministros noui testamenti, non literæ sed spiritus. Et iterum: Euangelion potentia Dei est ad salutem omni credenti. Quare de baptismo Ioannis ita sentiendum est, ꝙ Ioannes non det quidem spiritum per baptismum sua autoritate, hoc enim solius Christi officium est, nihilominus tamen baptismus à Ioanne institutus, & postea per Apostolos inter gentes dispensatus, organon est, quo tanquam ordinario ministerio Christus spiritum suum, his qui in nomen eius credunt, impertit. Nam de eo loco, qui tradit in Actis Apostolicis capite decimonono, Ephesios quosdam post Ioannis baptisma, in nomine Domini Iesu Christi baptisatos esse, & uidetur astruere discrimẽ inter baptismum Ioannis, & baptismum Apostolorum, postea differemus, cum id quod Ioannes dicit: Ego baptizo uos aqua, explicabimus. Nunc uero charitatem uestram breuibus admonendam esse duxi, ut doctrinam Ioannis Baptistæ alta mẽte reponatis. Docuit enim baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorũ, ni-mirum, ꝙ ad expianda peccata, & ad consequendam remissionem peccatorum ac salutem, necessarium sit, primum, ut agnoscamus peccata nostra: deinde ut creda mus ea esse remissa propter agnum Dei, qui est Iesus Christus, & ut hanc fidẽ baptismo, tanquam signaculo confirmemus, ac dignos pœnitentiæ fructus faciamus. Hæc est doctrina, in qua totus Christianismus cõsistit. Hæc est doctrina, in qua uera hominum salus constat. Alii quidem alias rationes consequendi remissionẽ peccatorum ac iusticiam, & placandi Deum patrem præscribunt. Pharisæus dicit: Sacrifica Deo bouem, & merito huius operis satisfacies pro peccatis. Philosophus ait: Exerce multa uirtutum opera, & efficies, ut propter illa reconcilies tibi Deum, & iustus ac beatus fias. Hypocrita inquit: Ieiuna tribus diebus pane & aqua, & merito huius operis placabis Deũ, ut remittat tibi peccata, & det tibi uitã æternam. Breuiter, quotquot carent spiritu Dei, docent, remissionẽ peccatorũ, iusticiã & salutẽ contingere nobis propter merita & dignitates nostrarũ uirtutũ. Ioannes aũt spiritu sancto Dei præditus lõge aliã iustificãdi rationẽ docet, uidelicet, quòd nõ propter merita nostrorũ operũ, quis eñ in conspectu Dei iustificat? sed propter misericordiã Dei, & ꝓpter meritũ Christi, per fidẽ, q̃ est in Christũ, cõsequamur remissionẽ peccatorũ, & reputemur corã Deo iusti. Itaq; si hãc iustificãdi rationẽ capessamus, certissima nobis salus continget per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus laudandus in secula AMEN.

Apostolorum ministerium, est ministeriũ spiritus.

Christianismi doctrina.

HOMILIA XXII.



Xplicuimus summã doctrinæ & baptismi Ioannis. Sequit nunc oraculum prophetæ Esaiæ, quo ceu testimonio, ministerium Ioannis confirmatur. Etenim Ioannes prædicatione & baptismo suo tale negocium inchoauit, quale nunquam in hoc seculo factum est, neq; unquam fiet, quamdiu hic mundus durabit. Hoc enim negocio cœpta est non solum impletio propheticoꝝ uaticiniorum, quæ de Christo extabant, sed etiam mutatio status totius orbis terrarum. Nam eo tẽpore constabat orbis ex Iudæis & gentibus. Iudæi habebãt suã religionem & politiã. Habebãt & gentes suos diuinos cultus ac ciuiles leges. A diebus aũt Ioannis hæc omnia tam inter Iudæos, quàm inter gẽtes mutari cœperũt. Quare necessarium est, ut ministeriũ Ioannis diuinis oraculis confirmet, quo certi reddamur, negocium eus non esse humanũ inuentũ, sed opus spiritus sancti. Audi igitur quo oraculo Esaias plus septingentis annis longe
» ante de officio Ioannis uaticinatus sit. Sicut scriptũ est (inquit Lucas) in libro
» sermonũ Esaiæ prophetæ, dicentis: Vox clamãtis in deserto, parate uiã Domini,
» rectas facite semitas eius. Omnis uallis implebit, & omnis mõs & collis reddet humilis. Et fient quæ obliqua sunt directa, & aspera (uertent) in uias planas. Et uidebit omnis caro salutare Dei. Hæc apud Esaiã scripta sunt capite quadragesimo. Spiritum aũt sanctum his uerbis respicere ad ministeriũ, à Ioanne Baptista in desertо cœptum, nõ solũ Lucas, uerumetiã omnes alii Euangelistæ testant. Matthæus ait: Hic est ille, de quo dixit propheta, qui ait: Vox clamantis in deserto, parate uiã Domini Et Marcus: Initiũ, inquit, Euangelii Iesu Christi filii Dei, sicut scriptũ est in prophetis: Ecce ego mitto nunciũ meum ante faciẽ tuam, qui præparabit uiam tuã ante te. Vox clamãtis in deserto, parate uiam Dñi, rectas facite semitas eius. Sed & ipse Ioannes Baptista idẽ affirmat apud Ioannẽ Euangelistã dicẽs: Ego sum uox clamantis in deserto, dirigite uiã Domini, sicut dixit Esaias propheta. Nam cum Esaias nouã ministerii Euãgelii institutionẽ describeret, ac breuibus uerbis summã prædicationis Euangelii complecteretur, uidelicet, q̃ futuꝝ esset tẽpus, in quo Hierosolymitanis ciuibus prædicabitur, non terror legis, sed consolatio Euãgelii, nõ dura militia legis, sed dimissio & exautoratio à lege, non mors & dãnatio propter peccata, sed uita & salus propter remissionẽ peccatoꝝ, (hæc enim est summa prædicationis Euangelii) mox addit modũ, quo hoc Euangelii ministeriũ inchoabit. Erit, inquiẽs, uox clamans in deserto. Quibus uerbis respicit Esaias per antithesim in institutionem ministerii legis. Est enim & antea ministerium quoddam prædicationis in populo Dei institutum in deserto Sinai, sed hoc ministerium est prædicatio legis, quæ est instituta, non iucunda uoce, sed terribilibus tonitruis, & horrendis fulguribus. Cœperũt, inquit scriptura, audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes densissima operire montem, clangorq; buccinæ uehementius perstrepebat, & timuit populus, qui erat in castris. Nunc autem instituetur in deserto Galilææ prædicatio Euangelii, uoce blandissima. Erit hæc prædicatio uox clamans, non obscure sed perspicue, non deterrens, sed aduocans, non minis cogens, sed promissis inuitans & alliciens auditores. Quid ergo clamabit hæc uox in deserto? clamabit, parate uiam Domino. Qui autem hæc clamat, certe significat, Dominum aduenturũ, & ingressuꝝ regnum suum. Ecquis est ille Dominus? Certe Messias est, in lege & prophetis promissus. Rex gloriæ est, Dominus fortis & potẽs, Dominus potens in prælio.

Legis ministerium.

Euangelij ministerium.

in prælio. Sed quomodo paranda est uia eius? Rectas, inquit, facite in solitudine semitas Deo nostro, & date operam, ut omnis uallis impleat, & omnis mons ac collis deiiciatur, & ut obliquæ uiæ, rectæ fiant, & uiæ asperæ uertant in planas. Etenim mores huius seculi sic sese habent, ꝙ cum rex quispiã regnum suum triumphans ingredit, purgatur cãpus ea parte, qua rex aduenturus est, à uepribus & sentibus, saxa è uiis deuoluuntur, & ubi uiarum obliquitas est, ibi & sepes & maceriæ diruunt, quo uia directa fiat. In urbe autẽ, in quam rex ingressurus est, deiicitur pars muri, & implentur fossæ, ut illac ingrediatur. Purgantur quoꝙ plateæ à sordibus, & ornãtur undiꝙ ædes, adeoꝙ nullum nõ honoris genus excogitat, quo rex quàm reuerẽdissime excipiatur. Ecquid talis rex, tantis honoribus exceptus secum affert? Profecto, si multum, non nisi ciuilẽ pacẽ affert, & feuda quædã, ut uocãt, huius seculi, quæ sedens in throno maiestatis suæ, principibus suis, ac iis, qui fideliter ipsi seruierunt, dispensat. Atque hæc regis munera, quanꝙ magna sint, tamẽ non sunt diuturna, neminẽ pacificant cũ Deo, non liberant quenquã à morte & inferno. Si ergo rex quispiã huius seculi, ueniens duntaxat terrenis feudis comitatus, tam præclaris, ac prope diuinis honoribus à subditis suis excipitur, quantis obsecro honoribus excipiendus est rex ille Messias, qui uenit comitatus feudis, non carnalibus sed spiritualibus, non terrenis sed cœlestibus, non caducis, sed sempiternis. Affert enim secum placatum patrem, affert remissionem peccatorũ, affert iusticiam, affert spiritũ sanctum, affert salutem, affert uitam, deniꝙ affert ipsum cœlum & perpetuam fœlicitatem. Hæc sant feuda quæ secum asportat rex noster Messias, quæ & distribuit omnibus iis, qui ipsum eo honore, quo decet, excipiunt. Itaꝙ, si ad parandam uiã regi cuipiã terreno plateæ purgant à sordibus, muri adæquant solo, fossæ implẽtur, saxa è uiis deuoluuntur, & asperæ uiæ in planas uertunt, quanto magis huic nostro regi sic paranda est uia, ut non solum uepres è uiis excidantur, & obliquæ semitæ, directæ efficiantur, sed etiam ut omnes montes & colles deiiciantur, & ualles impleantur, quo, quacunꝙ incedat rex noster, uiam habeat planam, facilem, & nullis offẽdiculis impeditã ac molestã, ne forte equus eius, quo insidet, offẽsus uiaꝝ uel decliuitate uel asperitate excutiat regem nostrum sessorẽ, & crus eius, aut quod dictu quoꝙ horrendum est, collũ frangat. Quid enim nobis spei reliquũ esset, si talem regem aduerso quodam casu, priusquam ad nos adueniret, & urbẽ nostram ingrederet, amitteremus? Sed quãtæ molis, inquies, erit, ad parandã uiã Messiæ, mõtes in planum deducere, & conuexa uallium æquare? Quis tanta uirium suarum fiducia inflatus, hæc homini impossibilia conabitur, nisi prorsus cum Xerxe Persarum rege insaniat, quem, ueluti naturæ dominum, talia molitum esse, autores quidam scribunt? At bono sis animo, ad deiiciendos hos montes, quos iubet propheta in aduentu Messiæ, in planum deducere, non opus habes multis externis ligonibus, aut uiribus manuum. Nam regibus quidem huius seculi, externa maiestate in regnum suum externum ingredientibus, paratur etiam externum iter, idꝙ externo & carnali ornatu ac planicie. Messias autem uenit in hunc mundum, ad occupandũ regnum suum, nulla externa maiestate conspicuus. Proinde nec externum aliquẽ itineris ornatum requirit. Ac propheta utitur quidem uerbis, quibus aliàs describit appatatus, quo homines huius seculi reges suos excipiũt, his aũt μεταφορικῶς adumbrat ueram rationem, qua ad excipiendum Messiam uiam parare debeamus. Nec est, quòd anxia cura affligamur, quid sibi uelint hæc uerba de semitis rectis faciendis, & montibus ac uallibus coæquandis. Metaphoram enim horum uerborum Ioannes ipse interpretatur dicens: Pœnitentiam agite, appropinquat

Christo uia paranda.

Christi feuda.

Christo ualles æquãdæ.

Viam Domino parare quid?

enim regnum cœlorum. Parare igitur uiam Domino, rectas facere semitas eius, mõtes in planum deducere, & conuexa uallium æquare, hoc in loco nihil aliud est, quàm pœnitentiam agere. Vbi autem pœnitentia iubetur, ibi certe iubentur peccata tolli. Quantũ igitur è nomine pœnitentiæ animaduerti potest, profecto peccata sunt

Peccata montes, & ualles sunt.

obliquitas, asperitas, curuitas, saxa, montes, colles & ualles, quæ impediunt iter Domini, & quæ ad excipiendum Dominum euellenda, complananda & exæquãda sunt. Vnde in psalmo dicitur: Non Deus uolens iniquitatem tu es, neq; habitabit iuxta te malignus, neq; permanebunt iniusti ante oculos tuos. Odisti omnes, qui operantur iniquitatem, perdes omnes qui loquuntur mendacium. Virum sanguinum & dolosum abominabitur Dominus. Hæc quid aliud significant, quàm uiam impiorum propter peccata tam saxosam & confragosam esse, ut Dominus nolit in ea ambulare? Et in prouerbiis dicit Salomon: Abominatio Domino, uia impii. Quomodo igitur Dominus incederet in ea? Esaias quoq; ait. Ecce non est abbreuiata manus Dñi, ut saluare nequeat, neq; aggrauata est auris eius, ut non exaudiat, sed iniquitates uestræ diuiserunt inter uos & Deum uestrum, & peccata uestra absconderunt faciem eius à uobis, ne exaudiret. Peccata igitur sunt sublimes illi montes, & aspera saxa, quæ auertunt Dominum Deum nostrum, ne ad nos diuertat. Cæterum, cum de peccatis loquimur, non ea solum intelligimus, quæ sunt con-

Peccata quæ sint.

tra secundam tabulam decalogi, qualia sunt, parentes contumeliis afficere, furari, occidere, latrocinari, adulterium committere, falsum testimonium dare, & alienis opibus inhiare. Sed ea præcipue intelligimus, quæ sunt contra primam tabulã decalogi, qualia sunt, alienos Deos colere, & nomen Domini blasphemia afficere.

Idola colere.

A cidola quidem colere, non id nunc tantum significare uolumus, quod dicimus, ante ligneam, aut lapideam mortalis hominis, aut etiam immortalis Dei statuam procumbere, & adorare, sed est potius suam ipsius iusticiam statuere, & de uiribus ac operibus suis talem opinionẽ concipere, quòd uires humanæ possint legi Dei perfecte satisfacere, & quòd opera hominum possint peccata expiare, Deum placare, & salutem perpetuam mereri. Hoc enim nihil aliud est, quàm suas uires & opera pro Deo statuere & adorare, & suis uiribus ac operibus nomen Dei tribuere, quod certe summa est impietas in Deũ, & extrema ignominia nominis Dei. Hæc igit peccata maxime omnium impediunt iter Domini Dei nostri, & deterrent eum ne ad nos adueniat, & bona sua nobis largiatur. Quòd si uero Dominus faciem suã à nobis auertat, & recedat, quid, obsecro, reliquum nobis erit, nisi miseria, calamitas, mors, infernus, & sempiternus cruciatus? Horres ista? quid ni? Da igitur operam, ut peccata, quæ sunt impedimenta itineris Dei, amoueas, & à te abiicias. Sed quomodo, inquies, abiiciam ea, quando in natura mea hærent, nec possunt à carne & sanguine euelli? Hic iam scinditur in contraria uulgus doctorum. Alius enim aliter

Peccata quo modo tollantur.

docet uiam Domino parare, & peccata, quæ sunt uiæ impedimenta, tollere. Pharisæus ait, affer holocaustum, aut laua manus priusquàm cibum sumas. Meritis enim horum operum tolles peccata tua, & parabis Domino uiam, ut uelit nolit, necesse habeat ad te diuerti. Monachus dicit: Indue cucullam, ora tria aut quatuor rosaria beatæ Mariæ uirginis, quibus operibus peccata tua ita tolles, & Domino uiam parabis, ut unà cum toto cœlo comitatus ad te ueniat. Sophista docet: Dole & contere de peccatis tuis, confitere ea secundum omnes suas circumstantias, filias, neptes, ac proneptes, in aurem sacrificuli, ac postea audi Missas, uisita templa sanctorum, ieiuna in aduentu DOMINI, ante natalem CHRISTI, ieiuna in quadragesima, & quatuor anni temporibus, tunc meritis horum

operum

operũ montes & colles peccatorum tuorũ ita deiicies, & Domino Deo tuo tam planam uiam parabis, ut prorsus nihil causari queat, quo minus ad te cum omnibus bonis suis ueniat, & perpetuo tecũ maneat. Sed si rem probe dispicias, hæ doctrinæ docent potius iter Domini impedire, quàm expedire, & peccata magis auge re, quàm tollere. Quomodo istud? inquies. Audi. Qui docent peccata expiari operibus, & Deum placari meritis operum, hi certe primum obscurant grauitatẽ peccatorum, quasi non sint tanta, ut egeant sanguine Iesu Christi, & extenuant seueritatem iræ Dei, quasi ea frigidior sit, quàm ut peccatores perpetuo condẽnet. Peccata autem obscurare, & iustam iram Dei extenuare, quid est, nisi peccata augere & iram Dei uehmentius accendere? Deinde, qui docent peccata expiari meritis operum, iidem docent etiam homines arrogantiam & suiipsius fiduciam. Si enim merita operꝫ pro peccatis satisfaciunt, profecto reliquũ est, hominẽ tantæ integritatis & dignitatis esse, ut ex sese habeat, quo in cœlũ ascẽdat, & perpetua fœlicitate fruatẽ. Quis autem de tanta integritate non gloriaretur? quis tantæ dignitatis fiducia nõ inflaretur? Docere autem hominem arrogantiam, præsumptionem, & suiipsius fiduciam, non est aliud, q̃ peccata peccatis addere. Postremo, qui merita operũ, ad expianda peccata iactant, hi transferunt honorem & maiestatem Messiæ, Domini nostri Iesu Christi, in humana opera, & deiecto, quantum in se est, Christo unigeni to filio Dei reponunt in thronum maiestatis eius, suam ipsorum iusticiam & sanctitatem. Maiestas enim Messiæ est, quòd ipse solus satisfecerit pro peccatis, & placaue rit patrem cœlestem. Qui ergo hoc humanis operibus tribuunt, certe detrahũt honorem Christo, hoc est, summæ iusticiæ, & tribuunt eum humanis operibus, hoc est, summæ iniusticiæ. Quis autẽ hanc blasphemiam satis digne explicare posset? Quid est peccata peccatis addere, si hoc non est? Et si id quod res est dicendum est, profecto, qui sentiunt peccata meritis operũ expiari coram Deo, ii uere è peccatis remissibilibus faciũt peccata irremissibilia, quæ sunt peccata in spiritum sanctum. Nam qui furatur aut latrocinatur, is designat quidem crimen ingens, & morte nõ tam corporali q̃ perpetua dignum, hoc tamen crimen adhuc est remissibile. Qui autem sentit hoc crimen posse coram Deo expiari merito eleemosynæ, aut ieiunii, aut peregrinationis ad diuum Iacobum nudis pedibus, aut aliorum nostrorum operum, hic iam è peccato remissibili facit irremissibile. Nam qui in hac animi sententia est, ꝙ merita operum satisfaciant coram Deo pro peccatis, is non credit peccata ipsi remissa propter misericordiam Dei, in Christo Iesu exhibitam. Qui autẽ nõ uere credit, ꝙ propter Christum habeat remissionem peccatorũ, is manet in peccatis suis, & retinentur ei peccata. Proinde qui docent, parare Domino uiam, & tollere peccata meritis operum, hi usq; adeo non faciunt rectas semitas Deo, ut potius uiam Dei saxis & stipitibus obstruant, montes altiores, & ualles humiliores reddãt, & quantum in ipsis est, Deum excludant ac fugent. Quomodo ergo peccata uere tolluntur, ut Domino recta uia paretur? Hic mihi Ioannem audi, Christũ audi, Apostolos audi. Hi enim omnes uno ore docent uiam Dño parari, & peccata tolli pœnitentia. Pœnitentiam, inquiunt, agite, in propinquo enim est regnum cœlorum. Constituunt autem duas pœnitentiæ partes, quemadmodum supra demonstraui mus. Altera est agnitio peccatorꝫ, uidelicet, ut agnoscamus nos non iis tantum scelleribus, quæ manifeste aduersus legem Dei commisimus, contra Deum peccasse, & iram Dei meruisse, uerum etiam agnoscamus nos non posse legem Dei perfecte implere, nec posse operibus nostris pro peccatis satisfacere, adeoq; quocunq; respiciamus, siue ad uires naturæ nostræ, siue ad peccata manifesta, siue ad bona opera,

Meritorũ hũmanorum opinio, auget, nõ aufert peccata.

Christi maiestas quæ sit?

Peccata in spiritum sanctũ.

Pœnitentiæ partes.

nihil tamen aliud inuenire posse, quàm iram Dei, perditionem & damnationem. Altera pœnitentiæ pars est fides in Iesum Christum, uidelicet, ut credamus, quòd habeamus remissionem peccatorum gratis propter misericordiam Dei in Christo exhibitam. Ecce, inquit Ioannes, agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Agnitione igitur peccati, & fide in Christum, paratur uia aduenienti Domino, & tollunt peccata, quæ sunt impedimenta uiæ. Peccatis autem, hoc est, saxis & stipitibus sublatis, ac montibus in planum deductis, aduenit Dominus Deus rex noster, Iesus Christus, ac collocans sese in thronum maiestatis suæ, donat omnibus iis, qui ipsum per fidem exceperunt, feuda sua, quæ uocant cœlestia: primum quidem iusticiam, qui enim habent remissionem peccatorum per fidem, reputãtur coram Deo iusti. Deinde, largitur eis uaria dona Spiritus Sancti, ut ambulent in nouitate uitæ, & in præceptis Dei, ut sicut antea præbuerunt membra sua serua immundiciæ & iniquitati, sic nunc præbeant membra sua serua iusticiæ ad sanctificationem. Postremo donat eis uictoriam super omnes afflictiones & mortem, & ducit eos per mortem ad perpetuam uitam ac fœlicitatem, ut sicut ipse excitatus à mortuis non amplius moritur, sed uiuit Deo, ita & qui in ipsum credunt, resuscitentur à morte, & in sempiternum ac fœliciſsime uiuant. Quis nunc ad parandam tanto regi uiam non expergiscere? quis ad excipiendum tantorum bonorum dispensatorem torpesceret? Immane, quanta ueneratione, quãto studio huic duci obuiam procedimus, qui nobis ab externis tantum hostibus uictoriam & pacem huius seculi reportat. Ecce autẽ, aduenit dux noster Iesus Christus, qui ex ipso Satana, ex omnibus afflictionibus, ex morte, deniq; ex inferno ipso uictoriam nobis reportat, & expiato peccato adducit secum sempiternam iusticiam ac uitam. Agnitis ergo peccatis nostris, excipiamus eum per fidem, ut tanti ducis hospites facti, hæredes diuinorum bonorum efficiamur. Cæterum, quod hoc loco in Luca iuxta Græcorum lectionem additur: Et uidebit omnis caro salutare Dei, in Esaia iuxta Hebræam ueritatem sic legitur: Et reuelabitur gloria Domini, & uidebit omnis caro simul, q̃ os Domini locutum est. Verba uidentur diuersa, sed sensus idem est. Iesus eñ Christus ipse est Dominus Deus noster. Gloria autem & maiestas Christi est, q̃ pater unxerit eum spiritu sancto præ consortibus suis, & posuerit eum propiciatorem pro peccatis huius mundi, & q̃ Euangelion eius non sit simpliciter sermo hominis, sed ipsissimum uerbum Dei, ut qui ipsum audiat prædicantem, Deum audiat. Qui me, inquit, misit uerax est, & ego quæ audiui ab eo, hæc loquor in mũdo. Et qui uidet me, uidet patrem meum. Cum igitur Ioannes ministerium Euangelii inchoasset, cœpit quoq; reuelari gloria & maiestas Christi, primum quidem prædicatione Ioannis, dicentis: Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi. Deinde, eo tempore quo baptisatus est Christus à Ioanne, & apertum est cœlum, & descendit spiritus sanctus corporali specie sicut columba super Christum, & uox de cœlo facta est: Tu es filius meus dilectus, in te cõplacitum est mihi. Postremo ipsiusmet Christi doctrina, miraculis, resurrectione, ascensione, spiritus sancti in Apostolos missione, & Euangelii in totũ orbẽ terrarũ per Apostolos diuulgatiõe, ac stupendorum miraculorum in nomine eius operatione, atq; adeo homines tunc reipsa experti sunt, q̃ cũ olim Deus multifariã multisq; modis locutus sit patribus per prophetas, extremis hisce diebus colloquat nobis suo ipsius ore, hoc est, per filiũ suũ unigenitũ, quẽ constituit hæredẽ oĩm, per quẽ etiã secula cõdidit, quemadmodũ in epistola ad Hebræos scriptũ est. Quare si hodie uocẽ eius audieritis, nolite obdurare corda uestra, sed adoremus & pcidamus corã illo Domino nostro Iesu Christo, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus laudandus in secula AMEN.

Feuda Christi

Christi maiestas quomodo reuelata.

HOMILIA XXIII.

De uera Baptismi ratione.



VM toti nũc, amicissimi, in tractando ministerio Ioannis Baptistæ uersemur, res postulare uidetur, ut ueram baptismi rationem explicemus. Non eñ solum utile, uerumetiam ad erigendam & consolandam conscientiam nostram in grauibus tentationibus necessarium est, ut probe perspectam teneamus naturam eius sacramenti, per quod in Christo Iesu regeneramur, & in spiritu sancto renouamur. Et si mercatori turpe ac fœdũ est, ignorare margariti sui preciũ ac thesaurũ, quanto turpius erit Christiano nescire thesaurum baptismi sui, qui est margaritum lõge omnium preciosissimum? Quare, ut nostra ipsorum bona cognoscamus, de baptismo nunc disseremus: primum, quo ministro, & quo autore baptismus institutus sit: deinde quid sit baptismus: adhæc, quot sint βαπτίσματα: postremo, quis fructus, quæ utilitas, quis finis baptismi. Hæc, etsi breui oratione non satis pro dignitate sua explicari queant, tamen nos uestris adiuti precibus, quãtum in præsentia satis fuerit, de his dicemus.

Baptismi institutio.

Quod igitur ad institutionem baptismi attinet, primus omniũ minister baptismi fuit Ioannes Baptista, unde & cognomen Baptistæ sortitus est, quemadmodum supra demonstrauimus. Ac usum eius inchoauit in Iordane fluuio Galilææ. Inchoauit autẽ eum, non humana autoritate, aut carnali prudentia, sed autoritate uerbi Dei, & mandato Domini. Factum enim est, inquit Lucas, uerbum Domini ad Ioannẽ in deserto, ad quidẽ ut prædicaret baptismum pœnitẽtiæ in remissionem peccatorum. Cæterum, quem Ioannes iussu Dei inchoauit, eum mox Iesus Christus usu suo confirmauit. Venit enim ad Ioannem, & baptisatus est ab illo. Et factũ est, cum baptisatus esset, aperti sunt cœli, & descendit spiritus sanctus corporali specie quasi columba in ipsum, & uox de cœlo facta est, quæ diceret: Tu es filius meus dilectus, in te complacitum est mihi. Quæ res gesta, quanquam præcipue autoritatẽ Christi declaret, tamen præter hoc autoritatem quoq; baptismi confirmat, ac testatur, q̃ baptismus non tantum sit ex Deo, sed q̃ etiam in baptismo præsto adsint Pater, Filius & Spiritus sanctus. Iam, Christus non solum suscepit baptismum à Ioanne, uerumetiam præcepit discipulis suis, ut eum in nomine Domini omnibus gentibus distribuerẽt: Euntes, inquit, docete oẽs gẽtes, baptisantes eos in nomine patris & filii & spiritus sancti. Et iterum: Ite in uniuersum mundum, & prædicate Euangelion omni creaturæ. Qui crediderit & baptisatus fuetit, saluus erit. Habes breuibus, quo autore baptismus iussus & confirmatus sit, quo item ministro primũ omnium inchoatus sit. Nunc igitur uidendum est, quid sit baptismus. Ac Paulus quidem ad Ephesios & ad Titum baptismum definiẽs, sic ait: Christus dilexit Ecclesiã, & semetipsum exposuit pro ea, ut illam sanctificaret mundatã lauacro aquæ per uerbum. Et rursus: Saluos nos fecit secundũ suam misericordiam, per lauacrũ regenerationis ac renouationis spiritus sancti. Ex his perspicue uidemus, baptismum, iuxta Paulum, esse lauacrum, per quod Ecclesia mundatur à peccatis, & regeneratur, ac renouatur in spiritu sancto. Petrus autem in priori sua epistola capite tercio, de baptismo loquens: Baptismus, inquit, est ἐπερώτημα, hoc est, stipulatio bonæ conscientiæ erga Deum. Quibus uerbis baptismi ratio ualde significanter explicatur. Etenim, quod inter homines ciuilibus stipulationibus fieri solet, hoc idẽ

Baptismi confirmatio.

Baptismi definitio.

fit in baptiſmo inter Deum & hominem. In ciuili autem ſtipulatione, (quæ eſt, ut Iuriſconſultus definit, conceptio uerborum, quibus is, qui interrogatur, daturum factumue ſe id, quod interrogatus eſt, reſpondet, uidelicet: Spondes, ſpondeo, promittis, promitto, dabis, dabo, facies, faciam) primum eſt interrogans, quem uocant ſtipulatorem, deinde reſpondens, qui eſt promiſſor, poſtremo res ipſa, de qua fit ſtipulatio. Et in legitima ſtipulatione promiſſor ſtipulatori ita firmiter obligatur, ut quaſi uinculo quodã ſoluendæ promiſſæ rei aſtringatur. Sic & in baptiſmo, homo petens baptiſmum eſt interrogans aut ſtipulator. Dicens enim, uolo baptiſari, nihil aliud ſentit, quàm ſi interrogaret, num Deus uelit ipſi ſeruare promiſſa, per Euangelium de Ieſu Chriſto adnunciata? Et perinde eſt, ac ſi diceret, uolo de his promiſsis, quæ Euangelio mihi prædicata ſunt, certificari ac confirmari. Dominus autem Deus noſter, Pater, filius & ſpiritus ſanctus, eſt reſpodens ac promiſſor. Chriſtus enim iuſsit Apoſtolos baptiſare homines in nomine patris & filii & ſpiritus ſancti. Hoc autem nihil aliud eſt, quàm baptiſare ordinatione, mandato, & uice patris & filii & ſpiritus ſancti, ac per baptiſmum in nomen Domini, hoc eſt, in hæreditatem ac proprietatem omnium diuinorum bonorum, quæ per Chriſtum parta ſunt, inaugurare. Cum igitur miniſter Eccleſiæ profitetur ſe baptizare in nomine patris & filii & ſpiritus ſancti, obſeruandum eſt, Dominum Deum noſtrum ſub hac miniſtri profeſsione, eum qui baptiſatur ita alloqui: Nos pater, filius & ſpiritus ſanctus eſſentia quidem unus Deus, tribus tamen perſonis diſtinctus, promittimus tibi, ac ſanctiſsime per noſmetipſos, hoc baptiſmo iuramus, quòd non homo quiſpiam uanus aut mendax, ſed noſipſi, Deus uerax & conſtans, ablui mus te à peccatis, & remittimus ea tibi, ac recipimus te in gratiam noſtram, adeóque dicamus tibi propria, omnia ea bona, quæ per Euangelion de Ieſu Chriſto uere prædicantur. Hæc enim bona, ipſa res ſunt, de qua fit ſtipulatio inter Deum & hominem. Quid ergo per Euangelion de Ieſu Chriſto prædicatur? Profecto hæc eſt prædicatio Euangelii, quòd Ieſus Chriſtus placauerit patrem qui eſt in cœlis, quòd ſarisfecerit pro peccatis noſtris, quòd uicerit Satanam, mortem & infernũ, quòd impetrauerit nobis adoptionem filiorum Dei, ut quotquot credunt in nomen eius, efficiantur filii Dei, & hæredes bonorum eius, ac conſequantur perpetuam ſalutem. Igitur baptiſmus eſt ſtipulatio, qua pater, filius & ſpiritus ſanctus, ſuorum uerbis ſeſe obligant, quòd uelint eſſe, ei qui baptiſatur, propicii, quòd remittant ipſi peccata, quòd uelint ipſi propter Chriſtum dare uictoriam ſuper Satanã, mortem & infernum, quòd adoptent ipſum in filium Dei, atq; adeo quòd collocent eum in ius & hæreditatem omnium diuinorum ac cœleſtium bonorum. Ac Paulus de coniugio ad Epheſios ſcribens, apte admodum & opportune lauacri aquæ, hoc eſt, baptiſmi meminit, quo dicit Eccleſiam, quæ eſt ſponſa Chriſti, mundari ac ſanctificari. Nam in contrahendo matrimonio ciuili, primum procus aut amicus quiſpiam ſponſi alloquitur ſponſam, ſuadet ei nuptias, commendat ſponſum, & commemorat bona ſponſi. Deinde ſi puella conſentiat, manus ſponſi manui ſponſæ iungitur, & aut ſponſus dicit, accipio te in uxorem, aut amicus ait, hanc tibi in uxorem trado, quibus uerbis & ſignis ratum ac firmum fit matrimonium. Sic & in contrahendo matrimonio ſpirituali inter CHRISTVM & membra Eccleſiæ, proci & amici officio iſti funguntur, qui Euangelion de IESV CHRISTO prædicant, & adnunciant, quanta bona his obueniant, qui per fidem CHRISTO deſponſantur. Quòd ſi quis in hanc deſponſationem uel ſua uoce, uel, ſi præ infantia nondum loqui ſciat

Baptiſmus ſtipulatio.

Euãgelii prædicatio quid?

Matrimonii contrahendi ritus.

qui sciat, tutoris uoce consentiat, & petat Christo iungi, ita tum demum firmum fit coniugium, si per baptismum Christo cõsecretur. Ipsum enim hcis corpus est ueluti manus eius. A qua aũt baptismi, est ueluti manus Christi. Hæ igitur duæ manus, hominis & Christi in baptismo à ministro, in noie Patris & Filii & Spiritus sancti, ita iunguñ, ut sub uoce ministri, Christus ipse sponsam alloquatur & dicat: Eo duco te hoc signaculo in meam legitimam uxorem, & promitto tibi tantam conIugii fidem, ut uelim tecum omnia mea bona cõmunia habere, sordes aũt tuas abstergere, & te in omnibus afflictionibus seruare, & ad perpetuam salutem perducere. Nam Christum ad hunc modum alloqui eum qui baptisatur, & fidẽ ei promittere testantur sua ipsius uerba, quibus iussit apostolos baptisare gẽtes siue in nomine, siue in nomem Patris & Filii & spiritus sancti, nimirũ significans, quod qui baptisatur, sanctificetur per baptismum ad cõmunionem omniũ bonorũ Dei, & recipiatur in nomen, hoc est, in gratiam, misericordiam, potentiam, & maiestatem Dei Patris & Filii & spiritus sancti. Huic etiã consentit, quod Paulus ad Galatas scribẽs: Quicunq, inquit, baptisati estis, Christum induistis. Christum aũt induere, quid est, nisi omnia Christi bona accipere, sordes abstergere, & perpetuam salutem acquirere? Baptismus igitur stipulatio est, qua Christus obligat sesẽ in uerum sponsum eius qui baptisatur, & promittit ei omnem salutem, ut baptismum recte uocaueris, publicam nuptiarum inter Christum & hominem confirmationem. Cæterum, quod Petrus, definiens baptismum esse stipulationem, addit, bonæ conscientiæ erga Deum, nemini mirum esse debet, qui possit aqua, res uidelicet externa, bonam conscientiam coram Deo reddere. Nam in baptismo non solum est aqua, & minister hominem aquâ perfundẽs, sed etiam est Deus Pater, Filius, & Spiritus sanctus, & hæ tres personæ præsto adsunt nec ociosæ nec mutæ. Ipsæ eñ sunt, quæ manu ministri intingunt eum qui baptizatur in aquam, & rursus educunt eum, & ipsæ sunt, quæ uoce ministri alloquuntur eum qui baptisatur, & recipiunt ipsum in suam gratiam, ac pollicẽtur ei omnia diuina bona, quemadmodum antea demõstrauimus. Vbi autem Deus ipse hominem manibus suis arripit, & tractat, & alloquens eum clementer, promittit ipsi gratiam suam, remissionem peccatorum ac salutem, ibi certe conscientia hominis, quæ antea mala erat propter peccata & desperationẽ, rursus bona fit, & concepta ac confirmata fiducia, alacris coram Deo redditur. Petrus igitur recte ait, baptismum talem esse stipulationẽ, ex qua fiat bona conscientia coram Deo, ut mox dilucidius explicabimus. Iam, ex his, quæ nunc diximus, manifestum quoq; est, cur Paulus uocauerit baptismum, lauacrum purgationis à peccatis, item regenerationis & renouationis spiritus sancti. Nonne per Euãgelion fide acceptũ purgamur à peccatis? Euangelion, inquit Paulus, est potẽtia Dei ad salutem omni credenti. Et Dauid: Asperges me Domine hysopo, (quæ significat Euangelion) & mundabor, lauabis me & super niuem dealbabor. Nonne per uerbum Euangelii regeneramur? Renati, inquit Petrus, nõ ex semine mortali, sed ex immortali per uerbum uiuentis Dei, & manentis inæternum. Hoc autem est uerbum, quod per Euangeliõ delatum est ad uos. Nonne per prædicationem Euangelii datur spiritus sanctus, & is est spiritus renouans corda hominum? Vtrum ex operibus legis, inquit Paulus, spiritum accepistis, an ex prædicatione fidei? Hac certe interrogatione perspicue significat Paulus, spiritum sanctum dari per ministerium prædicationis Euangelii. Vnde & aliàs dicit: Fecit nos idoneos ministros noui testamenti, nõ literæ sed spiritus. In baptismo autem non simplici ter est Euangelion de Iesu Christo, sed est Euangelion signaculo, stipulatione, fœ-

Baptismus bonam conscientiam facit.

Baptismus lauacrum regenerationis.

dere, adeoq; iuramenno Dei patris, Filii, & Spiritus sancti obsignatum & cõfirmatum. Quod enim in circumcisione, quam DEVS Israeli in Abraamo instituit, erat præpucii auulsio (erat autẽ σφραγὶς, hoc est, signaculum eius fœderis, quod DOMINVS pepigerat cum Abraamo & prosapia eius) hoc in baptismo est his qui baptisantur infusio aut immersio in aquam, uidelicet, certum est signaculum, quod DEVS uelit esse propicius propter CHRISTVM. Et ut id magis explanem atque illustrem, adiiciã aliquot etiam ciuiles similitudines. Nam quod est sigillum honesti uiri publicis literis, hoc est aqua baptismi Euangelio: & quod in fœderibus iungendis est manuum coniunctio, hoc in baptismo est immersio aut infusio aquæ baptismi: deniq; quod est in præstandis iuramentis duorum digitorum eleuatio, hoc in baptismo est aquæ infusio. Hac enim, ueluti extentis digitis, iurat DOMINVS DEVS noster per semetipsum, quòd uelit esse propicius ei, qui baptisat, & remittere peccata, ac adoptare eum in filium suum, & in hæredem omnium suorum bonorum. Quare baptismus maxime proprie lauacrum dicitur, quo hi, qui accipiunt baptismum, à peccatis purganrur, regenerantur, & spiritu sancto donantur, quo renouati, induunt nouum hominem, qui iuxta DEVM conditus est, per iusticiam & sanctitatem ueritatis. Diximus quid sit baptismus, nunc uideamus quoq; baptismi diuisionem. Sed quid multa? constat quidem baptismus ex multis partibus, sicut homo ex multis membris. Baptismi enim ueluti membra sunt, primum homo qui baptisatur, deinde minister bap-

Baptismi partes.

tismũ administrans, adhæc aqua, & aquæ infusio, præterea uerbum seu Euangelion de IESV CHRISTO, postremo DEVS Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Ex his multis partibus constat baptismus, nihilominus tamen, unus tantum baptismus est. Vnus DOMINVS, inquit Paulus, una fides, unum baptisma, unus DEVS & pater omnium, qui est super omnia & per omnia, & in om-

Baptismatum genera.

nibus nobis. Sunt quidem prophana quædam baptismata carnis, quibus sordes carnis abluuntur: est & baptismus crucis, de quo CHRISTVS ad filios Zebedæi ait: Potestis baptisari baptismate, quo ego baptisor? est præterea baptismus spiritus & ignis, quo CHRISTVS discipulos suos in die Pentecostes baptizauit. Nos autem nunc de eo tantum baptismo loquimur, qui per Ioannem Baptistam institutus, & per Apostolos omnibus gentibus administratus est, & quo Ecclesia CHRISTI nunc utitur, ac ad consumationem usq; seculi utetur. Hic inquam, baptismus unus tantum est, sicut una est tãtum fides, unus Christus, unus spiritus, unus DEVS & Pater omniũ. Quare baptismus, quo infantes in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti baptisant, non est alius baptismus ab eo, quo adulti baptizantur, nec alium baptismum habet diues, nec alium pauper, nec alium habet opilio, nec alium rex. Quid ergo non toleramus nos inuicem per charitatẽ, studentes seruare unitatem spiritus per uinculum pacis? Cur alius alium fastidit? Cur alter alterum non solum præ se contemnit, uerumetiam diris deuouet? Certe his moribus, quantum in nobis est, unitatem baptismi diuidimus, imo prophanamus & sordidamus. Sed ut hi, qui charitate unitatem baptismi commendant, præclari in conspectu DEI habentur, ita hi, qui contentionibus & rixis, fastidio & cõtemptu proximi unitatem baptismi dispergunt, magno supplicio tanquam sacrilegi, à DOMINO DEO nostro afficientur. Ostendimus unum tantum baptisma esse, reliquum nunc est, ut explicemus fructum & utilitatem eius. Ac sunt,

qui in hũc

qui in hunc duntaxat usum baptismum institutum esse putant, ut sit nota discernens CHRISTIANVM à Iudæo aut Turca; sicut uestitus gentem à gente discernit. Et hi quidem non in hoc errant, quòd sentiant baptismum esse signum distinguens CHRISTIANVM à Iudæo. Omnino enim per baptismum hi distinguuntur, sed in hoc errant, quòd existiment baptismum in hunc tantum ciuilem usum institutum esse. Sunt alii, qui docent baptismum esse signum admonens nos, ut in omnibus afflictionibus patientiã habeamus, & ut moriamur peccatis ac uiuamus iusticiæ. Et hactenus quidem hi recte sentiunt. Baptismus enim uere nos admonet, ut non seruiamus peccatis, sed iusticiæ. Paulus enim ad Romanos scribens: An ignoratis, inquit, quòd quicunque in CHRISTVM Iesum baptizati sumus, in mortem eius baptizati sumus? Sepulti igitur sumus unà cum illo per baptismum in mortem, ut quemadmodum excitatus est CHRISTVS ex mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate uitæ ambulemus. Sed in eo errant, quòd addunt, baptismum in hunc duntaxat usum institutum esse. Nec hoc sentiendum est, quòd baptismus sit institutus, ut usus est fructus ipsius eo tantum tempore duret, quo quis baptizatur. Sed maxime omniũ institutus est, ut usus ipsius, eo tempore quo quis baptisatur, incipiat, & duret usq; ad mortem. Non enim signum tantum est inter hominem & hominem, sed certissimum signum est inter hominem & DEVM, signum, inquam, est diuinæ uoluntatis erga hominem, ni mirum quòd DEVS hominem in filium suum adoptet, & peccata ei remittat, adeoq; seruet ipsum in omnibus afflictionibus ad uitam perpetuam propter Iesum CHRISTVM DOMINVM nostrum. Quocunq; autem sacramento misericors & clemens DEI uoluntas nobis certo significatur, eo confirmatur fides nostra, & efficitur in nobis bona cõscientia erga Deũ. Est igit baptismus potissimum in hunc usum institutus, ut primum quidem per eum regeneremur, & renouemur, deinde autem ut habeamus per eum consolationem in omnibus afflictionibus, & confirmationem fidei in omnibus aduersis, ac efficiamus per eum, quemadmodum Petrus ait, bonam conscientiam erga DEVM. Ergo, cum tumultus tentationum, malam conscientiam in nobis excitantium, in corde nostro oritur, ad baptismum, non quidem externo opere iterum assumendum, sed per fidem recurrendum est, tunc reipsa sentiemus, ex mala conscientia bonam fieri. Si quis, ex empli gratia, morbo, egestate, infamia, aut exilio affligitur, continuo solet Satan magnitudine doloris & ægritudinis, horrendas & blasphemas cogitationes in ipso excitare. Cogitat enim afflictus, quòd DEVS non respiciat ipsum, quòd Deus dereliquerit & abiecerit ipsum. Sic autem cogitare ac sentire, est malam conscientiam habere. Vnde ergo efficiemus eam bonam? Si recurramus ad baptismum, & reuocemus per fidem in memoriam, quòd DEVS pollicitus sit in baptismo, se nos respecturum, & in omnibus afflictionibus seruaturum. His igitur promissis certissimo baptismi signaculo confirmatis fidem adhibentes, bonam efficiemus conscientiam coram DEO, ut abiectis impiis cogitationibus, ea quæ recta sunt de Deo sentiamus. Si cui peccata ob oculos ponuntur, quid huic aliud in mentem ueniret, quàm se plane perpetuo damnatum esse? quid autem hac conscientia peius? Redi igitur ad baptismum, per fidem, & illic inuenies DOMINVM DEVM Patrem, Filium & Spiritum sanctum baptismo, quasi eleuatis digitis iurasse, q̃ remittat tibi peccata propter Christum, & sententiam condemnationis

Baptismi usus,

Baptismus remediũ aduersus omnes tentationes.

in te retractet. Hac profecto re, ex conſcientia peſsima efficietur optima. Si cui moriendum eſt, & in tenebras mortis ingrediendum, immane, quantis procellis conſcientia exagitetur. Hac parte imminet perpetuus interitus, illa extremus cruciatus, hac obiicit ſeſe ira DEI, illa ignis inferni. Breuiter, quocunque moriturus reſpiciat, uidet ſuam ipſius internitionem. Qui autem ſuum uidet exitium, quàm bonam poſſet coram DEO habere conſcientiam? quas non efflaret in DEVM blaſphemias? quæ non conuitia DEO ingereret, quòd ſit DEVS iniuſtus, quòd ſit crudelis, quòd ſit tyrannorum omnium ſæuiſsimus, & alia multa, quæ etiam dictu horrenda ſunt? Quid igitur faciat is, ut iterum adipiſcatur bonam conſcientiam? Reuocet ob oculos fidei baptiſmum, in quo cum perſpiciat DEVM ſeſe obligaſſe, quòd uelit in morte ſeruare, & per mortem ad uitam ducere, diſcuſſis blaſphemiis ſenciet DEVM eſſe longe omnium optimum ac clementiſsimum. Atque adeò, quicquid unquam afflictionis uel corporalis uel ſpiritualis, exitium ac internitionem nobis minatur, baptiſmo fidem noſtram confirmemus, ut eo certificati fiduciam concipiamus, nullam afflictionem tam grauem tam pernicioſam eſſe, quæ non neceſſe habeat propter fœdus DEI Patris & Filii & Spiritus ſancti nobiſcum initum, adiumento nobis in bonum eſſe. Sed diceres: Recurro quidem ad baptiſmum in afflictionibus & tentationibus meis, ſed mox aliæ cogitationes ſolent mihi omne ſolatium excutere, quod è baptiſmo me conceptum ſperaueram. Cum enim uideam me nunquam diuinæ uoluntati obediiſſe, & fidem meam DOMINO uiolaſſe, non poſſum aliter mihi perſuadere, quàm quòd DOMINVS etiam fidem & fœdus ſuum in me ſit uiolaturus, ac me perpetuo exicio traditurus. Hæc ſunt, quæ conſcientiam meam mirum in modum turbant, ac grauius morte me affligunt. Quo igitur me uertam, ut ab his uere inferni doloribus liberer? Scio quidem hæc eſſe ignita iacula Satanæ, ſed gratia DEI per IESVM CHRISTVM, reliquum adhuc nobis eſt ſcutum fidei, quo poſsimus hæc ignita Satanæ iacula extinguere. An quia tu mendax factus es, putas etiam DEVM mendacem fore? An inobedientia tua fidem DEI faciet irritam? Abſit longiſsime. DOMINVS enim DEVS noſter, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus poſuit certitudinem & firmitudinem fœderis ſui, quod nobiſcum in baptiſmo pepegit, non ſuper fundamentum noſtræ obedientiæ, ſed ſuper fundamemtum certiſsimæ & immutabilis ſuæ ueritatis. Ac requirit quidem DOMINVS à nobis obedientiam magna ſeueritate, attamen in fœdere uoui teſtamenti percutiendo, non adiecit hanc conditionem: Si mandatis meis obedieris, ero tibi propicius, & remittam tibi peccata propter obedientiam tuam, quid enim hoc aliud eſſet quàm uetus teſtamentum legis reſtituere, ac uerbis quidem polliceri remiſsionem peccatorum, adiecta autem conditione nobis impoſsibili, (cum enim lex ſit ſpiritualis, nos autem carnales, nunquam ad plenum ſatisfacimus legi DEI. Et ait pſalmus: Non iuſtificatur in conſpectu tuo omnis uiuens) reipſa nos propter peccata damnare, ac perpetuæ internicioni obiicere? Cum igitur fœdus noui teſtamenti, quod nobiſcum DEVS in baptiſmo percutit, ſit fœdus gratuitæ clementiæ propter CHRISTVM, non eſt adiecta ulla conditio legis, ſi feceris hæc opera, ſi obedieris mandatis meis, ſi impleueris legem, ſed ſimpliciter abſque ulla conditione legis ita percuſſum eſt: Nos Pater, Filius & Spiritus ſanctus baptizamus te, hoc eſt, pollicemur tibi hoc baptiſmi ſignaculo,

Deus uerax, etiamſi homo mẽdax fuerit

signaculo, quòd adoptemus te in filium, quòd gratis remittimus tibi peccata, quòd seruaturi te sumus in afflictionibus & morte, quòd daturi tibi sumus sempiternam fœlicitatem propter IESVM Christum. Atque hoc fœdus diuinum, quantum ad Deum attinet, tam firmum, tam constans est, ut cicius cœlũ rueret, quàm ut istud mendax fieret. Montes, inquit Esaias, commouebuntur & colles contremiscent, misericordia autem mea non recedet à te, & fœdus pacis meæ non mouebitur, dixit miserator DOMINVS. Nullo igitur pacto sentiendum est, quòd DOMINVS ueritatem fœderis sui ideo retractauerit, quia tu DOMINO non obediisti, sed sentiendum est, te quidem à fœdere abscessisse, ac grauiter peccasse, DOMINVM autem adhuc in fœdere firmum constare. Hoc igitur quærendũ est, non ut per desperationem longius quàm antea, peccatis, à fœdere abscedas, sed ut ad fœdus Dei redeas. Et quod Ieremias capite tertio Israelitis concionatur, hoc idem tibi dictum esse putes. Vulgo dicitur, inquit Ieremias, si dimiserit uir uxorem suam, & recedens ab eo duxerit uirum alterum, nunquid reuertetur ad eam ultra? nunquid non polluta & contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me, dicit DOMINVS, & ego suscipiam te. Idem plane clamat etiam ad nos DOMINVS Deus noster. Vulgaris, inquiens, consuetudo in fœderum ratione sic se habet, quòd si altera pars fœdus uiolet, altera ad seruandum fœdus amplius non obligetur. Vos autem, etsi uiolaueritis fœdus meum, tamen quia ego firmus adhuc in fœdere consto, reuertimini saltem ad me, & suscipiam uos. Reuertimur autem ad DEVM pœnitentia seu resipiscentia. Porro resipiscentia constat agnitione peccatorum & fide in Christum, quòd propter ipsum habeamus remissionem peccatorum, quemadmodum supra sæpenumero indicauimus. Proinde siue instet afflictio, siue angustia, siue psecutio, siue fames, siue exilium, siue gladius, siue peccatum, siue mors, siue Satan, siue infernus, persuasum habeamus, quòd nihil tam potens sit, quod queat ueritatem fœderis Dei abolere, & reuertamur ad DEVM & fœdus eius per fidem, ut recuperata bona erga Deum conscientia, perpetuam salutem consequamur propter Iesum Christũ Dominũ nostrum qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus laudandus in secula Amen.

HOMILIA XXIIII.

De pœnitentia.



Stendimus Ioannem Baptistã missum esse ad prædicandum baptismum pœnitẽtiæ in remissionem peccatorum, & explicuimus ueram baptismi rationem. Reliquum igitur est, ut explicemus etiam quæ sit uera ratio pœnitentiæ, quam alii uocant resipiscentiam. Quanquam autem sæpenumero de hac re differuimus, tũ quia rei & cognitu & factu necessariæ, nulla debet esse satietas, & Ioannes mox admonebit turbas in cõcione sua, ut faciãt fructũ dignos pœnitẽtiæ, dicemus nũc paulo copiosius de pœnitẽtia, ut eius rei, quã semper agere debemus, & quæ ad mortem usque durare debet, uerã rationẽ diligẽter cog

Pœnitentiã quid:

hoſcamus. Pœnitentia igitur, de qua in præſentia loquimur, eſt innouatio ſeu mutatio ſceleratæ uitæ in melius, ut iuſti coram Deo ac beati efficiamur. Scio quidem pœnitentiam aliàs aliter definiri, ſed malui, quicquid id eſt, ruditer explicare. Etenim, tunc mutamus uitam noſtram in melius, cum purgamur à peccatis, in quibus concepti ac nati ſumus, & liberamur à ſceleribus, quæ operibus deſignauimus, ut ambulemus in bonis operibus, quæ Deus nobis præcepit. Per pœnitentiam autem purgamur à peccatis, & liberamur à ſceleribus noſtris, quemadmodum poſtea indicabimus. Eſt igitur pœnitentia, ſceleratæ uitæ mutatio in melius, quo iuſti facti, ſalutem conſequamur. Quid ergo faciam, inquies, ut innouem & mutem ſceleratã meam uitam in melius, hoc eſt, ut purger ac liberer à peccatis meis, & reputer in cõſpectu Dei iuſtus? Hic uero uariæ ſunt hominum ſententiæ. Alii, qui ſecundum humanam rationem de pœnitentia iudicant, ſentiunt tum demum uitam in melius

Pœnitendũ quomodo?

mutari & à peccatis purgari, cum in locum perpetrati uicii, contraria uirtus ſubſtituitur. Vt, exempli gratia, ſi quis peccat ira, ſubſtituat depoſita ira clementiam, ſi odio, ſubſtituat amorem, ſi ebrietate, abiecta ea ſurroget in locum eius ſobrietatem, ſi ſcortatione & inceſtu, ſectetur oppoſitam uirtutem, caſtitatem, ſi furto, arripiat iuſticiam tribuendi unicuiq; quæ ſua ſunt. Atq; adeo, quocunq; uicio quis obnoxius eſt, ſentiunt eum ita à uicio purgari, ſi expulſo uicio, oppoſitam uirtutem ſectet. Et hic quidem fructus pœnitentiæ eſt, non eſt autem ipſa pœnitentia. Aliud eſt arbor, aliud fructus arboris. Sic aliud eſt pœnitentia, aliud fructus pœnitentiæ. Iam, ut fructus arboris non facit arborem bonam, ita nec pœnitentiæ fructus faciunt bonã pœnitentiam. Quanquàm enim opera ſeu fructus pœnitentiæ uideãtur coram hominibus uera pœnitentia, non tamen purgant peccata, non liberant à ſceleribus, non placãt Deum. Et qui poſſent iſtud facere? nulla enim eſt humana uirtus, quæ non aliqua ſui parte coram Deo impura & prophana ſit, quomodo igitur ipſa impura poſſet impuritatem expiare? Sed de hac re poſtea. Alii, qui ſuperſtitionem & hypocriſim ſectantur, de pœnitentia ineptiſsime & contra ſenſum cõmunem iudicant. Non enim hoc agunt, ut uicium contraria uirtute, ſed ut opere prorſus alieno

Pœnitentia abſurda quæ?

& impertinenti expient. Vt, cum peccauerint furto, expiant peccatum illud peregrinatione, cum peccauerint ſcortatione, expiant eleemoſyna, cum peccauerint ebrietate, expiãt auditu Miſſæ, cum peccauerint impoſtura, expiant ieiunio. Quid autem ad expiandum furtum faciat peregrinatio? quid ad purgandam ſcortationem faciat eleemoſyna? quid auditus Miſſæ ad eluendam ebrietatem? quid ieiunium, ad ſatisfaciendum pro impoſtura? Certe ſic pœnitentiam agere, perinde eſt, ac ſi quis pede doleat, & obliget caput, aut manu doleat, & medeatur pedi. Quid ergo inquies, faciendum eſt, ut peccata ſic expiẽtur, & ſcelerata uita ſic in melius mutet, quo & iuſticiam & ſalutem conſequamur? Et quæ eſt illa pœnitentia, quæ coram Deo ualet? Hic tu mihi obſerua, eas conciones audiendas eſſe, quæ non in hac terra natæ, ſed de cœlo ad nos miſſæ ſunt, quibus docemur, & quid ad agendã pœnitentiam faciendum ſit, & quid Deo placeat. Sunt autem in uniuerſum duo tantũ primarii concionatores, quorum conciones de cœlo miſſæ, & cœleſtibus miraculis

Concionatores duo, Moſes & Chriſtus.

confirmatæ ſunt. Alter eſt Moſes. Alter eſt Ieſus Chriſtus. Fuerunt & prophetæ & Apoſtoli concionatores, ſed hi fuerunt Moſi & Chriſti diſcipuli, ac quicquid concionati ſunt, è Moſi & Chriſti cõcionibus cõſtat. Quare ſi Moſen, & Chriſtũ audias, profecto audies ſummos in toto orbe terrarũ concionatores, & ipſorũ prophetarũ ac Apo

ac Apostolorum præceptores, qui etsi conciones suas in hac terra habuerunt, tamẽ non in hac terra didicerunt, sed attulerunt eas ad nos de cœlo. Primum ergo audiendus est Mose, cuius concionem de cœlo uenisse, propemodum manifestius est, quàm ut probari debeat. In Exodo enim capite decimonono scriptum est: Totus mons Sinai fumigabat, eo quòd descendisset Dominus super eum in igne, & ascendit fumus ex eo, quasi de fornace. Eratq; totus mons terribilis, & sonitus buccinæ paulatim crescebat in maius. Mose loquebatur, & Dominus respondebat ei uoce. Et in Deuteronomio, capite quarto: Accessistis & stetistis ad radices montis, qui ardebat usq; ad medium cœlum, erantq; in eo tenebræ & nubes & caligo. Locutusq; est Dominus ad uos de medio ignis. Vocem uerborum eius audistis, & similitudinem nullam uidistis, præter uocem. Habes concionem Mosi de cœlo descendisse. Quæ est ergo illa concio? Longum esset, singulis eam partibus explicatim referre. Si uolueris autem epitomen eius concionis audire, en accipe Decalogum, seu decẽ præcepta, quibus ipsemet Dominus Deus uoster concionem Mosi tanquam in breui compendio comprehendit. Ostendit, inquit Mose, uobis pactum suũ, quod præcepit ut faceretis, nempe decẽ uerba, quæ scripsit in duabus tabulis lapideis. Quòd si uolueris etiam Decalogi epitomen habere, audi quid Iesus in Euangelistis, legis doctori, quærenti quod esset mandatum magnum in lege, respondeat: Diliges Dominum Deum tuũ ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua, hoc est primum & magnum mandatum. Secundum autem simile est huic. Diliges proximum tuum, perinde atq; teipsum. In his duobus mandatis tota lex & prophetæ pendent. Habes paucis uerbis non tantum concionis Mosi, sed etiam omnium prophetarum, quantum ad legem attinet, compendium. Proinde, si uolueris pœnitentiam agere, arripienda sunt decem præcepta, & quæ in illis præcipiuntur, facienda & opere implenda sunt. Non enim sunt data, ut audiantur tantum, sed ut impleantur. Hæc sunt, inquit, præcepta, quæ præcepit Dominus Deus uester ut docerem uos, ut faciatis in terra ad quam transgredimini possidendam, ut timeas Dominum Deum tuum & serues omnia statuta & præcepta eius, quæ ego præcipio tibi. Et iterum: Discite ea, & seruate, ut faciatis. Qui autem ea uere seruauerit, & iuxta sententiam legis toto opere impleuerit, is habebit uitam & fœlicitatem. Custodite, inquit, statuta mea & iura, quæ faciens homo uiuet in eis. Et iterum: Testes inuoco hodie cõtra uos cœlum & terram, quòd proposuerim uobis uitam & mortem, benedictionem & maledictionem. Elige ergo uitam, ut & tu uiuas & semen tuum. Ac in Euangelio ad adolescentem dicitur: Si uis ad uitam ingredi, serua mandata. Sed cum desyderio adipiscendæ uitæ ac fœlicitatis arripuero decem præcepta, ut in ipsis ambulem, & ea opere compleam, quid fit? ipsa re comperio plane mihi idem accidere, quod paralytico sese ad ambulandum erigere conãti. Is, ut maxime nitatur manibus & pedibus uiam capessere & ingredi, tamen omnibus uiribus destitutus, non potest uel pedem mouere. Sic homo in peccatis conceptus & natus, peccatorum morbo ita inualidus factus est, ut prorsus nequeat sese ad ambulandum in lege Domini erigere, & cum maxime id conatur, tum uero maxime uidet aliam legem in membris suis rebellantem legi mentis suæ, quemadmodum Paulus ait, & captiuum reddentem ipsum legi peccati, quæ est in membris eius. Potest quidem fieri, ut quis habeat speciem satisfacientis legi, & externa opera legis faciat, sed tantum abest, ut legem exacte, quemadmodum requiritur, adimpleat, ut quo magis implere conetur, eo magis agnoscat se ipsam uiolare. Lex enim, inquit Paulus, est spiritualis, ego autem carnalis uenditus sub peccatum.

Mosi concio cœlestis.

Decalogus epitome legis.

Decalogi epitome.

Lex operum facienda.

Lex nõ implet ur ab homine.

Diligẽdus est Deus è toto puro & sancto corde, at corde humano nihil est prophanius & sordidius. Credendum est in Deum, nulla prorsus dubitatione, & tota anima. At dubitatio & incredulitas carni ita agnata est, ut donec posueris carnem, incredulitatem ab ea auellere non queas. Diligendus est proximus perinde ac tu teipsum diligis. Sed illud, quod aiunt, proximus egomet sum mihi, plus nobis arridet, quam lex Dei. Breuiter, neque tantum credimus Deo, neq; tantum diligimus Deum ac proximum, quantum debemus & quantum lex Dei à nobis requirit. Cũ igitur non plene satisfaciamus præceptis Dei, quæ Mose nobis concionatur, quid fit? Num conniuet Mose ad imperfectam impletionem legis? num agnoscit externum opus & reliqua condonat? Minime gentium. Hic concionator, seueriſsimus legis Dei exactor est. Nisi totum præceptum Dei perfecte impleueris, non agnoscit opera tua. Nihil cõdonat, ne præuaricationem quidem unius iotæ aut apicis. Aut omnia plene seruari uult, aut non plene seruantem maledicit. Maledictus, inquit, omnis, qui non permanet in sermonibus legis huius, nec eos opere perficit. Et dicet omnis populus: Amen. Vnde reipsa comperimus, q̃ mandatum, quemadmodum Paulus ait, quod institutum erat ad uitam, cedat nobis ad mortem, non quidem uitio mandati, (est enim præceptum sanctum, iustum, ac bonum) sed uitio nostro, qui imbecilliores sumus, quàm ut mandato Dei uiribus nostris perfecte satisfacere queamus. Post quam enim non implemus præcepta Dei, tunc agnoscimus ex præceptis peccata nostra. Propositis autem peccatis, proponit & ira Dei, & maledictio, & mors, & perpetua damnatio. His autem propositis, natura nostra sic irritatur, ut iam non solum in hanc partem peccet, q̃ non perfecte satisfaciat legi, sed incipiat etiam odisse iudicia Dei, & indignari aduersus Deum, ut crudelem tyrannum, ac plane de salute sua desperare. Atq; hoc illud est, quod Paulus toties de lege inculcat: Per legem (non iustificatio à peccato, sed) agnitio peccati. Et iterũ: Lex iram operatur. Ac rursus: Litera occidit. Et iterum: Potentia peccati lex est. Hic ergo uide mihi, rem longe aliter euenire, q̃ animo meo præsumpseram. Acturus eñ pœnitentiam, accesi ad concionatorem Mosen, & audiui ab eo præcepta Dei, ut cum obseruarem ea, uitã & fœlicitatem haberem, sed ecce rerum uices in diuersum mutatas. Volui præcepta Dei obseruare, sed uidi aliam legem in mẽbris meis, quæ non permittebat, ut præcepta Dei perfecte obsetuarem. Volui à peccatis liberari, & iusticiæ operam dare, sed ecce peccata, occasione à lege accepta, subinde magis ac magis augebantur. Volui ad uitam ingredi, sed ecce ingressus sum in mortem. Volui fœlicitatem adipisci, sed uideo & sentio me longe omnium miserrimũ, & tum damnationi obnoxiũ. Quid igitur agam? quo me nunc uertã? Bene adhuc habet. Iacta sunt pœnitentiæ fundamenta. Hoc enim, quod nunc sentis, plane uolebam, cum te ad audiẽdum Mosen remitterem, nimirũ, ut intelligeres peccata tua, sentires iram Dei, ac damnationem tuã. Hæc enim est prior pars pœnitentiæ. Nã quemadmodum in ægroto, morbus tunc periculosissimus est, cum ita insanit, ut non intelligat morbum suum, sed existimet se ualde sanum, cum uero incipit morbum suum intelligere, tum reliqua adhuc spes est recuperandæ ualetudinis, & hic primus est gradus ad sanitatem: ita in peccatore, (est autem omnis homo peccator, quippe qui in peccatis conceptus & natus est) peccatum tunc perniciosissimũ est, cum non intelligitur, nec sentitur, sed existimatur esse iusticia, quàm primum autem agnoscitur, sufflantur quidem in cõscientia ignes inferni, attamen primus hic est gradus, quo conscenditur ad iusticiam, & fœlicitatem cœlestem. Quare si uoluris uere coram Deo pœnitentiam agere, primum omnium danda est opera, ut

Mosi seueritas.

Lex ostendit peccatum.

Pœnitentiæ fundamẽtum, agnoscere peccata.

Pœnitentiæ prior pars.

Mosen

Mosen audias,& discas ex ipso agnitionem peccatorum tuorum,& iudicium damnationis tuæ. Quid ergo? num perdurandum & manendum est apud hunc concionatorem? Absit longissime. Primum quidem omnium audiendus est, ut mala nostra cognoscamus, sed non est apud ipsum perdurandū. Hoc enim quid aliud esset q̄ manere in peccatis, in desperatione, in odio Dei, in inferno, & perpetua damnatione? Nam, quotquot, inquit Paulus, ex operibus legis sunt, execrationi sunt obnoxii. Accedit huc, q̄ nec ipse Mose secum retinet auditores & discipulos suos, sed remittit eos ad alium concionatorem, è quo omnis iusticia & salus petenda sit, dicens: Prophetā de gente tua & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dñs Deus tuus, ipsum audies. Et mox: Prophetam, inquit Dñs, suscitabo eis de medio fratrū suorum, sicut te, & ponam uerba mea in ore eius, loquetur q̄ ad eos omnia quæ præcepero illi. Qui autem uerba eius, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego requiram ab eo. Hic autem propheta, interprete Petro in Actis Apostolicis capite tertio, est Dominus noster Iesus Christus, æterni Dei æternus filius, qui in hunc mundum missus est, & hominem induit, ut mundus per eum seruaretur. Ad agendam igitur ueram pœnitentiam coram Deo, audiendus est post Mosen alter concionator, Iesus Christus, cuius concionem de cœlo esse notius est, q̄ ut probari debeat. Qui me misit, inquit, uerax est, & ego quæ audiui ab eo, hæc loquor in mūdo. Et iterū: Ego ex meipso non sum locutus, sed qui misit me pater, ipse mihi mandatum dedit quid dicam & quid loquar. Et scio quòd mandatum eius, uita æterna est. Audiamus igitur, quid hic concionator doceat. Ac primum, audimus quidem q̄ Christus meminerit interdum in concione sua legis Mosi & decem præceptorum, eaq̄ explicet, quemadmodum testantur Euangelistæ, obseruandum autē est, q̄ tunc non fungatur proprio suo ministerio, propter quod è cœlo in terrā missus est, sed usurpet interim ministeriū legis, & agat interpretem Mosi, quo commodius ad suum ipsius proprium ministerium capessendū perueniat. Nam quemadmodū Dominus Deus noster, in conferenda salute, arripit, iuxta Esaiam, alienum & peregrinum opus, quod est, affligere, & operatur per illud proprium suū opus, quod est seruare, ita filius Dei, Iesus Christus in ratione iustificationis & perpetuæ salutis arripit alienum ministerium, quod est ministeriū legis, ut per illud quasi gradu quodam ad suum ipsius ministerium, quod est Euangelion salutis, descendat. Etenim Iesus Christus, quod ad suum ipsius proprium ministerium attinet, missus est à patre suo in hunc mundum, ut obedientia sua iram Dei placaret, pro peccatis hominum satisfaceret, mortem uinceret, & uitam ac perpetuam fœlicitatē pararet. Vnde & hoc mandatum patris in omnibus concionibus suis inculcat, & urget, perspicue significans, se ob eam causam in hunc mundum missum, ut homines Deo reconciliaret, & iusticiæ, uitæ ac perpetuæ saluti eos restitueret. Sic Deus (inquit) dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam. Non enim misit Deus filium suum in mundū, ut condemnet mundum, sed ut seruetur mundus per eum. Et iterum: Ego sum panis uitæ. Qui uenit ad me, non esuriet, & qui credit in me, nō sitiet unquam. Ac rursus: Ego sum lux mundi. Qui sequit̄ me, non ambulabit in tenebris, sed habebit lumē uitæ. Et aliàs: Ego sum ostium, per me si quis introierit seruabitur. Ac mox: Ego sum pastor bonus, & cognosco oues meas, & cognoscor à meis. Sicut nouit me pater, ita & ego noui patrem, & animam meam pono pro ouibus: Et rursus. Ego sum resurrectio & uita, qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, uiuet, & omnis qui uiuit & credit in me, non morietur in æternum. Ac iterū: Ego sum uia, ueritas & uita.

A Mose ad Christū cundum.

Christi cōcio cœlestis.

Christus non est legislator.

Christi proprium ministerium.

Sed quis posset omnia uerba Christi enumerare, quibus docet ac testatur, se illum esse, qui peccata hominum expiet, iram Dei mitiget, à morte seruet, ad uitam ducat & fœlicitatem donet? Vis autē concionis Christi epitomen habere? Audi. Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Habes concionem & doctrinam Iesu Christi. Quid ergo is concionator à nobis requirit? Non est legislator, non igitur requirit ad expianda peccata, & ad placandam iram Dei, opera legis, sed est summus & maximus ille Euangelista. Requirit ergo fidem, ut quia ipse est talis, qualem se prædicat, non solū credamus sermonem eius ueracem esse, sed collocemus etiā omnē nostram fiduciam in eum, q̄ peccata nostra expiauerit, q̄ patrem placauerit, & q̄ nos à morte redemerit. Quotquot, inquit Ioannes, receperunt eum, dedit eis ut liceret filios Dei fieri, uidelicet his, qui credidissent in nomē ipsius. Et iterum: Oportet exaltari filium hominis, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat uitā æternam. Ac rursus: Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille. En hæc est posterior pars pœnitentiæ, nimirum, ut postquam à Mose ductus fueris in agnitionem peccatorum tuorū & damnationis, audias Euangelion Iesu Christi, & credas, q̄ Christus satisfecerit pro peccatis tuis, & morte sua liberauerit te à morte & damnatione. Qui autem ad hunc modum pœnitentiam agit, quid, obsecro, consequitur? Rogas, quid? Profecto per hanc pœnitentiam tantum consequitur, quantum consequeretur, si totam legem perfecte secundum omnia iota & apices implesset. Et ut hoc probe percipias, audi. Nonne qui legem Dei perfecte implet, merito apud Deum iustus habetur? Qui enim, inquit, fecerit ea, uiuet in eis, certe non tantum coram hominibus, sed etiam coram Deo. Qui uero credit in Christum, quòd propter ipsum habeat remissionem peccatorū, huic non amplius imputantur peccata coram DEO. Cui autem non imputantur peccata, is perinde iudicatur, ac si nulla haberet peccata. Qui autem ita iudicatur, is certe reputatur iustus. Proinde, qui credit in Christum, tantum habet per fidem, quantum lex perfecte impleta efficeret. Adhæc, nonne qui legem Dei perfecte implet, habet uitam & fœlicitatem? Quid autem aliud quàm perpetuam fœlicitatem habet is, qui credit in Christum? Quare qui in Christum credit, idipsum plane habet, quod per legem perfecte impletam contingeret. Vnde Paulus ad Romanos scribens: Quod lex, inquit, præstare non poterat, ea parte qua imbecillis erat per carnem, hoc Deus, proprio filio misso sub specie carnis peccato obnoxiæ, præstitit, ac de peccato condemnauit peccatum per carnem, ut iustificatio impleretur in nobis, hoc est, ut is qui credit in Christum, non aliter iustus reputetur, quàm si totam legem impleuisset. Et postea: Perfectio legis Christus, ad iustificationem omni credenti. Tametsi enim quis legi non satisfecit, tamen si credit in Christum, q̄ propter ipsum habeat remissionem peccatorum, plane coram Deo iustificatur, perinde ac si totam legem perfecte impleuisset. Habes igitur, quemadmodum duos concionatores Mosen & Christum, duas item cōciones, legem & Euangeliō, ita duas quoq̄ partes pœnitētiæ, uidelicet, agnitionem peccatorum & fidem, q̄ peccata propter Christum gratis absq̄ ullo merito operum remittantur. Atq̄ hæc est uera pœnitētiæ doctrina, quam & prophetæ & Apostoli docuerunt. Nec est ulla alia doctrina de pœnitentia agnoscēda, etiamsi angelus de cœlo aliud nobis adnūciaret. Postq̄ enim autoritas duorum concionatorum Mosi & Christi ita confirmata est, ut nulla quantūuis magna miracula aduersus eam recipienda sint, profecto ueritas quoq̄ huius doctrinæ de pœnitentia ita certa reddita est, ut nemo possit eam conuellere. Quare quicquid Sophistæ in docenda pœnitentia de meritis & satisfactiōibus operum pro

Pœnitētiæ posterior pars.

Lex quomodo impleatur.

Pœnitentiæ doctrina miraculis confirmata.

ſum pro peccatis, & placanda ira Dei propter opera, nugantur, tanq̃ ſumma in Ieſum Chriſtum blaſphemia, & maxima maieſtatis Chriſti contumelia, reiiciendũ eſt. Quid ergo? num ad agendam pœnitentiam, hoc eſt, ad ſatisfaciendũ pro peccatis & iuſticiam parandam nihil aliud requiritur, q̃ agnitio peccatorum, & fides in Chriſtum? Vbi igitur manent bona opera, quæ iuxta præcepta Dei neceſſario facienda ſunt? Reſpondeo. Ad agendam quidem pœnitentiam, nihil aliud, quẽadmodum dictum eſt, requiritur. Qui enim ſic agit pœnitentiam, is uere coram Deo iuſtus reputatur, nec aliter iudicatur in conſpectu Dei, q̃ ſi totam legem perfecte obſeruaſſet. Attamen multa alia ad faciendos fructus pœnitentiæ requiruntur. Aliud enim eſt pœnitentia, ut antea indicauimus, aliud fructus pœnitentiæ. Ad ſubſtantiam pœnitentiæ ſufficit agnitio peccatorum & fides, ſed quia per fidem datur pœnitenti ſpiritus ſanctus, & ſpiritus ſanctus non eſt ignauus aut ocioſus, ſed impellit ad obſequium Dei, ideo ſi quis uere coram Deo pœnitentiam egit, non poteſt ſe cõtinere, quin è ſpiritu ſancto proferat fructus pœnitentiæ. Videamus igitur quæ ſunt opera ſpiritus ſancti. Sic enim habebimus etiam opera & ueros fructus pœnitentiæ. Ac principio, quia ſpiritus ſanctus, qui datur per fidem, eſt ſpiritus adoptionis, per quem clamatur Abba pater, ideo primum opus ſpiritus ſancti eſt inuocatio nominis Dei, nimirum, q̃ inuocemus Dominum Deum noſtrum, ut patrem. Quem autem ut patrem inuocamus, eius nos filios eſſe ſentimus. Cuius autem filii ſumus, eius quoq; hæredes nos eſſe oportet, ac hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti. Secundum opus ſpiritus ſancti eſt, mortificatio carnis noſtræ. Etſi enim peccata noſtra ſint nobis per fidem remiſſa, adhuc tamen reipſa infixa ſunt in carne noſtra, & geſtiũt ſubinde in ſua opera erumpere, ac homini dominari. Nũc. n. erigit caput ſuũ incredulitas, nũc contemptus Dei, nũc arrogãtia, nũc inuidia, nunc auaritia, nũc alia peccati genera. Spiritus igitur ſanctus, qui per fidẽ datus eſt, efficit, ut hæc carnis & peccati opera per uerbum Dei mortificẽtur, aut opprimãtur, ne regnẽt in corpore noſtro, néue obediamus cupiditatibus eorũ. Tercium opus ſpiritus ſancti eſt, ut oppreſsis & deuictis peccati cupiditatibus, bona opera faciamus, & Dño Deo noſtro iuxta mãdata eius obediamus. Caro, inquit Paulus, concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem. Fructus autem ſpiritus eſt charitas, gaudium, pax, lenitas, benignitas, bonitas, fides, mãſuetudo, temperantia. Et aliãs: Mortificate membra ueſtra terreſtria, ſtuprum, immundiciam, molliciem, concupiſcentiam malam, & auaritiam, quæ eſt ſimulacrorum cultus. Ac mox: Deponite iram, indignationem, malitiam, maledicentiam, turpiloquentiam ab ore ueſtro. Ne mentiamini alius aduerſus alium. Et poſtea: Siris induti tanq̃ electi Dei ſancti ac dilecti, uiſcera miſerationum, comitatem, modeſtiam, manſuetudinem, lenitatem. Et quis poſſet omnes fructus ſpiritus enumerare? En accipe decalogum, & quot bona opera in eo præcipiuntur, (præcipiuntur autem innumerabilia) tot ſentias eſſe fructus ſpiritus. Quot autem ſunt fructus ſpiritus, tot etiam ſunt fructus pœnitentiæ. Quare, cum per pœnitẽtiam datur ſpiritus ſanctus, qui eſt ſpiritus efficax, neceſſe eſt ut pœnitentiæ fructus faciamus. Sed quam ob cauſam, inquies, hoc neceſſe eſt? num ut fructibus & operibus pœnitentiæ peccata noſtra expiemus & uitam æternam mereamur? Abſit. Oſtenſum enim antea eſt, q̃ habeamus remiſsionem peccatorum tantum propter Chriſtum per fidem, quæ eſt ſumma pœnitentiæ pars, & ſolus Chriſtus meruit nobis uitam æternã, cuius & nos participes efficimur. Ac quemadmodum nec ea opera quæ fiunt ante pœnitentiã, hoc eſt, fidem in Chriſtum, poſſunt iram Dei placare & à morte ſeruare, ita nec illa

Pœnitentiæ fructus.

Spiritus ſancti opera.

Pœnitentiæ fructus faciendi quare?

opera quæ fiunt post pœnitentiam è fide & spiritu sancto possunt peccata expiare & cœlũ mereri. Primum eñ uera fidei ratio est, q̃ remissio peccarorũ cõtingat nobis tantum propter Christũ gratis per fidem, quomodo igit̃ cõtingeret ꝓpter merita operũ? Deinde, &si opera post pœnitentiã è fide & spũ sancto proficiscant̃, ac placeant Deo, ꝓpterea q̃ persona faciens ea opa Deo per fidẽ propter Christũ placet, tñ habent adhuc in se ꝓpter carnem nostrã multã imperfectionẽ & impuritatẽ, nec perfecte, quantũ in ipsis est, legi Dei satisfaciunt. Si aũt sunt adhuc imperfecta, & non satisfaciũt legi Dei, quomodo expiarẽt peccata? quomodo seruarẽt à morte & mererent̃ uitã æternam? Si iniquitates, inquit, obseruaueris Dñe, Dñe quis sustinebit? Et: Non intres in iudiciũ cũ seruo tuo, quia nõ iustificab̃ in conspectu tuo oĩs uiuens. Quare fructus pœnitentiæ non ideo requirunt̃, q̃ satisfaciant pro pctis, sed requirunt̃ ob alias causas, primũ, q̃ Deus iubet bona opa seu fructus pœnitẽtiæ facere, & omnino uult ut ea faciamus. Quis aũt nõ deberet uolũtati & mãdato Dei parere? q̃s seruus nisi cõtumax detrectaret iussa dñi sui? Etsi. n. ꝓbe nouit Dñs Deus noster q̃ affectus carnis nõ subdit̃ legi Dei, siq̃dẽ ne post quidẽ, exigit tñ, ut cũ nõ possumus facere qd uolumus, faciamus quod per spũm sanctũ possumus. Deinde requirunt̃, q̃ natura fidei & spiritus sancti huc trahit & impellit, ut bona opa ad obsequendũ legi Dei faciamus. Adhæc req̃runt̃, ut per hos fructus gratitudinẽ nostrã erga Deũ declaremus, q̃ Deus iustificauerit nos gratis ꝓpter Christũ. Postremo requirunt̃, ut nos ipsi testimoniũ fidei nostræ per hos habemus, & horũ argumentis Christũ in nobis per fidẽ habitantẽ cognoscamus. Habes q̃ sit uera ratio nõ tñ pœnitentiæ, sed etiã fructuũ pœnitentiæ. Cũ igit̃ p uerã pœnitẽtiã cõsequamur ꝓpter Christũ remissionẽ pctõrũ, iusticiã, adoptionẽ in ius filiorũ Dei, hæreditatẽ bonorũ cœlestiũ, & per fructus pœnitentiæ gratitudinem nostrã & obsequium erga Deum declaremus, reliquum est, ut per omnẽ uitam nostram pœnitentiam & fructus eius sectemur, quo sempiterna fœlicitate fruamur, in Christo Iesu Domino nostro, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto DEVS laudandus in secula Amen.

Opera bona nostra imperfecta.

HOMILIA XXV.



Tatus & summa doctrinæ Ioannis Baptistæ in hoc cõsistit, q̃ prædicauit baptismũ pœnitẽtiæ in remissionẽ pctõrum. Cum igit̃ explicuerimus generalẽ doctrinã Ioãnis, & demõstrauerimus qd sit baptismus, qd itẽ pœnitẽtia, reliquũ nũc est, ut etiã speciales Ioãnis cõciones, q̃ sequunt̃, explicemus. Atq; id qdẽ pro uirili nostra, uestris adiuti precibus, faciemus, si prius ostendamus, qua occasione Ioãnes has priuatas cõciones, quas Lucas nunc describit, in deserto habuerit. Nam cũ Ioannes baptismũ inchoaret, nõ accesserunt ad eum pauci aliquot & ignobiles hoĩes, sed egressa est ad illũ, quẽadmodum Matthæus ait, Hierosolyma, & tota Iudæa, totaq; regio undiq; finitima Iordani. Confluebant ad ipsum tam uulgus quàm primates, tam docti, quàm indocti. Ac alii quidem baptismum Ioannis accipiebant curiositate, alii ut hoc opere operato iustificarent̃, alii exẽplo, paucissimi uera fide, adeoq; maximus erat numerus eorum qui baptizabant̃, interim tñ minimus etat numerus eorum, qui dignos pœnitentiæ fructus faciebant. Pharisæus, quãuis baptizatus, manebat tñ in sua superstitione. Ebriosus, quamuis tinctus, ebrietatem tñ sectabat̃. Publicanus quamuis baptizatus, studebat tamem defraudationibus & imposturis. Miles, et si baptismum à Ioanne susceperat, nihilominus tamem prouinciales uiolentia opprimebat.

Acomnino

Ac omnino talis erat facies populi ad baptismum Ioannis concurrentis, qualis est facies uulgi hoc seculo ad prædicationē Euangelii festinantis. Plurimi hoc tempore ad audiendas Euangelii cōciones, & ad sumendū sacramentum cœnæ dominicæ accurrunt, pauciſsimi aūt uerā fide resipiſcunt. Ac bene quidem habet, ꝙ audiaſ Euangelion, & sumaſ cœna dominica, sed ſi non ſequatur reſipiſcentia, argumentū eſt, nec Euangelion nec ſacramentū cœnæ dominicæ ulla fide accipi. Quare, cum Ioannes uideret magnam quidem auditorum, minimam aūt reſipiſcentium cateruā, ſingulos Iudæoꝝ ordines admonet, ut nō ſeipſos imaginatione fidei decipiant, ſed ut baptiſmū & fidē ſuam bonis & dignis pœnitentiæ fructibus teſtentur. Niſi enim faciant pœnitentiæ fructus, manifeſte apparere, pœnitentiam eoꝝ nō ueram ſed fictam eſſe. Ac principio concionaſ ordini Phariſæoꝝ & Saducæorum. Dicebat ergo ad turbas, quæ exibant, ut baptizarenſ ab ipſo. Quæ ſunt, inquies, illæ turbæ ad quas Ioannes eam concionē, quæ ſequiſ, habuit? Audi Matthæū ita dicentē: Cum uidiſſet multos ex Phariſæis & Sadducæis ueniētes ad baptiſmum ſuū, dixit illis. Ad Phariſæos igiſ & Sadducæos cōcionatus eſt. Sed quidē Progenies uiperaꝝ, quis ſubmonſtrauit uobis, ut fugeretis à uētura iraſ Hæc cine eſt captatio beneuolentiæ? Hæccine eſt manſetudo Euangelica? Phariſæi & Sadducæi habebantur inter Iudæos honeſtiſsimi, qui ſanctitate ſua externa cæteros tantū excellebāt, quantū in religione Pāpiſtica monachi Franciſcani, aut Karthuſiani uulgum Chriſtianoꝝ excellere uidentur, attamen Ioannes tam cōtumelioſe eos excipit, ut uocet ipſos, progenies uiperarū. Quid ſibi uult hoc conuicium? Bona uerba. Quòd Ioānes appellet Phariſæos & Sadducæos, pgenies uiperarum, non eſt conuicium, ſed officium. Aliud eſt priūatū hominē eſſe, aliud publicū uerbi Dei miniſtrum agere. Priuatis qudem hoibus dicit: Quiſquis iraſcitur fratri ſuo, obnoxius erit iudicio, & quicunque dixerit fratri ſuo רקא, hoc eſt, malum uerbum, obnoxius erit concilio. Publicis aūt miniſtris uerbi Dei dicitur: Si dicēte me ad impiū, morte morieris, non annūciaueris ei, neq; locutus fueris, ut auertaſ à uia ſua impia & uiuat, ipſe impius in iniquitate ſua morietur, ſanguinē aūt eius de manu tua requiram. Nam quemadmodū legitimus magiſtratus latronē ultimo ſupplicio iuxta leges afficiens, non deſignat homicidium aduerſus legem Dei, ſed diuinæ ſuæ uocationi ſeruit, ita publicus miniſter uerbi Dei, uocās impium, impiū, & nebulonē, nebulonē, nō conuiciaſ, ſed agit officiū ſuū. Male quidem habet Satanā & ſeruos eius, ſi propriis ſuis cognominibus appellitenſ. Volunt enim uideri angeli lucis. Sed quid ſcias? qui publico miniſterio uerbi Dei fungiſ, neceſſe habet ſuæ uocationi obedire, ſiue æquo ſiue iniquo animo miniſterium eius feraſ. Quare Ioannes pro officio ſuo agit, ꝙ impios hypocritas uocet, pgenies uiperaꝝ. Sed quæ eſt huius cognominis ratio? Quam ob cauſam hypocritæ ſic uocantur? Profecto hoc cognomen non eſt Ioanni inſummis labiis natum, ſed eſt è diligentiſsima naturæ uiperarum obſeruatione uſurpatū, & Phariſæis ac Sadducæis aptiſsime accōmodatum. Talia eñ ſunt hypocritarum tum opera tum doctrina, qualem Phyſici uiperam deſcribūt. In cōceptibus enim uiperinis, mas, inquiunt, inſerit caput in os uiperæ, qd illa abrodit uoluptatis dulcedine. Parit aūt intra ſe oua uniꝰ coloris, & mollia, ut piſces. Tertia die intra uterū catulos excludit, deinde ſingulos diebus ſingulis parit, uiginti fere numero. Itaq; cæteræ tarditatis impatientes, perrumpūt latera, occiſa parente. Vides, ꝙ cōceptus & partus uiperaꝝ cōſtet utriq; parenti uita ſua. Euſmodi certe uiperarū pgenies ſunt hypocritæ. Habent eñ illi parētes, Patriarchas & Prophetas, per quos ad ueram pietatem erudiuntur, ſed ipſi ueræ pie-

tatis impacientes, Prophetas occidunt, doctores ueritatis trucidát. Vnde & Christus planè cũ hoc Ioannis dicto cõueniens: Serpẽtes, inquit, pgenies uiperarũ, quomodo effugietis iudiciũ gehennæ? Ideo ecce ego mitto ad uos prophetas & sapiẽtes & scribas, & illorũ aliquot occidetis crucifigetisq́. Vipera non parit agnum, sed uiperã. Vestri aũt maiores fuerunt uiperæ, & occiderunt suos parentes. Cum igit uos sitis progenies uiperarũ, nihil à maioribus uestris degenerabitis, sed ut ipsi suos spirituales parentes trucidarunt, ita & uos uestros trucidabitis. Cæterũ, si uis eti am doctrinæ hypocritarũ ingeniũ cognoscere, audi Esaiam de impio hypocrita rum ingenio ita scribentẽ: Ouа basiliscorũ fouent, & telas araneæ texũt. Qui comederit de ouis eorum morietʼ, & qdʼ cõfotum est, erumpet in basiliscũ. Telæ eorum nõ erunt in uestimẽtum, neq́ operientʼ operibus suis. Tam basiliſci q̃ aranei ad genus uenenatorũ animalium pertinent. Basiliscus tam nocens bestia est, ut ipsum etiã cæteri serpentes fugiant. Necat frutices non cõtactas modo, uerũ & afflatas, exurit præterea herbas, & rumpit saxa, quin & hoẽm, uel si aspiciat tñ, interimere dicitʼ. Nulli itaq́ rei potuisset doctrina hypocritarũ cõuenientius conferri q̃ ouis basiliscorum. Si eñ his ouis uescaris, præsentaneũ uenenum uesceris. Sin aũt ruperis ea, tunc emerget basiliscus, qui solo aspectu te enecabit. Quomodocunq́ ea tractaueris, non abibis illæsus. Ita si doctrinæ hypocritarũ fidem adhibueris, nihil inde nisi præsentem mortẽ referes. Si uero eam persequaris, tum mox coorientʼ in te hypocritæ, & oĩbus malis te afficient, atq́ adeo siue credideris, siue restiteris impietati hypocritarum, non sine magno tuo malo discedes. Aranea aũt & si telas suas ingẽti admiratione texat, tñ ex ea textura nullum indumentũ, nullum uestimẽtum cõficiposteſt, utilis tantum est ad capiendas muscas: ita impia hypocritarum doctrina habet quidem magnæ pietatis speciem, sed nullam tamen potest afflictæ conscientiæ utilitatem afferre, sed eas tantum animas capit & seducit, quæ quouis uento circumferuntur. Quod nunc diximus, uno ac altero exemplo doctrinæ hypocriticæ illustrabimus. Pharisæi docent, q́ externis operibus diuinæ legi satisfiat, & cõparetur iusticia. Hæc doctrina est tela aranearum & ouum basiliſci. Nam si receperis eam, & confidas te propter opera tua iustum esse, tantum abest, ut possis uestimento ex hac tela cõfecto aduersus frigus diuini iudicii munitus esse, ut potius teipsum in eum locum coniicias, ubi non est nisi fletus & stridor dentium. Et si fidem huic doctrinæ adhibueris, certe perpetuæ morti te obiicis, non aliter quàm si ouo basiliſci uescaris. Si autem restiteris ei, & persequaris ipsam sanæ fidei confessione, tum erumpent basiliſci, hoc est, hypocritæ, & omnem lapidem mouebũt, quo te in præsentaneum exicium adigant. Hypocritæ docent, Missam esse opus satisfactorium pro peccatis uiuorum & mortuorum. Hæc doctrina prorsus est tela aranearum & ouum basiliſci. Nam si hac opinione Missas instituerís, ut hoc opere pro peccatis tuis satisfacias, & post mortem ab igni purgatorio, quem fingunt, tutus sis, profecto reipsa senties Missam esse uestimentum è tela araneæ confectum, quo non solũ non defenderis ab ardore ignis purgatorii, sed etiam cõiicieris in perpetuos ignes gehennæ. Et si huic doctrinæ credideris, idem planè agis, quod qui comedit ouũ basiliſci. Si uero eam palàm reieceris, quid reliquum est, nisi ut à tota progeniei uiperarum cohorte tanq́ hæreticus & indignissimus, quem terra ferat, cõdemneris. Habes hypocritas uere dici progenies uiperarum, & doctrinam eorum, cum ouis basiliſci & telis aranearum aptissime cõferri. Quare nisi uolueris æterno exicio perire, non aliter fugias hypocritarum doctrinam q̃ serpentes, aspides, uiperas, araneas, scorpiones, basiliscos, & si quid his bestiis uenenatius est. Sed quid est, q́ Ioannes aduen

Hypocritæ sunt progenies uiperarũ, & doctrina eorum tela aranæ, & ouũ basiliſci.

annes aduentum Pharisæorũ & Sadducæorum admiretur? Quis, inquit, submonstrauit uobis, ut fugeretis à uentura ira? Vt hoc explicemus obseruandũ est prius, quæ sit illa uẽtura ira, cuius Ioannes hic mentionem facit. Ea aũt est, primum, deuastatio urbis Hierusalem & totius Iudaicæ gentis, quæ post Christum duce Tito Vespasiano facta est. Deinde excæcatio & abiecto Israëlis, qua Israel ab hæreditate diuinorũ bonorũ reiectus est, & gentes in populũ Dei electæ sunt. Hæc sunt ira Dei grauissima & supplicia seueriſsima, quibus Israël post reuelationẽ Euangelii Dñi nostri Iesu Christi ppter impietatem punitus est. Cæterum huius diuinæ iræ autores, quos alios dicemus, q̃ Scribas, Pharisæos, Sadducæos, & maiores eorũ? Hi em̃ docuerunt, legi satisfieri per externa opera, peccata expiari meritis operũ, gratiã Dei parari humana iusticia, & in humanã iusticiam confidendũ esse. Qua doctrina effecerũt, ut nec peccata uere agnoscerent, nec remissio pctõrũ per fidem propter semẽ Abraæ, qd̃ est Iesus Christus, contingeret, nec Deus placaret. Vbi aũt peccata nõ agnoscunt, nec remittuntur, nec Deus placat, quid ibi reliquũ esset nisi horribilis ira Dei & perpetua oĩm rerum maledictio? Accedit huc, q̃ hi non solũ impia docuerunt, sed etiam ad retinendã impietatẽ suam ueros prophetas occiderunt, & pios doctores crudeliſsime trucidarunt. Qua re iram Dei antea satis exuscitatã in tm̃ accẽderunt, ut cum prouocauerint ipsum in eo qui non erat Deus, quẽadmodum Mose ait, ipse uicissim prouocauerit illos in eo qui non erat populus, & in gẽte stulta irritauerit eos, ac effecerit, ut foras uastauerit eos gladius, intus aũt pauor, hoc est, ut externo bello oppressi sint, & interna excæcatione ac desperatione à uera salute q̃ perpetuo abiecti sint. Vix aũt credibile ac ueriſsimile est, q̃ magistri impietatis ab impietate resipiscant, & autores diuinæ iræ iram effugiãt. Quare Ioannes haud immerito admiratur, qui fiat, q̃ Pharisæi & Sadducæi, quorũ non solũ maiores, sed & ipsi impietatis magistri & iræ Dei autores sunt, baptismũ pœnitentiæ in remissionem peccatorum sectentur. Interim uero, cum Ioannes dicat: Quis submonstrauit uobis, ut fugeretis à uentura ira, adnotandum est, Ioannem haud obscure indicare, quid sit uenturã iram fugere. Est em̃ resipiscentiã sectari. Itaq; si peccasti, & times suppliciũ Dei, quid facies, ut suppliciũ Dei effugias? Age pœnitentiã ac resipisce. Hæc est cõpendiaria uia effugiendæ iræ Dei. Non effugies iram Dei, si te absconderis in mare, si te includas in munitã arcẽ, si confidas te humana iusticia pctã tua expiaturũ. Hæc cõfidentia auget non aufert peccata, & iram Dei exuscitatã uehemẽtius accẽdit, non extinguit. Sola pœnitẽtia, quæ constat, quemadmodũ supra demonstrauimus, agnitiõe pctõrũ & fide, facit, ut Deus placatus propter Iesum Christum filium suũ iram & supplicium remittat. Quid ergo? num, quia Ioannes admiratur aduentũ Pharisæorũ & Sadducæorũ, ac uix credit eos serio pœnitentiam sectari, reiicit eos, & tanq̃ prorsus condẽnatos, de quibus nulla amplius spes salutis haberi põt, abominatur? Nequaq̃ abominatur eos, nec repellit ipsos à doctrina sua, sed assumit eos & docet quid agere debeant, ut salutem consequantur. Facite ergo (inquiens) fructus dignos pœnitentiæ, & ne cœperitis dicere intra uos ipsos: Patrem habemus Abraam. Dico em̃ uobis, potẽs est Deus de lapidibus istis suscitare filios ipsi Abraæ. Iam uero & securis ad radicẽ arborum posita est. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonũ, excidit̃ & in ignem coniicit̃. Ioannes apte admodũ hortat̃ Pharisæos ad sectandos dignos, hoc est, ueros, rectos & legitimos pœnitentiæ fructus. Sentiebant em̃ & ipsi pœnitentiã esse agendã, si quando ira Dei uentura uidebat̃, sed pœnitentiã acturi non legitimas pœnitentiæ partes & fructus, sed eas quas ipsi fingebant sua hypocrisi, sectabant̃. Cum em̃ casus quispiam aut cala-

Hypocritarũ pœnitentiæ.

mitas minabat Israëli exitium & internitionem, concipiebãt carnalẽ quandã fiduciã, q̃ essent posteri Abraæ, cui Deus sempiterno fœdere sese cõiunxerat, q̃ haberent legẽ Mosi, q̃ haberẽt templum, de quo Dñs dixerat: Sanctificaui domũ hanc quã ædificasti, ut ponerẽ nomen meum ibi in sempiternum, & erunt oculi mei & cor meum ibi cunctis diebus, q̃ item ieiunarent certis diebus, q̃ offerrent holocausta, & multa alia opera legis facerẽt, ac sperabant, q̃ dignitate harũ prærogatiuarum, & meritis horũ operum iusti essent, ac certissimã salutem consequerent. Hæc erat hypocritarũ pœnitentia. Vnde & apud Esaiã dicunt: Quare ieiunauimus, & non aspexisti, humiliauimus animas nostras & nescisti? Et Ieremias exprobrat eis, q̃ uanam fiduciã prærogatiuarum suarum cõcipiant, dicens: Nolite confidere in uerbis mendacii dicẽtes: Templũ Dñi, templum Dñi, templum Dñi. Sed hæc nec sunt legitimæ partes, nec legitimi fructus pœnitentiæ. Habere enim patrẽ Abraam, esse de familia Abraæ, habere legẽ & templum, ieiunare & sacrificare, non iustificãt. Non omnes, inquit Paulus, qui sunt ex Israël, sunt Israël. Neque quia sunt semen Abraæ, statim omnes filii. Sed hi demum ueri sunt filii Abraæ, qui credunt, q̃ habeant propter semen Abraæ, qui est Iesus Christus, remissionem peccatorũ, & placatũ patrem in cœlis. Et ex hoc solo iustificamur, q̃ credamus semen Abraæ, Iesum Christũ, esse iusticiam nostrã. Qui ex fide sunt, ait Paulus, hi sunt filii Abraæ, & qui ex fide sunt, benedicuntur cum fideli Abraam. Cum igit Pharisæi & Sadducæi, uana carnaliũ prærogatiuarũ fiducia & externa sanctitate inflati, ad Ioãnem accederent, admonet eos Ioannes, ut legitimas partes & fructus pœnitentiæ sectent. Facite, inquiens, dignos pœnitentiæ fructus, hoc est, Vestram quidẽ hypocrisim & impietatem reiicio ac condẽno. Vos aũt ipsos non reiicio, nec de uestra salute prorsus desperatum esse affirmo. Adhuc spes est reliqua salutis, adhuc licebit uobis uenturã irã & suppliciũ effugere. Quomodo ergo id fiet? Si feceritis dignos pœnitentiæ fructus. Qui sunt illi fructus? Ne cœperitis intra uos ipsos dicere: Patrem habemus Abraã. Scio ingeniũ uestrũ, scio sententiã animi uestri. Cum immineat calamitas, tum cogitare soletis: Nos iusti sumus & populus Dei, quia sumus de familia Abraæ, & nulla calamitas nos opprimet, quia Deus cõiunxit se cũ posteritate Abraæ sempiterno fœdere. At his cogitationibus Deus nõ reddit propicius, nec uitat suppliciũ. Hi sunt illegitimi & hypocritici fructus pœnitentiæ. Longe aliter pœnitentia agenda est. Abiicienda est impia fiducia, quã cõcepistis è carnali familia Abraæ, & iusticia operum uestrorum. Agnoscenda aũt sunt peccata uestra, nimirum, quòd toti in peccatis concepti & nati sitis, quòd non possitis iusticia uestra legem DEI implere, q̃ opera uestra, etiamsi appareant sancta & legi diuinæ conuenientia, non tamen sint perfecta in iudicio DEI, nec sint merita salutis & uitæ æternæ. Deinde credendum est, q̃ habeatis remissionem peccatorum, non propterea q̃ uos sitis de carnali semine Abraæ, sed propterea quòd semen Abraæ qui est CHRISTVS, expiat peccata uestra, & placat uobis patrem qui est in cœlis. Atq; hæ sunt legitimæ partes pœnitentiæ. His addendi sunt etiam legitimi pœnitentiæ fructus, uidelicet, ut sectemini bona opera, non ea quæ uos absque uerbo DOMINI fingitis, sed ea quæ uerbo DOMINI præcipiuntur, & sectemini ea, non hac opinione, q̃ propter merita ipsorum habeatis iusticiam & gratiam Dei. Qui enim possent iusticiam mereri, cum sint in iudicio Dei imperfecta? Sed sectemini ea, ut declaretis uos erga clemẽtiã Dei gratos, ut qualicunq; obsequio uocationi Dei seruiatis, & fidẽ uestrã manifestis operibus testemini. Hæc si feceritis, tum uere uenturam iram & supplicium effugietis. Quid ergo? inquies, num, quia Ioannes monet Pharisæos, ne dicant intra semetipsos: patrẽ habemus

Pœnitentiæ fructus, sectãdi quare?

Abraam, significat,nō esse confidendum promissis ad Abraamum & alios patres dictis? Absit. Qui enim Christum prædicat, quomodo is abduceret à fide earum promissionum,quibus Christus patribus promissus est? Non igitur hoc uult Ioannes,ꝙ non sit confidendum promissis patrum,sed uult, impiissimum esse, ꝙ contempto Christo patribus promisso, & neglecta benedictione per semen Abraæ proposita, fiducia collocetur in carnale genus & externam progeniem Abraæ, & ꝙ non quæratur iusticia propter Christum per fidem, sicut Abraam quæsiuit,sed ꝙ quæratᵉ iusticia propter sanctitatem patrum, & opera legis. Et hanc impiam fiduciam damnat Ioannes in Pharisæis. Ergone nihil aliud in eis damnat præter hanc impietatem,& aliud nihil requirit,q̄ ut non dicant intra semetipsos: patrem habemus Abraam? Profecto Pharisæi habebant multa,propter quæ erant reprehensione digni,& plura alia requiruntur ab eis. Sed Ioannes arguit hic tantum in ipsis specialia,& quæ ordini eorum erant propria, non arguit generalia, & quæ cum aliis habebant communia. Hoc autem erat proprium ordini Pharisaico & Sadducæico, ꝙ gloriabantur de carnalibus suis prærogatiuis, quas habebant à maioribus, & ꝙ confidebant in conspectu Dei sua ipsorum iusticia & meritis operum suorum. Hæc igitur reprehendit Ioannes in Pharisæis, remittens interim eos ad alias suas conciones, quibus generalia peccata in omnibus tam Pharisæis q̄ aliis hominum ordinibus arguebat,& generalia præcepta ab omnibus exigebat. Porro autem Ioannes non simpliciter monet Pharisæos & Sadducæos, ut ab impia prærogatiuarum & meritorum suorum fiducia uere resipiscant, sed addit etiam minas & uaticinium de abiectione Iudæorum, & electione gentium. Dico enim uobis (inquit) potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios ipsi Abraæ. Vos quidem ducitis progeniem uestram ab Abraamo, Dominus autē Deus noster nō agnoscit eos pro ueris Abraæ filiis, qui tantum ex carne Abraami nati sunt, sed eos qui sunt ex fide Abraæ,hoc est,qui credunt promissioni quæ est ad Abraam dicta, nimirū, quòd in semine suo,qui est Christus,benedicantur omnes gētes terræ. Quare nisi abiecta impia uestra fiducia, semen Abraæ, qui est Christus, fide amplectamini, profecto Dominus reiectis uobis, alios filios ipsi Abraæ suscitabit. An existimatis Deum usq; adeo sese carnalis familiæ Abraami captiuum dedisse,ut necesse habeat eos solos pro ueris Abraæ filiis & populo suo agnoscere, qui è carne Abraami descendunt? Num putatis Deum tam imbecillem esse, ut non possit ex aliis gentibus ipsi Abraæ filios dare? Fingite, nullas esse alias gentes præter uos in toto orbe terrarum,num igitur cogetur Deus uos pro populo suo agnoscere? Non certe. Tam potens.n.est,ut potius ex his duris lapidibus,qui uobis hic ob oculos positi sunt, suscitaret Abraæ filios, q̄ ut uos in impietate uestra manentes pro filiis Abraæ, hoc est, populo Dei agnoscere. Attendite saltem ad petram,unde excisi estis, & ad cauernam laci de qua præcisi estis, quemadmodū inquit Esaias. Attendite ad Abraam patrē uestrū,& ad Sarā quæ peperit uos,& palā cognoscetis admirabilē Dei potentiā. Nonne Abraā adeo effœtus,& Sara adeo sterilis erat, ut magis possibile uidebat,ē lapide aut saxo quā ex Abraamo & Sara filiū nascendū? ætatemē exhibuit Deus specimē potētiæ suæ, & dedit Abraamo effœto & Saræ sterili filiū Isaac, per quē posteritas Abraæ multiplicata est, ut stellæ cœli & arena maris. Quod tūc Deus potuit,& fecit,nūc nō posset & faceret? Certe manus Dñi tēporis diuturnitate nō abbreuiat,nec potētia eius annoꝝ numerositate languescit. Si potuit quōdā Abraæ filios ē Sara sterili dare, profecto potest & hoc tēpore Abraæ filios ē gēte nūc abiecta dare. Quare, nisi uolueritis uidere, ꝙ alieni, expulsis uobis, hæreditatē cœlestium

Abraæ filij qui.

bonorum occupent, resipisci te ab impietate uestra, & facite fructus dignos pœnitentiæ. Amplificat autem Ioannes has minas terrore periculi, non post multos annos futuri, sed iam hoc tempore imminentis & præsentis. Iam, inquit, securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum, excidit & in ignem cõiicitur. Etenim id est ingenium hominum, qꝑ etsi audiãt minas Dei, tamen aut contemnant tanquam uanas, aut dicant iuxta Ezechielem: Visio quam hic uidet, in dies multos, & in tempora longa iste prophetat. Proinde, quo Ioannes auditores suos uehementius ad resipiscentiam inuitet ac urgeat, est ẽdit iram Dei, hoc est, abiectionem Iudæorum, non post multos millenarios futuram, sed hoc ipso tempore uenturam. Iam, inquit, non post mille, non post centũ annos, sed hoc tempore, hac ætate, horum hominum seculo securis posita est ad radicem arboris.

Iudæorum abiectionem Ioannes uaticinatur.

Vtitur autem uenusta metaphora, à negocio hortulani ꝙꝫ sumpta, ad explicandam iram Dei imminentem. Hortulani enim, si quam habent arborem infrugiferam, eam radicitus securi excindunt, & nouam, de qua spem fructus concipiũt, plãtant. Porro, Dei hortus est ecclesia, seu numerus eorum qui salutem consequuntur. In hunc hortum principio plantata est arbor familiæ Abraam. Dominus igitur hanc arborem tantisper rigauit, fodit & stercorauit, dum fructum tulit. Tamdiu eñ agnouit Israëlitas pro populo suo, & benefecit eis, donec uerbum Dei non omnino abiecerant, & Christum Abraæ promissum nondum interfecerant. Postq̃ autẽ arbor hæc non solum nullos fructus ferret, sed etiam alias arbores à ferendis fructibus impediret, ac Israël non tantum ipse uerbum Domini sceleribus suis præuaricaretur, uerumetiam uerbum Dei persequeretur, prophetas occideret, & iam etiam meditaretur Christum saluatorem interficere, tum demum posuit hortulanus securim suam ad radicem arboris, ut eam prorsus excinderet. Obserua autẽ Ioannem dicere, securim positã esse nõ ad ramos, non ad truncũ, sed ad radicẽ arboris. Nam Israëlitæ sæpenumero à Domino puniti & abiecti sunt, non tamen in totum abiiciebantur. Salman Assar rex Assyriorum abduxit quondam in captiuitatem regnũ decem tribuum Israël, sed tunc securis ponebatur tantum ad ramum arboris, qui & si in ignem coniicebatur, manebat tamen ipsa arbor in columis. Postea Nebucad Nezar transtulit regnum Iuda in Babylonem, sed & hac captiuitate aliquot tantũ rami in ignẽ proiecti sunt, & relinquebantur huic arbori radices, è quibus mox alii ramusculi protrudebantur. Nunc autem ait Ioannes securim positam esse ad ipsas arboris radices, ut si arbor non ferat fructum, ita excindatur, ut nulla amplius spes salutis eius relinquatur. Iam, quod Ioannes minatur uerbis, hoc paucis post annis reipsa ita impletum est, ut non solum Romani externam politiam Iudæorum ad interncionem usq; deuastauerint & cõculcauerint, sed etiam Dominus Deus noster Iudæos abiecerit, ut non amplius sint populus Dei, & gentes incircumcisas in hæreditatem Christi sui elegerit. Sed quomodo, inquies, sciam quando Dominus securim suam ad arborem ponat & minetur ei excidium? Audi uerbũ Domini. Tunc enim apponit Dominus securim ad arborem excindendam, quando reuelat uerbum suum, & hortatur ad resipiscentiam. Ante diluuium reuelabat Dominus uerbum suum per Noha, & apponebat securim suam ad arborem humani generis. Cũ igitur uerbum contemneretur, excidit Dominus humanum genus diluuio. Ante incendium Zodomiticum manifestabat Dominus regioni Zodomiticæ uerbum suum per Loth, sed cum nemo resipisceret, excisa est arbor illa per securim, & proiecta est in ignem. Ante captiuitatem Assyriacam & Babylonicam apponebat

Securis ponitur ad arborẽ, quando.

Dominus

Dominus securim suã ad arboré Israeliticam reuelatione uerbi sui per Prophetas, sed cum Israelitæ non solum non resipiscerent, sed etiam prophetas trucidarent, excindebantur rami arboris & proiiciebantur in ignem. Sic ante captiuitatem Romanam & ultimam Iudæorum abiectionem, apponebat Dominus securim ad arborem Iudaicam prædicatione Ioannis Baptistæ, & Domini nostri Iesu Christi ac Apostolorum eius. Sed cum Iudæi prædicationem Euangelii ita contemnerent, ut & Ioannem & CHRISTVM & Apostolos occiderent, non solum in extremam politiæ suæ internicionem, sed etiam in perpetuam damnationem & sempiternum ignem abiecti sunt. Sic & hac nostra tempestate securis ad arborem reuelatione Euangelii Domini nostri IESV CHRISTI apposita est. Nos enim gentes incircumcisæ arbor illa sumus, quæ in locum Iudæorum plantata est. Iudæi eñ per incredulitaté, quemadmodũ Paulus ait, defracti sunt, gentes autem insitæ. Hactenus autem multi arboris huius rami deiecti sunt. Nam omnes fere Orientis Ecclesiæ, quæ fuerunt rami maxime patuli, per impietatem Mahumeticam deuastatæ sunt, & in iis locis ubi quondam electum illud organon Paulus ecclesias plantauit & rigauit, nunc Mahumetica impietas potentissime regnat. Cum igitur clemẽtia Dñi nostri Iesu Christi, Euangelion de uera iustificatione fidei propter Christũ hoc tempore nobis reuelatum est, quid relinquitur, nisi ut agnoscamus securim etiam ad ramum Occidentalis ecclesiæ & præsertim Germaniæ appositam esse, ac minari excidium, & iniectionem in ignem? Si autem securis apposita est, quid restat, nisi ut bonos fructus feramus, ne excidamur & in ignem coniiciamur? Boni autem fructus sunt, abiicere impiam fiduciam in merita iusticiæ humanæ, agnoscere peccata nostra, credere quòd habeamus remissionem peccatorum propter Christum, non dicere intra nosmetipsos: Multas missas celebrauimus, multas certas precu-culas effudimus, multum ieiunauimus & peregrinati sumus, ideo iustos nos reputamus, sed sentire nulla opera nostra posse peccata expiare, & nos iustos redderc. Interim tamen omnia ea opera pro uirili nostra facere, quæ Deus uerbo suo à nobis exigit, tum erga seipsum, tum erga proximum nostrum, idq; non ea opinione, ut satisfaciamus per hæc opera pro peccatis nostris, sed ut gratos nos erga Dominum Deum nostrum declaremus, & fidem nostram testemur. Hæc si fecerimus, non solum uenturam iram effugiemus, sed etiam perpetuam salutem consequemur per IESVM CHRISTVM DOMINVM nostrum, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus laudandus in secula AMEN.

Gentium uocatio.

Ecclesia Orientalis.

Ecclesia Occidentalis.

HOMILIA XXVI.

CHarisæi, Sadducæi, & quicquid est hypocritarum, suam audierunt concionem. Nunc concionatur Ioannes etiam uulgo. Interrogabant enim eum turbæ (hoc est, uulgus) dicentes: Quid ergo faciemus? Respondens autem dicit illis: Qui habet duas tunicas, impertiat non habenti, & qui habet escas, similiter faciat. Breuis concio, sed quæ multam pietatem in communicandis diuitiis, & adiuuandis pauperibus doceat. Difficile autem est in uaria hominum turba de bonorum aut diuitiarũ cõmunione dicere. Ac id quidé difficile est, nõ ob arguméti difficultaté,

Veritatis enim, ut ſimplex ita & facilis eſtoratio. Sed difficile eſt ob hominum importunitatem & moroſitatem. Quod enim diuitibus docendi & admonendi gratia dicitur, hoc arripiunt & uſurpant pauperes in contumeliam diuitũ. Quod pauperibus dicitur, hoc arripiunt diuites ad pauperum contumeliam. Ex altera parte, ſi docetur pauperes eſſe adiuuandos, continuo Anabaptiſtæ, genus hominum fanaticum, communitatem bonorum hac doctrina ſtatui putant. Si contrà de bonorum proprietate quicq̃ dixeris, tum uero auari diuites arrigunt aures, & quicquid audierint, in patrocinũ auaritiæ ſuæ rapiunt. Atq; adeo, nemo fere obſeruat, quid ad ueram ſuiipſius reſipiſcentiam doceatur, ſed hoc unum è concionibus diſcendũ quiſq; exiſtimat, quid ſibi benefieri, nõ quid alteri ipſe benefacere debeat. Proinde, ne quid huiuſcemodi turbæ ex hac Ioannis concione oriatur, diligenter inquirẽdum & excutiendum eſt, quid ſibi uelit Ioannes, cum ait: Qui habet duas tunicas, imperciat non habẽti, & qui habet eſcas ſimiliter faciat. A c principio Ioannes hoc dicto non ſtatuit externam rerum cõmunionem, qualem Anabaptiſtæ docent, ac ſeditioſi affectant, nec tollit ciuilem rerum diuiſionem, publicis legibus ordinatã.

Communio facultatum.

Diuitiæ enim ac opes, etſi interdum propter abuſum male audiant, tamen per ſe ſunt bona creatura & donum Dei: Benedictio Domini, inquit Salomon, diuites facit. Et in Iobe capite ultimo dicitur: Dominus addidit omnia, quæcunq; fuerãt Iob duplicia. Ad Salomonẽ quoq; ait Dominus: Etiá hæc quæ nõ poſtulaſti, dedi tibi, diuitias ſcilicet & gloriam, ut nemo fuerit ſimilis tibi in regibus cunctis retro ſeculis. Habes teſtimonio uerbi Dei, diuitias donum Dei eſſe. Quis autem tantæ impudentiæ eſt, qui neget Chriſtiano licere dona Dei habere & poſsidere? Domini enim eſt terra & plenitudo eius. Chriſtiani autem ſunt ipſius Domini, quid igitur impediret, quo minus liceret ipſis dona Domini ſui poſsidere?

Diuitiæ ſunt donum Dei.

Præterea rerum diuiſio & dominium earum inter politicas ordinationes numeratur. Scriptura autem ſacra non ſolum conniuet ad ordinationes politicas, ſed etiam approbat eas, & ornat ipſas honeſtiſsimo epitheto. Vocat enim eas ordinationes Dei. Non eſt, inquit Paulus, poteſtas niſi à Deo. Quæ uero ſunt poteſtates, à Deo ordinatæ ſun. Nomine autem poteſtatis non uenit tantum magiſtratus, ſed omnes leges & ordinationes ciuiles ſecundum rectam rationem inſtitutæ. Quare ſacræ etiã literæ approbãt rerum dominium, & concedunt tam uſum q̃ poſſeſsionẽ ac proprietatem diuitiarum. Accedit huc, quod in Decalogo dicitur: Non fureris, quo præcepto cõfirmatur certe rerum diuiſio ac dominium. Quod ſi impium eſſet proprias opes poſsidere, profecto nullus eſſet impio furto locus, quemadmodum nec quis aëre utens furtum cõmittit, propterea q̃ aër naturali iure omniũ cõmunis ſit. Salomõ quoq; ait: Pondus & ſtatera iudicia Domini ſunt, & opera eius omnes lapides ſacculi. Si hæc ſunt opera & iudicia Dei, certe perſpicuum eſt, ea bona conſcientia poſsideri poſſe, quæ legitimo pondere & ſtatera, hoc eſt, legitima rerũ diuiſione obueniũt. Quidẽ quod & pſalmus ait: Diuitiæ ſi affluant nolite cor apponere. Non iubet diuitias abiicere, ſed docet fiduciam non eſſe in diuitias collocandam. Et Paulus ad Timotheum ſuum ſcribens: His inquit, qui diuites ſunt in præſenti ſeculo præcipe, quid? ut diuitias abiiciant? minime, ſed ne elato ſint animo, neq; ſpem ponant in diuitiis incertis, ſed in Deo uiuente, qui præbet nobis omnia affatim ad fruendum, ut benefaciant, ut diuites ſint bonis operibus, ut faciles ſint ad imperciendum, libenter communicantes, recondentes ſibi ipſis fundamentum bonum in poſterum, ut apprehendant uitam æternã. Hæc certe Paulus non iuberet diuitibus præcipi, ſi ſentiret Chriſtiano non licere proprias diuitias poſsidere. Cum igitur Ioannes è ſpiritu

Politicæ ordinationes ſunt diuinæ.

ſancto con-

ſancto concionet, & plane nihil contra ſenſum ſacræ ſcripturæ doceat, manefeſtũ eſt, q̃ hoc dicto, qui habet duas tunicas imperciat nõ habenti, non cõfirmet Anabaptiſticã & hypocriticã rerum cõmunionem. Sed obiicit exemplum eorũ, qui Hieroſolymis ad prædicationẽ Apoſtolorũ habebant omnia cõmunia, quemadmodum in Actis Apoſtolicis capite ſecundo ſcribitur. Obiicitur & exemplũ Ananiæ ac Sapphiræ, qui cum aliquid de precio diuenditi agri ſubtraxiſſent, & non in cõmune contuliſſent, ad increpationẽ Petri ſubitanea morte perierũt. Sed exemplũ eorum, qui Hieroſolymis omnia habebant cõmunia, indicat tñ quid factum ſit, nõ ſtatuit, quid neceſſario ab unoquouis Chriſtiano fieri debeat. Neq; eñ ipſa rerũ cõmunitas per ſe damnatur. Licet eñ his, qui uoluerint, ſua bona in cõmune conferre, ſed dogma damnatur, quo ſtatuitur, neminẽ poſſe eſſe Chriſtianũ, niſi bona ſua in cõmune, iuxta opinionem Anabaptiſticã & hypocriticã, conferat. Adhæc, Ananias & Sapphira non ideo repentina morte perierunt, quia aliquid de precio agri ſibi retinuerunt. Potuiſſent eñ non ſolum partẽ precii, ſed etiam totũ preciũ retinere, in quod Petrus perſpicue ſignificat dicens: Nõne prorſus tibi manebat, & uenundatus in tua erat poteſtate? ſed q̃ mentiebaris ſpiritui ſancto, qui nihil minus inultũ ferre poteſt, q̃ mendacium. Quare non poteſt ex his exemplis probari, Chriſtiano ad ſalutẽ neceſſarium eſſe, ut omnes facultates ſuas in cõmune iuxta fanaticas opiniones conferat. Deinde, non docet Ioannes, è duabus tunicis alteram non habenti ita impertiendã eſſe, ut, ſi is qui habet non dederit ſua ſponte, liceat non habenti uiolenter in eum graſſari, & alterã tunicã per uim auferre. Quid enim hac uiolẽtia iniquius? Non fureris, inquit lex Dñi. Et quod amplius eſt: Non cõcupiſcas rem proximi tui. Si non licet cõcupiſcere, quomodo liceret rapere? Rapaces, inquit Paulus, hæreditatem regni Dei non accipient, & exiſtimabis Ioannem rapinam docuiſſe? Adhæc, non ſentit Ioannes, q̃ uulgus debeat non habenti alteram tunicam hac opinione dare, ut merito huius operis ſatisfaciat pro peccatis coram Deo, & conſequatur uitam æternam. De diuo Martino fabula ſparſa eſt, q̃ cũ nihil aliud haberet, quod nudo mendico daret, diſciſſam mediam ſuam tunicam dederit, & hoc opere meruerit ſummã Dei gratiã ac uitã ſempiternã. Quid his nugis uanius? Crediderim ſane, q̃ diuus Martinus multa bona pauperibus fecerit, at nullũ hoĩs opus tãti meriti, tantæ dignitatis eſt, ut ſatisfaciat coram Deo pro peccatis, & reddat Deũ placatũ, ac emereat nobis uitã & fœlicitatẽ æternã. Solus autem Chriſtus peccatorũ expiator, & patris placator eſt, quẽ ſi fide cõplectamur, cõplecti mur & unà cum ipſo remiſſionẽ peccatorũ, iuſticiã & fœlicitatẽ. Quare Ioãnes nõ docet hac cõcione opus, ppter quod peccata poſsint expiari, ſed docet opus quo quis fidẽ ſuã teſtari, & Deo gratias, ppter beneficia gratis per fidẽ accepta agere debeat, ac tale opus nõ dicit ipſa pœnitẽtia, ſed fructus pœnitẽtiæ, uidelicet, quod nõ ſatisfaciat pro peccatis & reddat Deũ propiciũ, ſed quod ſit fructus eius fidei, per quam gratis propter Chriſtũ accipit remiſsio peccatorũ, & uita æterna. Iam & illud non eſt prætereundũ, q̃ Ioãnes hac parua cõcione nõ ſignificet, uulgũ non neceſſe habere aliud quidpiã boni facere q̃ alterã tunicã & eſcas nõ habẽti dare, ſed prætermittit interim generalia præcepta, de nõ occidẽdo, de non cõmittendo adulteriũ, de nõ dãdo falſum teſtimoniũ, & id genus alia, quæ ab oĩbus exigunt, & tradit nũc uulgo ſpeciale præceptũ, quod cũ ad oẽs tũ maxime ad uulgũ, & ciues in una politia ſimul cohabitãtes ptinet. Poſtremo, nolo exiſtimes Ioannẽ in hac cõcione nouã legẽ ferre. Nõ eñ docet nouã legẽ, ſed ueterẽ adeoq; naturalẽ, nõ ſolũ Iudæis uetuſtiã gẽtibus cognitã, explicat & interpretat. Narutalis eñ lex eſt, quẽadmodũ

In cõmunionẽ rerum non factum ſed dogma dãnatur.

Rapina prohibetur.

Legis naturalis interpres Ioannes.

ſcribit apud Matthæũ capite ſeptimo: Omnia quæcunq; uolueritis, ut faciãt uobis hoies, ſic & uos facite illis. Nemo aũt eſt, qui in fame & frigore nõ optaret, ut ſalt ẽ ꝫ ſuperfluentibus alterius opibus aleretur & ueſtiret. Monet igitur ipſa naturæ lex, ut qui habuerit duas tunicas, det alteram non habenti, & præ frigore tantum non pereunti. Idem monet etiam illa lex: Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Sed ut rectius ac uerius intelligamus, quid ſibi Ioannes hoc dicto uelit, obſeruandum eſt, hunc eſſe ſacræ ſcripturæ morem, ꝙ plærunq; nominibus ſpecierum genera comprehendat. Vnde apud Matthæum monemur, ut ei, qui nos percuſſerit in dextrã maxillam, obuertamus alteram. Hic una iniuriæ ſpecies nominatur, quæ eſt, in dextram maxillam percutere, ſed ſub ea comprehenditur omnis iniuriæ illatio. Et iterum: Iubemur cum illo duo miliaria abire, qui nos adegerit ad unum. Hic una tm̃ ſpecies iniuſtæ uiolentiæ nominatur, quæ eſt, ad unum miliare adigere, ſed intelligitur ſub ea omnis uiolenta tyrannis, quam nulli, abſq; uocatione & ordinatione Dei, priuata temeritate uindicare licet. Sic & hoc loco, ſub nomine duarum tunicarum & duplicium eſcarum, omnis intelligitur opum abundantia. Vnde quod Ioannes hic concionatur, Paulus ad Corinthios ſcribens, in poſteriori epiſtola capite octauo perſpicue ueluti cõmentario quodam exponit ac dicit: Non ut aliis relaxatio ſit, uobis autem anguſtia, ſed ut ex æquabilitate in præſenti tempore, ueſtra copia illorũ ſuccurrat inopiæ, & illorũ copia ueſtræ ſuccurrat inopiæ, ut fiat æquabilitas, quemadmodum ſcriptum eſt: Qui multum habebat, huic nihil ſuperfuit, & qui paulum habebat, is nihilominus habuit. Et poſtea capite nono: Vnuſquisque largiatur ſecundum propoſitum cordis, non ex moleſtia aut ex neceſsitate. Hic mihi animaduerte, quas regulas Paulus ditioribus in adiuuandis egẽtibus præſcribat. Primum enim, neminem alium ordinat iudicem inter diuitem & egentem, præter ipſum diuitem habentem & poſsidentem opes. Non uult ut in hac re, nimirũ quantum ſit largiendum pauperi, ſit iudex uel magiſtratus, uel eccleſiaſtes, uel egenus, ſed ipſemet dues. Non ſecundum imperium, inquit Paulus, loquor. Et: Vnusquisque largiatur ſecundum propoſitum cordis, non ex moleſtia aut ex neceſsitate. Si iubet Paulus unumquemq; ſecundum propoſitum ſeu electionem & ſpontaneam uoluntatem animi ſui dare egenti, profecto neminem alium præter ipſum datorẽ conſtituit iudicem. Neq; enim poteſt quiſpiam alius in hac re iudex eſſe. Finge eñ duos, & alterum habentem duas tunicas, alterum ne unam quidem, quis alius, præter ipſum habentem, iudicabit & decernet, alteram tunicam egenti dandã uel non dandam eſſe? Fortaſsis enim, is qui habet duas tunicas, alteram adhuc debet pannicidæ, cur igitur cogeretur ex alieno liberalis eſſe? Fortaſsis habet liberos & domeſticam familiam, quibus magis neceſſe habet ſuis tunicis ſubuenire quàm alienis. Si quis ſuis, & maxime domeſticis, inquit Paulus, non prouidet, fidem abnegauit & eſt infideli deterior. Fortaſsis, alter qui caret tunica non ita eget, ut non poſsit labore ſuo ſibi uictum & ueſtitum parare, ſed hoc tantum quærit, ut in ocio & ignauia ex aliorum opibus uiuat. Breuiter, innumeræ ſunt circumſtantiæ huius rei, quæ impediunt quo minus uel magiſtratus uel eccleſiaſtes uel egenus poſsit diuiti præſcribere, quando & quantum ſit pauperi largiendum. Quare Paulus prudenter admodũ relinquit illud iudicio charitatis eius, qui opes poſsidet, & monet, ut qui uelit copioſe metere, copioſe quoq; iuxta animi ſui propoſitum ſeminet. Deinde, nõ iubet Paulus ita opes diſtribuere, ut aliis ſit relaxatio, nobis autẽ anguſtia, hoc eſt, ut alii in ocio uiuant, nos uero in omni laborum moleſtia, ut alii in luxu uiuant, nos autẽ in egeſtate, ſed ut noſtra copia, aliorũ inopiæ ſuccurrat, quod Ioannes dicit, ut qui habet duas

Tunicarum duarum nomine quid intelligatur.

In pauperibus adiuuandis regulæ.

habet duas tunicas, det alteram non habenti. Ergó ne in Christianismo debent omnia, iuxta Remp. Platonicam, esse communia? Diximus paulo ante, Ioannem non docere hic nouam legem, sed explicare legem naturæ, quæ requirit, ut alteri faciamus, quod nobis fieri uolumus. Interim tamen alia naturæ lex non aufert rerũ diuisiones, proprietates aut dominia, sed approbat ea. Quod ante, inquiunt, nullius est, id naturali ratione occupanti conceditur. Item, lapilli & gemmæ & cætera quæ in littore inueniuntur, iure naturali statim inuentoris fiunt. Item, quod per alluuionem agro tuo flumen adiecit, iure gẽtium tibi acquiritur. Sunt præterea multæ aliæ res, quarum dominium iure naturali nanciſci dicimur. Proprietates igitur rerum naturæ lege conceduntur & approbantur. Quomodo ergo hæc conueniunt? Altera naturæ lex iubet, ut copia nostra aliorum inopiæ succurramus, altera possessiões rerum nostro dominio subiicit. Si necesse habemus lege naturæ nostra expendere aliis, profecto non erunt nostra, sed communia? Facilis est ad hæc respõsio, si probe consyderes, qualẽ rerũ cõmunionem lex naturalis requirat. Non .n. requirit talẽ quæ oĩa confundat, & auferat rerũ dominium & proprietatem, sed talẽ, quæ unà cum rerum dominio constet. Est enim duplex rerum cõmunio & æqualitas: Altera est quæ fit æquali numero, pondere & mensura, ut si agri, pecunia, frumenta, uina, & id genus alia uiritim ita distribuãtur, ut unicuique tantum numero, pondere & mẽsura detur, quantum alteri. Hanc æqualitatem præsens natura rerũ ferre non potest, & ut maxime hac ipsa hora res ita æqualiter inter ciues alicuius urbis distribuerentur, tamen continuò fieret rursus inæqualitas, dum alius res suas diligenter custodiret, alius ignauia negligeret, alius torpore minueret, alius labore augeret, alius inter paucos liberos, alius inter multos sua distribueret. Quis autẽ talem inæqualitatem, subinde emergentem, iterũ ad æqualitatem reuocaret? Hæc certe non esset iustæ Reipub. sed iniustissimæ cõfusionis facies. Quare lex naturalis hanc rerum communionem & æqualitatem abominatur, tantum abest ut requirat. Altera est, quæ fit æquabili rerũ comparatione. Quod ut intelligamus, sumemus exemplum à bono patrefamilias. Is habet multam familiam, primum uxorẽ, deinde liberos, adhæc seruos, præterea ancillas, postremo etiã mercenarios. Cum his omnibus utitur paterfamilias facultatibus suis, inæqualiter quidem, si respicias pondus, numerum & mensuram. Alia enim largitur uxori, alia liberis, alia seruis domesticis, alia mercenariis. Sed si compares familiam inter se, & membra familiæ iuxta suas conditiones inter se conferas, profecto inuenies æqualem rerũ usum. Ipse enim paterfamilias retinet sibi rerum dominium & proprietatem, & distribuit ex his rebus uxori, quantum uxori, liberis, quantum liberis, seruis ac mercenariis, quantum seruis & mercenariis iuxta suas conditiones conuenit. Et inter hos aliadistribuit sanis, alia infirmis. Hæc est iusta æqualitas, quæ certe fieret magna inæqualitas, si paterfamilias rerum dominium in seruum reiiceret, & ipse seruitutis officia subiret, item, si tantum seruis, quantum uxori aut liberis, largiretur. Atq; hanc æqualitatem, quæ non numero, mensura & pondere, sed quæ rerum comparatione constat, requirit lex naturæ, qua æqualitate in tantum non auferuntur facultatum dominia & proprietates, ut ipsa constare non posset, nisi rerum dominia & proprietates conseruarentur. Proinde cum Ioannes & Paulus eam æqualitatem in Christianismo docẽt, quam lex naturæ requirit, & lex naturæ nõ iubet abiicere, sed retinere dominii facultatum, profecto manifestum est, quòd nõ doceant communitatem Platonicam, aut sedicioſam, sed eam, quæ fit iusta & prudenti charitate, uidelicet, ut non auare soli tibi tuas opes serues, sed ut ex abundantia earum, in-

Diuisio rerũ est iuris naturalis.

Cõmunio rerum duplex.

ōpiæ egenorum, primum quidem domeſticorum, deinde etiam aliorum, iuxta legitimæ charitatis regulam & neceſsitatis rationē, ſuccurras. Poſtremo, ut Paulus ignē charitatis in datore exuſcitet, addit: Vt & illorum (nimirum inopum) copia ſuccurrat ueſtræ inopiæ, ut fiat æquabilitas. Quid hoc? inquies, Quam habent pauperes copiam, quam diuites inopiam, ut huic ab illa ſuccurri queat? Certe uterque tam diues quàm pauper ſuam habet & copiam & inopiam. Diuites habent copiam opum terrenarum, ſed habēt inopiam opum cœleſtium. Ait enim Chriſtus: Amen dico uobis, diues difficile intrabit in regnum cœlorum. Et iterum dico uobis, facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem in regnum Dei ingredi. Pauperes autem habent inopiam diuitiarum terrenarum, ſed habent copiam diuitiarum cœleſtium, non quidem propter ſuam ipſorum perſonam, ſed propter uerbum Dei, quod his, qui pauperibus benefaciunt, multa cœleſtia bona promittit. Nam, quemadmodum Dominus poſuit Adæ per legem ſuam, uitam & mortem, ſuper pomum arboris ſcientiæ boni & mali, ut ſi eo pomo ueſceretur, morte moreretur, ſi autē non ueſceretur, haberet uitam perpetuam, ita etiā poſuit per uerbum ſuum diuitibus cœlum & infernū ſuper pauperes. ut ſi contēnant ac faſtidiant pauperes, infernum inueniant, ſi autem liberaliter eos adiuuent, cœlū inueniāt, nō q̄ quisquā operibus ſuis poſsit uitā regni cœleſtis mereri, ſed q̄ operibus miſericordiæ declaretur fides, per quam p̄pter Chriſtū contingit nobis æterna uita & cœleſtis fœlicitas. Audiamus igit̄ uerbum Dei, quo pauperum copia ſignificat̄, & diuitibus per ſuas opes redimenda proponit̄. Non obdurabis, inquit Moſe, cor tuū, nec contrahes manū tuam, ſed aperies eam puuperi, & dabis mutuū, quo eum indigere perſpexeris. Non ages quippiā callide in eius neceſsitatibus ſubleuandis, ut benedicat tibi Dñs Deus tuus in omni tempore, & in cunctis ad quæ manū miſeris. Audin quantam copiam, quantas diuitias, quantam benedictionem proponat Deus diuiti in pauperē? Vt benedicat, inquit, tibi Dñs Deus tuus in omni tempore, & in cunctis ad quæ manum miſeris. An contemnēdas ducis has pauperum diuitias? Vt diuites habeāt benedictionem non una hora, ſed quouis tempore, & proſperitatem non in uno aut altero negocio, ſed in omnibus negociis quæ tractauerint, profecto non in ipſos diuites, ſed in pauperes à Domino Deo noſtro repoſitum eſt. Poſt Moſen etiam Salomon è ſpiritu ſancto ita dicit: Fœnerat Dño qui miſereē egeni, & retribuetur ei. Et iterum: Qui pauperi dat is non egebit, maledicetur aūt auertenti oculos ſuos. Quid potuiſſet amplius dici? Si uis Deum tibi facere debitorem, ſi uis omnium rerum abundātiam acquirere, in paupere id quæras & inuenias neceſſe eſt. Sed operæprecium eſt de hac re Dominum noſtrū Ieſum Chriſtum audire: Ego enim, inquit, dico uobis, facite uobis amicos ex Mammona iniquitatis, ut cum defeceritis recipiant uos in æterna tabernacula. Quid hoc? Chriſtus proponit diuitibus pauperes tanquam oſtiarios & ianitores æternorum tabernaculorum. Quantam putas huius officii dignitatem, quantam amplitudinem? Itaque qui duas habet tunicas & ſuperfluas eſcas, hoc eſt, qui poſsidet abundātiam terrenæ diuitiarū, & cupit in æterna tabernacula admitti, neceſſe habet, ut poſtquam crediderit in Ieſum Chriſtum, non abiiciat quidem opes ſuas tanquā pernicioſas, ſed faciat ſibi his propicios pauperes, & liberaliter adiuuet egenos, ac, ut copioſam meſſem habeat, largiter ſeminet in agrum inopum. Sic cū faciet dignos pœnitentiæ fructus, & teſtabitur fidem ſuam, ac conſequetur per fidem ſempiternam fœlicitatem, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui eſt unà cum Patre & Spiritu ſancto, Deus laudandus in ſecula. Amen.

Diuitum inopia.

Pauperum copia.

Pauperibus ſubueniendū.

Pauperes, ianitores regni cœlorum.

Homilia

HOMILIA XXVII.



VIgum sequunt Publicani. Nam & publicani, inquit Lucas, uenerũt, ut baptizarentur, & dixerunt ad Ioannẽ: Magister, quid faciemus? Primum igitur, qui fuerint publicani, explicandum esse uidetur. Dicuntur aũt publicani nõ publici peccatores, quemadmodum imperiti intrepretantur, sed publicorum uectigalium, tributorũ, censuum, & aliarum id genus rerũ exactores, & collectores. Ac inter Iudæos quidem, hoc genus hominum pessime audiebat, & connumerabat inter extreme sceleratos ac flagitiosos: Amicus, inquiunt, publicanorũ & peccatorum. Et iterum: Quare cum publicanis & peccatoribus mãducatis? Videbantur quoq; de publicanis ad hunc modum iustissime iudicare, primum, quia existimabant iniquissimum esse, q̃ Romani exigerent ab ipsis tributa, uectigalia, & alia Reip. onera. Sentiebant enim, se, quia populus Dei essent, diuino iure liberos, & nulli extraneo ac ethnico tegi subiectos esse debere. Quare iudicabant hos Iudæos plane impios & patriæ suæ proditores, qui à Romanis officium colligendi uectigalia & tributa redimebant, ac Romanam, ut ipsi loquebant, tyrannidem opera sua adiuuabant. Deinde habebatur etiam publicanorum ordo hoc nomine abominabilis, q̃ id genus hominum, crudeli sua auaricia plus fere à ciuibus & inhabitatoribus eius regionis exigebat, quàm à magistratu constitutum erat. Propter hominum igit iniquitatem, sentiebant Iudæi hypocritæ, etiam ipsum publicanorum ordinẽ iniquum & impiũ esse. Sed apud Romanos, & eos qui de ciuilibus hominum ordinibus non iuxta personarum uitia, sed iuxta ipsorum ordinũ ac status naturam iudicãt, longe alia erat opinio de publicanis. Vocant publicani à Cicerone, homines & honestissimi & ornatissimi. Et si uectigalia, inquit ille, neruos Reip. esse semper duximus, eum certe ordinem, qui exercet illa, firmamentum cæterorum ordinum recte esse dicemus. Quid potuisset de publicanorum ordine honestius dici? Multi igitur ex publicanis peregrinantur ad Ioannem in desertũ, & desyderio cognoscendæ pietatis interrogant Ioannem, quid agere debeant, ut faciant dignos fructus pœnitentiæ. Magister, inquiunt, quid faciemus? At ille dixit ad eos: Ne quid amplius, quàm quod constitutum est uobis, exigatis. Longe aliam doctrinam audiunt publicani à Ioanne, quàm à Pharisæis. Nam cum accessissent Pharisæos, ut ab ipsis in uera pietate erudirentur, nihil aliud audiebãt eos crepare, quàm lotiones manuum, fimbrias, longas preculas, sacrificia, & multa alia superstitiosa. Si uultis (dicebant illi) salui esse, necesse habetis impiũ uestrũ ordinẽ ac officium derelinquere & peccata uestra multis sacrificiis expiare, ac ordini pharisaico uos tradere, ut merito bonorum operum, quæ in professione huius ordinis facietis, iustificemini & salutẽ consequamini. An non credis Pharisæos sic docuisse? Profecto, q̃ sic docuerint testantur primum historiæ Euangelistarũ, deinde Pharisæi nostri temporis. Hi enim sunt Monachi, & quos uocarunt, spirituales, qui cũ uoluerint uel uulgum, uel publicos Reip. officiales, uel magistratum fructus pœnitentiæ docere, non hoc docent, ut illi uocationi suæ diligenter & ex fide seruiant, sed uocationes illas ciuiles propemodum cõdemnãtes, uocant eos ad ordines monasticos, qui penè soli status salutis ab ipsis iudicantur, iubent ad expiationem peccatorũ aut induere cucullam, aut in cuculla sepeliri, multas item missas instituere, ad diuorum templa, pisis in calceũ impositis, peregrinari, certis diebus

Publicani q̃s

Pharisæorum doctrina.

Monachorũ doctrina.

pane & aqua ieiunare, laneo uestiri, nudis pedibus ambulare, & alia id genus sexcẽ ta facere. Hæc dicunt esse merita, propter quæ Deus remittat peccata & conferat salutem. Ioannes aũt, quemadmodum in superiori concione uulgum non à sua ca uili uocatione ad professionẽ superstitiosi ordinis auocauit, sed admonuit, ut in ui catione sua recte ambulent, ita nunc non a uocat publicanos ab officio suo ad pro fessionem pharisaismi, aut fugã ex hoc seculo, ut uocant, ad desertum, sed horiat eos ut officiũ suum iuste administrent. Hic eñ dignos facit fructus pœnitentiæ, nõ qui derelicta uocatione sua ad monasteria aut deserta fugit, sed qui uocationi suæ pie ac diligenter seruit. Ait igit̃ Ioannes ad publicanos: Ne quid amplius, q̃ quod constitutũ est uobis, exigatis. Primum oĩm uides, q̃ Ioannes officium & ordinem publicanoruu nec reiiciat, nec condẽnet. Non eñ inquit: Si uultis facere dignos pœnitentiæ fructus, derelinquite officiũ publicanoꝝ, & arripite statũ pharisaicum aut monasticum, id qd certe necesse habuisset dicere, si ordo publicanorũ per se im pius esset, & in nullo alio statu q̃ pharisaico aut manastico pie uiuere liceret, sed concedit, ut maneant quidẽ publicani, in eo aũt officio & uocatione nihil impie, ni hil inique agant. Nam officium publicanorũ per se honestum est, & licet eo hone stis uiris fungi, ac plane in eũ ordinẽ referendũ est, in quo est eorum officium, qui ad colligẽdos redditus & census magistratui debitos ordinati sunt. Vectigalia eñ & tributa, quorũ publicani exactores sunt, iudicantur legitimæ ac per hoc diuinæ ordinationes. Vnde Paulus ad Romanos scribens: Oportet, inquit, esse subditos non solũ propter iram, uerumetiã propter conscientiam. Propter hoc eñ & uectigalia soluitis: Siquidem ministri Dei sunt, in hoc ipsum incũbentes. Reddite igit̃ oĩbus quod debet̃, cui tributũ, tributum, cui uectigal, uectigal. Ergo si licet uectigalia instituere, licebit etiã ea colligere, & si magistratui honestũ est è uectigalibus ac tributis uiuere, honestũ quoq; erit publicanis ea exigere. Sed inquies: Si publicanorũ officium honestũ est, cur Christus Matthæum ab hoc officio auocauit? Præteriens eñ Iesus, inquit Euangelista, uidit hominem desidentẽ ad teloneũ, Matthæum nomine, dicitq; ei: Sequere me. Respondeo. Non auocauit eum à teloneo, q̃ inhonestum & illicitũ esset officium, sed q̃ uellet ipsi ministerium Apostolicũ demãdare. Et auocauit eũ ab hoc officio, quẽadmodũ auocauerat Dauidẽ ab ouibus ad regnũ, ac Petrum & Ioannẽ à piscatura ad Apostolatũ. Nec officium pastoricium, nec officium piscandi, illicita & inhonesta officia coram Deo sunt, sed si ad regendum populũ ac docendum uerbum Dei uocatus fueris, necesse habes priori uocatione derelicta, præsentẽ sectati. Deinde non docet Ioannes publicanos hac concione merita operum, nec sentit publicanos satis iustificatos esse in iudicio Dei, si nihil ultra constitutũ exigant. Hic enim docet Ioannes, non ipsam pœnitentiam, sed fructus pœnitentiæ. Ad agendã eñ pœnitentiã & consequendam remissionẽ peccatorum ac iusticiam requirit̃, primum, agnitio peccatorum, deinde fides, q̃ habeamus remissionẽ peccatorum gratis propter Christum. Atq; hæc docuit Ioannes aliis concionibus. Ecce, inquit, agnus Dei, qui tollit peccatũ mũdi. Et iterum: Pater diligit filium, & omnia dedit illi in manum. Qui credit filio habet uitam æternam, qui uero non credit filio, non uidebit uitam, sed ira Dei manet super eum. Hac autem concione animaduersa & per fidem accepta, exigit nunc Ioannes fructus pœnitentiæ, & docet publicanos, quid ex hac fide, non quidem ad expiationem peccatorum, quam per fidem habent, sed ad testificationem fidei, & gratiarum actionem agere debeant. Existimabant enim aliquot publicani, (ut etiam hoc tempore mores hominum sunt) se satis iustos esse, si cogitarent se

Publicanorũ ordo non condemnatur.

Vectigalia legitimæ ordinationes.

Matthæus à teloneo auocatus.

Opera ex fide necessaria.

rent secum, se credere in Messiã, quem Ioãnes p̃dicabat, interim aũt nihil referre, qualẽ uitã agerent, siue hoies imposturis deciperẽt, siue aliena deriperẽt, siue inhonestã, si ue sceleratã uitam uiuerent. Sed Ioãnes huic errori obuiam it, & cũ aliàs docuerit quidẽ, remissionem peccatorũ & iustitiã non contingere nobis nisi per fidẽ propter Christũ, nũc autẽ docet, quòd hæc fides, si uera sit, nõ sit otiosa aut ignaua, sed proferat bonos fructus, & faciat, ut suæ quisq; uocationi diligenter & iuste seruiat. Quare necesse est, ut & publicani, si uere credunt in Messiam quem Ioannes prædicat, bona opera faciant, præsertim autem suæ uocationi iuste seruiant, id quod tũc faciunt, si nihil amplius, q̃ quod cõstitutum est, exigant. Nam si confiteãtur se credere in Messiam, interim tamẽ imposturis, fraudibus, & deceptionibus suis ab hominibus plus uectigalium ac tributorum quàm à magistratu ordinatum est, extorqueant, euidens argumentum est, q̃ uera fide careant, quando profitean tur quidem uerbis Messiam, factis autem negent. Vbi uero non est fides, quomodo ibi possit esse remissio peccatorum? Vbi non est peccatorum remissio, ibi plane nulla est iusticia. Proinde qui nõ facit bona opera à Domino præcepta, & non seruit iuste uocationi suæ, is declarat se adhuc peccatis, iræ Dei, ac perpetuæ damnationi obnoxium esse. Quid ergo? Nullum ne aliud bonum opus à publicanis requiritur, q̃ ut nihil ultra constitutum exigant? Profecto multa quoq; alia requirun tur ab ipsis, nimirum generalia illa, ut nõ occidant, nõ cõmittant adulterium, nõ ferant falsum testimonium aduersus proximum, & id genus alia. Sed Ioannes concionatur hoc loco de eo tantum opere, quod ad uocationem publicanorum proprie pertinebat. Nam cum officii eorum sit, uectigalia, tributa & census publicos ab hominibus exigere, solebant plus extorquere, q̃ magistratus in rationibus suis ordinauerat. Quod autem extorquebant, id non in fiscum principis, sed in suas opes referebant. Itaq; imponebant fraude sua & proximo & magistratui. Ioannes igitur docet eos, ut si uelint dignos pœnitentiæ fructus facere, non necesse quidẽ habeãt uocationem suam derelinquere, necesse autem habeãt eam uocationem iuste administrare, id quod fiet, si nihil amplius, q̃ quod à magistratu ordinatum est, in exercendis uectigalibus, tributis & censibus, exigant, ac quod exegerint, fideliter iuxta constitutum magistratui reddant. Postremo non est quòd existimes Ioannem hac concione nouam legem docere, sed explicat publicanis ueterem legem: Non furabere. Hoc enim præcepto non prohibetur tantum furtum nocturnum, sed quæuis impostura & defraudatio. Nam qui in emendo ac uendendo alterum decipit, furatur. Qui mendacio aliquid ab altero emũgit, furatur. Qui plus q̃ legitime ordinatum est in uectigalibus & tributis exigit, furat. Atq; adeo qui dolo malo quicq̃ opum à proximo suo aufert at extorquet, furatur. Vnde cum Zachæus publicanorum princeps recepisset Iesum in domum suam, dixit: Si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum. Quo dicto perspicue significat defraudationem furtum esse. In lege enim, quemadmodum capite uicesimo secundo Exodi scriptum est, furtũ quadruplo punitur. Quæ igitur intemperiæ te exagitant, quòd cum uulgatem furem uehementer abomineris ac detesteris, ad tuas ipsius impostu ras, quæ sunt ipsissima furta, non exhorrescas? Ecquid tantæ causæ est, quod te ad exercendas imposturas adigit? Numerosa, inquis, mihi familia est, necesse habeo familiæ parare uictum & hæredibus amplum patrimonium, quin & ipse multis egeo, quare paro mihi diuitias, ut habeam quo egestati mederi queam. Quid audio? Putas ne te uictum paraturum impostu ris, & diuitias adepturum iniquitate ac dolo? Profecto tantum abest, ut dolis ac impostu ris opes tuas augeas, ut iis rebus maxime omniũ

Ioannes non docet nouam legem

Furti genera

Defraudatio, furtum est

Impostura in ciuilibus con tractibus re= prehenditur

non tam opes q̃ teipsum perdas. Ac ne existimes me hoc temere dicere, audi sentẽtiam sacræ scripturæ, & ipsas spiritus sancti ratiões. Etenim, qui impostura aliquid opum acquirit, is, quemadmodũ antea ostendimus, legem Domini de non furando uiolat. Qui autem designat peccatum aduersus legem Dei, is expellit spiritum sanctum, & prouocat Deum ad iram. Vbi autem expellitur spiritus sanctus, & Deus iratus est, ibi ingreditur spiritus satanæ & imperium occupat. Quid autem Satan aliud secum afferret, q̃ maledictiones corporales & spirituales, temporarias & æternas? Quid ergo incremẽti in opibus tuis sperares, irato Deo, Satana imperiũ tui occupante, & te omnibus maledictonibus obnoxio? Ac de spiritualibus quidem & æternis maledictionibus Paulus ad Corinthios scribẽs: Neq; fures, inquit, neq; auari, neq; rapaces regni Dei hæreditatem accipient. De corporalibus autem ait Mose: Si nolueris audire uocẽ Domini Dei tui, ut custodias & facias omnia mãra eius, maledictus eris in agro, maledictum horreum tuum, maledictæ reliquiæ tuæ, maledictus fructus terræ tuæ, armenta boum, & greges ouium tuarum. Inter uerba autem & mandata Dei, hoc quod dicitur, non fureris, nõ est abiectissimum. Quare qui hoc mandatũ imposturis suis uiolat, magis sibi maledictiones quàm opes congregat. Execraris homicidia, & existimas homicidis nihil prorsus benedictionis contingere, quomodo igitur polliceberis tibi in imposturis tuis benedictionem, quando impostor & homicida fratres sint? Sic enim inquit Ecclesiasticus. Panis egentium uita pauperis est, qui defraudat illum, homo sanguinis est. Et mox: Qui effundit sanguinem, & qui fraudẽ facit mercenario, fratres sunt. Salomon autem, de his qui proximum in contractibus decipiunt, ait: Statera dolosa abominatio est apud Deum. Et iterum: Pondus & pondus, mensura & mensura, utrunq; abominabile est apud Deum. Et tu confidere audes, quòd opes tuæ imposturis augeantur? Ne quis, inquit Paulus, opprimat ac fraudet in negocio suo fratrem suũ, propterea quòd ultor est Dominus de omnibus his. Si Dominus ulciscitur defraudationes, quis non potius in his paupertatem q̃ diuitias expectabit? Quanta autem seueritate Dominus impostoras uisitet ac ulciscatur, audi oracula prophetæ. Micheas ait: Nunquid iustificabo stateră impiă, & saccelli põdera dolosa, in q̃bus diuites eius repleti sunt iniquitate, & habitãtes in ea loquebant mẽdaciũ, & lingua eorum fraudulenta in ore eorum. Habes iniquas defraudationes. Nunc accipe ultionẽ & suppliciũ eorum. Ego ergo, inquit Dñs, cœpi percutere te perditione super peccatis tuis. Tu comedes & nõ saturaberis, & humiliatio tua in medio tui. Apprehẽdes & nõ saluabis, & quos saluaueris, in gladiũ dabo. Tu seminabis & nõ metes, tu calcabis oliuam, & non ungeris oleo, & mustum, & non bibes uinum. Spiritus sanctus dicit ad impostorẽ: Comedes & nõ saturaberis, seminabis & nõ metes.

Diuitiæ per iniquitatem partæ.

Quis igiẽ tam impudens est, qui ausit affirmate, quòd uictus & diuitiæ imposturis acquirantur, hoc est, quod spiritus sanctus sit spiritus mendax? In Amos quoq; ita scriptum est: Nescierunt facere rectum, dicit DOMINVS, thesaurizantes iniquitatem & rapinas in ædibus suis. Audiuisti impostoras, audi nunc supplicium. Propterea hæc dicit DONINVS DEVS: Tribulabitur & circuetur terra, & detrahetur ex te fortitudo, & diripientur ædes tuæ. Vide, quanta sit maledictio opum iniquitate partarum. Nam & ipsæ ædes, in quas opes illæ congregantur, maledictione afficiuntur, tantum abest, ut uictum tribuant ac possidentem diuitem reddant. Etsi enim uideris ex imposturis opulentus

opulentus fieri,& ab omnibus diues saluteris,tamen hæ diuitiæ extremam & ignominiosissimam paupertatem secum adducũt. De qua re propheta Ieremias ita ait: Sicut decipula plena auibus, sic domus eorũ plenæ dolo. Ideo magnificati sunt,& ditati,incrassati & impinguati. Sed quod incremeutum hæ diuitiæ habeant, audi quid sequatur. Nunquid super his non uisitabo, dicit Dominus? Aut super gentem huiuscemodi non ulciscet anima mea? Quid autem uisitatio & ultio Domini aliud est, quàm seueriſsimum supplicium? Quare cum minatur ultionem earũ opum quæ dolo partæ sunt,profecto perspicue significat,diuitias iniquitate acquisitas nihil aliud quàm egestatẽ, ignominiam, cõfusionem & perditionem sequi. Vnde & Salomon: Melius est,inquit,parum cum iusticia,quàm multi redditus male parti. Et iterum: Alii diuidunt propria & ditiores fiunt, alii rapiunt non sua & semper in egestate sunt. Huc adde quod & psalmus canit: Melius est modicum iusto super diuitias peccatorum multas. Quoniam brachia peccatorum cõterentur, confirmat autem iustos Dominus. Quid his uerbis uerius? Non enim hominis sed spiritus sancti uerba retulimus. Quid? Præferes ne sententiam cordis tui sentẽtiæ spiritus sanctiꝰ An nescis,omnẽ hominẽ mendacẽ, Deũ aũt ueracem? Cœlũ & terra,inquit,transibũt,uerba mea nõ transibũt, & sentis adhuc impostoras fœlix habere incrementũ? Sed quã benedictionẽ haberent alienæ opes impostoris acquisitæ,cũ etiã ꝓpriæ opes mendaciis retentæ extremam sorciantur maledictionem? In Actis Apostolicis de Anania & Sapphira scriptum est, quòd uendiderint possessionem suam, & altera precii parte sepositа, altera Apostolis data, mentiti fuerint se nihil reposuisse, sed totum precium obtulisse. Quid ergo accidit eis? Ad uocem Petri ambo coniuges protinus expirarunt, & collapsi repentina morte perierunt. Si tam seuera grauitate hi à Domino puniuntur,qui non dico alienas sed suas ipsorum opes mendaciis retinent, quanta,obsecro,seueritate punientur hi qui alienas opes mendaciis & impostoris acquirunt? Cum igitur opes iniquitatibus partæ afferant secum maledictiones corporis & animæ,ac neq; ad parandum uictum, neq; ad augendas diuitias prosint,sed potius famem,egestatem,ignominiam ac interitum secum asportent, agite amicissimi,demus operam iusticiæ,ne quem defraudemus in negocio,ne quẽ circumueniamus impostoris,sed in uocatione nostra iuste ambulemus,ut facientes ex fide dignos fructus pœnitentiæ, propicium Deum retineamus, & omnia,quæ uel uitæ uel corpori nostro necessaria sunt, de manibus eius accipiamus per Iesum Christum DOMINVM nostrum, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus laudandus in secula AMEN.

HOMILIA XXVIII.



Post concionem, quæ habita est ad publicanos, & omnes publicos officiales, ad colligendos & exigendos census ac redditus magistratuum ordinatos, audiamus quæ Ioannes militibus concionat. Nam & milites interrogabant eum dicentes: Et nos quid faciemus? Quemadmodũ autẽ publicanorum ordo abiectum & impiũ uitæ genus a Pharisæis reputat,ita & militũ ordo,præsertim eoꝝ qui ex Iudæis erant,iudicabat longe omnium impiissimus esse. Primum eñ,quia Iudæi erant populus Dei,existimabant plane iniquum esse, ꝙ alienus & ethnicus imperator in regionibus terræ Canaan dominaretur. Quare etiam milites iniquũ ordinem sectari arbitrabant, ꝙ opera sua

Militũ ordo.

ethnicam tyrannidem adiuuarent. Deinde, hoc hominum genus plerunq; erat impium, præfractum, non requirés nec humanam nec diuinam honestatem, & ad nihil aliud, q̃ ad opprimendos & expilandos non ad tuendos ciues ac prouinciales, spectare uidebatur. Itaq; propter militum iniquitatem existimabant Pharisæi, etiam ipsum ordinem militum esse iniquum. Sed si contuleris Pharisæos aut hypocritas cum militibus etiam sceleratissimis, profecto inuenies sceleratos milites multo propiores esse iusticiæ, q̃ hypocritas quamuis honestos, ut non frustra solenni epitheto audiant, probi milites. Sunt enim duæ partes iustificationis, quemadmodum iam sæpenumero indicauimus: Altera est agnitio peccatorum, altera, fides remissionis peccatorum propter Christum. Iam, hypocritæ nullam harum partiũ habent. Non agnoscunt peccata sua, existimant enim se iustos. Non credunt peccata gratis sibi ptopter Christum remitti, sed conantur peccata, si modo aliqua habeant, meritis operum suorum expiare, & Deum propicium reddere. Hi ergo longissime à iusticia absunt. Milites autem, quia nulla habent bona opera, sed tantum publica scelera & manifesta flagicia, ne possunt quidem in merita operum suorum confidere, & cum aperte uideant suas iniquitates, quas nec negare possunt, non lõge à uera peccatorum agnitione absunt. Cum igitur ad priorem partem iustificationis q̃ proxime accedant, certe multo propiores sunt iusticiæ, q̃ hypocritæ. Accedunt ergo & ipsi ad Ioannem, & interrogant eum, quid agere debeant, ut faciant dignos pœnitentiæ fructus. Et ait illis Ioannes: Ne quem concutiatis, ne quem calumniemini, & contenti estote stipendiis uestris. Quàm dissimilis est hæc cõcio doctrinæ Pharisæorum. Nam Pharisæus quispiã docuisset milites, ut si uelint dignos pœnitentiæ fructus facere, abiiciant militiam, tanq̃ tale uitæ genus, in quo nemo salutem cõsequi possit, & profiteantur ordinem Pharisaicum, aut monasticum, atq; ibi durissimam uitam precibus, ieiuniis, uigiliis, & chameuniis exigant, quo pro peccatis suis satisfaciant, & si non continuo cœlum emereantur, saltem ab inferno liberentur, & in ignem purgatorium descendant. Sic enim sentiunt impii doctores, ꝙ qui in hac uita pro peccatis suis non plene satisfecerit, necesse habeat post mortem pro peccatis suis in igne purgatorio, quem fingunt, satis pati. Ioannes aũt uerus pœnitentiæ doctor nec legitimam militiam condemnat, nec superstitiosa opera præscribit, sed post q̃ baptizauit milites in remissionẽ peccatorum, & docuit, ꝙ habeant remissionem peccatoꝝ per fidem, non propter ullas operum sasisfactiones, sed tantum propter semen Abraæ aut Messiam, addit nũc quid agere debeant, ut faciãt rectos fructus pœnitentiæ aut fidei, nimiꝝ, ut in uocatione sua neminem aut per illegitimã uiolentiam, aut per calumnias opprimant, ac stipendiis suis contenti sint. Quid ergo, inquies? Num Ioannes approbat militiam & bellum? Profecto nisi approbaret, nõ iuberet milites in uocatione sua nihil illegitime agere, nec præscriberet regulas uiuendi in militia. Nemo bonus præscribit rationẽ uiuẽdi in latrocinio aut furto, quia nemo bonus hæc approbat. Qui aũt in aliquo uitæ genere rationem uiuendi præscribit, is certe palàm declarat se id genus uitæ nõ improbare. Quare si militia aut bellũ nihil differret à latrocinio, Ioannes iussisset milites prorsus id uitæ genus fugere ac detestari. Ad ethnicos, inquis, aut certe prophanissimos Iudæos loquit̃ ista Ioannes, nõ ad Christianos. Fateor, Iudæi fuerunt hi milites, sed qui per baptismũ pœnitentiæ Christiani facti fuerant. Ioannes .n. primus fuit reuelati Christianismi minister, & primus eius baptismi dispensator, quo adhuc ecclesia Christi utit̃. Sed iteꝝ ais: Ioannes hoc egit, ut qui pessimi erant, inciperent esse minus mali. Non igit̃ approbat militiam. Audio quidẽ eruditum dictũ, sed

Die frummen landsknecht.

Iustificacionis partes.

Militia legitima approbatur.

dictum, sed si sentis Ioannē, etsi militibus rationē uiuendi in militia præscripserit, militiā tamē damnasse, è Ioanne egregiū facis impostorē. Milites eñ, certe ut existimo, nō omnes, sed melior pars, desiderio recte & iuste uiuēdi ac uerā pœnitētiā agē di interrogabāt Ioannē, quid faciendū esset, ut iustam & pio homine dignā uitam ducerēt. Quæ igitur hæc fuisset improba Ioannis cōniuentia, ut hoc quod præcipuum erat, & maxime oīm à militibus quærebat, obticuisser, si militia impiū uitæ genus est? Hoc profecto nō fuisset docere pietatē, sed cōfirmare in impietate. Admagistratum quidē ciuilē pertinet, ut cum non possit efficere quo homines sint boni, saltē id efficiat, ut sint minus mali. Addoctorē autē pœnitentiæ pertinet non cōniuere ad impietatē (hoc eñ non est uiā Christi præparare) sed impietatē reuelare, arguere, & ad agnitionē peccatorū ducere, hoc eñ uere est uiā Christi ad remissionē peccatorū præparare. Proinde si militia per se impiū genus uitæ esset, necesse habuisset Ioannes, milites de pœnitētia interrogātes, ab hoc uitæ genere auocare. Nunc autē non auocat eos, sed relinquēs ipsos in sectanda militia, præscribit regulas uiuēdi in ea. Manifeste igit̄ declarat se militiā non improbare. Ergone licebit Christianis bellare? Quomodo autē hoc licebit iis, quibus dictū est: Ne resistatis malo, sed quisquis impegerit alapā in dexterā tuā maxillam, obuerte illi & alterā? De quibus & propheta uaticinatur dicens: Conflabūt gladios suos in uomeres & lanceas suas in falces. Non leuabit gens contra gentē gladiū, nec exercebuntur ultra ad præliū. Similiter & Christus ait: Pacē relinquo uobis, pacē meā do uobis. Et quomodo iis liceret ferro in se inuicem grassari, quibus à Christo dicitur: Hoc est præceptū meū, ut diligatis uos inuicē, sicut dilexi uos? Vt ad hæc respondeam, obseruandū est, q̄ ea scriptura, quæ approbat legitimū inter Christianos magistratū, necessario quoq; apptobat legitimum bellum. Etenim magistratus cum suis lictoribus unum ac alterū latronem, furem, incendiariū, aut raptorem ultimo supplicio afficiens, quid obsecro, differt à duce cum militibus suis ferrum stringente non in unū tm̄ aut alterum, sed in plures armatos latrones & raptores? Nisi eñ hostes tales legitime cogniti & iudicati fuerint, non est legitimū bellum. Scriptura aūt de magistratu apud Paulum ita dicit: Si feceris id quod malum est, time, non enim frustra gladium gestat. Nam Dei minister est, ultor ad iram ei, qui quod malū est fecerit. Dei, inquit, minister est. Et, ultor ad iram ei, qui quod malū est fecerit. Itaq; si magistratui diuina ordinatione & ministerio licet malefactorem punire, quomodo non liceret ei diuina ordinatione contra multos malefactores ad sumendum de ipsis supplicium belligerari? In publica, inquis, pace gladius magistratus sontem tantum & nocentem ferit. In bello autem gladius ducis ac militum non tantum sontes sed etiam insontes petit. Igitur bellum non est licitum. Sed audi tu uicissim. Primum, non loquimur de uitio, sed de officio eorum, quorum interest bella gerere. Scimus quidē multa bella esse illegitima, quæ nulla iusta causa geruntur, sed propter illegitimū belli abusum, non est condemnādus legitimus eius usus. Nonne sæpenumero magistratus etiā in pace insontē pro sonte illegitime occidit, & designat homicidiū, nū, ppterea legitimū magistratus officiū esset condemnandū? Vt igitur legitimus sit usus belli, necesse est, ut quemadmodū magistratus togatus nō debet alicui supplicium irrogare, nisi re perfecte cognita, ita multo magis armatus nulli bellū inferat, nisi causa legitime pspecta, leges ipsæ, q̄ sunt diuinæ ordinationes, gladiū aduersus hostē porrigāt. Quod si fiat, profecto sicut Israelitæ sua bella aduersus Chananeos & alios hostes mādato Dei gesserūt, ita & magistratus Christianus sua bella aduersus

Bellare an Christianis liceat?

ſuos hoſtes mandato Dei gerere dicendus eſt. Nam quod Iſraelitis ex uerbo Domini apud Moſen dicitur: De his ciuitatibus quæ dabuntur tibi, nullum permittes uiuere, ſed interficies ore gladii, idem etiam ex uerbo Dei magiſtratui apud Paulum dicitur: Miniſter Dei eſt, ultor ad iram ei qui quod malũ eſt fecerit. Deinde obſeruandum eſt, q̃ in eorum hoſtium numero, aduerſus quos iuſtum bellum geritur, non unus tantum aut alter ſons aut nocens eſt, ſed omnes quotquot ſontibus conſentiunt, quotquot ſontibus auxilia præſtant, etiamſi ipſi opere nihil eorum criminum commiſerunt, propter quæ bellum geritur, pro ſontibus & malefactoribus iudicantur. Non ſolum, inquit Paulus, qui faciunt mala, digni ſunt morte, uerumetiam qui aſſenciuntur iis, qui faciũt. Vnde in libro Iudicum, omnes Beniamitæ, quia defendebant nefandum ſtuprum ciuium Gibea, iudicantur & trucidantur ut ſtupratores. Quare ſi in legitimo bello gladius militũ hoſtes petat, & incidat in eum, qui etſi non opere deſignauerit crimen propter quod bellum geritur, conſenſu tñ & auxilio hoſtibus præſto adſit, non ſentiendum eſt eum aberrare, ſed uere ſontem petere. Nam quod Chriſtus iubet malo non reſiſtere, & percutienti dextram maxillam, alteram obuertere, priuatam uetat uindictam, ad quam ſumendam male affectus ſine certa & legitima uocatione graſſatur, non uetat legitimam & diuina uocatione mandatam uindictam. Si enim indiſcriminatim omnem uindictam prohiberet, nec liceret magiſtratui malefactores punire, nec patrifamilias in uitia familiæ animaduertere, nec eccleſiaſtæ peccata eccleſiæ arguere, imo nec cuiquã liceret ſæuiẽti lupo, aut ſtridenti ſerpenti, aut mordẽtibus culicibus reſiſtere. Quis autẽ ita inſaniat, ut hæc illicita eſſe affirmet? Quare, cum Chriſtus iubet malo non reſiſtere, eam tantum uindictã prohibet, quæ priuatim abſq; legitima ac diuina uocatione uſurpatur. Sed q̃ propheta de Chriſtianis ait: Conflabunt gladios ſuos in uomeres, nõ ſignificat nulla fore externa bella inter Chriſtianos, alioqui ſpiritus ſanctus non conſtitueret inter Chriſtianos magiſtratũ, ſed his uerbis deſcribit, primũ pacem conſcientiæ, quam Chriſtiani habebunt coram Deo propter Chriſtũ, de qua pace & Chriſtus loquitur, cum ait: Pacem meam relinquo uobis. Nam q̃ de pace conſcientiæ coram Deo loquatur, diſerte addit, pacem meam do uobis, non quomodo mundus dat, ego do uobis. Deinde, ſignificat etiam propheta his uerbis, q̃ Chriſtiani ex pace conſcientiæ ſuæ coram Deo, tanta beneuolentia corã hominibus quoq; uitam agent, ut quantum in ipſis eſt, nulli hominum uim inferant. Vnde Paulus ad Romanos ſcribens ita præcipit: Si fieri poteſt, quantum in uobis eſt, cum omnibus hominibus in pace uiuentes, non uosmetipſos ulciſcẽtes dilecti, quin potius date locum iræ. Interim tamen, quia mali admixti ſunt inter Chriſtianos, non uetat magiſtratum non eſſe terrori male agentibus, aut non iuxta uocationem ſuam in eum, qui quod malum eſt fecerit, animaduertere. Hoc enim non eſt pacem turbare, ſed pacem & leges pacis per malos turbatas, aut legitima pœna, aut legitimo bello reſtituere. Sed nec hoc legitima bella impedit, q̃ iubet Chriſtus ut diligamus nos inuicem, ſicut ipſe dilexit nos. Legitimum.n. bellum non eſt odium ſed uocatio & uindicta Dei, quam ſi magiſtratus non ſectaret, nec Deum, nec proximum ſuum diligeret. Nam ſi parens, qui abſtinet uirgam, odit filium ſuum, quemadmodum Salomon ait, profecto magiſtratus quoq; qui abſtinet gladiũ, ubi debet gladio uti, non diligit Remp. aut proximos ſuos in Chriſto ſibi coniunctos, ſed odio eos habere cenſendus eſt. Vt igitur parens ſub uirga ſuam dilectionẽ retinet, imo ex dilectione uirga utitur, ita magiſtratus ſuam dilectionem, quam debet proximo, ſub ipſo exercitio gladii, uel in caluaria, uel in prælio retinere poteſt.

Vindicta prohibetur non publica ſed priuata.

Pax Chriſtianorum quæ?

Hæc de

Hæc de bello breuiter diximus, non quoduis bellum approbantes, sed officiũ magistratus explicantes, ut sciamus, legitima bella & bona conscientia à magistratu suscipi, & bona conscientia à militibus geri posse. Quæ autem sint legitima bella, aut iustæ causæ bellorum, nec est huius argumenti nec huius professiõis explicare. Nos ad concionem Ioannis reuertemur. Hic, quia præscribit militibus regulas uiuẽdi, certe militiam nõ condemnat. Nemo tamen existimet eum hos milites approbare, qui absq; ordinaria uocatione familiam suam, uxorem & liberos derelinquũt, & laboris tædio ad militiam proficiscuntur, ei principi seruientes, non qui iustam habet bellandi causam, sed qui militibus liberalius dat stipendium. Hos ignauos ne bulones quis non improbaret? non certe hoc nomine q militiam sectantur, (militia enim per se non est impium uitæ genus) sed q suam uocationem ex ignauia derelinquunt, & aliam illegitime ac impie sectantur. An non & magistratus honestũ uitæ genus est? Attamen qui derelicta uocatione sua magistratum illegitime usurpat, inique agit, quanto magis inique agit, qui neglectis uxore & liberis, militiã sine iusta uocatione sectatur. Quid ergo? Num quia Ioannes militibus hæc pauca tantũ præscribit, ut neminem concutiant, neminem calumnientur, & contenti sint stipẽdiis suis, nihil aliud ab ipsis ad faciẽdos dignos pœnitentiæ fructus requirit? Ergò ne licebit ipsis, blasphema uerba in Deum & homines proiicere, ebrietati studere, scortari, & id genus alia scelera designare? Absit. Ioannes enim non docet in hoc loco, quid milites generaliter & in uniuersum præstare debeant: Hoc enim antea ex generalibus præceptis satis notum erat, sed docet, quid proprie & specialiter à militibus præstandum sit, quo in ordine suo honestam uitam ducant. Nam ea tempestate milites in hoc præcipue peccabant, q non contenti suis stipendiis, prouinciales aut per uim opprimebant, aut per calumnias coram præsidibus accusabant nunc seditionis, nunc criminis læsæ maiestatis imperatoriæ, nunc alterius sceleris, ut proscriptis opulentis prouincialibus liceret ipsis in opes illorum grassari, & multas diuitias congregare. Docet igitur ipsos Ioannes, ut si uelint in ordine suo honestam uitam ducere, & dignos pœnitentiæ fructus facere, necesse habeant contenti esse suis stipendiis, ac neminem ex prouincialibus (non enim de hostibus hic fit sermo, quos cum liceat occidere, licet etiam è legitimo ducis permissu spoliare) aut amicis uel calumniis ac falsis delationibus, uel iniqua uiolentia opprimere, & opes eorum diripere. Nec quic q̃ noui docet Ioannes, sed interpretatur ueterem legem, quæ est: Non fureris. Furtum enim est & rapina, quicquid alicui aut per iniquã uiolentiam, aut per sycophancias & calumnias aufertur. Nullum autem furtum, nulla rapina diuitias auget, sed potius minuit, quemadmodum in superiori homilia demonstrauimus. Quæ igitur dementia te cœpit, q cum cupias diuitias tuas augere, operam des calumniis & rapinis? Sed age, quia uideo te augendarum opum admodum cupidum esse, ostendam tibi ueram, adeoq; certissimam eius rei rationẽ. Etenim, si uis opes tuas augere, non hac ratione augebis, si multas diuitias dolis, impostu ris, nugis, sycophanciis, furto aut rapina congregaueris, sed si ex opibus tuis multa egenis distribueris. Hanc enim esse ueram congregandarum diuitiarum rationẽ ipsemet spiritus sanctus, qui mentiri nescit, in scriptura testatur: Si audieris, inquit, uocẽ Domini Dei tui, benedictus eris in agro, benedictus fructus terræ tuæ, fructusq; iumentorũ tuorum, greges armentorum tuorum, & caulæ ouium tuarum, benedicta sporta tua, & benedictæ reliquiæ tuæ. Iam inter uocẽs Dei hæc non minima est, qua iubemur indigentibus benefacere. Proinde qui diuitiis suis egenum iuuat, tantum abest ut minuat eas, ut potius benedictionem, hoc est, incrementum & aug-

Milites ad bellum nõ uocati.

Diuitiarum augendarum uera ratio.

mentum omnium suarum facultatum cõsequatur. Et iterum: Anno, inquit, tertio separabis aliam decimam ex omnibus quæ nascuntur tibi eodem anno, & repones intra portas tuas, uenietq; Leuites, qui non habet partem nec hæreditatem tecum, & peregrinus ac pupillus & uidua, qui intra portas tuas sunt, & comedent & saturabuntur. Audiisti quid elargiẽdum sit his, quos iubet Dominus nutrire, audi nunc quid hanc largitionem sequatur: Vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in cunctis operibus manuum tuarum quæ feceris. Vide, q̃ diuersa sunt iudicia carnis & spiritus. Caro putat opes minui, si ex ipsis multa egenis distribuas, spiritus autem pronunciat eas benedici & augeri. Cui ergo plus fidei adhibebis? certe nõ carni sed spiritui sancto credendum est. Huic conuenit quod in Mose sequitur: Aperies manum tuam fratri pauperi, & dabis mutuum quo eum indigere perspexeris. Quod si hoc feceris, quid fiet? num opes tuæ minuentur? Nequaq̃, sed augebunt potius. Nam ideo, inquit, benedicet tibi Dominus Deus tuus in omni opere, & in cunctis ad quæ manũ miseris. Et rursus: Quando messueris segetẽ in agro tuo, & oblitus manipulum reliqueris, non reuerteris ut tollas illum, sed aduenam & pupillum & uiduam auferre patieris. Quod si hunc aduenæ, pupillo & uiduæ auferendum reliqueris, nũquid decedet tibi? Minime, sed potius accedet. Additur enim: Vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere manuũ tuarũ. Sed de hac re audiamus quoq; Salomonem. Is enim sic ait: Quidam largiuntur & ditescunt, quidam parci sunt, tametsi habeant magnas opes, tamen fiunt pauperiores. Qui enim liberaliter benedicit, impinguatur, qui inebriat, inebriatur. Quid potuisset manifestius dici, quòd nõ congregatio opum per imposturas & rapinas, sed dispensatio opum iuxta uocationem Dei diuites reddat? Qui liberaliter benedicit, hoc est, liberaliter egenos adiuuat, impinguatur. Qui inebriat, inebriatur. Non cõmendatur crassa illa uini ebrietas, non laudantur beluinæ istæ potationes hominum ebriosorum, sed his uerbis significatur, idem in distribuendis opibus egeno, benedicẽte Deo, iuste fieri, quod in compotatiõibus ebriosorum instigante Satana iniuste fit. In his enim compotationibus, qui alterum studet inebriare, is tandem seipsum ita inebriat, ut neq; manus neq; pedes eius officium suum faciant, ita qui in adiuuando egeno suas diuitias iuxta uocationem Dei exponit, & inopem opulentum reddere conatur, is multo magis seipsum opulentum reddit. Huc accedit quod Christus ait: Date, & dabitur uobis. Et iterum Salomon: Qui dat pauperi nõ indigebit. Ac rursus: Fœnerat Domino qui largitur pauperi. Sensus carnis iudicat eum tandem in egestatem uenturum, qui suas opes aliis largitur. Sensus autem spiritus pronunciat, eum qui iuxta præceptum Dei pauperi largitur, non solum non uenturum in egestatem, sed etiã fœnerare Dño. In fœnore, crediti numi subinde alios atq; alios pariũt, & redeũt cũ magno augmẽto ad dominum suum, ita illæ opes quæ distribuuntur pauperibus, maximas opes ultra sortem apud Dominum Deum nostrum pariunt, tantũ abest ut sors ad dispensatorem non redeat. Qui sementem, inquit Paulus, facit parce, is parce messurus est. Et qui sementem facit libenter ac benigne largiendo, copiose messurus est. Quid maiori fœnore ad dominum suum redit, quàm semen iactum in agrum bene cultum? Alterum semen, inquit Christus, fert fructum trigecuplum, alterum sexagecuplum, alterum centuplum. Paulus autem hoc dicto suo affirmat pauperes, agrum, & eleemosynam, quæ pauperibus datur, semen esse. Quanto igiẽ cum fœnore semen in agrum dispersum ad agricolam redit, tanto etiam ac multo maiori fœnore, id quod pauperibus datum est, ad datorem reuertitur. Habes uerã augendarum opum rationem. Reliquum igitur est, ut, siquidem omnes cupiunt opes suas

Opum abundantia unde?

Ebrioſi & diuites conferũtur.

opes suas augere, hanc rationem quisq; sectetur, facilis sit ad imparciendum, ac libenter communicet, ut sit diues bonis operibus, & recondens sibiipsi fundamentum bonum in posterum, apprehendat æternam uitã per Iesum Christũ Dominũ nostrũ, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus laudãdus in secula Amen.

HOMILIA XXIX.



EXplicuimus conciones, quas Ioannes de singulis hominũ ordinibus habuit. Audiamus nunc, quam opinionem homines de Ioanne ex doctrina & sanctitate uitæ eius conceperunt. Expectante, inquit Lucas, populo & cogitantibus omnibus in cordibus suis de Ioanne, num ipse esset ille Christus, respondit Ioannes dicens uniuersis: Ego quidẽ in aqua baptizo uos, sed ueniet fortior me, cuius non sum dignus soluere corrigiã calceamentorum, ipse uos baptizabit spiritu sancto & igni. Primum hic mihi uide, quid iis accidere soleat, qui publicum administrant officium. Etenim quemadmodum hi qui domum in publica platea ædificant, necesse habent multos ædificandi magistros, ac, ut ita loquar, dictatores ferre, ita qui publico aliquo munere funguntur necesse habent hominum sermo esse & ab hominibus uarie iudicari. Vnde cum Iesus Christus suo munere fungeretur, uide obsecro, quàm uariæ hominum opiniones de ipso ferebant. Alii iudicabant ipsum hominẽ edacẽ, uini potorẽ, amicũ publicanorũ & peccatorũ, alii sentiebãt Ioannẽ Baptistã esse, ante quidẽ ab Herode trucidatũ, nunc autẽ à morte resuscitatũ, alii Eliã, alii Ieremiã, aut unũ de numero prophetarũ, paucissimi credebãt ipsum esse ueŗ Messiã. Quod Christo accidit, idẽ etiã Ioanni præcursori Christi accidisse uidemus. Nã aliàs Pharisæi & legis periti iudicauerũt ipsum habere dæmoniũ, quemadmodũ Lucas capite septimo scribit. Hic autem indicat, q̃ ab omni pene populo habitus sit Messias seu Christus. Cũ igit̃ publico ministro necesse sit uaria hominum iudicia subire, summã det operam ut munus suũ pia prudẽtia, & prudenti pietate administret, ne in probrũ & laqueũ calũniatoris incidat. Nemo quidẽ cauere potest, ne traducatur calumniis, sed hoc caueri & potest & debet, ne quid ueri criminis obiiciatur. Deinde obserua quàm nullam mediocritatẽ humanũ in geniũ, in iudicando de sanctis Dei, seruare sciat. Aut nimiũ ad dextrã, aut nimiũ ad sinistram declinat, aut altius sanctos extollit, aut humilius deprimit. Vnde Iudæi nunc Ioannẽ tanq̃ dæmoniũ habentẽ traducunt, nũc tanq̃ Messiã adorãt. Sic & Iesum Christũ modo quærũt ad creandũ ipsum regem, modo ad malã crucẽ uocãtes clamant, crucifige, crucifige eũ. Sic Lycaones Paulũ ad ipsos uenientẽ excipiũt tanq̃ Deũ, paulopost lapidãt ipsum tanq̃ cacodæmonẽ, quẽadmodũ in Actis Apostolicis capite decimoquarto scribit. Sic & Melitenses, de quibus similiter in Actis Apostolicis capite uicesimo octauo scriptũ est, iudicant Paulũ initio homicidã, mox mutata mente dicebãt eum esse Deũ. Quid his iudiciis immoderatius? Agnoscamus igit̃ hoc humani nostri ingenii uitiũ, & si quid uel in rebus diuinis uel in rebus ciuilibus iudicandũ est, nihil temere pronũciemus, sed tũ demũ de rebus statuamus, si prius in consiliũ adhibuerimus uerbũ Dñi, & prudentes ac bene deliberatas rationes. Sed ut redeamus ad Ioannẽ, non tantũ Lucas in hoc loco uerumetiam Ioannes Euangelista capite primo testatur ipsum pro Messia seu Christo inter Iudæos habitum fuisse. Miserunt enim Iudæi ab Hierosolymis sacerdotes & Leuitas, ut interrogarẽt eum, quis esset. Qua certe legatione

Iudicia hominũ de publicis doctoribus uaria.

Iudicia hominum raro mediocria.

Ioannes habitus Messias.

signi.ficarunt Iudæi, se ipsi offerre, si agnoscere uelit, maiestatẽ Messiæ, & si consentiat, e publico decreto mãdaturos, ut omnes ipsum tanq̃ Messiã uenerentur & adorẽt. Vnde Christus exprobrat eis hoc cõsilium, & ait: Vos misistis ad Ioannẽ, & is testimoniũ reddidit ueritati. Ille erat lucerna ardens & lucens, uos autẽ uoluistis ad tẽpus exultare in luce eius. Cæterꝫ, q̃ Ioannes pro uero Messia reputatus sit, noua quidem opinio est, sed quæ à ueteri adeoq; omnibus humanis ingeniis agnato errore originem suam ducit. Hoc cũ ingenio homines natura affecti sunt, q̃ quicquid appareat iustũ, sanctum, & diuinum, ei honorem & maiestatẽ Messiæ tribuant. Quod ut paulo melius intelligamus, primũ explicabimus paucis quæ sit maiestas Messiæ, deinde ostendemus exẽplis, quibus rebus uanitas hominum maiestatẽ Messiæ tribuerit. Prophetæ igitur uerum Messiã ita describunt, q̃ sit perpetuus rex, & sempiternus sacerdos, q̃ expiet peccata nostra, & placet iram Dei patris, q̃ omnes credentes in ipsum benedicant, & iusti propter ipsum in iudicio Dei reputentur, atq; adeo q̃ omnes in ipsum credentes salutem & sempiternã fœlicitatem propter ipsum consequantur. Maiestas ergo Messiæ est, q̃ sit expiatio, satisfactio, recõciliatio, benedictio, & ut Paulus ait, iusticia, sanctificatio, & redemptio nostra. Iurauit Dominus, inquit Dauid, & non pœnitebit eum, tu es sacerdos inæternum, secundũ ordinem Melchisedec. Si Messias seu Christus est sacerdos inæternũ, profecto agit etiã id quod est sacerdotis, hoc est, offert pro peccatis nostris, placat patrem qui est in cœlis, & interpellat pro nobis. Et Esaias: Correctio, inquit, super eum, ut nos habeamus pacem. Liuore eius sanati sumus. Ac mox: Noticia sui seruus meus iustus multos iustificabit. ipse enim portat iniquitates eorum. Et iterum: Spiritus Domini super me, eo q̃ unxerit me, ad prædicandum humilibus misit me, ut mederer contritis corde, ut prædicarem captiuis liberationem & clausis apertionem, ut prædicarem annũ placabilem Domino, & diem ultionis Deo nostro. Ex his & multis aliis prophetarꝫ testimoniis, quæ non est necessarium nunc cõmemorare, perspicue declaratur, hunc esse honorem & maiestatem Messiæ, q̃ impetret his qui credunt in ipsum remissionem peccatorꝫ, & reddat eis placatum patrem, & efficiat ut reputentur in conspectu Dei iusti, per fidem, non propter ulla operum merita, sed tantum propter ipsum, ac perpetuam salutem assequantur. Quare cuicunq; uel homini uel uirtuti uel operi hoc tribueris, q̃ habeas propter ipsum placatum Deum, remissionem peccatorũ, iusticiam, & salutem, huic profecto tribuis honorem & maiestatem Messiæ. Itaq; gẽtes, cũ uidissent sanctos patriarchas Deo sacrificare, & apparerẽt sacrificia in oculis ipsorũ opera sancta & diuina, senserunt ea sacrificia esse satisfactiones pro peccatis & expiationes iræ cœlestis, ac merita fœlicitatis. Hoc aũt quid aliud est, quàm honorem Messiæ debitum sacrificiis adscribere? Similiter Iudæi, cũ audirent Mosen lege sua, bona & sancta opera præcipientem, existimarunt ea opera ab hominibus facta placare Deum, satisfacere pro peccatis, iustificare hominẽ, & mereri uitam æternam. An non & hoc est maiestatẽ Messiæ in opera legis transferre? Ad hunc catalogum pertinent etiã philosophi, qui de uirtutibus docuerunt. Hi cum perspicerent uirtutes esse res honstas & utiles, putarunt, q̃ meritis harum Deus reconcilietur hominibus, & largiatur eis propter uirtutes fœlicitatem. Huc accedunt & hypocritæ inter Christianos. Nam cum hi audirent cõmendari preces, ieiunia, eleemosynam, cœnam dominicam, beatam Mariam uirginem, & alios sanctos, item castitatem, obedientiam, paupertatem, & multa id genus alia, tribuerunt his rebus merita iusticiæ & salutis, & reputauerunt se ex opere operato precũ, ieiuniorum, eleemosynarum ac missarum iustos, fecerunt q̃ è beata Maria uirgine & aliis san-

Messiæ maiestas.

Messiæ maiestas in quas res collata sit.

& aliis sanctis mediatores & placatores iræ Dei, postremo nihil non fœlicitatis sibi propter ficticiã suam castitatẽ, obedientiam & paupertatẽ polliciti sunt. Hoc quid, obsecro, aliud est, q̃ maiestatẽ Messiæ in tot res distribuere, quot pro meritis iusticiæ ac salutis reputant? In summa, unus omniũ hominũ error est, ꝙ quem hominẽ audiant sanctum, quam uirtutẽ uideant honestã, quod opus iudicent iustum, ei tribuant honorem Messiæ, uidelicet, quòd propter ipsum pareẽ fauor Dei, iusticia & salus. Atq; adeo hoc uno errore cõtinentur omnes falsæ religiones gentiũ, hypocritarum Iudaicoꝝ, Pharisæorũ, philosophorũ, papistarum, monachorũ, Turcarũ, & omnium aliorum impiorũ, quæ religiones & si uariis nominibus, cultibus & sacris inter se diuersæ sunt, tamen in hac impietate omnes summatim cõueniunt, ꝙ operibus, uirtutibus, sacris, cultibus & meritis ipsorum adscribant honorẽ ac maiestatem Messiæ, nimirũ existimantes sua opera, uirtutes, sacra, & cultus esse expiationes pro peccatis, placationes Dei, & merita perpetuæ salutis. Vnde & Iudæi, cum uiderent Ioannẽ uirum sanctissimũ, & audirent sanctissima docentem, obtulerunt ei honorem Messiæ, & existimarũt eum ipsum esse propter quẽ sint habituri propiciũ Deum, & liberationẽ ab omnibus malis. Porro autẽ maiestas ueri Messiæ ad nullum aliũ hominem, ad nullã aliam uirtutem, ad nullum aliud opus pertinet, quã ad semen mulieris, de quo Adamo prædicatũ est, ad semen Abraæ, quod patriarchis promissum est, ad filium Dauidis, Iesum Christũ Dominũ nostrum, ab æterno à patre uerũ Deum genitum, in nouissimis autem temporibus ex muliere uerũ hominem natũ. Ad hunc, in quam, solũ, & ad passionem ac sacrificiũ eius, quod pro nobis in cruce obtulit, pertinet clarissimus honor & illustrissima illa maiestas Messiæ, quòd propter ipsum per fidẽ habeamus propicium patrem, remissionẽ peccatorũ, iusticiã, & redemptionẽ. Omnes enim alii homines sunt mendaces, sunt peccatores, & natura filii iræ, omnes quoq; hominũ uirtutes sunt in conspectu Dei impuræ, omnia opera eorum sunt in iudicio Dei aut impia, aut ad minus imperfecta. Solus hic Iesus Christus, sub Augusto homo factus, sub Põtio Pilato passus, tantæ est sanctitatis, ut peccatum non fecerit, nec inuentus sit dolus in ore eius. Solum eius sacrificium tantæ puritatis est, ut constiterit in iudicio Dei, & expiauerit omniũ eorum peccata, qui in ipsum confidunt. Quare qui hunc honorem Messiæ transferunt uel in alium hominem, quantumuis sanctum, uel in aliam uirtutem, quãtumuis honestam, uel in aliud opus quantumuis diuinum, q̃ in hunc Iesum Christum, & sacrificium eius semel pro nobis in cruce oblatũ, hi maiestatẽ Messiæ prophanant, filium Dei de sede maiestatis suæ, quantum in ipsis est, deiiciunt, alienos Deos statuunt & adorant. Sed ut ad propositum reuertamur, quid fit? Num Ioannes oblatã sibi maiestatem Messiæ agnoscit? Nihil profecto minus. Ingenue eñ confessus est, (ut ait Euangelista Ioannes) dicens: Non sum ego Christus. Et postea: Vos misistis ad Ioannem, & is testimonium reddidit ueritati. O pium & fidelem seruum Christi Ioannẽ, qui cum potuisset ab omnibus haberi Christus, maluit in Domino suo apud populum contemptus, quàm in populo aduersus Dominum suum gloriosus esse. O impios & infideles seruos Christi monachos & hypocritas, quibus cum hactenus à uulgo honor Messiæ oblatus sit, non solum agnouerint eum, uerumetiam quasi iure quodam postulauerint. Bona uerba, inquies, ubi monachi postulauerũt se pro Messia adorari? Rogas? An obscurum est, quid de meritis operum suorum prædicauerint? Excidit ne, ꝙ uendiderint hominibus merita omnium operũ suorum, quæ fiebant, ut ipsi ioquuntur, in toto suo ordine, & ꝙ receperint homines in fraternitates suas, ut habeant cõmunionem omnium missarum, & horarum

Messiæ maiestas ad quẽ solũ pertineat.

Monachorum impietas.

canonicarum, ac aliorum operum, propter quæ conſequantur remiſsionem peccatorum, ac uitam æternam? Hæc certe nemini ueterum ſuperſticionum gnaro obſcura ſunt. Prædicare autem merita operum, & ea hominibus uendere, ut propter illa habeant remiſsionem peccatorum & fœlicitatem, nihil aliud eſt quàm honorem Meſsiæ ſibi arrogare, & ſe pro Meſsia uendere. Quid ergo his monaſticis fraternitatibus magis impium, ac in uerum Meſsiam magis blaſphemum excogitari poteſt? Sed quo hypocritæ illi Domino ſuo Chriſto infideliores ſunt, hoc fideliorem fuit Ioannes Baptiſta. Non ſolum enim nō poſtulauit haberi Meſsias, uerūetiam honorem Meſsiæ ab hominibus oblatum, manibus ac pedibus, ut dicitur, recuſauit. Non ſum, inquiens, ego Chriſtus. Quis ergo es, aut cur baptizas? Ego quidem, inquit, baptizo uos in aqua, ſed ueniet fortior me, cuius non ſum dignus ſoluere corrigiam calceamentorū, ipſe uos baptizabit ſpiritu ſancto & igni. Ergò ne baptiſmus Ioannis nō eſt baptiſmus ſpiritus ſancti? Quomodo igitur dictum eſt, Ioannem primum fuiſſe Chriſtiani baptiſmi (qui certe baptiſmus ſpiritus eſt) miniſtrum? Oſtēdimus ſupra perſpicuis argumentis, quòd baptiſmus Ioannis, idem ille baptiſmus ſit, quo poſtea Apoſtoli mādato Chriſti populum baptizarunt. Itaq; Ioannes hoc ſuo reſpōnſo non negat ſpiritum ſanctum dari per baptiſmum aquæ. Baptizat enī in remiſsionem peccatorū. Non poteſt autem contingere remiſsio peccatorum, niſi per ſpiritum ſanctum. Sed ſignificat ſe tantum ſeruum ſpiritus, & non Dominū ſpiritus eſſe, & teſtatur, ſe tātum miniſtrum, non autem magiſtrum ſpiritus eſſe, ac habere quidem in manu ſua aquam, per quam datur ſpiritus ſanctus, ſed non habere in manu ſua ſpiritum qui datur. Hic enim conſtat tantum in manu & poteſtate Chriſti. Ego, inquit, baptizo uos in aqua, quod quid aliud eſt, quàm illud: Ego habeo externum miniſterium, alius autē, qui poſt me reuelabitur, Ieſus Chriſtus habet internum & uerum magiſterium. Ego ſeruus ſum, qui autem uenit poſt me, Dominus eſt. Ego uox ſum Meſsiæ, Ieſus autē, qui mox manifeſtabitur, ipſe eſt uerus Meſsias. Qui uero negat ſe magiſtrum ac dominum ſpiritus ac Meſsiam, num negat ſe etiam ſeruum ac miniſtrum ſpiritus & Meſsiæ? Finge regem quendam ciuilem habere fidelem officialem, qui ex mandato regis ius dicat, & ſubditos prudenter aciuſte regat. Accidit autem, ut ſubditi ob iuſticiam & prudentiam officialis deferant ei honorem regiæ maieſtatis, & appellent ipſum Regem, ipſe uero hunc honorē minime agnoſcat, ſed reſpōdeat: Ego quidem dico uobis ius, & adminiſtro rempub. ueſtram, alius autem eſt multo me potentior & prudentior, cuius ego autoritate facio quicquid facio, hunc regem ueſtrum agnoſcite, hunc dominum ueſtrum obſeruate. Num officialis hoc ſuo reſponſo negaret ſe habere officium & miniſterium regis, aut id in adminiſtratione reipub. agere quod rex agit? Minime uero negaret, ſed tantum ſignificaret, ſe non ipſam regis perſonam eſſe, nec ipſam regis maieſtatem habere, cæterum, ſe regis ſeruum & regiorum negociorum miniſtrū eſſe haud quaq; negaret. Sic cum Ioannes his, qui offerunt ipſi maieſtatem Meſsiæ, reſpondet: Ego quidem baptizo uos aqua, ſed ueniet fortior me, qui baptizabit uos ſpiritu ſancto & igni, non negat ſe talem baptiſmum diſtribuere, per quem datur ſpiritus ſanctus, non negat ſe miniſtrum eſſe ſpiritus, ſed negat tantum ſe eſſe magiſtrum & autorem ſpiritus, ſignificans autoritatem & magiſterium ſpiritus ad ſolum Ieſum Chriſtum pertinere, ſe tamen interim Chriſti ſeruum ac miniſtrum eſſe, & plane eū ſpiritum miniſterio ſuo diſtribuere, quem Chriſtus autoritate & magiſterio ſuo diſtribuit. Paulus ad Corinthios ſcribens: Ego, inquit, plantaui, Apollo rigauit, ſed Deus dedit incrementum. Itaq; neq; qui plantat eſt aliquid, neq; qui rigat, ſed qui dat incre

Ioannis modeſtia.

Baptiſmus Ioannis.

Ioannes miniſter ſpiritus. Chriſtus magiſter ſpiritus.

dat incrementum. Num quia Paulus dicit se nihil esse, ideo sentit ministerium suũ non esse, ut ipse aliàs uocat, διακονίαν spiritus? Nihil profecto minus sentit, sed significat se quidẽ, quod ad propriã autoritatem & magisterium attinet, nihil esse, quod autem attinet ad ministerium, se certe multum esse: Etenim Dei, inquit, cooperarii sumus. Et aliàs: Fecit nos idoneos ministros noui testamenti, non literæ sed spiritus. Et iterum: Dedit nobis ministerium reconciliationis. Ac rursus: In Christo Iesu per Euangelion ego genui uos. Et iterum: Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in uobis. Sic etiam cum Ioannes dicit: Ego baptizo uos aqua. Et: Cuius non sum dignus soluere corrigiam calceamentorum, non sentit baptismum suum aquæ non esse ministerium spiritus, nec significat officium suum prorsus uanum, inutile & abiectum esse. Quomodo enim hoc affirmaret is, qui prædicabat Euangelion Iesu Christi, quod est potentia Dei ad salutem omni credenti? Sed confert se cum Christo, & significat, quòd quantum attinet quidem ad maiestatem Messiæ debitam, haud quaq̃ eam agnoscat, quippe qui indignior sit quàm ut debeat Messiæ uel scabellum pedum esse. Neque enim ipse sit, qui satisfaciat pro peccatis hominum, reddat Deum propicium sua iusticia, largiatur spiritum sanctũ sua propria autoritate, & conferat perpetuam salutem. Quantum autem attinet ad ministerium Messiæ debitum, hic certe Ioannes nonnihil est, sed est uox clamãtis in deserto, parate uiam Domini, rectas facite semitas eius. Et ut Christus ait, excellentior est propheta, nec quisquam exortus est inter eos qui nascuntur è mulieribus maior Ioanne. Ac si uultis recipere, ipse est Elias ille, qui conuertit corda patrũ in filios, & inobedientes ad prudentiam iustorum, & parauit Domino plebem perfectam. Quanquam igitur Ioannes non habeat maiestatem Messiæ, habet tamẽ suam quãdam maiestatem, nimirum, quòd sit minister Messiæ, & eius spiritus, cuius Messias autor & magister est. Ac quod de Ioanne dicitur, idem etiam sentiendum est de omnibus sacrificiis & cærimoniis legis, de omnibus operibus bonis à Deo mandatis, & de omnibus uirtutibus moralibus. Hæc enim omnia, non habent quidem maiestatem Christi, & collata ad Christum, indigniora sunt, quàm ut debeãt corrigiam calceamentorum eius soluere, quãdo neq; expiant peccata nostra, neq; placant Deum, neque uincunt mortem, neq; merentur nobis uitam æternam, hæc enim ad solam Christi maiestatem pertinent, habent tamen interim suam quandã maiestatem. Sacrificia legis hoc habent, quòd fuerint ciuiles ciuilium delictorum expiationes, quòd fuerint umbra sacrificii Christi, quod solum est expiatio peccatorum nostrorum in iudicio Dei, & quòd fuerint fidei in Christum tum confirmatio tum protestatio. Bona opera à Deo mandata hanc habent maiestatem, quòd sint fructus fidei, quòd placeant Deo propter fidem, quòd sint gratiarum actio pro beneficiis à Deo acceptis. Virtutes morales hanc habẽt maiestatem, quòd faciant homines honestos, quòd pariant bonam famam inter homines, & adiuuent ciuilem conuersationem. Quare ut nec Ioannes prorsus reiicitur, quòd non sit Messias ipse, sed ministerio eius suus interim honos tribuitur, ita nec bona opera à Deo mandata & uirtutes morales omnino cõdemnare licet, sed sentiendum est, ea à Domino requiri, & factu necessaria esse. Cæterum, quod Ioannes de Christo addit, ipse baptizabit uos spiritu sancto & igni, non alio respicit, quàm in admirandum illud spiritus sancti donum, quod Apostolis in die Pentecostes in nomine Christi collatum est. Scribit enim Lucas in Actis Apostolicis, quòd cum complerentur dies Pentecostes, & omnes discipuli unanimiter in eodem loco cõgregati essent, factus sit repente sonitus de cœlo, & uisæ sint illis dissectæ linguæ uelut igneæ, sederitque

Paulus & nihil & non nihil est.

Ioannes nihil & non nihil est.

Bona opera & nihil & nõ nihil sunt.

Baptismus ignis.

super singulos eorum, ac repleti sint omnes spiritu sancto. Et quæ dona spiritus sanctus secum adduxerit, additur: Cœperunt loqui aliis linguis, prout spiritus dabat eloqui illis. De admirabili igitur horum donorum missione, in die Pentecostes facta, prophetat nunc Ioannes, & confert eam suo baptismo dicēs: Ego quidem baptizo uos aqua, hoc est, baptismus meus nullo admirabili signo, sed tantum aqua è proximo fluuio sumpta, uobis exhibetur, nec ullis stupendis miraculis à me confirmatur, (Ioannes enim, quemadmodum Euangelista inquit, nullum fecit signum) Christus autem, qui post me uenit, baptizabit discipulos suos in die Pentecostes, non aqua è fluuio sumpta, sed igni de cœlo misso (uisæ enim sunt illis dissectæ linguæ uelut igneæ, sedentes super singulos eorum) & donabit eos admirandis donis spiritus sancti, ita ut omnes, quotquot ea uiderint & audierint, mirum in modum obstupescant. Sed ad quid Christus discipulos suos sic baptizabit? num ut significet omnes in ipsum credentes sic baptizandos esse usq; ad nouissimum orbis diem? Nihil profecto minus. Etsi enim quidam alii, tam inter Iudæos quàm Samaritanos & gentes, post diem Pentecostes igni admirabiliter de cœlo descendenti, & donis spiritus sancti baptizati sint, tamen postquam autoritas Euangelii satis cōfirmata fuit, baptismus iste ignis & admirandorum donorum spiritus sancti desiit. Num fortasis, ut significet spiritum sanctum, ac ea dona spiritus quæ ad salutem necessaria sunt, per baptismum aquæ non conferri? Nec id quidem uult sibi baptismus ignis, sed potius diuersum. Voluit enim Christus eo baptismo, quē in die Pēteco stes & postea aliquoties in discipulos effudit, testari, primū, q; ipse uerus sit Messias seu CHristus, qui in manu sua habeat spiritum sanctū. Nisi enim ipse haberet spiritū sanctū in potestate sua, quomodo posset eum in nomine & autoritate sua discipulis suis distribuere? Cū igitur Ioannes Christū confiteret, apte admodū producit baptismum ignis in die Pentecostes effundendū, ut significaret Christū eo potissimū miraculo testatum, q; sit Christus, & quòd maiestas Christi ad ipsum solū pertineat. Deinde effudit CHRISTVS etiam hac de causa spiritum sanctum in die Pentecostes, ut hoc miraculo confirmaret baptismum aquæ & ministerium Euangelii per Apostolos prædicati esse uere ministerium spiritus, nimirum non solum à spiritu sancto institutum, sed etiam organon quo spiritus sanctus auditoribus confertur. Externa enim miracula CHRISTI nihil aliud sunt, quàm publica testimonia & sigilla autoritatis Euangelii, quæ est, quod Euangelion (quemadmodum Paulus ait) sit potētia Dei ad salutem omni credenti. Hoc autem miraculum, quo CHRISTVS dona spiritus sancti in die Pentecostes admirabiliter in discipulos effudit, est miraculum longe omnium maximum & clarissimum. Itaque tantum abest, ut probet externum baptismum aquæ & ministerium Euangelii non esse ministerium spiritus, ut potius plane diuersum confirmet ac testificetur, uidelicet, quòd baptismus aquæ & ministerium Euangelii sint illa ipsa organa, quæ CHRISTVS ordinauit, ut per ea spiritus sanctus & dona eius ad salutem necessaria distribuerentur. Vnde & Paulus ait: Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis ac renouationis spiritus sancti, quē effudit in nos opulente per Iesum Christū saluatorem nostrum, ut iustificati illius gratia hæredes efficeremur iuxta spem uitæ æternæ. Audin Paulum affirmare quòd per baptismum regeneremur & renouemur? Regeneratio autem & renouatio sunt opera spiritus sancti. Quare necesse est, quòd per baptismum aquæ spiritus sanctus nobis communicetur. Si autē hæc ita se habent, quid est, quod in Actis Apostolicis capite decimo nono

Ignis baptismus quid sibi uelit.

Miracula Christi.

scribit

scribitur, quosdam baptizatos baptismate Ioannis, quod plane idem est cum baptismate Apostolorum, non accepisse spiritum sanctum? Paulus enim repertis in Epheso quibusdam discipulis dixit ad eos: Num spiritum sanctũ accepistis postea quam credidistis? Illi autem dixerũt ad eum: Imo neq; sit ne spiritus sanctus audiuimus. Et ait ad illos: Quo ergo baptizati estis? At illi dixerunt. Ioannis baptismate. Ex hoc loco apparet fortasis quibusdam, quòd per baptismum aquæ, quẽ Ioannes inchoauit, & ministri ecclesiæ nunc distribuunt, spiritus sanctus non conferatur. Sed obseruandum est, quòd in hoc loco spiritus sanctus non intelligat de cõmunibus donis spiritus sancti, quæ ad salutẽ necessaria sunt. Quomodo enim hũc spiritum sanctum ignorarent, quibus cognitum erat, quòd Dauid orauerit in psalmo: Spiritum sanctum tuum ne auferas à me? Aut quomodo non haberent dona spiritus sancti ad salutem necessaria, qui erant discipuli Euangelii, & credebant in Christum? Sed sentiendum est, quòd intelligatur de admirandis illis donis spiritus sancti, quæ in die Pentecostes baptismo ignis distributa sunt. Et quod additur: His auditis baptizati sunt in nomine Domine Iesu, non intelligendum est, quòd iterum baptizati sunt baptismo aquæ, quo antea per Ioanem baptizati fuerant, sed quod baptizati sint baptismo ignis, qui in die Pentecostes in nomine Iesu Christi effusus est. Vnde & sequit: Cum imposuisset illis manus Paulus, uenit spiritus sanctus super eos, & loquebantur linguis & prophetabant. Quanquam igitur hi Ephesii discipuli erant baptizati baptismo aquæ, eodem plane quo & nos à ministris ecclesiæ baptisati sumus, tamen non erant baptizati baptismo ignis, nec acceperant admiranda illa linguarum dona, quemadmodum nec nos ea accepimus. Quid ergo? num propterea non acceperant per baptismum aquæ cõmunia dona spiritus sancti ad salutem necessaria? Profecto acceperant, sicut & nos accipimss. Erant enim baptizati in remissionem peccatorum, & credebant in Christum, quem Ioannes annunciauerat. Qui autem accipit per baptismum remissionem, & credit in Christum, quid? an non habet spiritum sanctum? an non habet dona spiritus sancti ad salutem necessaria? Certe nemo tantæ est impudentiæ, qui hoc negare audebit. Quare omnino sentiendum est, q̃ cum Ioannes dicat: Ego quidẽ baptizo uos aqua, sed ueniet fortior me qui baptizabit uos igni & spiritu saneo, maiestatẽ Christi ita à se reiiciat, ut tamen interim non abneget ueritatem ministerii sui, quæ est, quòd etsi nemini conferat spiritum sanctum, seu dona spiritus sancti ad salutem necessaria, sua ipsius autoritate, potestate ac migisterio, hoc. n. ad solũ Iesum Christũ pertinet, qui & hanc suã autoritatẽ baptismo ignis & admirandoꝝ spũs donoꝝ cõprobauit, conferat tamen ea suo ministerio, ad hoc diuinitus ordinato, ut conuertat corda patrum in filios, inobedientes ad prudentiam iustorum, & paret Domino plebem perfectam. Sed ut Ioannes maiestatem Messiæ, quam à se in in aliũ, uidelicet Iesum Christum, reiiciebat, magis perspicue explicaret, addit. Cuius uentilabrum in manu ipsius, & purgabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem cõburet igni inextinguibili. Hæc est metaphora à rusticanquidem tritura tione sumpta, sed qua dilucide nobis ob oculos depingitur maiestas regni Christi. Nam uentilabrũ est publica prædicatio Euangelii, quam Dñs Deus noster instituit primum in Ioanne, deinde cõfirmauit in Apostolis, quos in oẽm orbem terrarum emisit. Area aũt est nõ unus aliquis regionis angulus, sed totus terrarum orbis. Porro, triticum, sunt hi qui credunt Euangelio. Horreũ est cœlum, uita æterna & perpetua fœlicitas. Paleæ autem sunt impii & increduli. Ignis

Ephesii baptizati Ioannis baptismo.

Ventilabrum. Area. Triticum. Paleæ

uero inextinguibilis est perpetua damnatio. Igitur, quemadmodum agricola quispiam post triturationem frumentorum suorum accipit in manus suas instrumentum, quo frumenta proiiciendo aut concutiendo purgantur, quod uentilabrum uocant, & separat in area triticum à paleis, ac triticum quidem cõuehit in horreum suum, paleas aũt uel cõburit igni, uel proiicit ut conculcent, ita Iesus Christus, quẽ Ioannes prædicat, accepit in manũ suã prædicationẽ Euangelii, ac ita post passionẽ suam, quæ est ueluti trituratio, misso spiritu sancto cõfirmauit, ut etiã portæ inferi nõ possint aduersus eam prævalere. Quanq; enim cõmendauerit eam primũ quidem Ioanni, deinde aũt Apostolis, & ministris ecclesiæ, qui Apostolos sequunt, tamen interim sub horũ ministerio, semper potestate spiritus sui præsto adest, (Dixit enim, ecce ego uobiscũ sum oĩbus diebus usq; ad consummationẽ seculi) ac per hos prædicat Euangelion toti orbi terrarũ, & auditores Euangelii quodammodo uentilat, ut boni à malis separent. Qui ergo credunt Euangelio, hi tanquã bonũ triticum congregant in horreum æternæ fœlicitatis, qui aũt non credunt, hi tanquã paleæ abiiciunt in ignẽ perpetuæ damnationis. Sic enim ait Christus ad Apostolos suos: Ite in mundũ uniuersum, & prædicate Euangelion omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit, qui uero nõ crediderit, condemnabit. Quæ cum ita se habeant, reliquũ est, ut agamus pœnitentiã, & credamus Euangelio de Iesu Christo, q̃ propter hunc solum habeamus remissionẽ pct̃orũ, & propiciũ patrẽ in cœlis. Sic enim efficiemur per fidem bonum triticũ Christi, & conuehemur in horreum sempiternæ fœlicitatis per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est unà cum Patre & spiritu sancto Deus laudandus in secula Amen.

HOMILIA XXX.

CHristus Iesus apud Matthæũ de Ioanne Baptista turbis Ioquẽs: Quid existis, inquit, in desertũ, ut uideretis? Nũ arundinẽ quæ agitat à uẽto? Age q̃d existis, ut uideretis? Num hominẽ mollibus uestibus amictũ? Ecce qui mollia gestant in domibus regũ sunt. Quo sermone significat Christus Ioannẽ maxima animi fortitudine præditũ fuisse, primũ quidẽ, quòd magna cõstantia in testimonio suo, quod Iesu Christo dederat ita perseueraret, ut nulla hoim autoritate, nulla honoris sibi oblati amplitudine perpelli potuerit, quo aut negaret Iesum Christũ, aut sibi maiestatẽ Christi usurparet. Deinde, q̃ posthabita omni adulatiõe, qua aulici regũ sibi fauorẽ demereri student, nõ uulgũ solũ sed etiã principẽ Herodẽ ob scelera sua ingẽti seueritate arguerit, nec potuerit ulla mortis formidine ac tyrãnide eo adduci, ut ad impioꝝ flagicia eõniueret. Cũ igit audiuerimus antea in Ioanne egregiã cõstantiæ uirtutẽ, qua gloriã maiestatis Christi sibi oblatã à se in uerũ Christum testimonio suo trãstulit, audiamus nũc magnanimã eius libertatẽ, qua tam uulgi q̃ principũ pct̃ã pro ratione officii sui reprehẽdit. Dicit enim Lucas. Multa quidẽ & alia exhortãs, euangelizabat populo. Herodes aũt tetrarcha, cũ corriperet ab illo de Herodiade uxore fratris sui, deq; oĩbus malis, q̃ faciebat Herodes, adiecit & hoc sup oĩa, & inclusit Ioanẽ in carcerẽ. Quid.n. inquies? nũ Ioanes p̃ter ea, quæ supra cõmemorata sunt, nihil aliud cõcionatus est? Certe multa quoq; alia docuit, his quidẽ q̃ antea posita sunt nõ aduersa, sed prius cõuenientia. Ac docuit non tantum fructus pœnitẽtiæ, & ciuiles mores, sed etiam ac potissimum euangelizabat populo, & adnunciabat euangelion de Iesu Christo, q̃ propter hunc solũ habeamus remissionẽ pct̃oꝝ per fidem.

Ioannis constantia,

Ioannis concionis.

Habes con

Habes cõciones eius pulcherrimas de Christo apud Euangelistam Ioannẽ capite primo,& capite tercio. Ecce,inquit,agnus ille Dei qui tollit peccatum mundi. Et postea: Pater diligit filium,& omnia dedit illi in manum. Qui credit filio, habet uitã æternã, qui uero nõ credit filio,non uidebit uitã,sed ira Dei manet sup eũ. Ad hæc Ioãnes non concionatus est uulgo tantũ, sed etiam principibus,ac præcipue Herodi tetrarchæ Galilææ,qui cognominatus est Antipas. De hoc enim Marcus ita scribit. Herodes metuebat Ioannẽ,sciens eum uirum iustum ac sanctum,& obseruabat eum,auditoq; eo multa faciebat,& libenter eum audiebat. Sed Ioannes nõ docuit tãtum Herodem fidẽ & fructus fidei,uerumetiã corripuit in eo impietatẽ,uitia & scelera eius,& arguit eũ de Herodiade uxore fratris sui,deq; oĩbus malis quæ faciebat. Dices ergo. Quid? An nõ iubet Dñs principes populi honorare,ac omni obseruãtia colere? Diis,inqt,hoc est,iudicibus & principibus nõ detrahes. Scimus qui dẽ hæc esse p̃cepta Dei,sed qui iussit principes honorare, idẽ etiã iussit p̃dicatorẽ pœnitentiæ peccatores corripere & arguere, ut in peccatorũ agnitionem ducti resipiscãt: Clama (dicitur ad Esaiam) ne cesses,quasi tuba exalta uocẽ tuã,& adnũcia populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum. Et ad Ezechielẽ: Si dicente me ad impium,morte morieris,non adnunciaueris ei,neq; locutus fueris ut auertatur à uia sua impia & uiuat,ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem aũt eius de manu tua requiram. Quare cum concionatores arguunt peccatores,siue principes siue uulgũ(uerbum enim Dñi non respicit personas) non est conuitium sed officium,non est contumelia in maiestatem hoĩm, sed obedientia quæ debet maiestati Dei. Nam principibus quidem,ut principibus,suus debet honor, de quo Paulus ait: Cui honorem,honorem. Vt peccatoribus aũt,nõ potest eis honestior & utilior honor contingere,q̃ si ob peccata corripiantur, ut in peccatorũ agnitionẽ ducantur,& salutem consequantur. Quis enim diceretur honorare hunc, quẽ uideret in aqua submergi,& nollet honoris gratia capillos capitis eius cõprehendere, quo ipsum ex aqua extraheret? Contumelia quidẽ esset,si p̃ter necessitatem temerarias manus in capillos honesti aut principis uiri iniiceres,sed si id in necessitate salutis gratia facias,charitas,beneficiũ,& honor est. Qui aũt in peccata labitur,is certe in profundã aquarũ foueam cadit,& periculũ est ne in abyssum decidat, ac perpetuo pereat. Ostendere uero peccatũ & arguere, quid aliud est, q̃ capillos lapsi apprehendere,& uelle ex aquis seruare? Igitur concionator, qui honoris gratia non uult peccatorẽ arguere, quid aliud agit, quàm q̃ pereuntẽ honoris gratia perdit? Hoc uero nõ est honorare,sed summa iniuria afficere. Esto sane,quòd interdum quem corripis & seruare studes, non intelligat beneficium, sed ut canis uertat sese ac laceret te,nihilominus tamen tua interest uocationi Dei seruire, ac mãdato Dei obedire. Si tu adnũciaueris impio,inqt,& ille nõ fuerit conuersus ab impietate sua, ipse quidem in impietate sua morietur, tu autem animam tuam liberasti. Sed times periculum, ne si potentem arguas,à potente aut proscribaris aut interficiaris. Tanto magis arguendus est, si argui meretur. Nam si periculum times,quod maius est periculum, quàm quod neglectori & cessatori in uocatione DEI contingit? Maledictus, inquit propheta,qui facit opus DOMINI fraudulenter. Et si quisquam timendus est, magis certe DEVS quàm homo timendus est. Ne metuatis uobis, inquit CHRISTVS, ab his qui occidunt corpus,animam autem non possunt occidere, sed metuite magis illum, qui potest & animã & corpus perdere in gehenna. Nunc ergo uide mihi infractũ Ioannis Baptistæ animum aduersus oĩa mortis pericula. Quanq̃ enim exemplis prophetarum

Principes honorandi ut principes, arguendi ut peccatores.

Ecclesiastæ officiũ peccatores corripere.

probe sciebat, eos qui ex officio suo peccata regum ac principum arguerent, ratissi me impune ferre, magna tamen libertate Herodem arguit, multo consultius ratus, Deum q̃ Herodem timere, & uocationi Dei seruire, q̃ principis fauorem adulatione demereri. Sed quæ, inquies, mala illa sunt, propter quæ Ioannes Herodem corripuit? Lucas paucissimis illa perstringit, & tantum obiter meminit. Cum corriperetur, inquiẽs, ab illo de Herodiade uxore fratris sui, deq̃ omnibus malis quæ faciebat. Festinat enim Lucas à Ioanne ad describendum Dominum nostrũ Iesum Christum, propter cuius historiam sibi hunc scribendi laborem potissimum desumpsit. Nos igitur ex aliis tum Euangelistis tum scriptoribus huc, quæ de malis & sceleribus, deq̃ aliis huius Herodis reb⁹ ad propositum nostrum pertinẽtibus uere tradita sunt, adiiciemus. Ac primum, postquam pater Herodis uita defunctus fuerat, & reliquerat in ultimo testamento successorem regni, non hunc Herodem Antipam, de quo nobis nunc est sermo, sed fratrem huius natu maiorem, Archelaum nomine, indignissime id ferẽs Herodes, Romam profectus est ad Cæsarem, & ut à Cæsare maiestatem regiam impetraret, accusauit fratrem suum Archelaum multorum & maximorum criminum, impietatis in templum, latrocinii, crudelitatis, & contemptus Cæsaris. Quòd si fratri suo nõ pepercit, quid, obsecro, flagitiorum non desiguauit uel in subditos suos, uel in alienos? Deinde, cum iterum Romam proficisceretur. diuertit in itinere ad Philippum fratrem suum, qui erat, ut supra dictum est, tetrarcha Ituræ, & Trachonitidis regionis. Is Philippus uxorem habebat nomine Horodiadem. Herodes igitur huius amore captus & à Roma reuersus, abduxit eam secum, fratre adhuc uiuente, & priori sua uxore, Aretæ regis filia, cui legitimo cõnubio iunctus erat, eiecta, Herodiadẽ loco uxoris habuit. Pauca diximus, sed uide quantum nefandissimorũ scelerum examen his paucis comprehenderimus. Primum enim, q̃ Herodes abduxit hospiti suo uxorem, ius hospitii uiolauit, deinde q̃ legitimam suam uxorem, nulla legitima caussa eiecit, ius matrimonii fregit. Adhæc, q̃ iunxit se alienæ uxori, adulterium commisit. Postremo, q̃ uxorem fratris sui adhuc uiuentis sibi copulauit, incæstum designauit. Lex enim in Leuitico capite decimo octauo dicit: Turpitudinem uxoris fratris tui non reuelabis, quia turpitudo fratris tui est. Quodlibet autem horũ criminũ per se satis atrox est, quid ergo sentiendum est de ipsis in unum aceruum accumulatis? Cum igitur Ioannes esset concionator Herodis, & agnosceretur ab ipso uir sanctus & propheta, noluit ad tam nefanda scelera eius conniuere, & silentio suo approbare, sed arguit eum magna libertate, apertis uerbis dicens: Non licet tibi habere uxorem fratris tui, quemadmodum testatur Matthæus capite decimo quarto, & Marcus capite sexto. Quo ergo animo, aut quo consilio obiicit Ioannes Herodi crimina sua? num quia delectatur in commouendis alienis sordibus, id quod est ingenium alienæ famæ detrahentiũ? Nihil profecto minus. Qui cũ detestaba' uicia, & abluebat ministerio baptismi sui peccata, sordibus hominum minime oblectabatur. Num ut hac uia fauorem uulgi sibi pararet? Sed qui reiecerat à se maiestatem Messiæ sibi oblatã, quomodo is fauorem uulgi malis artibus ambiret? Num ut hac occasione seditionem aduersus Herodem commoueret, & subditos eius inobedientes redderet? Sed qui legitimum magistratum approbabat, quomodo is seditionẽ doceret? Arguit igitur Herodem non ut perdat, sed ut seruet ipsum. Erat enim Ioannes prædicator pœnitentiæ. Qui autem prædicat pœnitentiam, reuelat & obiicit peccata sua scelera, ut ipsum ad agnitionem peccatorum ducat, & per hoc ad inquirendam remissionem peccatorum in Christo Iesu adigat, quo ueram iustitiã coram Deo &

Herodis impietas in fratrem.

Herodis adulterium.

Peccatores corripiuntur non ut perdã tur sed ut seruen tur.

Deo & salutem cõsequatur. Nam prædicatio agnitionis peccatorum, prædicatio legis est. Lex autem occidit quidem & damnat homines, non autem damnat eos ut in damnatione retineat, sed ut ad inuestigandum Christum saluatorem cogat. Adhæc correptio prædicatorum pœnitentiæ perinde est ac supplicium, quod De us peccatoribus in hoc seculo inferre solet. Deus autem punit peccatores, non ut perdat eos, sed ut ipsos ad pœnitẽtiam inuitet. Quare cum Ioannes corripiat pro officio suo Herodem, non hoc agit, ut ipsum conuiciis subditorum suorum dilacerandum obiiciat, aut ut eum Satanæ perpetuo tradat, sed potius ut ipsum à conuiciis suorum & à potestate Satanæ liberet, ac ad ueram gloriam & salutem perducat. Quid igitur? num Herodes correptionem Ioannis, eo quo facta est animo accepit & resipuit? Nihil profecto minus. Tantum enim abest ut resipuerit, ut super omnia mala etiam hoc addiderit, & incluserit Ioannem in carcerem. Ac incluſit eum in carcerem, propterea q̃ correptus fuerat ab ipso propter Herodiadem uxorem fratris sui, quemadmodum testantur Euangelistæ. Interim tamen, quo uideretur non iniusta ipsum causſa uinxisse, prætexebat seditionem, quam ex prædicatione Ioannis futuram somniabat. Nam cum uideret maximam hominum multitudinem ad Ioannem confluere, & Ioannis autoritatem plurimi facere, dicebat se uereri, ne populus persuasione doctrinæ eius à se deficiat, & in principaru suo sedicionem moueat. Itaq; consultius esse, præuenire hominem nece priusq̃ noui aliquid moliret, quàm postea turbatis rebus sera pœnitentia duci. Prætextu igitur sedicionis, reuera autem propter hanc causſam, q̃ corripuerat Herodem ob Herodiadẽ, abducitur Ioannes uinctus in castellum Macherunta. Hic mihi nunc grauitatem sceleris Herodis consydera. Etenim non solum peccauit Herodes aduersus legem Dei, abducta à fratre suo Herodiade, uerum etiam noluit in eo peccato argui ac reprehendi. Iam, grauissimum est legem Dei uiolare. Maledictus, inquit, qui nõ permãserit in uerbis legis huius, at multo grauius est in uiolatione legis diuinæ nolle corripi. Nam cum peccatum est aduersus Deum, & si ira Dei peccato excitata, & damnatio merita sit, reliquum tamen adhuc est consilium, quo is qui peccauit, à peccato, ira & damnatione liberari queat, nimirum, si peccatum suum agnoscat, & credat, q̃ habeat remissionem peccatorum, ꝓpter Iesum Christum. Cum ueto quis non solum aduersus Deum peccauit, sed etiam non uult in eo peccato corripi, ac corripientem persequitur, hic iam pene nulla reliqua spes est salutis. Nolle enim in peccato legitime ex uerbo Domini corripi, quid aliud est, quàm non solum peccatum suum non agnoscere, sed etiam uelle ac contendere, ut peccatum suum habeat̃ pro iusticia? Qui uero sciens ac prudens peccatum suum pro iusticia habet, quomodo is unquam ad remissionem peccati per fidem perueniet? Ac ut dicam quod res est, tale peccatum uidetur peccatum esse in spiritum sanctum, pro quo, ut Ioannes ait, non est orandum, & quod, autore Christo, neq; in præsenti neq; in futuro seculo remittetur. Itaq; non potuisset Herodes maius & grauius peccatum designare, quàm q̃ impacientia correptionis Ioannem optime saluti eius consulentem in carcerem coniecerit. Ac Herodes quidem hac uita defunctus est, & iudiciũ suum accepit, sed uiuit adhuc spiritus eius malus in multis non solũ regibus, principibus & magistratibus, sed etiam in ipso uulgo, quibus nõ est satis ut peccent, sed insuper hoc malũ addunt, q̃ non argui, sed iustificari in peccato suo uelint, & arguentem ac bene monentem ad mortem usq; crudeliter persequantur. Hic, inquũt, sedicionem excitat. Sed heus tu bone uir. Vter nostrum sedicionem excitat? tu ne qui scelera opere Satanæ designas, an ego qui scelera uerbo Domini arguo? Tu ne

Ioãnes ab Herode capitur.

Peccatum fit irremißibile si pro iusticia computetur

Peccatũ in spiritũ sanctum.

Ecclesiastes arguẽs peccata nũ seditionem excitet̃

qui flagiciis Deum ad iram accédis, inique iudicas, populum tyrãnide opprimis, delicias sectaris, & subditos tuos impiis officialibus ueluti lupis ac uulturibus diripiendos obiicis, an ego qui correptione horum scelerum te ad pœnitẽtiam inuito, qua ira Dei placatur? Profecto, si recte iudicare uolueris, is seditionis autor est, qui scelerum autor est, is autem pacis autor est, qui arguendo scelera hoc agit, ut Deus per pœnitẽtiam propicius reddatur, & publicam pacem largiatur. Quare qui nõ uolunt unà cum Herode perire, dent operam in Christo Iesu, ne cum Herode pecent, aut si peccauerint, patiantur correptione uerbi Dei se ad agnitionem peccatorum suorum duci, ut hoc gradu ad fidem in Christum ascendant & salutem cõsequantur. Quid ergo de Ioanne factum est, postq̃ abductus fuit in carcerem? Certe Herodes, monitu Herodiadis, confestim trucidasset Ioannẽ, sed metuebat, inquit Matthæus, multitudinem, propterea q̃ illum ceu prophetam habebant. Necesse igitur habebat Herodias occasionem expectare, qua commode posset Herodem suum eo impellere, ut Ioãnem occideret. Ecce autem non longe post offert sese opportuna huius rei conficiendæ occasio. Herodes enim celebrat natalem suum, & facit cœnam primatibus, tribunis ac primoribus Galilææ. Cumq̃ filia Herodiadis introisset in conuiuium ac saltasset, placuissetq̃ Herodi ac simul accumbentibus, ait Herodes puellæ. Pete à me quod uis & dabo tibi. Et iurauit illi, Quicquid à me petieris dabo tibi usq̃ ad dimidiũ regni mei. At illa egressa dixit matri suæ: Quid petam? Illa uero dixit: Caput Ioannis Baptistæ. Et ingressa statim cum festinatione ad Herodem petiuit dicens: Volo ut protinus des mihi in lance caput Ioannis Baptistæ. Et indoluit Herodes. Attamen propter iusiurandum & eos qui simul accũbebant, noluit eam reiicere, sed iussit illi dare. Ac missis carnificibus amputatum est caput Ioannis in carcere, & allatum est in patina, datumq̃ est puellæ, puella autem dedit matri suæ. In hac historia quid primum admiter, nescio. Puellæne impudentiam, qua coram tam præclaris conuiuis saltare ausa fuit, an in honestum conuiuarum iudicium, quo sibi indecoram puellæ saltationem placere permiserunt, an Herodis temeritatem, quia iurauit se puellæ daturum, quicquid postularet, an Herodiadis impietatem, qua tam innocentis uiui caput ausa est postulare, an ingentem Dei clementiam, qua ille ad tam nefandam necem uiri longe oĩm sanctissimi & sibi amicissimi conniuere potuit. Primum enim quid in puella præsertim nobili magis indecorum, quàm coram honestis uiris saltare, & in uerecundis choreæ gestibus spectatorum oculos ad se allicere? Nihil enim magis decet puellam quàm uerecundia. Hac enim amissa etiam pudicitia, quæ maxima est puellarum uirtus, periclitatur. Vbi autem citius dediscitur ac amittitur uerecũdia, quàm in publicis saltationibus & inuerecundis choreis? Quare honestæ puellæ interest, ut inuerecundas & promiscuas illas ac confusas chorearum saltationes non aliter quàm scholam inuerecundiæ & impudicitiæ fugiat. Quod autẽ est illud tam inhonestum conuiuarum iudicium, quo puellæ Herodiadis saltationem approbant? Nam si contra animi sui sententiam, tantum ad retinendum Herodis fauorem, saltationi applaudunt, quid dicas, nisi ipsos meros esse sycophantas & adulatores? Si uero ex animi sui sententia approbant saltationem, an non suo se indicio produnt, se gestare animum libidine plenum? Cui enim arridẽt indecoræ, frãctæ & molles chorearum saltationes, mirum si non arrideat ei ipsa mollicies & turpitudo. Quid autem dicit scriptura? Qui uiderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est in corde suo. Et: Neq̃ scortatores neq̃ adulteri, neq̃ molles regni Dei hæreditatem accipient? Quantum igitur peccant saltatrices mollibus suis

Puellarum saltatio.

Pudicitia.

Choreæ uitanda.

bus suis gestibus, tantum peccant spectatores approbando & concupiscendo. Sed quis Herodis temeritatem satis explicare posset? Iureiurando promittit, se datuꝝ puellæ propter elegantem saltationem quicquid peteret, etiamsi dimidium regni sui peteret. O promissionem. Si egenus quispiam fame iam moriturus, fragmentum tantum panis, propter ipsum Dominum Deum nostrum, petisset, uix impetrasset ab Herode, & ò impietatem, saltatrici propter mollem quandam saltatiunculam iuramento promittit, dimidiũ etiam regni sui. Sic quod Domino Deo nostro exhibendum est, ignauissime exhibemus, quod autem Satanæ dandũ est prõptissime damus. Quale igitur dicemus hoc Herodis iuramentum fuisse? Profecto non solum imprudens & temerarium, sed etiam impium. Pollicitus est iureiurando, inqt Matthæus, se datuꝝ illi, quicquid peteret. Quid est hoc, quicqd? Nimirũ hoc est, siue iustũ siue iniustũ, siue æquũ siue iniquum, siue bonũ siue malũ. Nisi eñ Herodes iuramentum suum sic intellexisset, non fuisset ullo affectus dolore, audita puellæ petitione, sed optimo iure & magna honestate coram conuiuis reiecisset eã, iusta, inquiens, promisi, nõ iniusta, æqua pollicitus sum, non iniqua. Iniquissimũ autem est, innocentem uirum propter saltatiunculam paulo elegantiorem occidi. Quare apage cum tua petitione, si uis quicquam tibi præstari, æqua postules & honesta. Sed Herodes, quod impie iurauit, magis impie præstat. Misso enim spiculatore iussit caput Ioannis amputari, & puellæ afferri. Quid ergo? An Herodes nõ debuisset iusiurãdũ suum seruare, cum scriptum sit: Non habebit insontem Dominus eum qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra? Respondeo. Scimus iuramenta magno Dei timore & tremore obseruanda esse, sed pia, iusta, æqua, addo & iniqua, non autem impia, & uerbo Domini ex diametro aduersa. Aliud est iuramẽtum iniquum, aliud impium. Iniquum est, quod alius quidẽ nullo iure extorquet, ego autem sine peccato præstare possum, ut exempli gratia, si quis iniusta uiolenti a cogat me in nomine Domini iurare, quòd uelim ipsi de facultatibus meis centũ aureos dare, is inique quidem agit, quòd me ad tale iuramentum cogat, sed opus ipsum, centum uidelicet aureos numos alteri de facultatibus suis dare, non est peccatum aduersus Deum, ac uerbum eius. Quare tale iuramentum omnino obseruãdum est. Impium autem est, quod sine peccato non potest præstari. Vt si quis iuret se obseruaturum ordines monasticos ad satisfaciendum illis operibus pro peccatis suis, aut iuret se interfecturum innocentem, aut furaturum aliena bona, & id genus alia. Hæc quia sunt contra fidem & uerbum Domini, & sine peccato præstari non possunt, impia sunt. Quare, ut impium est ea iurare, ita multo magis impium est ea seruare, pietas autem est, ipsa uiolare. Cæterum in catalogum impiorum iuramentorum pertinet etiam iusiurandum Herodis. Proinde, ut peccauit iurãdo, ita multo magis peccauit seruãdo, ac rectius fecisset, si de impietate sua pœnitentiam egisset, & iusiurandum suum hac in parte uiolasset. Sed impiam Herodis temeritatem longissime superat crudelis impietas Herodiadis. Hæc enim non contẽta deseruisse maritum suum & adhærere adultero, latrocinium insuper designat, & una suasione tam se quàm filiam suam, & Herodem ac omnes ministros eius, latrones effecit. A deo recte dictum est: Non est caput nequius super caput colubri, & non est ira super iram mulieris. Et mox: Breuis omnis malicia super maliciam mulieris, sors peccatorum cadat super illam. Postremo autem in hoc negocio nihil admirabilius est tollerantia & lenitate Dei, qua ille sustinet quòd tantus uir, propter scortũ, in carcere, turpissima morte afficiatur, ac decolletur. Cur, obsecro, nõ perdit Deus potius omnem hanc pessimorum hominum sentinam in aula Herodis

Iuramentum Herodis quale.

Iuramentũ aliud iniquũ, aliud impium

Herodias.

Tolerantia Dei in morte Ioannis manifestata.

tonitru & grandine, quàm quòd ad tantam crudelitatẽ Herodis, & ad tam fœdã sanctissimi uiri necem conniueat? Quis nunc sentiat Deum respicere sanctos suos in aduersis, quòd sinat Ioannem Baptistam suum tam turpiter perire? Sed heus tu, Dñs Deus noster uoluit hoc exemplo testari ac confirmare, quòd respiciat sanctos suos in afflictionibus eorum, tñ abest, ut ex eo arguas, Deum obliuisci sanctorũ suorum, & non respicere ipsos in aduersis. Quis em̃ inter omnes sanctos, maioris fuit apud Deum respectus & autoritatis, q̃ Ioannes Baptista? Ante quadringentos annos, nondum natis parentibus eius, uidit ipsum Dñs Deus noster, ac de eo curãs, per Malachiam locutus est de ipso dicẽs: Ecce ego mitto angelum meũ, & præparabit uiam ante faciem meã. Et iterum: Ecce ego mittam uobis Eliam prophetam anteq̃ ueniet dies Domini magnus & horribilis. Et postea priusq̃ ipse conciperet, dixit angelus ad patrẽ eius: Vxor tua Elizabeth pariet tibi filium, & uocabis nomẽ eius Ioannem, & erit magnus coram Dño. Cum uero iam inter homines conuersaretur, testatur Christus de eo dicens: Non exortus fuit inter eos qui nascunt è mulieribus, maior Ioanne Baptista. Itaq; si Dominus Deus noster hunc Ioannem, qui tantopere ipsi curæ fuit, non obiecisset aduersis, alios autem sanctos uariis afflictionibus premeret, uideri poterat illum solum à Deo respectum esse, hos autem non respici. Sed cũ permittit ut tãtus uir, sibi longe oĩm acceptissimus, fœdissimæ morti obiiciatur, profecto manifeste significatur, q̃ ut nec Ioannem, ita nec alios sanctos in afflictionibus ipsoꝝ derelinquat. Idem planè habes in ipso Iesu Christo Dño nostro, p quẽ etiã Ioãnes sanctus & Deo gratus fuit. Quis.n. unq̃ uisus est à Deo derelictior Iesu Christo, q̃ in cruce clamabat: Deus meus, Deꝰ meus ut qd me derelinquisti? sed tm̃ abest, ut derelictus fuerit à Deo, ut nunc potentia Dei maxima & clarissima omnium uictoria super mortẽ & infernum potitus sit. Eos igitur, qui in Iesu Christo per fidem constant, non ideo derelinquit Deus, quia obiicit afflictionibus, sed potius quia obiicit ipsos afflictionibus, ideo respicit & cõseruat eos. Nam ut ad Ioannem redeamus, an non egregie meminit Dñs Deus noster Ioannis, primũ q̃ in hac fœdissima morte ita seruauerit ipsum, ut perduxerit eum per hanc in longe oĩm glorioſissimã & fœlicissimã uitã. Quo.n. turpior fuit mors eius in carcere, eo nũc glorioſiori honore in cœlo cum Domino uiuit. Deinde, q̃ ad uindicandã mortẽ Ioannis, magnis cladibus & suppliciis Herodem & adulteram eius Herodiadem affecerit. Cum enim Aretas propter eiectionem filiæ suæ, de qua supra diximus, Herodi bellum inferret, exercitum Herodis ita oppressit, ut uix nuncius cladis effugerit. A tq; hanc infœlicitatem Herodi, propter Ioannem inique trucidatũ, diuinitus contigisse, palàm inter Iudæos iactatum fuit. Sed nondum malorum finis. Nam cum Herodes & Herodias ad Cæsarem Romam proficiscerẽtur, ut ab ipso regiam dignitatem impetrarent, usq; adeo nõ sunt uoti sui compotes facti, ut Cæsar abstulerit ab eis tetrarchiam Galilææ, & condemnauerit eos ad perpetuum exilium, in Lugduno Galliæ urbe, ubi & dignum moribus factisq; suis exicium inuenerũt. Hic ergo uide mihi, admirabilia quidem, attamen iustissima Dei iudicia. Herodes.n. & scortũ eius Herodias timebant, ne si Ioannes in obiurgatione adulterii eoꝝ pgeret, ipsi mota seditione è principatu suo eiicerent. Quare, ut securi inne fando suo adulterio uiuãt, & regionẽ suã qete possideãt, occidũt Ioannẽ. Sed ecce qd fiat? Qd timet impius, accidet ei, inqt Salomon. Herodes & Herodias uolebãt impia sua crudelitate, qua Ioẽm interficiebãt, exiliũ effugere, sed eo ipso in oẽs exilii miserias & calamitates sese coniiciũt. Memorabile exẽplũ, quo discamus q̃ nul-

Ioannis autoritas coram Deo.

Herodes punitur propter Ioannem.

lum pos-

lum posſimus periculum impietate & iniquitate præcauere. Etenim impietas aut iniquitas autor est omnium malorum, aduersitatũ, & periculorum. In lege dicit: Si nõ custodieris mandata Dei tui, ueniẽt supra te oẽs maledictiones. Maledictus eris in ciuitate, maledictus in agro: Maledictus eris egrediẽs & ingrediẽs. Si ergo impietas causſa est maledictionũ & periculoꝝ, qui fieri posſet, ut maledictiones & pericula impediret aut præcaueret? Quin potius ita sentiendũ est, ꝙ quanto plures iniquitates prioribus adiicias, tãto magis augeas maledictiones & pericula. Volebat & Dauid periculũ, quod sibi ex adulterio imminebat, homicidio p̃cauere, sed quid effecit? Quandoquidem auxit peccatũ, auxit & periculum. Volebant & Pharisæi periculum, quod è doctrina Christi futurũ somniabant, homicidio Christi præuenire. Quid factum est? Augendo peccata, auxerunt & pericula, & quod timebant, accidit eis. His itaq; exemplis admoneamur, ut cum proprer iniquitates nostras timeamus aduersa, nõ demus operam, ut aliis iniquitatibus ea præcaueamus, sed potius ut à prioribus iniquitatibus resipiscamus. Sola eñ resipiscentia fiet, ut in aduersis & periculis seruemur, ac salutẽ consequamur per Dominum nostrũ Iesum Christum, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus laudandus in secula Amen.

Impietas malorum autor.

HOMILIA XXXI.

HEri exposuimus uincula, & genus mortis, quo Ioannes ab Herode interfectus est. Priusq̃ aũt Ioannes cõiectus fuit in uincula, & occisus est, baptizauit non solum uulgũ, uerumetiã Iesum Christum Dominum nostrum. Dicemus igit hodie de baptismo, quo Iesus à Ioanne baptizatus est. Et quia Lucas hanc rẽ paucis perstrinxit, nos ex aliis Euangelistis huc addemus ea, quæ in hoc negocio cognitu nõ inutilia sunt. Factum est (inquit Lucas) cum baptizaretur omnis populus, ut & Iesũ baptizato & orante, apertum sit cœlũ ac descẽdit spiritus sanctus corporali specie quasi columba in ipsum, & uox de cœlo facta est, quæ diceret: Tu es filius ille meus dilectus, in te cõplacitum est mihi. Lucas diligenter quidem summã rei gestæ in baptismo Christi describit, sed eam contentionẽ omittit, quæ fuit inter Ioannem & Christum, priusq̃ Ioannes Christũ in baptismũ reciperet. De hac igitur contentione Matthæus ita scribit: Tunc accedit Iesus à Galilæa, (uel, ut Marcus ait, à Nazareth Galilææ) ad Iordanẽ ad Ioannẽ, ut baptizaretẽ ab illo. At Ioannes, phibebat illum dicens: Mihi opus est, ut abs te baptizer, & tu uenis ad me. Respondens aũt Iesus dixit ad illum: Omitte nunc. Sic eñ decet nos ut cõpleamus omnẽ iusticiam. Tunc omittit illum. Primũ ergo, quid ad hæc dicemus, ꝙ Ioannes ait: Mihi opus est, ut abs te baptizer? Nouerat ne Ioannes hũc Iesum esse Christum, anteq̃ baptizaret eum? Si aũt nouerat, quid est quòd apud Euangelistam Ioannem dicit: Vidi spiritum descendentẽ specie columbæ de cœlo, & mansit super eum, & ego non noueram eum. Sed qui misit me ut baptizarem aqua, is mihi dixit: Super quem uideris spiritum descendentẽ ac manentem super eum, hic est, qui baptizat spiritu sancto? Hæc uerba significant, quòd Ioannes non ante agnouerit hunc Iesum Nazarenum esse Christum, quàm baptizauerit eum, & uiderit spiritum sanctum in specie columbæ super ipsum descendere. Quid ergo ait apud Matthæũ: mihi opus est, ut abs te baptizer? His certe uerbis palàm declarat Ioãnes, se agnoscere Iesum esse uerum Messiam, alioqui non subiecisset ipsi ministerium suum, quod erat excellentius ministerio omnium prophetarũ. Sed hunc nodum facile dissoluet, quisquis probe expẽderit occasiones, quibus Ioannes mo-

Ioãnes nouit & non nouit Christum.

uetur, ut confiteatur se non nouisse hunc Iesum esse Christum. Tametsi enim Ioãnes satis luculentum & perspicuum testimonium dabat Iesu, quòd esset Christus, digito etiamnũ demonstrans ac dicens: Ecce agnus ille Dei, qui tollit peccatum mundi, tamen testimoniũ eius parum adhuc ponderis & autoritatis habebat. Primum, quòd Iesus, cui Ioannes testimonium præbebat, nulla hactenus singulari sanctitate & maiestate inter homines uitam egerat, sed potius ita abiecte ac humiliter sese gesserat, ut multo minor Ioanne reputaretur, tantum abest, ut maior Ioanne, adeóque Christus haberetur. Deinde, quòd Ioannes hactenus quidem de Christo prædicauerat, sed non prius palàm demonstrauit hunc Iesum esse Messiam, quàm baptizauit ipsum. Vnde increduli eleuabant ac cõtemnebant testimonium Ioannis dicentes: Quid? Quis hunc agnosceret Christum, quem nulla maiestate Christo conueniente uidemus præditum? Et si Christus est, cur iam primum post tricesimum ætatis suæ annum à Ioanne prædicatur? Cur non iam inde à pueritia ab ipso demonstratus & prædicatus est? His igitur incredulorum uerbis mouetur Ioannes, ut in hanc uocem erumpat: Et ego nõ noueram eum. Noui quidem esse Christum spiritu sancto edoctus, adhuc in utero matris existens, quando matre mea ab ipsius matre salutata, præ gaudio exultabam. Postea uero adultus è parentibus meis audiui, non solum quid de me ad patrem meum Zachariam, uerumetiam quid de hoc Iesu, ad matrem eius Mariam ab angelo dictum esset. Et qui potuisset me id latere, quod tã parẽs meus Zacharias, q̃ mater Iesu Maria publicis carminibus celebrabant? His igitur spiritu sancto autore didici hũc Iesum esse uerum Christũ. Attamẽ nõ sic nouerã eũ, ut humana eũ ratione & carnali prudẽtia cõprehẽderim. Nam ut uobis ita & mihi coram humana mea ratione ob humilitatẽ eius nihil minus apparebat q̃ Christus, sed necesse mihi erat, ut abnegata humana ratione, traderem me captiuũ uerbo Dñi & spirituì sancto, qui per angelũ Gabrielẽ affirmauerat hũc esse Christũ. Quare si & uos uultis Christũ uere agnoscere, non est uobis humana ratione inhuius Iesu humilitatẽ, sed fide in uerbũ Dñi respiciendũ. Sic eñ & uobis manifestũ erit, hunc Iesum esse Christum. Deinde, etsi uerbo Domini iam antea noueram, eum esse Christum, tamen nondum ita noueram eum, ut ipsum palàm populo demonstrarem, & uerbo Domini nõdum iussus eram, ut publice prædicarem ipsum esse Christum, sed qui iusserat me suo tempore ministerium baptismi inchoare, idem etiam admonuerat me, ut non ante prædicarem publice hunc esse Christum, quàm misso de cœlo spiritu sancto in specie columbæ reuelaretur, & ad inchoandum officium suum cœlesti unctione sanctificaretur. Ex his habes Ioannem nouisse hunc Iesum esse Christum. Nouit eum spiritu sancto reuelante per uerbum Domini, non nouit eum humana ratione, per argumenta carnis, nec ita nouit, ut ipsum ante tempus, & spiritu sancto nondum in specie columbæ super ipsum misso, Israeli ostenderet, ac de ipso prædicaret. Sed quid illud est, q̃ Ioannes non uult Christum ad suum baptismum admittere? Prohibebat (inquit) illum. Et cum Christus respondeat: Omitte nunc, uidetur res ita gesta fuisse, quasi Ioannes iniecta manu Christum à baptismo retraxerit. Quid sibi uult hæc Ioannis importunitas? Recte quidem Ioannes, quòd agnoscat Iesum se maiorem, & testificetur ipsum esse Christum, sed quòd tam importunis moribus Christum à baptismo suo detrudat, carnalis est, non spiritualis prudentia. Ac propemodum cum reuerẽtia Petri conuenit. Is enim, cum Christus pedes eius lauare uellet, respondit: Domine, tu mihi lauas pedes? Non lauabis meos pedes inæternum. Reiecit Petrus ministerium Christi, zelo quidem Dei, sed non secundum scientiam. Sic & Ioannes pie quidem agit,

Ioãnes etiam peccator, & carnaliter prudens.

quidem agit, quòd agnoscat se Iesu minorem, sed imprudenter & stulte agit, quòd detrectet Iesum baptizare, & malit carnali suæ prudentiæ, quàm spirituali mandato Christi baptismum postulantis obsequi. Vide enim mihi maximam Ioannis imprudentiam, in maxima eius prudentia. Videtur sua detrectatione Christum honore afficere, sed si rem diligentius perpendas, magna eum contumelia afficit. Nã cum Christus petat ab ipso baptizari, ipse uero non solum id facere recuset, uerum etiam iniecta manu eum à baptismo retrahat, quid his factis aliud significaret, quã si disertis uerbis ad Christum diceret: Ego qui nolo te baptizare, melius & consultius de hac re constitui, quàm tu qui petis baptismum, ego igitur sapiẽs, tu stultus, ego prudens, tu ineptus. Non inquam Ioannem hæc uerbis dixisse, sed qui boni ac prudentis uiri sententiam & petitionem ita reiicit, quẽadmodum Ioannes Christi postulatum reiicit, is profecto reipsa significat se prudẽtem, alium uero stultum. Christum autem stultum uel suspicari, quanta, obsecro, est contumelia? Manifestũ igitur est, quòd Ioannes tanto imprudentiorem se hoc loco gerit, quanto prudentior uideri studet. Atq; id tum potissimum accidere solet, cũ auertimus oculos à uerbo Dei ad humanas rationes. Habebat Ioannes uerbum Christi, uolo me baptizes. Cum igitur hoc uerbo derelicto ad suas ipsius speculationes conuerteretur, factum est, ut eas designaret ineptias, quas maxime uitare uolebat. Quid ergo ad hæc Christus? Reiicit uicissim & Christus Ioannem, non quidem ob hanc causſam, q; confessus esset se Christo minorẽ, sed q; compellatus noluerit ipsum baptizare. Ac dicit: Omitte nũc, sic enim decet nos ut compleamus omnem iusticiam. Scio hæc uerba uarie exponi, sed simplicissime hoc mihi significari uidentur. Omitte nunc hanc contentionem & morositatem, sed potius, quod peto, baptiza me. Nam unũquenq; nostrum decet ut suum faciat officium, id quod est complere omnem iusticiam. Qui eñ suum facit officiũ, & suæ uocationi seruit, huic ad iusticiam nihil deest. Officium autem tuum est, ut baptises. Officium autem meum, quantum ad præsens negocium attinet, est, ut baptiser. Quare, ut id quod iustum & æquum est, faciamus, age, baptises tu me iuxta tuam uocationem, & ego sumam à te baptismũ iuxta meam uocationem. Sed quid? Num Christus ideo petit baptizari à Ioanne, quòd indigeat, quãtum ad suum personam attinet, baptismo? Minime omnium. Baptismus enim est lauacrum regenerationis, at Christus ab æterno natus est filius Dei. Sicut ergo non indiguit regeneratione, ita nec indiguit baptismo. Adhæc baptismus signaculum est pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Christus autem qui fuit absq; omni peccato, nec opus habuit pœnitentia, nec remissione peccatorum. Quare nec opus habuit baptismo. Voluit autem ob hanc causſam à Ioanne baptizari, ut nouum ministerium Ioannis, quod est ministeriũ Euangelii, usu suo cõfirmaret & sanctificaret. Hic ergo fide mihi extremam Christi humilitatem. Nam quòd sumat baptismum à Ioanne, plurimum uidebatur famæ & gloriæ suæ officere, & opinionem hominum de Ioanne confirmare, nimirum quòd homines dicturi essent: En aperte nunc uidemus non Iesum sed Ioannem esse Christum, quia & ipse IESVS ambit à Ioanne tanquã se maiore baptismum. Sed has uulgi uoces CHRISTVS neglexit, & maluit usu suo ministerium Euangelii à Ioanne primo omnium inchoatum confirmare, quàm euanidæ gloriæ studere, quo uidelicet disceremus, ministerium Euangelii esse diuinum, & ad salutem nostram necessarium. Cæterum, quam autoritatem ministerio Euangelii hic tribuere incepit, eam postea pluribus argumẽtis absoluit. Et ut ex multis unum aut alterum referã, In ACTIS APOSTOLICIS rapitur Paulus in tertium cœlum, non

Ioannes in Christum contumelioſus.

Baptizatur Christus.

Euangelij ministerium confirmatur.

tñ illic baptizaꝫ, sed remittiꝫ ad Ananiã, ut ab ipso baptismum accipiat. Potuisset Christus Paulum in tercio cœlo baptizare, sed ut cõfirmaret ministeriũ Euangelii in hac terra, remisit eum ad hoiem baptizatorẽ. Paulo post mittitur angelus ad Cornelium ethnicum, qui profecto angelus potuisset Cornelium docere Euangelion & baptizare, sed quo disceremus, nõ esse nobis amplius angelos de cœlo expectandos, remisit eum ad Petrum, ut ab eo Euangelion discat, & baptisetur. Cum igitur ministeriũ Euangelii tanta autoritate confirmatum sit, agite amicissimi, cõplectamur illud obuiis, quod diciꝫ, ulnis, ut fide excipientes, salutem cõsequamur. Sed tempus est ut id explicemus, quod in baptismo Christi contigit. Ioannes eñ, uel tandẽ baptizauit Iesum in Iordane. Sed ecce quid fiat. Ascendente Iesu ab aqua & orante, apertum est cœlum, ac descendit spiritus sanctus corporali specie quasi columba in ipsum, & uox de cœlo facta est, quæ diceret: Tu es filius meus dilectus, in te complacitum est mihi. Tria hic habes magna & stupẽda miracula. Cœlum uideꝫ diffindi, Spiritus sanctus corporali specie tanq̃ colũba descendit, & uox patris de cœlo audiꝫ. Quid ergo hæc admirãda spectacula sibi uolunt? Primũ, his miraculis confirmaꝫ, hũc Iesum esse uerũ Messiã, de quo scriptũ est: Spiritus Dñi sup me, eo q̃ unxerit me, ad adnunciandũ humilibus misit me, ut mederer cõtritis corde. Deinde probatur hoc spectaculo, quòd habeat in manu sua spiritum sanctum. Istud enim hoc spectaculo significari, testatur ipse Dominus apud Euangelistam Ioannem ita dicens: Super quem uideris spiritum descendentem ac manentem super eum, hic est qui baptizat spiritu sancto. Hoc autem confirmato, quid reliquum est, nisi q̃ eo ipso manifestum sit, hunc IESVM esse uere filium DEI, & natura DEVM. Nisi enim natura esset DEVS, quomodo haberet in manu sua spiritum sanctum? Non est simplex homo, quia is natura caret spiritu sancto. Non est angelus, quia angeli sunt ministri spiritus, hic autem est magister & Dominus spiritus. Necesse igitur est ipsum esse natura DEVM. Adhæc sanctificatur Iesus his miraculis in suum ministerium, & publice uocatur ad inchoandum officium illud, propter quod de cœlo in terram missus est. Hactenus enim non est publico prædicandi Euangelii ministerio functus, sed priuatam egit apud parentes suos uitam, & artificium tectonicum exercuit. Nunc autem his cœlestibus miraculis auocatur à priuata uita ad publicum Euangelii officium, & designatur totius orbis tam concionator q̃ redemptor & saluator. Postremo reuelantur hoc in loco tres personæ unius diuinæ essentiæ, Pater, Filius & Spiritus sanctus, ac confirmatur baptismi autoritas, uidelicet, q̃ in baptismo præsto adsit Pater, Filius & Spiritus sanctus. Namquod hic miraculis geriꝫ, hoc postea Christus uerbis explicuit, & iussit Apostolos baptizare gentes in nomine Patris & filii & Spiritus sancti, nimirum significãs q̃ in baptismo Pater & Filius & Spiritus sanctus ita præsto adsint, ut eum, qui baptizatur, in gratiam suam recipiant, & cum ipso perpetuum fœdus ineant, q̃ uelint esse Deus ipsius propicius, redemptor & saluator. Reponamus igitur hæc miracula, quæ in baptismo Christi contigerunt, alta mente, ut ex his discamus, & quid de IESV Christo, & quid de baptismo, quo in nomine Christi baptizati sumus, sentiendum sit. Sed maxime omnium obseruanda est uox patris, quæ de cœlo auditur: Hic est filius meus dilectus, in quo complacitum est mihi. Nam, quo uehementius hæc uox de CHRISTO dicta nobis inculcetur, repetita est postea in monte Thabor in transfiguratione Christi coram tribus discipulis Petro, Iacobo & Ioanne. Cum enim lucida nubes obumbrasset illos, quemadmodum

Miracula in baptismo Christi

Christus natura Deus

Trinitas confirmatur

Patris uox in baptismo Christi & in monte Thabor.

modũ ſcribit Matthæ9 capite decimo ſeptimo, uox è nube audita eſt, quæ diceret: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacitum eſt, ipſum audite. Huius quoque uocis meminit Petrus in poſteriori ſua epiſtola capite primo: Acceperat, inquiens, à DEO Patre honorem & gloriam, uoce ad illum delata huiuſmodi à magnifica gloria: Hic eſt ille filius meus dilectus, in quo mihi complacitum eſt. Et hanc uocem nos audiuimus è cœlo delatam, cum eſſemus unà cum illo in monte ſancto. Nulla autem unquàm iucundior, nulla gratioſior, nulla acceptior uox in terris audita eſt, quàm cum dictum eſt: Hic eſt filius meus dilectus, in quo bene cõplacitum eſt mihi. Ante enim audiebatur de cœlo ſub patriarcha Noha: Pœnitet me feciſſe hominem, qua uoce quid magis horrendum? Ante ſub Moſe audiebatur in monte Sinai uox DEI qua lex adnuntiabatur, ſed ea uox quid aliud erat, quàm nuncia grauiſsimæ iræ DEI, quam DEVS propter peccata in homines conceperat? Vnde & audiebantur tonitrua, & micabant fulgura & omnino horribilis erat in eo monte aſpectus. Quibus argumentis declarabatur, eam uocem haud quaquàm diuini fauoris ſed ſeueriſsimæ iræ indicium eſſe. Ante proſpexit DOMINVS de cœlo ſuper filios hominum, ut uideat ſi eſt intelligens aut requirens DEVM, ſed ecce omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum. Nunc autem, ò ſeculum fœliciſsimum, auditur uox de cœlo: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Hactenus proſpexi de cœlo, & uidi filios tantum Satanæ, nunc autem ecce hic eſt ipſiſsimus filius Dei. Hactenus neminem potui inuenire, quem diligeret, quem deſyderaret anima mea, nunc autem ecce hic eſt filius meus dilectus. Hactenus nullus fuit, qui potuerit iram meam mitigare, & me ad ipſum amoris mei affectu complectendum inuitare, nunc autem uideo hunc Ieſum, in quo bene complacitum eſt mihi, quem quoties aſpicio, toties dulciſsimo amoris affectu tangor, & in tantum propicius ac placatus efficior, ut omnis iræ & indignationis obliuiſcar. Sed hæc uox de cœlo ad nos affertur, non tantum propter ipſum IESVM CHRISTVM, ſed potiſsimum noſtri cauſa, nimirũ, ut ex ea diſcamus, quomodo & nos debeamus dilecti filii DEI fieri. DOMINVS enim DEVS noſter tanto fauore, tanta gratia, tanta beneuolentia, tanto amore filium ſuum IESVM CHRISTVM complectitur, ut propter ipſum omnes etiam eos, qui per fidem ipſi adhærent, beneuolentia complectatur, peccata eis remittat, ac in filios ſuos adoptet. Quotquot (inquit Ioannes) receperunt eum, dedit eis ut liceret filios Dei fieri, uidelicet his, qui credidiſſent in nomen eius. Et mox: De plenitudine eius accepimus nos omnes, & gratiam pro gratia. Quia lex per Moſen data eſt, gratia & ueritas per IESVM CHRISTVM exorta eſt. Et Paulus: Omnes (inquit) filii Dei eſtis, eo quòd credidiſtis CHRISTO Ieſu. Ac rurſus: Vbi uenit plenitudo temporis, emiſit DEVS filium ſuum factum ex muliere, factum legi obnoxium, ut eos qui legi erant obnoxii redimeret, ut adoptione ius filiorum reciperemus. Si autem efficimur per fidem in CHRISTVM IESVM filii Dei, profecto hæredes quoque bonorum DEI per fidem propter CHRISTVM efficimur, ac hæredes quidem DEI, cohæredes autem CHRISTI. Proinde hanc cœleſtem uocem, & patris teſtimonium de IESV CHRISTO alta mente reponamus, ut ex ea uoce affectum patris erga CHRISTVM filium ſuum cognoſcere, & in CHRISTVM credere, ac ſalutem conſequi poſsimus, per eundem IESVM Chriſtũ Dominũ noſtrũ, qui eſt unà cũ patre & ſpiritu ſancto Deus laudãdus in ſecula Amẽ.

Adoptio in filios Dei per Chriſtum

HOMILIA XXXII.

De Genealogia Christi.



VAnquã genealogia Domini nostri Iesu Christi, quæ, postquàm baptisatus est Christus, à Luca cõmemoratur, parum nobis utilitatis, propter peregrina nomina, quæ in ea continentur, afferre uideatur, tamen, quia propter promissiones ad Abraam & Dauidem de Christo dictas, necessarium est scire, Iesum Christum progeniem suam, quantum ad carnẽ attinet, ab Abraamo & Dauide ducere, necessarium quoq; est cognoscere, per quos patres, auos & maiores, genus Christi, à Maria matre eius, usq; ad Dauidem & Abraamum ascendat. Quare, quo certius agnoscamus hunc Iesum esse uerum illum Messiam per prophetas promissum, genealogia eius diligentissime obseruanda est. Sed priusquàm eam explicemus, audiamus Lucam recitantem qua ætate Iesus à Ioanne baptisatus sit, & officium Messiæ publice inchoauerit.

Genealogia Christi.

» Sic eñ ait: Et ipse Iesus cum inciperet (uidelicet officiũ Messiæ publica sua præ-
» dicatione administrare) erat quasi annorũ triginta. Ecquid ad nos, inquies, quo to ætatis suæ anno Christus officium Messiæ publice inchoauerit, modo sciamus eum id & inchoasse & peregisse? Si nihil aliud commodi hinc nobis accederet, certe iucũdissimum esset cognoscere, qua ætate seruator noster id negocium, quo nullum unquàm in terris aut excellentius aut diuinius aut nobis magis salutiferum gestum est, publice administrare inceperit. Nunc autem ex hac cognitione nõ nihil etiam firmitudinis fidei nostræ in Christum accedit. Hic eñ tricesimus ætatis Christi annus, fuit decimus quintus annus imperii Cæsaris Tiberii. Ab hoc anno, si numeres usq; ad secundum annum Darii Longimani, quo exiit sermo per prophetã Zachariam & Aggeum, ut Hierusalem iterum ædificetur, inuenies sexaginta nouẽ hebdomades annorum, hoc est, quadringentos & octaginta duos annos, quos angelus Danieli, ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Hierusalẽ, usq; ad Christum ducem, fore prædixit, quemadmodum Danielis capite nono scriptũ est. Cum igit tempus, quod angelus prædixit, tam probe in eum annum cõueniat, quo Iesus incepit prædicare pœnitentiam & remissionem peccatoꝝ in nomine suo, (id quod est ueri Messiæ officiũ) profecto firmum argumentũ est, hunc Iesum esse ueꝝ Messiã seu Christum, seruatorẽ nostrũ. Cæterum, hoc loco, quo scriptũ est, Christũ tricesimo ætatis suæ anno baptizatũ esse, quidam tum superiori tũ nostro seculo, in patrocinium erroris sui abuti solẽt. Erant enim quondã in ecclesia catechumeni, qui prætexentes hoc exemplum Christi, nolebant baptismum in adolescẽtia sumere, sed expectabant usq; ad senectutem, & nouissimũ uitæ suæ diem, idq; eo animo faciebant, ne post baptismum necesse haberent pie uiuere. Existimabant eñ sibi ante baptismũ quiduis licere. Hos uocabãt Clinicos, qꝝ in lectis baptizabantur. Ac prope modũ tales fuerũt, quales hoc tempore quidã sunt, qui ideo à communione cœnæ dominicæ usq; ad extremũ uitæ diẽ abstinent, ne post sumptã cœnã necesse habeant dignã Christiano uitã agere. Quid aũt hoc proposito magis impiũ, magisq; pernicioſum? Baptismũ eñ aut cœnã dominicã uitare, ne necesse habeas pie uiuere, quid aliud est, q̃ si ægrotus quispiã medicamentũ reiiceret, ne ea negocia, quæ à sanis requiruntur, faciat? Et quid? nolle pie uiuere, quid est, nisi uelle in peccatis, in potestate Satanæ, ac perpetua dãnatione manere? Tolerabile esset hoc propositũ, si in potestate nostra situm esset, ut quando uellemus, ac lubitum nobis esset, ad

Hebdomadæ Danielis.

Christiani Clinici.

Deum

Deum conuerti posſemus. Nunc aũt conuerſio ad pœnitentiam tota ſita eſt in manu & uocatione Dei. Non eſt uolentis, inquit, neq; currentis, ſed miſerentis Dei. Vocat aũt nos Dominus & miſeretur noſtri, quando nobis uerbum ſuũ reuelat, & ad pœnitentiam inuitat. Quare, ſi uocantem Dominum ſuo tempore reiicimus, quid reliquum eſt, niſi ut id nobis accidat, quod Dominus per prophetã ait: Factum eſt, ſicut locutus ſum, & non audierunt, ſic clamabunt & non exaudiam, dicit Dominus Zebaoth. Noſtro aũt tempore ſunt errones quidã, quos uocant anabaptiſtas, hi ſentiunt neminẽ in infantia aut puericia baptiſandum eſſe, idq; confirmatũ eſſe dicunt exemplo Chriſti, qui nõ in infantia ſua, ſed in triceſimo ætatis ſuæ anno baptizatus eſt. Sed ut impie ſentiũt, infantes nõ eſſe baptizandos, quemadmodũ aliàs ſæpe demonſtrauimus, ita impie abutuntur exemplo Chriſti. Duplex enim eſt ratio opeꝝ Chriſti: Quædam ſunt opera eius generalia, quæ nobis ad imitationẽ propoſita ſunt. Huius generis ſunt, pietas erga Deum, charitas erga proximũ, humilitas, tolerãtia, comitas, manſuetudo, abſtinẽtia ab inferẽda iniuria, ab ultione, & id genus aliæ uirtutes, de quibus Chriſtus ad Apoſtolos loquitur: Exemplum, inquiens, præbui uobis, ut qaemadmodũ ego feci uobis, ita & uos faciatis. Etiteꝝ: Præceptũ nouũ do uobis, ut diligatis uos mutuo, ſicut dilexi uos, ut & uos diligatis uos mutuo. In hoc cognoſcẽt oẽs, q̃ diſcipuli mei ſitis, ſi charitatẽ habueritis inter uos mutuã. Et ad hunc ordinẽ opeꝝ Chriſti pertinet quidẽ id opus, q̃ Chriſtus baptizatus ſit, debemus eñ & nos baptizari. Sed nõ ꝑtinet circũſtantia ætatis eius, q̃ baptizatus ſit triceſimo ætatis ſuæ anno. Alioqui enim & nos non niſi triceſimo ætatis noſtræ anno, nec ab alio niſi à Ioanne baptiſta, nec in alia aqua niſi in Iordane baptizari deberemus. Alia ſunt opera Chriſti perſonalia, quæ pertinent ad propriam Chriſti uocationẽ, & non trahunt in exemplũ. Huius generis ſunt, q̃ Chriſtus natus ſit ex uirgine, q̃ natus ſit uir non mulier, q̃ habitauerit in Nazareth, q̃ quadraginta diebus & noctibus nihil prſus nec cibi nec potus in deſerto ſumpſerit, q̃ prædicauerit Euangeliõ in Galilæa & Iudæa, & q̃ multa ac p̃clara miracula ædiderit. Hæc & id genus alia opera, quæ proprie ad uocationem & officiũ Chriſti pertinẽt, non ſunt nobis ad imitationẽ propoſita, nec ea imitari poſſemus, etiamſi maxime conaremur. Et in horum operum catalogum pertinet etiam id opus, q̃ Chriſtus ſumpſerit baptiſmum à Ioanne in Iordane, triceſimo ætatis ſuæ anno. Nam q̃ hoc ætatis anno & non ininfantia baptiſmum ſumpſerit, ſuas habet rationes, quæ in nobis nullum locum habent. Primum enim, Chriſtus non indiguit baptiſmo, quare potuiſſet eum omnino omittere. Nos autem baptiſmo à primo natiuitatis noſtræ momento indigemus. Quanto igitur citius baptizamur, tanto ſaluti noſtræ conſultius eſt. Deinde, baptiſmus nondum erat in infantia & pueritia Chriſti per Ioannem inchoatus. Poſtremo, triceſimo ætatis Chriſti anno complebantur hebdomadæ apud Danielem, quemadmodum ſupra diximus, ac neceſſe habebat Chriſtus eo anno ducatum & officium ſuum capeſſere & inchoare. Hoc igitur tempus uiſum eſt ipſi ad ſumendum etiam baptiſmum conuenientiſsimum. Quare extrema eſt inſcitia, q̃ Anabaptiſtæ hoc exemplum Chriſti in patronicium erroris ſui trahant & detorqueant. Cæterum, cum iam accingeremus nos ad explicãdam genealogiam Chriſti, obſtrepere nobis uidetur Paulus ad Timotheum ſuum ita ſcribẽs: Denuncies quibuſdam, ne attendant fabulis & genealogiis nunquàm finiendis, quæ quæſtionem præbent magis quàm ædificationem Dei, quæ eſt per fidem. Et ad Titum: Stultas quæſtiones & genealogias & contentiones ac pugnas legales deuita. Ex his uerbis Pauli uidetur ocioſum ac uanum eſſe, genealogiam

Anabaptiſtarum error.

Chriſti opera duplicia.

Baptiſatus eſt Chriſtus triceſimo ætatis ſuæ anno.

Genealogiarum uſus.

Christi paulo diligẽtius excutere. Paulus aũt non reprehẽdit ciuilẽ & utilẽ, sed tantum superstitiosum genealogiarum usum. Iudæi enim sollicitissime iniquirunt in suas genealogias, ut non solum nobiliores coram mundo, uerumetiam iustiores coram Deo habeantur. Patrem (inquiunt) habemus Abraam, quomodo igit̃ non essemus Deo grati & iust̃i? Hanc uanam superstitionem in perscrutandis genealogiis iubet Paulus deuitare. Sed est alius ciuilis & necessarius genealogiarũ usus præsertim inter Israelitas. Inter hos enim non solum diuisa erat terra Canaan iuxta tribus & familias, uerumetiam publica officia tum sacerdotalia tum regia, iuxta tribus & familias distincta erant. Nam pontificatus & sacerdotium ad solã familiam Aheronis pertinebant, regia autem maiestas promissa erat tribui Iuda, & familiæ Dauidis. Quare ut publica ordinatio conseruaretur, necessarium fuit Israelitis distinctionem genealogiarum seu familiarum obseruare. Sic & genealogia Christi suum habet usum, ad confirmandam fidem in Christum non solum utilem, sed etiã necessarium, quemadmodum post enumerationem maiorũ Christi ostendemus.

» Quod igitur fœlix faustumq; sit, genealogia Christi sic sese habet. Iesus cum inci
» peret, erat quasi annorum triginta, ut putabatur filius Ioseph, qui fuit Heli, qui fuit
» Matthan, qui fuit Leui, qui fuit Melchi, qui fuit Ianne, qui fuit Ioseph, qui fuit Mat
» thathiæ, qui fuit Amos, qui fuit Nahum, qui fuit Hesli, qui fuit Nange, qui fuit Ma
» ath, qui fuit Matthathiæ, qui fuit Semei, qui fuit Ioseph, qui fuit Iuda, qui fuit Iohan
» na, qui fuit Reza, qui fuit Zorobabel. Priusq̃ pergamus reliquos maiores Christi ex Luca recensere, ostendemus quædam obseruatu non superua canea. Primum, nihil hoc loco dicitur de generatione Christi, qua secundum diuinitatem ineffabili modo ab æterno ἀ Deo Parre suo genitus est. Quis enim hanc generationem explicare uerbis, aut percipere humano ingenio posset? Non igitur perscrutabimur, sed adorabimus eam, ut quod Paulus monet, sapiamus ad sobrietatẽ. Deinde, manifestum est, q̃ non solum Lucas sed etiam Matthæus genealogiam Christi secundum humanitatem eius descripserit. Et quanquam hi diuersa sæpe nomina maiorum Christi commemorent, tamen si suis quæq; locis distribuas, inuenies ipsos in summa huius negocii optime conuenire. Nam Maria & sponsus eius Ioseph fuerũt quidem de eadem tribu Dauidis, sed post Zorobabelem habuerunt diuersos maiores. A Zorobabele enim descendunt duæ familiæ: Altera per Abiud, qui fortasis is est, qui in libro Chronicῶν Obadia dicitur, & per hanc lineam descendit Ioseph sponsus Mariæ. Altera per Resa cognomento Misciolla. Et per hanc lineam descẽdit uirgo Maria mater Iesu Christi. Matthæus igit̃ deducit ἀ Zorobabele per Abiud genealogiam Ioseph, dicẽs: Zorobabel genuit Abiud, Abiud genuit Eliacim, Eliacim genuit Azor, Azor genuit Sadoc, Sadoc genuit Achin, Achin genuit Eliud, Eliud genuit Eleazar, Eleazar genuit Matthan, Matthã autem genuit Iacob, Iacob autem genuit Ioseph uirum Mariæ. Hæc est uera & naturalis genealogia Ioseph. Lucas autem deducit ἀ Zorobabele per Resa genealogiam Mariæ uirginis, dicens: Iesus, ut putabatur filius Ioseph, qui fuit Heli, qui fuit Matthã, & reliqua usq; ad Zorobabelem, in quo familia Ioseph & Mariæ cõueniunt. Cur ergo, inquies, Lucas dicit Ioseph um esse filium Heli, si non enumerat genus Ioseph? Hic obserua mihi, ex maiorum traditionibus manifestum esse, quòd pater uirginis Mariæ uocatus sit Ioachim. Apud Syros autem, quemadmodum testatur Philo, idem sunt Heli, Heliachim & Ioachim. Quare, cum pater Mariæ uocetur Ioachim, manifestum est, ipsum etiam Heli uocatum. Et is est Heli, quem Lucas uocat patrem Ioseph. Quomodo? num uerum & naturalem? Minime. Verus enim & naturalis pater Ioseph fuit Iacob,

Mariæ pater Heli uel Ioachim.

fuit Iacob, quemadmodum est apud Matthæũ. Heli ergo dicitur pater Ioseph consuetudine coniugali, qua socer uocatur pater generi, & gener filius soceri. Habes igitur, quòd Ioseph & Maria fuerint quidem de eadem familia Dauid, sed habuerint à Zorobabele diuersos proauos, quorum alios Matthæus, alios Lucas commemorat. Sed interim & hoc obseruandum est, quòd quos Lucas in genealogia Mariæ recenset à Zorobabele, eorum aliquot cum cognominibus suis recéseat etiam Philo inter duces de domo Dauid, post captiuitaté Babylonicam. In captiuitatis, inquit, solutione Zorobabel primus præfuit, deinde, Resa Misciolla, post, Ioanna filius Resa, hinc Iudas primus cognomine Hyrcanus, deinceps Iosephus primus, post hũc, Abner Semei, deinde Heli Matthathia, postea Asar Maath, hinc Nange Artaxat, deinde Agai Hesli, deinde Maslot Naum, post hunc Amos Seyrach, deinde Matthathias Siloa, postea Ioseph iunior Arses, post hunc Ianus secũdus Hyrcanus. Post hunc Ianum translatus est ducatus ad Machabæos, qui fuerunt de genere sacerdotali, & ablatum est sceptrum de tribu Iuda. Quos ergo uides hic recenseri à Philone inter duces, hi etiam à Luca recensentur. Et post Ianum secũdum addit Lucas paucos quosdam, qui priuatam duxerunt uitam, uidelicet, Melchi, Leui, Matthan & Heli, qui fuit pater Mariæ uirginis. Ex quibus manifestũ est, quòd, quo tempore ducatus ablatus est de domo Dauid, aduentus Christi non procul abfuerit, ut impleretur quod dictum erat per patriarcham Iacob: Non auferetur ceptrũ de Iuda, neq; dux de femore eius, donec ueniat Silo, qui est Messias. Cõtulimus Lucam & Matthæũ in genealogia Christi usq; ad Zorobabelé. Videamus nunc quos Lucas post Zorobabelem cõmemoret. Qui fuit (inquit) Zorobabel, qui fuit Salathiel, qui fuit Neri, qui Melchi, qui fuit Addi, qui fuit Kosam, qui fuit Helmodã, qui fuit Her, qui fuit Ieso, qui fuit Eliezer, qui fuit Ioré, qui fuit Mattha, qui fuit Leui, qui fuit Symeon, qui fuit Iuda, qui fuit Ioseph, qui fuit Ionan, qui fuit Eliakim, qui fuit Meleã, qui fuit Mænã, qui fuit Mattatha, qui fuit Nathã, qui fuit Dauid. In Zorobabele & Salathiele cõueniũt Lucas & Matthæus, sed post Salathielé iterũ uariant, usq; ad Dauidem, in quo rursus conueniunt. Nam Lucas post Salathielem subiungit Neri, Melchi, Addi & reliquos, Matthæus autem post Salathielem enumerat Iechoniam, Iosiam & reliquos. Sed hæc diuersitas facile conciliari potest, si obseruaueris morem in regno succedendi, quem Dauid inter hæredes suos instituit. Habuit enim Dauid duos filios quos ad successionem imperii ordinauit, hos; alter est Salomon, alter Nathan. Et inter hos talem constituit ordinem, ut primũ quidem Salomon & posteri eius in Israel regnarent, postquam autem Salomonis posteritas deficeret, tum succederet in regno posteritas Nathan. Vnde Nathan, autore Philone, dictus est אחישר Achischar, hoc est, frater principis, propterea quòd institutus erat, ut deficiente Salomonis stirpe, familia eius in regno succederet. Porro Salomonis posteritas defecit in Ochosia (quẽ & Ahasiam legunt) quemadmodum scriptum est in quarto libro Regum, capite undecimo, id quod Philo perspicue explicat: Vnus solus, inquiens, Ochasias ex Ioram & Salomone superstes fuit. Quo perempto, Athalia conata est delere omnẽ stirpem regiã Achischarim (hoc est) eorum, qui erant ex familia Nathan, & designati erant ad succedendum in imperio) sed prouidentia Iosaba sororis Ochosiæ seruatus est ex Achischarim minimus infans nomine Heli, cogniminatus Ioas, qui primus rex fuit ex posteritate Nathan, postquam Salomonis familia in Ochosia defeciffet. Ab hoc Ioas descendunt reges, qui post Ochosiam in Iuda regnauerunt, uidelicet, Amasia, Azaria (qui & alio nomine Hosias dicitur) Iotham,

Ahas,& reliqui,qui in libris Regum & Chronicõν numerãtur. Marthæus ergo deducit genealogiã Christi à Dauide per Salomoné, uſq; ad Ioramã, dicẽs: Dauid rex genuit Salomoné ex ea quæ fuerat uxor Vriæ. Salomõ aũt genuit Roboã, Roboã genuit Abia, Abia genuit Ioſaphat, Ioſaphat genuit Ioramã. A Ioramã aũt, qui deſcendit à Salomone, tranſilit in lineam Nathan,& ait: Ioram genuit Hoſiam. Hoſias enim (qui & Azarias) non fuit ex genere Salomonis,ſed ex genere Nathan,& intermittit Matthæus tres reges,unum quidem ex familia Salomonis, Ochoſiam,in quo & ſtirps Salomonis defecit, & alios duos ex familia Nathan,uidelicet, Ioas (qui primus rex fuit ex poſteritate Nathan) & Amaſiam. Poſt quos ſequitur Hoſias. Dicit ergo Matthæus Ioram genuiſſe Hoſiam, non q̃ Hoſias fuerit naturalis & immediatus filius eius,ſed q̃ dictus ſit filius eius ordinatione Achiſcharim, qui in imperio ſucceſſerunt familiæ Salomonis. Lucas autem deducit genealogiam Chriſti à Dauide per Nathan, & obſeruat naturalem lineam Chriſti, ac ſeorſum enumerat Achiſcharim,qui deſcendunt à Nathan,donec ueniat ad Mattha, hoc uidelicet ordine,Dauid,Nathã,Mattatha,Mænam,Meleam,Eliakim,Ionan,Ioſeph,Iuda, Symeon,Leui,Mattha. Hi omnes à Dauide per Nathan deſcendũt. In Mattha autem iterũ conueniunt Lucas & Matthæus uſq; ad Salathielem, non nominibus quidem,ſed perſonis. Nam quos Lucas à Mattha uſq; ad Salathielem recenſet, ea ſunt cognomina eorum, quos Matthæus ab Hoſia uſq; ad Salathielem commemorat. Scribit enim Philo, quòd à Ioas (qui primus fuit rex ex poſteritate Nathan) atq; deinceps,reges in rememorationem ſemper binomii & trinomii fuerũt. Qui ergo apud Matthæum dicitur Hoſias,is apud Lucam dicitur Mattha. Nã Ioas & Amazias,qui cognominibus ſuis dicuntur apud Lucam Symeon & Leui,omittuntur à Matthæo, ut ſupra indicauimus. Et qui apud Marthæum eſt Iotham, apud Lucã eſt Ioram. Qui apud Matthæum eſt Ahaz,apud Lucam eſt Eliezer. Qui apud Matthæum eſt Ezechias,apud Lucam eſt Ieſo. Qui apud Matthæum eſt Manaſſe,apud Lucam eſt Her. Qui apud Matthæum eſt Amon,apud Lucam eſt Helmadam. Qui apud Matthæum eſt Ioſia, apud Lucam eſt Coſam. Poſt quem iterum duo reges apud Matthæum omittuntur, uidelicet Ioahas & Ioiakim, quorum cognomina ſunt apud Lucam, Addi & Melchi. Sequitur deinde apud Matthæũ Iechonias, quẽ & Ioiachin uocãt. Is autẽ Ioiachin alius eſt à Ioiakim. Hic enim apud Hebræos ita ſcribitur יהויקים, ille autem ſic ſcribitur יהויכין, quorum alter eſt pater, alter filius eius, quemadmodum ſcriptum eſt in quarto libro Regũ, capite uicesimo quarto. Porro Ioiachin, qui & Iechonias, cognomine ſuo apud Lucã dicit Ner. Scribit em̃ Philo, q̃ Euilmerodach rex Babylonis liberauerit Iechoniã è carcere & honore ipſum affecerit. Vnde populus cognominauit Iechoniã Ner, quod lucernã ſignificat, ꝓpterea q̃ lucerna Dauid, quæ timebat extincta, in ipſo redaccẽſa uideret. Iechonias aũt genuit Salathiel, in quo Matthæus & Lucas tam noie q̃ ꝓſona conueniunt. Habes nunc perſpicue, q̃ hi, quos Lucas à Mattha, & Matthæus ab Hoſia uſq; ad Salathielẽ enumerant, non perſonis ſed nominibus tantũ differant. A Dauide autem uſq; ad Abraamum nullã eſt uarietas inter Lucam & Matthæum. Sequi
» tur ergo in Luca. Qui fuit Dauid, qui fuit Ieſſe, qui fuit Obed, qui fuit Booz,
» qui fuit Salmon, qui fuit Nahaſſon, qui fuit Aminadab, qui fuit Aram, qui fuit Ioram, qui fuit Heſrom, qui fuit Phares, qui fuit Iuda, qui fuit Iacob, qui fuit Iſaac, qui
» fuit Abraam. Eodem plane ordine recenſentur hi patriarchæ etiam apud Matthæum, niſi q̃ Matthæus recenſeat eos deſcendendo, Lucas autem aſcendẽdo. Porro, Matthæus nullũ cõmemorat patriarchã ante Abraamũ, tum quòd iudicauerit,

genealogiã

genelogiam Abraami ex ſacris literis notiorem eſſe, quàm ut debeat hoc loco commemorari, tum quòd ante Abraamum Chriſtus nulli patriarchæ tam manifeſte promiſſus ſit, quàm Abraamo. Lucas autem, qui ſolet ea, quæ ab aliis Euangeliſtis omiſſa ſunt, copioſe deſcribere, deducit genealogiam Chriſti ab Abraamo, uſque ad primũ hominẽ Adamũ, & creatorẽ eius, Deũ, dicens: Qui fuit Abraã, q fuit Thara, qui fuit Nahor, qui fuit Saruch, qui fuit Ragã, qui fuit Phalec, qui fuit Eber, qui fuit Sala, qui fuit Caynã, q fuit Arphaxad, qui fuit Sem, qui fuit Noë, qui fuit Lamech, qui fuit Mathuſala, qui fuit Enoch, qui fuit Iared, qui fuit Maleleel, q fuit Caynã, qui fuit Enos, qui fuit Seth, qui fuit Adã, qui fuit Dei. De his oĩbus patriarchis uide caput quintũ & undecimũ Geneſeos. Hæc eſt genealogia Chriſti, non ſolum ex Euangeliſtis recitata, ſed etiam breuiter & perſpicue conciliata. Ex hac ergo genealogia primum ac maxime omnium obſeruandum eſt, quòd comprobetur & declaretur manifeſte Ieſum eſſe de familia Dauid & Abraæ. Hoc autẽ cognitu neceſſarium eſt, ut recte credamus hunc Ieſum eſt uerũ Meſsiam ſeu Chriſtum. Nam Chriſtus promiſſus eſt patriarchæ Abraæ. In ſemine, inquit, tuo benedicentur omnes gentes terræ, quod de Chriſto dictum eſſe tam Petrus quàm Paulus in concionibus ſuis explicant. Eſt & Chriſtus Dauidi promiſſus. Dicitur: enim ad Dauidem: Suſcitabo ſemen tuum poſt te, quod egredietur de utero tuo, & firmabo regnum eius. Ipſe ædicabit domum nomini meo, & ſtabiliam thronũ regni eius uſq; in ſempiternum. Et in prophetis: Suſcitabo, inquit, Dauid germẽ iuſtum, & regnabit rex, & ſapiens erit, & faciet iudicium & iuſticiam in terra. Ac iterum: Suſcitabo paſtorem ſeruum meum Dauid, ipſe paſcet ea, & ipſe erit eis in paſtorem. Et rurſus: Poſt hæc reuertentur filii Iſrael & quærent Dominum Deum ſuum, & Dauid regem ſuum. Ac iterum: In die illa ſuſcitabo tabernaculum Dauid quod cecidit, & reædificabo aperturas murorum eius. Quid plura? Omnes prophetæ, quot quot de Chriſto uaticinantur, teſtantur Chriſtum de ſemine Dauidis fore. Iam ſi Ieſus Mariæ filius nõ eſſet de ſemine Dauidis & Abraæ, non eſſe etiam Chriſtus Abraæ & Dauidi promiſſus, etiamſi multo plura miracula ædidiſſet, quàm ſcripta ſunt. Nunc autem hunc Ieſum uere de ſemine Abraæ & Dauidis eſſe, teſtatur non ſolum genealogia eius, uerumetiam archangelus Gabriel, & publicæ acclamationes populi. Gabriel ait: Dabit illi Dominus Deus ſedem Dauid patris ſui, regnabitq; ſuper domũ Iacob in æternũ. Vulgus clamat: Fili Dauid miſerere mei. Et: O ſanna filio Dauid, oſanna in excelſis. Cum igitur omnia alia, quæ de Chriſto à prophetis prædicta ſunt, in hunc Ieſum Mariæ filium competant, & nunc etiam hoc accedit, quòd certiſsimis argumentis comprobatũ ſit, Ieſum eſſe de familia Abraæ & Dauidis, profecto ipſa meridiana luce clarius eſt, hunc Ieſum eſſe uerum illum Chriſtum, qui patriarchis promiſſus, & per prophetas adnunciatus eſt. Et hic eſt præcipuus genealogiæ Chriſti uſus. Deinde eſt & hoc obſeruãdum, quòd in genealogia Chriſti commemorentur tam boni quàm mali, tam iuſti quàm peccatores, ac etiam peccatrices, præſertim apud Matthæum. Quid enim magis impium rege Manaſſe & filio eius Amon? & hi tamen recitantur in genealogia inter maiores Chriſti. Iudas peccauit ſcortatione cum Thamar. Et hoc peccatum recitat Matthæus: Iudas, inquiens, genuit Phares & Zarah è Thamar. Salomõ duxit in uxorem Raab mulierem Ierichuntinam, ethnicam, & meretricem, nihilominus tamen & hæc mulier recenſetur in genealogia Chriſti. Booz duxit in uxorem Ruth Moabitin, quæ & ipſa in catalogo magnarum auiarum Chriſti commemoratur. Quid dicam de Bathſabea, quæ adulterio ſuo cum Dauide deſignato ſatis nobilis eſt. Et hæc

Chriſtus ex ſemine Dauid & Abraæ.

Genealogia Chriſti cõmemorat peccatores & peccatrices.

ipſa quoque uenit in lineam genealogiæ Chriſti. Dauid (iuquit) rex genuit Salomonem, ex ea quæ fuerat uxor Vriæ. Atque adeò, ſi rem penitius conſyderes, plures fere mali quàm boni inter maiores Chriſti numerantur, & quæ mulieres nominatim recenſentur, inhoneſtæ habitæ ſunt, honeſtæ autem ſilentio prætereuntur. Hoc quid aliud eſt, quàm quòd ſpiritus ſanctus ſignificare uelit, Chriſtum, ut è peccatoribus genus ſuum ducit, ita propter peccatores in hunc mundum ueniſſe. *Chriſtus uenit propter peccatores.* Nam & ipſe ait. Non ueni ad uocandum iuſtos ſed peccatores ad pœnitentiam. Si autem propter peccatores uenit, quid propter peccata tua deſperas? Imo confide & reſipiſce. Tunc eñ tanto magis exuberabit in te gratia Chriſti, quanto magis exuberauit peccatum, quemadmodum Paulus ait. Eſt & hoc loco diſcenda modeſtia, ne cui maiores ſuos contumelioſe exprobremus. Quid enim? Si Chriſtus habuit inter maiores ſuos nebulones impiiſsimos, quis eſt, qui non inter ſuos etiam maiores, homines iniquos & malos numeraret? Poſtremo habes etiam ex genealogia Chriſti, nobilitatem eius ſecundum carnem in hoc ſeculo. Chriſtus enim non tantum ſecundum ſpiritum, uerum etiam ſecundum carnem, omnium hominum nobiliſsimus eſt. *Chriſti nobilitas ſecundũ ſpiritum & carnem.* Ac ſecundum ſpiritum quidem ducit genus ſuum à Deo Patre ſuo ab æterno, ut ſit æternus æterni Dei filius, qua nobilitate & amplitudine quid auguſtius, quid honorificentius excogitari poteſt? Secundum carnem autem ducit genus ſuum, primum à patriarchis ſanctiſsimis, deinde à regibus potentiſsimis, poſtremo à ducibus fortiſsimis, quo genere, qua familia nulla nobilior in tota terra, ac ne inter Babyſonios quidem, & Perſas, & Græcos & Romanos monarchas ac imperatores inueniri poteſt. Hoc autem ideo nobis explicatim ob oculos ponitur, ut Chriſtiani ſuam ipſorum nobilitatem agnoſcant. *Chriſtianorũ nobilitas.* Nam qui credunt in CHRISTVM, fiunt per fidem fratres & cohæredes Chriſti. Narrabo, inquit, nomen tuum fratribus meis. Et alibi: Fratres mei hi ſunt, qui audiunt ſermonem Dei & faciunt illum. Ac rurſus: Spiritus teſtatur unà cum ſpiritu noſtro, quòd ſimus filii Dei. Si autem filii, igitur & hæredes. Hæredes quidem Dei, cohæredes autem CHRISTI. Iam & cum Chriſto unum corpus per fidem efficimur, ut ſimus membra eius. Quid ergo reliquum eſt, niſi ut etiam nobilitatis CHRISTI participes efficiamur? Vnde & Chriſtiani uocamur, quod eſt, ſi interpreteris, Regii, hoc eſt, de familia & nobilitate regia, per Chriſtum regem noſtrum. *Chriſtianorũ nomen.* Sed ad quid tanta hæc nobilitas nobis uſurpanda eſt? Num ad arrogantiam & contemptũ proximi? Minime omnium. Nam ut CHRISTVS tanto humilior coram mundo factus eſt, quanto nobilior fuit, tam ſecundum ſpiritum quàm ſecundum carnem, ita & nos ſectemur exemplum Chriſti, ut tanto nos ſubmiſsiores geramus, quanto nobiliores per CHRISTVM facti ſumus. Eſt tamen, ubi non ſolum licet, uerumetiam neceſſe habeamus ex nobilitate noſtra arrogantiam ſpirare, non quidem aduerſus homines, ſed aduerſus Satanam. Homini enim nobili turpiſsimum eſt, ſeſe ad ſordida negocia demittere. Non ſunt autem ſordidiora negocia quàm opera Satanæ, quæ ſunt peccata. Hic ergo ſuperbiamus in Chriſto, & erubeſcamus ob nobilitatẽ noſtrã, ne demittamus nos ad ſectandas ſordes peccatoræ. Habes genealogiam Chriſti ſecundum carnem, ac nobilitatem eius & omnium Chriſtianoræ. Reliquum igitur eſt, ut & Chriſtũ per fidem agnoſcamus, & nobilitatẽ noſtrã bonis operibus illuſtremus per Ieſum Chriſtũ Dominũ noſtræ, qui eſt unà cũ Patre & Spiritu ſancto Deus laudãdus in ſecula Amẽ.

Caput

CAPVT QVARTVM

HOMILIA XXXIII.



BABTIZATVS est Iesus à Ioanne in Iordane, & declaratus, q̃ sit uerus Messias, unctus à Domino, ad adnunciandum Euangelion humilibus, ad medendum contritis corde, & prædicandum captiuis indulgentiam, quemadmodum prophe ta Esaias scripsit. Nunc igitur necesse habet è diuina patris sui uocatione officium Messiæ capesse te, & munus suum, ad quod è cœlo in terram missus est, publice inchoare. Sed quoniã Christus uenerat in hunc mundum ad expugnandam tyrannidem Satanæ, primum omnium post baptismum tentationibus Satanæ obiicit, & monomachia quadam cum ipso cõmittitur, ut hac pugna sibi uiam aperiret, ad inuadendum ministerio suo regnum Satanæ. Quæ quomodo gesta sint, Lucas ita describit: Iesus plenus spiritu sancto, regressus est à Iordane, & actus est per spiritũ in desertum, ac diebus quadraginta tentabatur à diabolo, nihilq̃ comedit in die- "
bus illis. Iesus (inquit) regressus est à Iordane, plenus spiritu sancto. Nunquid er go accessit ad Iordanem spiritu sancto uacuus? Minime omniũ. Nam quantũ ad diuinitatem eius attinet, unus est Deus ab æterno cum spiritu sancto. Quantũ attinet ad eius humanitatem, conceptus est de spiritu sancto, & quia peccatum non fecit, nec est inuentus dolus in ore eius, semper spiritu sancto impletus fuit. Ergo q̃ regredit à Iordane spiritu sancto plenus, intelligendum est de reuelatis donis spiritus sancti. Quanq̃ enim Christus semper plenitudinẽ spiritus habuerit, tamen quia iam inde à puericia usq; ad hoc tẽpus nihil publice pro officio Messiæ gesserat (nisi q̃ semel duntaxat duodecimo ætatis suæ anno specimẽ aliquod officii sui in schola doctoꝝ exhibuerat) & nunc in baptismo, publico testimonio patris, ac descensu spiritus sancti in specie colũbæ, tanto spiritus feruore accẽsus fuerat, ut nihil aliud meditaret ac conaretur, quàm ut officiũ Messiæ publice inchoaret, ac prædicaret, rectissime dicit, plenus spiritu sancto à Iordane reuersus. Sed idem ipse spiritus sanctus, qui mouebat eum ad capessendũ & inchoandũ officium Messiæ, adegit & expulit eum prius in desertũ, ut illic uariis modis a Satana tentaretur. Subductus est, inquit Matthæus, Iesus in desertũ à spiritu (nimirũ sancto) ut tentaret à diabolo. Et Lucas: Actus est, inquit, per spiritũ, uidelicet sanctum, in desertũ, ac quadraginta diebus tentabatur à diabolo. Hac re monemur, ut nemo priuata sua temeritate sese in pericula tentationũ coniiciat. Nam qui amat, inquit Ecclesiasticus, periculũ, peribit in illo. Nemo enim tã potens est, qui suis uiribus possit uel minimã tentatiun culam superare. Necesse igitur habemus diuinam uocationẽ expectare. Sic enim Dñs Deus noster, qui nos tentatiõibus obiicit, dabit & euentũ, ut possimus sufferre & uincere. Sed qui potuit hoc fieri, ut Christus à Satana tentaret? Nõne Christus filius Dei est? nonne Deus ipse est? Quomodo aũt Satan aliquid aduersus Deum potest? Nonne etiã Christus cõceptus est è spiritu sancto? Quid aũt iuris Satã habet in eũ, qui spiritu sancto plenus est? Profecto Christus uerus & naturalis Deus

Christus spiritu sancto plenus.

Temeritas uitanda.

Christus à Satana tentatus

eſt,& aſſumpſit hominẽ à peccatis ita purum, ut plane nihil iuris in eum Satan habeat. Quanq̃ aũt potuiſſet ſemper in diebus carnis ſuæ pro diuina ſua maieſtate & potentia omnia agere, tamen quia noſtri cauſſa induerat hominem, maluit noſtræ perpetuæ ſaluti, q̃ tẽporariæ ſuæ maieſtati cõſulere. Sepoſita igitur ſeu, utita dicam, diſſimulata diuina ſua maieſtate, coniecit ſe in noſtras imbecillitates, & in his præbuit ſeſe Satanæ non aliter tentandum, q̃ homo quiſpiam infirmus à Satana tentari ſolet. Vnde & in pſalmo octauo dicitur: Diminuiſti eũ paulo minus à Deo. Et Paulus ad Philippenſes ſcribens: Qui cum eſſet, inquit, in forma Dei, non rapinam arbitratus eſt, ut eſſet æqualis Deo, ſed ſemetipſum inaniuit forma ſerui ſumpta, in ſimilitudine hominũ conſtitutus, & figura repertus ut homo, humilem præbuit ſemetipſum, factus obediens uſq; ad mortẽ, mortẽ aũt crucis. Et ad Hæbræos: Debuit per omnia fratribus ſimilis reddi, ut miſericors eſſet & fidelis põtifex, in his quæ apud Deum forent agenda, ad expiandũ peccata populi. Nam ex hoc q; ipſi contigit tentatũ eſſe, poteſt & his qui tentant ſuccurrere. Ac mox: Non habemus pontificẽ, qui non poſsit affici ſenſu infirmitatum noſtrarũ, ſed tẽtatum per omnia iuxta ſimilitudinẽ abſq; peccato. Ex his habes Chriſtũ non fuiſſe natura ſua obnoxium tentationibus Satanæ, ſed aſſumpſiſſe eas uoluntate patris ſui, & uocatiõe ſpiritus ſancti, ut nos in noſtris tẽtationibus ſeruaret. Quod enim in ipſo geri uidemus, hoc ipſe à nobis in ſe tranſtulit. Etenim, poſtquam baptiſati ſumus, emittimur in hunc mundũ, qui, obſecro, quid aliud eſt, q̃ deſertum immaniſsimis feris ac crudeliſsimis Satanis pleniſsimũ? Feras intelligo cum ſylueſtres illas beſtias, tum omnes impios homines, quos iure dixeris urſos, lupos, uulpes, leones, tigrides, pantheras, & id genus alias beſtias. Satan aurẽ diabolus ipſe eſt, qui dicit̃ princeps huius mundi, & Deus huius ſeculi, qui etiam obambulat tanq̃ leo rugiẽs, quærẽs nunc hac nũc alia tentatiõe & afflictione, quem deuoret. Cum igit̃ Chriſtus in noſtri redemptionem ueniſſet, proficiſcit̃ poſt baptiſmũ, in uaſtum quoddã & horrendũ deſertum, ac erat, ut Marcus ait, cum feris, & tentabatur à Satana, ut in ſe horribiles illos terrores, qui nobis tũ à crudelibus interdũ beſtiis, tum à crudelioribus nõnunquam hominibus iniiciunt̃, & grauiſsimas tentatiões, quas nobis Satã incutere ſolet, reciperet, ac repugnãdo ſuperaret. Quid ergo? num quia feræ tũ ſylueſtres, tũ domeſticæ, quæ ſunt impii homines, nos terrẽt, dereliquit nos Dñs Deus noſter? num quia Satã nos grauiſsimis modis tẽrat, iratus eſt Dñs ſuper nos & abiecit nos? Nihil profecto minus. Nam hos terrores & tentatiões aſſumpſit in ſe Dñs noſter Ieſus Chriſtus unigenitus filius Dei, & quia aſſumpſit eas abſq; peccato, patrẽ ſuũ ita placauit, ut quotquot in Chriſtũ credunt, & interim terrent̃ ac tentant̃ à Satana, non aliter reſpiciat, diligat, & adiuuet eos, q̃ ſuum ipſius filiũ Ieſum Chriſtũ in his reſpexit, dilexit, & adiuuit. Quare quo horribiliores ſunt terrores, & grauiores tentatiões, quibus obiicimur, eo propiorem nobis Dominũ Deum noſtrũ propter Ieſum Chriſtũ fauore & auxilio ſuo eſſe ſentiamus. Cæterum, quanto tempore Chriſtus in deſerto à Satana tẽtatus ſit, Lucas perſpicue explicat, dicẽs: Quadraginta diebus tentabat̃ à Satana, & hæ tentatiões, tã graues, tam horrẽdæ fuerũt, ut Chriſtus præ illis nihil interim cibi ſumpſerit. Magna exiſtimatur corporalis ægritudo, præ qua quis tribus aut quatuor diebus nihil cibi admittit. Quantam igit̃ putas animi ægritudinem fuiſſe, præ qua Chriſtus quadraginta diebus nihil humani cibi ſumpſit? Sic Moſe allaturus decalogum, & grauiſsimis tentationibus obrutus, procidit in monte ante Dominũ quadraginta diebus & noctibus, panẽ non comedẽs & aquam nõ bibens. Sic & Elias fugiens reginã Iſabellã, & de ſalute Iſraelis horribiliter tẽtatus,

Mundus deſertum,

ambulauit

ambulauit ieiunus quadraginta diebus & quadraginta noctibus usq; ad montẽ Dei Oreb. His aũt exemplis quidam statuũt ieiuniũ, quod uocant, quadragesimale. Ac semper quidẽ ita nobis ieiunandũ est, ut nunq̃ nõ ducamus sobriã uitã. Cauete, inquit Christus, uobis, ne quando grauent corda uestra crapula & ebrietate ac curis uitæ. Et Paulus: Abiiciamus, inquit, opera tenebrarũ & induamur arma lucis, tanq̃ in die cõposite ambulemus, nõ comessationibus & ebrietatibus. Quod autẽ Christus & Apostolus eius Paulus præcipiũt, hoc non quadraginta tm̃ diebus, sed toto uitæ nostræ tempore præstandũ est. Ex his uero exemplis, quæ de Christo, Mose, & Elia cõmemorauimus, ieiuniũ quadragesimale instituere, & sub peccato mortali obseruandũ præcipere, nihil aliud est, quàm præcipere ut exemplo Christi & Eliæ mortuos in uitam reuocemus, & exemplo Mosi mare rubrum uirga diuidamus, ac è petra in deserto aquã extorqueamus. Vt enim hæc miracula sunt, non humanis uiribus, nec uulgaribus, sed specialibus donis spiritus sancti ædita, ita ieiunium illud, quo Christus, Mose & Elias quadraginta diebus ieiunarũt, non fuit naturale, (quippe q̃ inedia homini post septimũ aut ad summum post undecimũ diem naturaliter letalis sit) sed plane supra rerum naturã, & admirabile ac stupendũ opus Dei. Quis autem hunc exactorẽ in ecclesia Domini ferret, qui non solũ ea, quæ Christus aut prophetæ è uerbo Domini docuerũt, uerumetiam ea, quæ admirabiliter iuxta specialium donorũ suorum prærogatiuas fecerunt, ab hominibus exigeret? Ea quidem, quæ lex Domini præcipit ac mandat, omnino facienda sunt. Quæ aũt sancti admirabiliter iuxta dona sua specialia ad confirmandã ueritatem uerbi Dei gesserunt, proposita sunt nobis, non ut ea operibus imitemur, siquidẽ ne possumus quidem, sed ut iis diuinam potentiam agnoscamus, & admiremur, ac fidem nostram stabiliamus. Quare ineptissimũ est, è ieiunio Christi, quadragesimale ieiunium ecclesiæ Christi obtrudere, & si addas hanc opinionẽ, q̃ hoc opere satisfacias pro peccatis tuis coram Deo, longe omniũ impiissimum est. Porro, quæ fuerint illæ grauissimæ tentationes, quibus Satan in his quadraginta diebus Christum inuasit, & præ quibus Christus etiam cibum sumere neglexit, literis non est mandatũ. Quantum aũt ex iis tẽtationibus, quæ post quadraginta dies sequunt, coniici potest, profecto apparet, Satanam tentasse ipsum de rebus longe omniũ maximis, uidelicet, num sit uere filius Dei naturalis, & num sit uere Messias seu Christus ille in orbem terrarum ad redimendum hominem missus. Ac ueri simile est, Satanam cum ipso multis haud leuibus argumentis disputasse, & in eam sententiã inducere uoluisse, ut sentiret se prorsus nec esse filium Dei nec Messiam. Sed hæc utcunq; habeãt, quoniam non sunt scripta, nec nos curiose perscrutabimur. Eas uero tentationes, quæ Christo consumatis quadraginta diebus, postquam esuriit, contigerunt, explicandas suscipiemus, De quibus Lucas ita scribit. Consumatis illis (uidelicet quadraginta diebus) deinde esuriit. Dixit autem illi diabolus: Si filius Dei es, dic lapidi huic, ut panis fiat. Principio, nihil nos torqueat disputatio de accessu diaboli, uidelicet num Satan externa forma accesserit Christum, quemadmodũ homo ad hominem accedit, an obiecerit CHRISTO has tentationes tantum in conscientia. Vtrumuis factum esse potuit. Nam & Satan interdum assumit humanam speciem, quemadmodũ & angeli boni aliquando faciunt, interdum inspirat tantum absq; externa apparitione consilia sua in conscientiam hominis. Quodcunq; autẽ hoc loco factum sit, profecto hæ tentationes fuerunt grauissimæ, & tanq̃ ignita iacula in cõscientia Christi. Non enim sentiendum est, eas in aurem tantum Christi iniectas esse, sed penetrarunt ipsum cor Christi, & perfoderunt animum eius. Comme-

Quadragesimale ieiuniũ.

Satanæ apparitio.

morantur aũt ex ordine tres tentationes, iuxta præcipua illa tria, quæ mundus ſuſ picit & admiratur. Primum eſt uictus ſeu diuitiæ, ſecundũ gloria & honor, terciũ maieſtas dominandi. Hæc ſunt propter quæ in hoc mundo laboraſ, ſudatur, algeſ, uigilatur, curritur & recurritur. Explicabimus igitur nunc primã tentationẽ, quæ eſt de uictu. Hæc prima eſt omnium ſapientũ hominũ cura, unde ſibi uictum parét. Hinc uariæ acquirendarum diuitiarum rationes excogitantur. Chriſtus ergo permittit ſe primum omnium, poſt quadraginta dies, à Satana de uictu tentari, ut ex hoc, q̃ ipſi contigit tentatum eſſe, poſsit & his qui tentantur ſuccurrere. Nam cum poſt quadraginta dies ita eſuriret, ut periclitareſ ne inedia periret, dixit ad eum diabolus: Si filius Dei es, iube ut lapides hi panes fiant. Quam grauis fuerit hæc tentatio, tunc intelligemus, cum iterum in memoriam reuocauerimus, quomodo Chriſtus ſeſe Satanæ tentandum tradiderit. Quanq̃ enim Chriſtus ſit filius Dei omnipotens, tamẽ exinaniuit ſemetipſum, forma ſerui aſſumpta, & ſepoſita diuinitatis ſuæ maieſtate, obiecit ſe Satanæ tentandum non aliter q̃ alius quiſpiam imbecillis homo, ita ut iam in fame non potuerit (nõ enim uoluit) è lapidibus panes facere. Cũ igitur Satan quadraginta diebus tentaſſet eum uariis argumẽtis perſuadere, ut ſentiret, ſe nõ eſſe filium Dei, & ſuperatus eſſet, exiſtimat ſe nunc, poſtq̃ Chriſtus maxima fame afficitur, & uidet eum impotentiorẽ, q̃ ut queat è lapidibus panes efficere, opportuniſsimam occaſionem nactum eſſe, qua Chriſtum ipſa rei experientia ita concludat, ut plane non poſsit negare, ſe non eſſe filium Dei ac Meſsiam. Si filius, inquit, Dei es, dic ut lapides hi panes fiant. Hactenus multis uerborum argumentationibus aſſeruiſti & uindicaſti tibi coram me maieſtatem diuinitatis & Meſsiæ, ſed age, nunc non amplius diſputationibus & contentionibus uerborum, ſed rebus ipſis certabimus. Non audiam amplius uerba tua, ſed rebus ipſis demonſtra, te eſſe filium Dei. Si filius Dei es, quemadmodum uerbis te iactas & gloriaris, certe etiam omnipotens es, & uno uerbo omnia efficere potes. Neceſſe enim eſt, ſi filius Dei fueris, ut tu uerbum illud omnipotens ſis, quo omnia creata ſunt. Si autem omnipotens, age, declara nunc in neceſsitate famis tuæ omnipotentiã tuam, & dic ſaltẽ uerbum, ut hi lapides panes fiant. Nunc autem, etiamſi ſexcenta uerba effundas, non tamen potes efficere, ut lapides hi panes fiant. Quid igitur aliud reliquũ eſt quàm ut reipſa ſentias te non eſſe filium Dei? En plane nunc captus teneris, ut non pateat tibi ullum effugium. N[illegible] potes uerbo tuo efficere, ut hi lapides panes fiant, non es igitur filius Dei. Sed quid? num mentitur Satan, cum dicit: Non potes efficere uerbo tuo, ut lapides panes fiant? Certe non mentitur. Tradiderat enim Chriſtus ſeſe Satanæ tentandum, prorſus ut imbecillis quiſpiam homo, & ſepoſuerat iam potentiæ ſuæ maieſtatem. Quare non potuit (quia ſic uoluit) Chriſtus è lapidibus panes facere. Num ergo conſequitur, ipſum nõ eſſe naturalem filiũ Dei? Minime omnium. Quanquam enim id non potuerit, hæc tamen impotentia non uenit ex neceſsitate, ſed ex ſpontanea aſſumptione. Cum eſſet in forma Dei, exinaniuit tamen, inquit Paulus, ſemetipſum, forma ſerui ſumpta, in ſimilitudine hominum conſtitutus, & figura repertus ut homo, humilem præbuit ſemetipſum. Quare etſi maieſtatẽ filii Dei nõ ſemper oſtẽtauit, ſemper tamẽ fuit & eſt filius Dei. Cæterũ quas cogitationes à Satana excitatas Chriſtus in ſe aſſumpſit, hæ illæ ipſæ ſunt, quas Satã noſtris cõſcientiis obiicit, & quibus ſperat ſe nos ad deſperationẽ adacturum. In baptiſmo eñ adoptamur in filios Dei, & ſanctificamur ad ius hæreditatis omniũ cœleſtiũ bonorũ, ut habeamus perpetuam uitã & fœlicitatẽ. Poſteaq̃ uero

Panes è lapidibus facere non potuit Chriſtus, quia noluit.

aliquãdiu

aliquandiu poſt baptiſmum ſuperſtites manemus, præter alias afflictiones, obru imur etiam interdum tanta penuria, ut præ fame uenter noſter etiamnum crepet. Tunc igitur iniicit nobis Satan tales cogitationes: Quid? Promiſit ille uitam æter nam, & non potes habere uitam temporariam. Adoptauit te Deus in filium Dei, ſed ecce non potes uel pilum addere capiti tuo, nedum panes è lapidibus facere, id quod tamẽ poſſes, ſi modo uera eſſet baptizatoris promiſsio. Reliquum igitur eſt, ut ſentias te nec eſſe in filium Dei adoptatũ, nec habere ius æternæ uitæ ac fœli citatis, nec à Deo reſpici, ſed prorſus à Deo derelictum & abiectum eſſe. Hæc ſunt ignita Satanæ iacula, quibus humana mens ad deſperationem ſollicitatur. Vnde eorum, qui huic tentationi ſuccumbunt, alii quidem abrumpũt ſibi uitam laqueo, alii autem uxores ac liberos derelinquũt, alii latrociniis & furtis ſeſe tradũt, alii im poſturis operam dant, nimiꝝ ſperantes ſe his uiis tẽtationem & periculum famis effugere poſſe. Stulti & imprudentes homines. Fames eñ deſperatione & iniquita te non pellitur, ſed accerſitur. Si audire uolueris, inquit Moſe, uocem Domini Dei tui, mittet Dominus ſuper te famẽ & eſuriem, & increpationẽ in omnia opera tua quæ facies, donec conterat te & perdat uelociter. Et apud Ezechielẽ: Terra, inquit Dominus, cum peccauerit mihi, ut præuaricetur præuaricans, extendam manum meam ſuper eam, cõteram uirgam panis eius, & immittam in eam famem, & inter ficiam de ea hominem & iumentum. Quid ergo in tam graui tentatione faciendũ eſt? Hic mihi monomachia Chriſti, quam hoc loco cum Satana iniit, contemplã da eſt. Cum enim Chriſtus propter nos ſeſe his tentationibus obiecerit, & uicerit, primum, credendum eſt in Chriſtum, quòd ipſe nobis reddiderit patrem placatũ, & ita recõciliauerit nos Deo, ut nos pro filiis agnoſcat, & in omnibus afflictionibus reſpiciat. Deinde obſeruandum eſt, quo gladio Chriſtus Satanam repellat, ut nos eodem quoq; in ſimilibus tentationibus utamur. Sequitur enim. Reſpondit ad illum Ieſus dicens: Scriptum eſt. Non pane ſolo uiuet homo, ſed omni uerbo Dei.

Tentationes de uictu.

Fames tẽtatio

Vide, quid Chriſtus tentationi Satanæ obiiciat. Obiicit enim ei ſententiã è ſa cra ſcriptura mutuatam. Quod enim dicit Chriſtus, in Deuteronomio capite octa uo ita ſcriptum eſt: Afflixit te penuria, & dedit tibi cibum Man, quod ignorabas tu & patres tui, ut oſtenderet tibi, quòd nõ in ſolo pane uiuat homo, ſed in omni uer bo, quod egreditur de ore Domini. Itaque ſi cum Satana dimicandum eſt, arripe gladium uerbi Dei, quod ſacra ſcriptura proponit. Non eñ eſt alius gladius, quo Satan confodi poteſt, q̃ uerbũ Dei. Videamus igitur quis ſit uerus huius dicti ſen ſus, ut intelligamus, quomodo eo ſit aduerſus tentatiões famis utendũ, & fami me dendũ. Principio, qd̃ dicit: Nõ in ſolo pane, nõ de uulgari tm̃ pane, quo ueſci ſole mus, intelligendũ eſt, ſed etiã de uulgaribus illis artificiis & uocationibus, quæ na tura ſua ad parandũ panẽ ſeu uictũ ordinatæ ſunt, quales ſunt, agricultura, ars mo litoria, & piſtoria. Deinde hoc totum dictum nõ ita inepte intelligẽdum eſt, quòd qui ad unum aut duas horas audiat concionem uerbi Dei, poſtea non eſuriat cor pore, aut eo minus pane ueſcatur. Externus enim uerborum tumultus non replet uentrem. Ad hæc, quod dicitur, ſed omni uerbo quod egreditur de ore Domini, non intelligitur de occulta conſeruatione uitæ noſtræ, quæ fit potentia uerbi Dei. Verum quidem eſt, q̃ ut uita noſtra omnipotentia uerbi condita eſt, ita etiam ea dem uerbi omnipotentia conſeruatur. In hoc autem dicto nunc non fit ſermo de hac uerbi cõſeruatione, ſed uerbum Dei, de quo hic eſt ſermo, eſt quæuis uocatio, quoduis artificiũ, quoduis opus, quiuis ſtatus, quæuis conditio, quæ uerbo Dei in ſtituta & ordinata eſt Vt ſit ſenſus. Dominus Deus noſter non largitur homini

Tẽtationibus Satanæ quo gladio obuiã dum.

uictum suum è uulgari tãtum pane, aut ex his artificiis & uocationibus, quæ ad uulgarem panem parandum communiter ordinatæ sunt, sed largitur uictum ex omni uocatione, quæ uerbo Dei est instituta, & ad quam sectandã uerbo Dei uocatus fueris, etiamsi interdum nihil minus uideatur, q̃ q̃ queas tibi uictum parare ex ea uocatione, quam Deus iniunxit, nihilominus tamẽ largitur tibi Dominus ex illa satis sufficientem uictum, modo tu huic ad mandatum Domini diligenter & fideliter seruias. Vnde quod ethnici prouerbialiter dixerunt: Artem quæuis regio alit, significantes certissimum uiaticum esse eruditionem aut artificiũ aliquod, ita nos paucis mutatis dicere possumus: Vocationem Dei quæuis terra alit, hoc est, quicũque sectatur uocationem Dei, ubiuis sua habet alimenta, etiamsi fuerit in medio deserto, ubi neq; frumenta neq; panes inueniri queant. Etenim Dñs Deus noster tantæ est clementiæ, ut omnibus diuinam uocationem sectantibus uictum suum liberaliter promiserit. Si audieris, inquit Mose, uocem Domini Dei tui, ut facias & custodias omnia mandata eius, benedictus tu in ciuitate, benedictus in agro, benedictus eris ingredines & egrediens. Et Dauid: Iusti, inquit, non confundentur in tempore malo, & in diebus famis saturabuntur. Ac mox: Iunior fui & senui, & non uidi iustũ derelictum, nec semen eius quærens panẽ. Et Salomon in prouerbiis: nõ affliget Dominus fame animam iusti. Potro iustum in his locis intelligas eum, qui diuinæ suæ uocationi ex fide seruit, & eam diligenter sectatur. Huic igitur promisit Deus certissimum uictum. Quod aũt Deus promiserit, quid? putas ne irritum & uanum esse? Cœlum & terra, inquit, præteribunt, uerba autem mea non præteribũt. Nam quod Deus pmiserit, hoc & potest præstare, quia omnipotens est, & uult præstare, quia clemens & uerax est. Quid igitur dubitas, quo minus uocationem Dei timore famis capessas? An non uides, nullum propè tam inhumanum esse dominum in terris, qui emittat seruum suum ad opus aliquod perficiẽdum, & interim seruo ab opere redeunti nõ paret uictum? aut nullum tam crudelem esse tyrannũ qui emittat legatum in negociis regiis, cui non addat uiaticum? Profecto & domini & reges in terris hoc solum à familia & legatis suis expectant, ut quod mandatũ est, diligenter & fideliter peragant, ipsi interim curam parandi uictus pro familia & legatis sibi reseruantes. Quid autem? Existimas ne Dominum Deum nostrum hominibus inhumaniorem, aut seruorum suorum negligẽtiorem esse? Nihil uero minus. Si eñ homines, cum sint mali, norunt bona dare seruis suis, quãto magis Deus noster, qui est in cœlis, bona dabit seruis suis. Sed difficilime creditur, q̃ homo uiuit ex omni uerbo Dei, hoc est, q̃ Deus largiatur uictũ ex quauis uocatione uerbo Dei sanctificata, Hoc potius opinãtur homines, q̃ uictus contingat ex impostu ris, dolis, mendaciis, furtis, & id genus aliis. Si te in hoc seculo, inquiunt, nutrire uoluerís, necesse habes animam tuam post ianuam ponere. Hoc enim dicto intelligunt, nullam rationem salutis animæ in parando uictu habendam esse. Vt igitur & impia hominum opinio cõfutetur, & ueritas uerbi Dei, quod affirmat uictum è quauis diuina uocatione contingere, confirmet, adiecit Dominus uerbo suo ingentia & clarissima miracula, quæ non sunt nisi publica sigilla ueritatem diuini uerbi testantia. Primũ ergo sigillum, quo Dñs ostendit & confirmauit, q̃ non in solo pane uiuat homo, sed in omni uerbo, quod egredit de ore Domini, commemoratur in Exodo, capite decimo sexto, & in Deuteronomio capite octauo. Nam Israëlitæ uocabantur uerbo Dei ex Aegypto in desertum, ut per desertum ad terram Chanaan proficiscerentur. Cum ergo uenissent in desertum, neque frumenta neque panes inueniebant, adeo ut ad Mosen dicant: Cur induxistis nos in desertum istud,

Victus paratur ex uocatione Dei.

Iustus quis?

Victus promissiones habẽt sua sigilla

ut occide

ut occideretis omnem multitudinem fame? Quid igitur factum est? num Israëlitæ fame perierũt? Nequaquã, sed quia ambulabant in uocatione Dei, dedit eis Dominus cibum Man de cœlo, ut ostenderet, q̃ homo non solum uiueret in his uocationibus, quibus ordinarie panis paraẽ, sed in omnibus uocationibus, quas Deus instituit. Secundũ sigillũ proponit nobis in Exodo capite uicesimo quarto, & in Deuteronomio capite nono. Vocauit enim Dominus Mosen ad montem & dixit: Ascende ad me in mõtem, & esto ibi, daboq́ tibi tabulas lapideas, & legẽ ac mandata, quæ scripsi, ut doceas filios Israël. Cum igitur Mose ad uocationem Domini in mõtem ascẽdisset, detinuit eum Dominus ibi quadraginta diebus & quadraginta noctibus. Sed cum in monte nec panis nec aqua fuerit, unde inrerim Mose uictum suum habuit? Profecto impius quispiam, uastitatem & sterilitatem mõtis sibi ob oculos ponens, nec uocanti Domino obediisset, nec si obediisset, in uocatione Dñi tot diebus pseueraſſet. Mose aũt cõfidens, hoiem non solum è uulgaribus uocationibus, quibus panis paratur, sed etiam è quauis uocatione Dei uiuere, etiamsi nihil in ea panis appareat, & uocationi Dei obediit, & in uocatione Dei perseuerauit. Quid ergo fit? Vide rem admirandã. Mose pseuerauit in mõte quadraginta diebus ac noctibus, panẽ non comedens & aquã nõ bibens, nihilominus tñ cõseruauit Dñs corpus eius sanũ ac uegetũ, ut declararet, q̃ non in solo pane uiueret homo, sed in omni uerbo, hoc est, officio, ad qd̃ uerbo Dei uocamur. Tertiũ sigillum scriptum est in tertio libro Regum capite decimo septimo. Cum enim Elias dixisset: Viuit DOMINVS Deus Israël, in cuius conspectu sto, si erit annis his ros & pluuia nisi iuxta oris mei uerba, factum est uerbum DOMINI ad eum dicens: Recede hinc & uade contra orientem & abscondere ad torrentem Carith, qui est cõtra Iordanẽ. Quid ibi faciam? nũquid uis me fami deglutiendũ obiicere? Non est ibi agricola, nõ est molitor, nõ est pistor, nõ est panis. Vnde igit̃ uiuã? Sed non est, mi Elia, ut timeas, ne inedia pereas. Habes uerbum quod egressum est ex ore Dei: Recede hinc & uade contra orientẽ & abscondere ad torrentẽ Carith. Hæc est uocatio tua, hoc est officium, ad quod uerbũ Domini te uocat. Nõ potest fieri, ut ambulans in ea uocatione, fame intereas. Abiit ergo Elias, & fecit iuxta uerbũ Dñi. Cunq́ abiisset, sedit in torrente Carith, qui est contra Iordanẽ. Ac torrẽs aliquandiu satis quidẽ aquæ suppeditabat, sed ubi interim panis? Audi rem nouam & stupendam. Corui deferebant ei panem & carnes mane, similiter panem & carnes uesperi. Quamobrem? num propter sanctitatem Eliæ? nequaquam. Si enim iniquitatem obseruaueris DOMINE, Domine quis sustinebit? Et: Non iustificatur in conspectu tuo omnis uiuens. Sed ut hoc miraculo ostẽderetur, quòd non in solo pane uiuat homo, sed in omni uerbo, quod egreditur de ore Domini. Idem locus, qui est in tercio libro regum capite decimo septimo, ponit nobis & quartũ sigillum ob oculos. Sic enim dicit scriptura: Post aliquantos dies siccatus est torrens, non enim pluerat super terram. Factus est ergo sermo Domini ed Eliam dicens: Surge & uade in Zarpath iuxta Sidonem & manebis ibi, præcepi enim mulieri ibi uiduæ, ut curet te. Cúmque uenisset ad portam ciuitatis, apparuit ei mulier uidua colligens ligna, à qua cum petiisset paululum aquæ & buccellum panis, audit: Viuit Dominus Deus tuus, quia non habeo panẽ, nisi quãtũ pugillus capere potest farinæ in cado & paululũ olei in urceo. En colligo duo ligna ut ingrediar & faciã illud mihi & filio meo, ut comedam9 & moriamur.

Eliæ uictus apud torrẽtem Carith.

Sareptana uidua.

Ad quam ait Elias: Noli timere, sed uade & fac sicut dixisti, ueruntamen mihi primum fac exiguam placentã, & affer ad me, tibi autem & filio tuo facies postea. Et Elias & uidua suum habebant uerbum, quo à Domino ad operis aliquid peragendum uocabantur. Eliæ dicebatur: Surge & uade in Zarpath. Viduæ dicebatur per Eliam, ex ore Domini: Fac mihi exiguam placentam & affer ad me. Cum igitur hanc uocationem Domini, ex fide eaꝝ promissionum, quæ adiectæ erant, sectaretur, quid fit? Ex illa, inquit, die farina in cado non defecit, & non defuit oleum in urceo, usqꝫ ad diem, in qua Dominus dedit pluuiam super faciem terræ, idqꝫ factũ est, ut ostenderetur, quòd non in solo pane uiuat homo, sed in omni uerbo, quod egreditur de ore Domini. Suppeditat nobis Elias & quintum sigillum. In tertio enĩ libro Regum capite decimo nono fugit Elias tyrannidẽ Isabelis, & cum uenisset in desertũ, deerant ei panis & aqua. Quo se ille uerteret? Proiecit se subter iuniperum, & petiuit animæ suæ, ut moreret. Cumqꝫ in eo mœrore obdormiuisset, ecce angelus Domini tetigit eum, & dixit illi: Surge & comede. Respexit, & ecce ad caput suum tostus panis & uas aquæ. Cum autem comedisset, & rursus obdormiisset, secundo excitatus est ab angelo, qui dixit: Surge & comede. Longa enim tibi restat uia. Qui cum surrexisset, comedit & bibit, & ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus & quadraginta noctibus, usqꝫ ad montẽ Dei Oreb. Elias fugiendo crudelitatem reginæ, sectabatur uocationem huius uerbi: Non tentabis Dominum Deum tuum. Vt igitur manifestum fieret, ipsam Dei uocationẽ satis alimenti offerre, duo magna miracula fiunt. Alterum, quòd angelus Dñi ponat ad caput dormientis (dormientis inquàm, ut & illud psalmi uerum appareat: Dat dilectis suis per somnum) panem tostum & uas aquæ. Alterum, quòd Elias in fortitudine cibi illius ambulat quadraginta diebus ac noctibus, id quod alioqui natura rerum minime ferre potest. Posthæc, tempore prophetæ Elizæ successoris Eliæ, sexto sigillo confirmatum est, quòd Dominus in necessitate famis his subueniat, qui in sectanda uocatione eius constãt. Nam cum Samaria à rege Syriæ obsideretur, iussit Dominus Israelitas per Elizam, ne tradetent Samariã regi Syriæ, quẽadmodum in quarto libro Regum capite sexto scriptum est. Israëlitæ igitur in obedientia huius uocationis ambulantes, & ciuitatem aduersus oppugnationem hostis tuentes, tanta fame oppressi sunt, ut caput asini uenundaretur octoginta argenteis, & quarta pars cabi stercoris columbarum quinqꝫ argenteis, & quod auditu quoqꝫ horrendum est, matres carnibus liberorum suorum uescerentur. Hac necessitate nihil magis extremum dici potest. Præsto igitur adest Dominus his, qui ad uocationem uerbi sui ciuitatẽ tuebantur, & immittit panicum (quem uocant) tumultum in exercitum hostium, qui repentino horrore ita concuciebantur, ut derelictis castris suis omni commeatu plenissimis, non aliter fugerent, q̃ si uniuscuiusqꝫ ceruici gladius immineret. Quod cum hi, qui in ciuitate erant, per nuncios accepissent, erumpunt, diripiunt castra, ac tãtum cõmeatus inueniunt, ut modius similæ uno sicl̃o, & duo modii hordei similiter uno sicl̃o uenderentur. Habes itaꝫ miraculũ quo confirmatũ est, quòd nõ solo pane, hoc est, iis uocationibus quibus panis parabilis est, uiuat homo, sed in quauis uocatione uerbo Dei instituta, etiãsi nullus panis in ea ne posse quidem parari uideatur. Iam & Euangelicæ historiæ his septimũ addũt sigillũ. Nã in Matthæo, capite decimo quarto, uiri ferme quinquies mille, præter mulieres ac pueros, sequunt Iesum Christũ in desertũ, & audiũt conciones eius. Cum igitur discipuli tantum quinqꝫ panes & duos pisces haberẽt, Christus acceptis illis ac benedictis, totam turbam uirorum, mulierum & puerorꝫ

ita ex eis

ita ex eis cibauit,ut duodecim cophini pleni de fragmentis remanserint. Et mox Matthæi capite decimo quinto,saturantur quater mille uiri unà cum multis mulieribus & pueris,septem tantũ panibus ac piscibus,& sublatæ sunt, quod supererat fragmentoꝝ,septem sportulæ plenæ. Ambulabant enim hi in uocatione uerbi Dei & sectabantur Christum (qui est ipsum Dei uerbum) trahentem eos concionibus suis usq; ad desertum. Itaq; ut ostenderet hominẽ in omni uerbo Dei uiuere,necesse habuit unus paruus panis plus quàm mille homines cibare. Quòd si & hic defuisset,profecto cœlũ potius manna pluisset,quàm ut hi, qui in uocatione uerbi Dei ambulabant,inedia perirent. Sed quid multis opus? An non & hoc Christi exemplo,quod nunc tractamus,satis abũde testatũ & confirmatũ relinquitur,qꝺ (quem admodũ ipse Satanæ respondet) non solo pane uiuat homo,sed omni uerbo Dei? Christus enim non priuata temeritate,sed spiritus sancti uocatione ad desertum profici scitur,& assumpta nostra infirmitate obiicit sese tentationibus diaboli. In ea igitur uocatione Dei,cum & panis & aqua deessent, quadraginta diebus & noctibus ita incolumis absq; cibo conseruatus est,ut,quod est admirãdum,tanto tempore neque esurierit. Et cũ post quadraginta dies esuriret, ne sic quidem animũ despõdit,etiamsi iam nõ posset (quia non uolebat) è lapidibus panes facere,sed respondet Satanæ: Nõ solo pane uiuit homo,sed in omni uerbo Dei. Non necesse est,ut è lapidibus panes fiant,nec necesse est,ut panẽ cibariũ habeam. Qui me hactenus quadraginta diebus ita absq; pane sustentauit,ut non esurierim,is certe & nũc post quàm esurio,sciet me absq; pane illo cibario sustentare. Ambulo enim in uocatione Dei,ueni in hoc desertum, non priuata temeritate, sed ductu uerbi Dei ac spiritus sancti. Quare etiamsi non queam è lapidibus panes facere,fieri tamẽ non potest, ut fame peream. Quod Christus exemplo sui ipsius cõprobauit,idem etiã Apostolorum suorũ exemplo confirmauit. Cum enim concionaret ipsis de abiicienda sollicitudine uictus & amictus,addit: Quærite primum regnum Dei & iusticiam eius, & hæc oĩa adiicientur nobis. Regnũ Dei,prout hoc loco & sæpe alias isto uocabulo Christus utit,significat prædicationem Euangelii, qua regnum Dei nobis reuelat. *Regni Dei uocabulum.* Iusticia aũt, quam prædicatio Euangelii in Apostolo aut ministro requirit,est, qꝺ Euangelion prædicet diligenter & fideliter,& omnia ea,quæ ad hoc ministerium pertinent,perficiant. Cum ergo Christus iubet Apostolos suos quærere regnũ Dei & iusticiã eius,iubet eos summã dare operã,ut uocatiõi suæ seruiant,hoc est,ut Euãgelion regni Dei fideliter ꝓdicent,& oĩa ea, quæ ad ꝓdicationẽ Euangelii attinẽt, iuste,recte,& diligenter exequant. Hoc si fecerint,pollicetur ipsis oĩa, quæ ad uictũ & amictum necessaria sunt, adiicienda, etiamsi ipsos nullo instructos uiatico ad huius ministerii functionem emittat. Quod autem Christus pollicitus est,hoc egregie quoq; præstitum est. Nam,cum Christus apud Lucam interrogaret Apostolos suos,dicens: Quando misi uos sine sacculo & pera & calciamẽtis,num quid defuit uobis? palàm confitentur, nihil planè ipsis defuisse. Res certe admirãda. Apostoli emittabantur ad prædicandum Euangelion inopes & egeni,& mundus persequebat tam Euangelion qꝫ Apostolos, nihilominus tamen,cum in tam periculoso & paupere ministerio ambularẽt, nihil uel in uictu uel amictu defuit eis. Sed uoluit Dñs declarare,nullã tam ieiunam esse uocationem Dei,qua sectanti non satis alimentorum suppeditetur. Quid dicam de uolatilibus cœli & floribus agri? Hæc *Volatilia cœli & flores fidẽ de uictucõ firmant.* & Christus ipse nobis in cõfirmationẽ fidei apud Matthæũ ꝓponit. Neq; enim serũt, neq; metũt,neq; conuehũt in horrea sua,neq; nendo laborãt,id tantum agunt,ad quod uocata sunt, uolatilia cœli uolant, flores campi florent, & odorem spirant.

Hæ ſunt illorum uocationes, quas cum ſectantur, paſcuntur à Deo liberaliſsime, & ueſtiuntur ab eo ſplendidiſsime. Et, quod magis miræ eſt, ſcribunt quidam, pullos coruorum recens natos parentum ſuorum cura deſtitui, & cum omnes auium pulli, à parentibus ſuis, adhuc implumes nutriantur, ſoli pulli coruorum negligun tur. Quis igitur illos nutrit? aut quomodo coruorum genus conſeruatur, ne intereat? Hic mihi uide admirandum bonitatis Dei exemplum. Pullos enim à parentibus neglectos obuolitant muſcæ quædam, nimirum prouidentia Dei paratæ, quibus captatis ueſcuntur, & aluntur. Huc conuenire uolunt illud pſalmi: Dat eſcam pullis coruorum inuocantibus eum. Res eſt alta mente reponenda. Pulli coruorũ adhuc implumes neſciunt aliud artificium, quàm roſtrum aperire & crocitare, qđ etſi uideatur ad parandum uictum prorſus ineptum eſſe, tamen hoc artificium exercentes, uictũ ſibi diuina liberalitate acquirunt. Quid de auium pullis loquor, cũ infantes noſtri, quàm primum ex utero matris in lucem ueniũt, immenſam Dei clementiam in tribuendo uictu palàm teſtentur. Quomodo iſtud, inquies? Cum infans præ ætate nondũ poſsit ſolido cibo ueſci, ſtatim ut naſcitur, ubera matris lacte implentur, quo interim fouetur, donec alios cibos ſumere queat. Hoc miraculum, etſi ob conſuetudinem uiluerit, tamen ſemper ob oculos reuocandum eſt, ut in eo expoſitam Dei liberalitatem cõtemplemur. Quid enim uidetur infante magis egẽs? quid apparet min⁹ infante poſſe ſibi parare uictũ? Sed ecce, tã diues eſt infans, ut ſua alimenta ſecum in hũc mondũ afferat, tam induſtrius eſt, ut iam primũ natus, ſtatim ſibi uictum parare ſciat, ſic nimirũ hãc rem adminiſtrante Dño Deo noſtro, qui tam neſcit non liberalis eſſe, quàm neſcit non eſſe Deus. Habes ingentia miracula, & multa alia argumenta, quibus ueluti ſigillis comprobatur, q̃ nõ ſolo pane uiuat homo, ſed omni uerbo ſeu uocatiõe, quæ à Deo mandatur. Reliquũ igitur eſt, ut abiecta impia uictus ſollicitudine, primum, omnem fiduciam noſtrã in Dñm Deum noſtrum collocemus, ac ſentiamus, eum iuxta promiſsionem, qua dicitur: Ego ſum Dominus Deus ueſter, non ſolum animæ noſtræ, uerumetiã corporis noſtri ſeruatorem ac curatorem eſſe. Deinde, ſuæ quiſq; uocationi à Deo otdinatæ diligenter ſeruiamus, ac ſi quid impiarum curarum de uictu parando Satan nobis iniiciat, gladio uerbi Domini pre fidem repellamus, id quod largiatur nobis benignitas & clementia Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui eſt unà cum Patre & ſpiritu ſancto Deus laudandus in ſecula Amen.

Coruorũ pulli, exemplum confirmandæ fidei.

HOMILIA XXXIIII.

REne monet nos Petrus: Sobrii, inquiens, eſtote, uigilate, quoniam aduerſarius ueſter diabolus tanquam leo rugiẽs obambulat, quærens quem deuoret. Nam cum Satan prima tentatione à Chriſto uictus & proſtratus eſſet, non tamẽ diſcedit, non quieſcit, ſed quia hac non ſucceſsit, alia aggreditur. Si aũt tam ſollicite Chriſto inſidiatur, à quo tamẽ ſentiebat uires ſuas debiliores reddi, quid non inſidiarum nobis Chriſto longe inferioribus tenderet? Quare nunq̃ ſecuri ſimus, ſed meminerimus nobis ſemper aduerſus Satanam pugnandum eſſe, qui etiamſi ſemel repulſus eſt, tamen mox grauius inſtat, ut nos, ſi non fortitudine uirium, certe perſeuerantia pugnæ, à ſalute noſtra deiiciat. Nam, q̃ irrequietus ſit ſpiritus Satan, declarat nunc ſecunda ſua tentatione, qua Chriſto, quamuis in prima pugna uictori, inſidiatur. Eſt autem hæc ſecunda tẽtatio, de adipiſcenda potẽtia & dominatione in hoc ſeculo. Poſtq̃ eñ ſufficiẽs uictus para

uictus paratus est, tum mox oriri solet affectus dominandi, & quo generosiora sunt hominum ingenia, eo uehementius ad imperia aspirant. Et hic affectus homines plærumq; ita transuersos rapit, ut nullam nec pietatis nec honestatis rationē habeant. Amicus amico, affinis affini, consanguineus consanguineo insidias tendit, ut dominetur. Nec frater fratri parcit, tātummodo ut regnet. Sed quid? Filius patrem occidit, ut imperet, & quod ipsa rerum natura admiratur, etiam pater filios trucidat, ne è regno expellat. Cuius rei, historiæ tā sacræ q̄ gentiū, satis multa exempla suppeditant. Huius igitur affectus tentatione aggredit Satan Christū, si quo modo posset ipsum ab obedientia Dei, in suam seruitutē deiicere. Sic enim scribit Lucas. Et subduxit illum diabolus in montē excelsum, & ostendit illi omnia regna orbis terræ in puncto temporis, & ait illi diabolus. Tibi dabo potestatem hāc uniuersam & gloriam illorum, quia mihi tradita sunt, & cuicunq; uolo, do illa. Tu ergo si adoraueris prouolutus coram me, erunt tua omnia. Principio nulla hic curiositate inuestigabimus, num hæc subductio in montē excelsum, & ostēsio regnorum huius seculi, facta sit extrinsecus & corporaliter, an Satan obiecerit tantū has cogitationes conscientiæ Christi. Fieri potuit, ut Christus super montē in deserto excelsissimum ascenderit, & contēplatus ibi fuerit quantum uisu potuit consequi, uaria regna & principatus huius seculi, ac huiuscemodi cogitationes habuerit, quas ei Satan obiicit. Rursus fieri potuit, ut CHRISTVS in ualle deserti manens, uisus sit se subduci in altum montem, & ibi regna huius seculi contēplari, ac spe quadam affici, se horum imperio potiri posse, si modo uocationem Dei derelinquat, & consiliū Satanæ sectet. Quodcunq; factū sit, parū retulerit, nos potius rem ipsam cōsyderabimus. Promittit enim Satan Christo imperiū totius orbis terrarum, si ipsum adoret, & addit: Hæc mihi tradita sunt, & cuicunq; uolo do illa. Quid noui audimus à Satana? num ipse est dominus regnoꝝ huius seculi? Quid ergo Daniel de Domino Deo nostro scribit: Dominātur, inquiens, excelsus in regno hominum, & cuicunq; uoluerit, dabit illud? Ad hæc facile quidem responderi potest, hanc esse naturam Satanæ, ut mentiatur, & affectet honorem ac maiestatem diuinitatis, attamen Satan tam astutus & subdolus spiritus est, ut mendacium suum non nisi ueritatis specie proponat. Vnde quod hoc loco de imperio huius seculi dicit: Hæc mihi tradita sunt, & cuicunq; uolo, do illa, non omnino mentitur. Cum enim initio creatus esset mundus à Deo, positus est homo in mundum, ut esset Dominus orbis terrarū. Replete, inquit Deus, terrā, & subiicite eam, & dominamini piscibus maris, & uolatilibus cœli, & uniuersis animantibus, quæ mouētur super terram. Postq̄ autem homo Satanæ instinctu peccauit, factus est propter peccatum Satanæ captiuus. Vnde, quia Satan occupauit potestatē super hominem, occupauit & potestatem super imperium orbis terrarum, quod homo ante peccatum habebat. Itaq; regnum orbis terræ factum est tributarium Satanæ. Nam, quēadmodum qui in bello principem uincit & capit, is & omnia, quæ principis sunt, iure belli acquirit, ita postq̄ Satan hominem per peccatum uicerat, factus est & imperium orbis terraꝝ, quod ante peccatū homini traditum erat. Hinc est, q̄ sacræ lit eræ uocēt Satanam principē huius mundi, & Deū huius seculi. Quid ergo? nū Deus nūc dormitat, & non regnat in terra? num falsum est, quod Daniel de Deo dicit: Transfert regna atq; constituit. Et iterum: Dominatur excelsus in regno hominum, & cuicunq; uoluerit, dabit illud? Nihil profecto minus. Quoniam Domini est regnum & ipse dominabitur gentium. Sed in domino Deo nostro duo sunt obseruanda: Alterū est, immensa & imperscrutabilis omnipotentia eius. Et secun-

Dominandi libido.

Satan princeps huius seculi.

Regnū terræ tributariū Satanæ.

Dei omnipotentia & uoluntas.

dū hanc Deus omnia tam in cœlo q̄ in terra administrat & gubernat. Alteꝝ est, manifesta Dei uoluntas, quam uerbo, lege, & mandatis suis declarauit. Et secundum hanc regnat quidem Deus inter pios, sed nō inter impios, quoꝝ multo maior quā piorum est numerus. Secundum hanc Satan sæpenumero Domino Deo nostro in hoc seculo prævalet. Quoties enim res aliter in hoc mūdo accidit, q̄ Deus uerbo suo ordinauit? An non ordinauit uerbo suo, ut non occidamus, non furemur, non designemus adulteria? Sed his peccatis nihil frequentius aduersus uerbum Dei in hoc seculo cōmittitur. An non ordinauit, ut bonis benè, malis aūt malè sit? Sed & pphetæ de huius ordinationis inuersione conquerunt, dicētes: Quare uia impiorum prosperatur, bene est omnibus qui præuaricant & inique agunt. Ac rursus: Quare respicis cōtemptores, & taces conculcante impio iustiorem se? An non multi acquirunt principatus & imperia malis artibus, impostoris, parricidiis, & id genus aliis sceleribus, cum interim multi boni uiri à principatibus & imperiis deiiciant? Vnde, obsecro, hæc fiunt? certe non fiunt manifesta uoluntate Dei (sunt em̄ scelera manifesto uerbo Dñi prohibita) sed fiunt operatione Satanæ, qui propter peccatum factus est princeps huius mundi & Deus huius seculi. Quare cum dicit: Hæc oīa tradita sunt mihi, & cuicunq; uolo, do ea, non omnino mentit. Significat enim, id quod res est, nimirum, q̄ propter peccatum dominet inter homines, & in regnis ac principatibus huius seculi, & eos potissimum ad acquirenda imperia adiuuet, qui ad ea peruaria scelerum genera, grata uidelicet Satanæ officia, cōtendant. Cuicunq;, inquit, uolo, do ea. Non qui uerbo Dei, sed qui mihi, in perpetrandis audacibus facinoribus obsequitur, gloriā & maiestatem huius seculi acquirit. Non qui pietatem uerbo Dei mandatam, sed qui impietatem, mea inspiratione edoctam, sectatur, regna & imperia huius mundi adipiscitur. Exemplo est Abimelech filius Ierubaal, qui nō nisi septuaginta fratribus parricidio à se trucidatis, in regnum peruenit, quemadmodum scriptum est in libro Iudicum, capite nono. Exemplo item est Simri, qui ad regnum Israëlis nunq̄ peruenisset, nisi contra omnia tam diuina q̄ humana iura legitimum suum regem Ella occidisset, quēadmodum testat scriptura, in tertio libro Regum capite decimo sexto. Quid dicā de Sallum, rege Israël? Is certe non nisi perfidia & homicidio regnū adeptus est, id quod scribitur in quarto libro Regum, capite decimo quinto. Sed horum exēplorū plenæ sunt omnes historiæ. Vides igitur exemplis aliqua ex parte uerū esse, quod Satan dicit: Cuicunq; uolo, do illa. Sed hæc utcunq; se habeant, imperscrutabilis tū omnipotētia Dei, his Satanæ tumultibus, à rerum gubernatione haudquaq̄ deiicitur. Non enim potest Satan uel pilum de capite nostro mouere, nisi id Dominus Deus noster iuxta æterna sua consilia permittat. Cæterum q̄ Satan addit: Si prouolutus adoraueris me, dispiciendū est, qd sit adorare & prouolui coram Satana, ut hoc tentationis genus dilucidius explicemus. Adorare igit est tā corpore q̄ animo uenerari, ac legitimam reuerentiam exhibere. Sic scriptura testatur, patriarcham Iacob adorasse fratrem suum Esau, quia uenerabatur eum non solum corporis gestibus, sed etiam motibus animi, uidelicet iudicans eum, uiꝝ à Deo in officium magistratus ordinatum. Hic em̄ honor magistratui debetur. Sic aliàs reges adorantur, si & corporis motibus nos eis subiiciamus, & animo sentiamus, nos debere ipsis legitimum honorem & timorem, qui est, ut reuereamur eos tanq̄ ministros Dei. Sic & Deus ipse adoratur, si Deo legitimū, ac ipsi debitū honorē exhibeamus. Honor aūt Deo debitus est, ut ipsum ex toto corde, ex tota aīa, ex tota fortitudine nostra diligamus, minas eius timeamus, promissa eius credam⁹, mādatis eius obediamus, adeoq; oēm nostrā fiduciā in ipsum collocem⁹. Vnde adorare Satanā,

Adorare Satanam quid?

non est solum genua coram ipso flectere, & in faciem procumbere, sed est etiã pro missionibus eius fidẽ adhibere, minas eius formidare, & mandatis eius obedire. Ac non is tantum Satanam adorare dicit, qui flexis poplitibus imaginem Satanæ aut idoli colit, sed & is maxime omniũ Satanam adorat, qui minis & promissionibus eius ita mouet, ut inspirationibus eius cedat, & hortatibus ipsius obediat. Cum igit Satan monet Christũ, ut adoret ipsum, requirit ab eo, ut minis eius terreatur, promissionibus eius credat, & mandato eius aduersus uocationem Dei obsequatur. Et tam Christus, tametsi sit Dominus cœli & terræ, tamẽ missus est à patre suo in hũc mundum, non ut sibi ministraretur, sed ut ipse ministraret, & daret animam suam redemptionem pro multis, adeoq; huc uocauit ipsum paret in hoc seculo, non ut externa maiestate in humanis regnis dominaretur, sed ut esset omnium abiectissimus, nec haberet ubi reclinaret caput suũ, & tandem ignominiosissima morte occideretur. Sed interim promisit ei pater, si hanc suam uocationem sequatur, & donat pro peccato animam suam, se effecturum, ut uideat semen longæuum, & daturũ ei magnam multitudinem pro spoliis, & fortes pro præda, quemadmodum propheta ait. Adhæc, se coronaturum illum gloria & honore, & constituturum super omnia opera manuum suarum, ac subiecturum sub pedibus eius omnia, oues & boues uniuersas, insuper & pecora campi. Atq; adeo se illum in summam elaturum sublimitatẽ, & donaturũ nomẽ qd sit supra omne nomen, ut in noie Iesu omne genu se flectat cœlestiũ ac terrestriũ & infernorum. En, habes, ad quid uocauerit pater Christũ filiũ suũ, in hoc seculo, & quid, si eam uocationem sequat, promiserit. Nũc aũt accedit ad eum Satan, & iniicit ei multo alias cogitatiões, q̃ uocatio Dei & promissio eius in se cõprehendant. Quod enim dicit: Tibi dabo potestatem hanc uniuersam & gloriam illorum, si adoraueris prouolutus coram me, hanc habet sentẽciam: Quid? Siccine expones te omnium hominum ludibrio & contẽptui, ut deiicias te in scabellum pedum eorum, ut extremam paupertatem sufferas, ut iniuriæ & contumeliæ omnium te obiicias, ut turpissimam mortẽ subeas? Ne facias. Quin potius relinque hanc uocationẽ Dei, & adora Satanam (hoc est) da locum inspirationi Satanæ, crede promissionibus eius, sectare uocationẽ eius, sepone interim uocationem Dei post ianuam, & age Dñm in terris, assume in hoc seculo maiestatẽ regiam, age Cæsarem, & occupa regna ac imperia huius seculi. Miraculis enim tuis facilime impetrabis à uulgo, ut tibi adhæreant, & adiuuent te ad inuadenda oia regna huius mundi, & ad occupandam oẽm imperatoriam maiestatem. Quomodo Christus (inquies) potuit has cogitationes habere, quando scriptum sit: Peccatum non fecit, nec est inuẽtus dolus in ore eius, & hæ cogitationes, ut res ipsa indicat, longe à pietate absunt? Sed hic obseruandum est id qd ad Hebræos scribit: Habemus pontificẽ, tentatũ per oia, iuxta similitudinem, absq; peccato. Tametsi enim hæ cogitationes sint impiæ, tñ Christus sustinuit eas sine impietate. Non enim sunt è natura eius ortæ, sed è natura nostra in eũ ppter nostrã salutẽ translatæ sunt. Nos enim illi sumus, qui, postq̃ parauimus nobis quantum ad uictũ satis est, regna, imperia & maiestates in hoc seculo affectare solemus. Et cũ natura simus filii iræ, in pctis cõcepti & nati, accedit nos Satan, inflammat desyderia nostra, iniicit nobis magnas spes, subducit nos in altos montes, ostentat nobis nescio quas maiestates, si uocationem eius sequamur, ac omnino pctã, quæ natura in nobis latẽt, pollicitis suis ita accẽdit, ut nare uelut bubali tracti sequamur. Sic accesit Cainum fratrem Abelis. Hic enim, cum uideret Abelem fratrem suum diuinitus sibi præferri, timebat, ne ipse ab imperio orbis deiiceret. Cum igitur in peccatis conceptus & natus esset, exci-

Satanæ tentatio de inuadẽdo regno.

tauit Satan hæc peccata,& monuit eum,ut ſi uelit imperium orbis retinere,fratrẽ occidat.Hanc enĩ compendiariã eſſe uiam retinẽdi imperii.Monere aũt,ut fratrẽ occidas,quid aliud eſt, q̃ monere ,ut Satanæ ſeruias,aut Satanã adores?Proinde, cum Satan ſollicitauit Cainum ad parricidium, ut retineat imperium orbis,plane idẽ illud dixit,qd̃ hoc loco Chriſto obiecit:Tibi dabo poteſtatẽ hãc uniuerſã & gloriã illoꝝ,ſi adoraueris ꝓuolutus coram me.Sic aggreſſus eſt Eſau fratrem Iacob. Præripuerat.n.Iacob fratri ſuo Eſau benedictionẽ paternã.Cũ igit̃ Eſau uehementer ob hanc rẽ doleret,& conſultaret ſecũ de recuperanda benedictione ,ductus eſt à Satana in altũ montẽ,hoc eſt,Satan oſtẽtauit ei certiſsimã recuperationẽ benedictionis paternæ,ſi adoret ipſum,uidelicet,ſi occidat fratrẽ ſuũ Iacob . Occidere .n. innocentẽ fratrem eſt adorare Satanam,& ſeruire ipſi. Quid dicemus de fratribus Ioſeph? Hi intellexerũt Ioſeph,natu fere minimũ ,dominũ ipſorũ fore , ſed cũ ipſi potius,nimiꝝ natu maiores,dominii maieſtatẽ affecta rẽt, duxit eos Satan in altũ montẽ,hoc eſt,poſuit ipſis oboculos amplitudinẽ maieſtatis,& promiſit eã ipſis,ſi fratrẽ ſuũ Ioſeph occidãt,hoc eſt,ſi Satanæ ſeruiãt.Huc ptinet etiã Saul,qui cũ animaduerteret Dauidẽ magna prudentia & fortitudine prædituũ, ac apud oẽs Iſraẽlitas gratioſum eſſe ,uehemẽter timebat,ne abiectis poſteris eius è regno,Dauid in regẽ eligeret.Aſſumit igit̃ ipſum diabolus,& ducit eũ in altũ montẽ,oſtentat ei imperium Iſraẽlis , & pollicetur illud in manus poſteritatis ſuæ duraturũ , ſi Satanam adoret,hoc eſt, ſi innocentem Dauidem perſequat̃, & quoquo modo poſsit, trucidet.Quid Herodes?Hic audiens à Magis,ſe nati Chriſti ſtellam in oriente uidiſſe, magno timore corripiebat̃, ne è regno Iudææ expelleret̃. Audit igitur à Satana: Tibi retinebo poteſtatem hanc uniuerſam & gloriam illorũ, ſi adoraueris prouolutus coram me,quod eſt,ſi tuos ipſius liberos , & pueros Bethlehemiticos interfeceris.Quid Phariſæi?an non & hos ducebat Satan in altum montem,& polliceba tur eis ſummam iuſticiæ & gloriæ maieſtatem in hoc ſeculo,ſi Sstanæ ſeruirent , & Chriſtum Phariſaicæ iuſticiæ aduerſarium occiderent? Et quos pontifices etiam hac noſtra tempeſtate non ducit in altos montes,& monet ut ipſum adorent,hoc eſt,ut Euangelion perſequant̃?Sic enim fore,ut perpetuo maneant in poſſeſsione ſuorum epiſcopatuum.Sed quid dico de publicis magiſtratibus?Hæc tentatio nõ minus priuatos hoĩes inuadit, q̃ ſummos monarchas . Nemo enĩ ſua ſorte contentus eſt.Omnes nobiliorem & magnificentioré uitæ noſtræ ſtatum optamus . Agricola ad honorem ciuiũ aſpirat . Ciuis ambit gloriam nobilitatis , Nobilis affectat principatũ .Quid ergo fit? Accedit Satan,ducit unũquenq; in altũ montẽ,& oſtẽtat ſuã cuiq; maieſtatẽ,ſi ipſum adoret. Agricolã monet,ut ſe cõparet ad mores huius ſeculi ,aſtuta cõſilia ſequat̃,in emẽdo & uendendo ꝓximis ſuis imponat,nugetur̃, mẽtiat̃,peieret,defraudet,quo multas opes corradat,& ius ciuitatis ſibi coemat.Ciuẽ artificẽ ſollicitat,ut det operã impoſturis, quo diuitias cõgreget , ac per diuitias nobilitatẽ adipiſcat̃. Breuiter,ſuũ quiſq; Satanam habet, qui promittit ipſi aureos montes,ſi derelicta uocatione Dei, cõparet ſe ad mores huius ſeculi ,ſeponat animã ſuam poſt ianuam,& ſequat̃ uocationem Satanæ. Hanc igit̃ tentationẽ, quæ in nobis impulſore Satana ex impietate noſtra orit̃, recepit Chriſtus in ſe abſq; peccato,ac primũ quidem uicit Satanam,& uires eius fregit , deinde propoſuit ſe nobis ut uirtutẽ,qua & nos Satanam per fidem in Chriſtum uincamus .Poſtremo docuit nos exemplo ſuo, quibus armis Satanã repellamus . Abigit enĩ à ſe Satanã & cogitationes ab ipſo iniectas gladio uerbi Dei . Et Dixit : Abi poſt me Satana. Scriptum eſt enĩ: Adorabis Dñm Deum tuũ , & illũ ſolũ coles. Quod Chriſtus aduerſus

aduersus Satanam allegat, in Deuteronomio capite sexto ita scriptū est: Dominū Deum tuū timebis & illi soli seruies. Aliò uocat Satan, aliò uocat nos scriptura. Satan iubet relinquere uocationem Dei, & suam sectari, hortat, ut minas eius formidemus, quas etiā ualde horribiles nobis obiicit, & pmissis eius, q̄ in immēsum exaggerat, credamus. Scriptura aūt iubet uocationē Satanæ relinquere, & solā Dei uocationē sectari, pponit nobis minas Dei, ut timeamus, & promissa eius, ut credamus. Cui igitur obsequium præstabimus? Satanæ ne an scripturæ diuinæ? Quem adorabimus, hoc est, cuius ne minas extimescemus, Satanæ, an Dñi Dei nostri? cuius ne promissis fidem adhibebimus, Satanæ, an Dei nostri? Profecto non Satanæ, sed diuinæ scripturæ obsequium præstandum est. Satan enī mendax est, & pater mēdacii. Grauissima & crudelissima supplicia minatur, nisi sequamur uocationem eius. Et contra, maximas fœlicitates pollicetur, si seruiamus ipsi. Ac quod minat & pollicetur, uidetur etiam reipsa implere & perficere. Sed si contempto Satana, uocationem Dei sectaris, & Dñm expectaueris, ipsa re cōperies, promissiones & minas Satanæ esse crepitacula uanissima, ac plane id quod prouerbio dicit, fulgorem è pelui. Obiiciebat quondam Saran Iosephum adulterio, & promittebat ei, si sesequeretur & adulterium cōmitteret, magnam fœlicitatem, gratiam dominæ suæ, & per dominam, fauorem etiam domini sui cui seruiebat, adhæc magistratū in domo, & imperium in conseruos & ancillas. Contra uero, si non sequeret se in designādo adulterio, minabat ei maxima pericula, odiū dominæ, & per hoc, etiam indignationē dñi, infamiā, exilia, paupertatē, carceres & mortes. Cum aūt Ioseph magis Deum q̄ Satanam adoraret, & adulteriū fugeret, conatus quidē est Satan Iosepho ea inferre, quæ minatus erat, & adegerat ipsum, ut adulterum, ad carceres, sed cū Ioseph expectaret Dñm Deum suū in fide, reipsa declaratū est, tumultū minasq; Satanæ esse uerā fabulā. Ioseph. n. è carceribus ad principatū Aegypti eductus est, tm̄ abest, ut cū in uocatione Dñi constiterit, perierit. Incitabat & Satan quondā Saulē regē Israēl in Dauidē, & pollicebat ei, si ipsum adoraret ac Dauidē interficeret, maximā regni maiestatē, diuturnitatē imperii sui, & q̄ imperium Israēlis in posteritate sua permansurū esset. Si uero Dauidē nō persequeretur, nec occideret, minabat fore, ut è regno eiiceret, & posteritas eius imperio destitueret. Cū ergo Saul Satanā adoraret, ac uocationē eius sectaretur, & Dauidē insectaretur, uisus quidē est aliquandiu pmissiones Satanæ cōsequi, sed ipse rei exitus declarauit, pmissa Satanæ esse uanissima mēdatia. Nā & Saul fœdo mortis gēne periit, & posteritas eius è regno eiecta est. Vides igit tā minas q̄ pmissiones Satanæ, meras esse laruas & ludibria. Quis aūt prudēs uir laruas formidaret? quis ludibriis fidem adhiberet? At scripturæ diuinæ obsequiū præstandū est. Hæc enī est uox cœlestis, & sentētia spūs sancti. Hæc diuinitus est inspirata & utilis ad doctrinā, ad redargutionē, ad correctionē, & ad instituti onē, q̄ est in iusticia, ut integer sit Dei homo ad omne opus bonū apparatus. Iubet aūt scriptura, ut solū Dñm Deū nostrū (nō Satanā) adorem⁹ & timeamus, ac ut soli DñoDeo nostro (nō Satanæ) seruiam⁹. Quo p̄cepto reqrit à nobis, ut minis Dñi Dei nostri, nō Satanæ, terreamur, & ut pmissionibus Dñi Dei nostri, nō Satanæ, fidē adhibeamus, ac solā Dñi Dei nostri uocationē sectemur. Vt enī solus Deus potētissimus est, ita ueracissimus est. Quod minat inobedienti, potest & inferre, etiāsi inobediēs aliquandiu fœliciter uiuat. Qd̄ pmittit obediēti, uult & fideliter p̄stare, etiāsi prima facie lōge aliter appareat. Quare solus Deus timore & fide adorādus est, & sola eius uocatio sectanda. Sed quid illud est, qd̄ in hac lege addit: Illi soli seruias: non igit licebit homini seruire? Cur ergo aliàs præcipit filio, ut seruiat patri,

Satanæ minæ uanissimæ.

Scriptura uox cœlestis est.

seruo,ut obediat dño,subdito,ut obsequat magistratui,& omnino omnibus præcipiat,ut pximo quisq; suo seruiat: Hoc explicare nõ est difficile, si intelligas quid sit,soli Dño Deo nostro seruire. Id aũt nihil aliud est,q̃ soli uerbo Domini Dei nostri obedire. Seruitus enim Dñi est,quod uerbo eius mandatur. Mandatur autem autẽ uerbo Domini,ut filius parenti,seruus domino,subditus magistratui, & proximus proximo seruiat. Quare seruitus quæ exhibetur homini ex uerbo Dei, nõ est proprie seruitus hominis, sed seruitus & cultus Dei. Vnde Paulus ad Ephesios scribens: Serui,inquit,obedite iis,qui sunt domini iuxta carnem,cum timore & tremore,cum simplicitate cordis uestri,tanq̃ Christo,non ad oculum seruientes, uelut hominibus placere studentes,sed tanq̃ serui Christi, facientes, quæ uult Deus ex animo,cum beneuolentia seruientes Dño,& non hoĩbus. Obserua q̃ diligenter Paulus inculcet,eam seruitutem quæ ex uerbo Domini exhibetur homini, magis cultum Dei esse,quàm seruitutem humanam. Obedite,inquit, dominis,tanquam Christo. Et mox: Tanquam serui Christi. Ac rursus. Seruientes Dño,& non hominibus. Aliud est,si homines iubeãt aduersus Deum peccare. Tunc em̃ magis Deo q̃ hominibus obediendũ est. Si aũt non iubeant peccare, etiamsi alioqui grauia & difficilia iubeant,tunc seruitus,quæ homini ex uerbo Dei præstat, ipsi Deo præstatur. Solum igit Dñm Deum nostrum adoremus, & huic soli seruiamus, ut reiecto Satana,salutem consequamur in Christo Iesu Domino nostro,qui est unà cum Patre & spiritu sancto Deus laudandus in secula Amen.

Seruire Deo.

HOMILIA XXXV.

EXplicemus & tertiam tentationem, quæ est de adipiscenda humana gloria. Diximus enim tres esse uulgares hoĩm affectus. Primus est de uictu parando. Secũdus est de acquirendo imperio. Tertius de adipiscendo honore. Cum aũt Satan in duobus primis affectibus Christũ tentasset,si forte posset eum per ipsos à uocatione Dei auocare, repulsus & reiectus est à Christo gladio uerbi Dei. Nunc igit aggreditur Christum tertia tentatione. Et duxit illum,(inquit Lucas) Hierosolymam,statuitq; eum super pinnam tẽpli & dixit illi: Si filius Dei es,mitte te ipsum hinc deorsum. Scriptũ est em̃ q; angelis suis mãdauit de te,ut seruent te,& in manibus tollent te,ne offendas ad lapidẽ pedem tuũ. Principio hic mihi iterũ uide,nihil esse Satana inquietius,& ad perdendũ sollicitius. Bis est à Christo uictus, nihilominus tñ ad certamẽ reuertit. Proponit aũt nobis hæc imago Satanæ,ut eo diligẽtius insidias ei⁹ caueamus. Nõ est nobis lucta,inqt Paulus,aduersus carnẽ & sanguinẽ, sed aduersus principat⁹,aduersus potestates,aduersus mũdi dños,rectores tenebrarũ huius seculi,aduersus spũales astutias in cœlestibus. Quo igit potentiorẽ & astutiorẽ & inqetiorẽ aduersariũ habemus, eo diligentius muniamus nos cõtra ipsum armatura Dei, quæ sunt,gladius spũs,qd est uerbũ Dei,& scutũ fidei, quo oĩa iacula mali illius ignita extinguere possimus. Deinde,sicut nec in prioribus tentationibus,ita nec in hac tertia torqueamus nos,de eo qd scriptũ est: Duxit diabolus Iesum in Hierusalẽ,& statuit eum super pinnã templi,uidelicet,num hæc extrinsecus & corporaliter gesta sint,an Satãhas imaginatiões obiecerit tm̃ Christo in cõscientia. Verisimilius est,q; Christus in deserto manẽs, uisus sit sibi stare Hierosolymis super pinnã templi,& cogitauerit ea, quæ Satan obiicit, Sed hoc utcunq; se habeat,certe cũ Satan ait: Si filius Dei es,mitte teipsum hinc deorsum,suo sese inditio prodit. Etem̃ Satan neminẽ in altũ ducit nisi hoc cõsilio,ut eũ deiiciat & opprimat. Deduxit Abimelecum

Satanæ inquietudo.

Satanæ consilia.

melecum filiũ Gideonis in regnum Israelis, sed paulo post turpiter oppressus est. Dedrxit Saulẽ iam regnantẽ in altas cogitationes, quibus deliberabat se imperiũ Israelis in posteritate sua conseruatuꝝ. Sed quo altiora ille cogitabat, eo fœdiu in profundũ lapsus est. Deduxit Nebucad Nezarẽ in animo eius usq; ad cœlũ. Dicebat enim is in corde suo: In cœlum conscendã, supra astra Dei exaltabo solũ meũ, ascendam super altitudinẽ nubiũ, similis ero altissimo. Sed mox sequitur: Ad infernum detraheris, in profundum laci. Quare cum Satan duxerit te in altũ, id quod tũc fieri solet, cũ aut superbas habueris cogitatiões, aut ad sublimes honores, dignitates & imperia, iniquitate, malis artibus, & impietate cõtenderis, tunc mox ueniat tibi in mentẽ, Satanã hoc consilio statuisse te in altũ, ut te deiiciat & cõculcet. Et si formidas casum, age pœnitentiã, resipisce ab ista malicia tua, & roga Deũ, ut remittatur tibi peccatũ tuum. Sed Dñs Deus noster lõge aliam habet uiã ducẽdi eos, qui in ipsum credũt. Exaltaturus enim eos, non ducit eos in altum, sed deducit ad ima, idq; hoc cõsilio facit, ut deducat eos hac uia ad alta. Dñs, inquit, mortificat, & uiuifi cat, deducit ad inferos & reducit. Deduxit Iosephũ in tetrum & squallidũ carcerẽ, sed reducebat eum hac uia ad principatũ Aegytiacũ. Deduxit Dauidẽ in exilium, sed reduxit eum hac uia in amplissimũ regnum. Deduxit Iesum Christum filiũ suũ usq; ad mortẽ crucis, & in infimas partes terræ, sed reduxit eũ super omnes cœlos, & extulit in omnem sublimitatẽ, deditq; ei nomen, quod est super omnẽ nomẽ, ut in nomine Iesu omne genu se flectat, cœlestiũ, terrestrium ac infernorum. Proinde, si ad ima deductus fueris, bene cõfidito. Hæc enim est uia Dei, qua suos exaltat. Cæterũ, q̃ Satan ad Christum dicit: Si filius Dei es, mitte teipsum hinc deorsum, satis perspicue declarat, se hoc maxime omniũ conari, ut Christo eximat eam fiduciam, qua sentit se esse filium Dei, & uerũ Messiam. Nam Christus erat paulo ante apud Iordanem cœlesti uoce, & descensu spiritus sancti in specie columbæ declaratus, q̃ esset filius Dei, & uerus Messias Inrerim tamẽ, quemadmodũ supra ostendimus, resignata &, ut ita dicã, seposita maiestate & potentia suæ diuinitatis, permisit se, nostra infirmitate in se assumpta, Satanæ tentandum, nec aliter se Satanæ tradidit q̃ homo quispiam imbecillis, nulla diuinitatis potentia præditus. Arripit igitur Satã affectum adipiscendæ gloriæ humanæ, qui affectus in hominibus peculiaris est, & huius occasione conatur ei persuadere, ne sentiat se esse filium Dei ac uerũ Messiã, iniicitq; ei huiuscemodi cogitatiões: Ecce tu hactenus humilis, abiectus, & inglorius inter hoies uitã duxisti, & fabrũ lignariũ, honestũ quidẽ attamẽ minime celebrẽ artificẽ egisti. Nunc aũt, quando palã declaratus es filius Dei & Messias, tẽpus est, ut stupẽdo quodam miraculo, in Hierusalẽ, urbe oĩm nobilissima, maiestatem tuam ostentes, quo ab omnibus talis habearis, qualis ad Iordanem declaratus es. Quid enim proderit magnificũ esse, & non frui gloria magnificentiæ? quid utilitatis affert filium Dei esse, & talis non agnosci? Pulchrum est, digito monstrari, & dicier, hic est. Cum igitur in festo quopiam frequentissima turba Hierosolymis fuerit, age, demitte teipsum è pinna templi in aëre deorsum, ut cum omnes uideant miraculum, te ut filium Dei adorent & colant. Neque enim fieri potest, ut ex hac demissione aliquid incommodi patiaris. Siquidem scriptum est: Angelis suis mandauit de te, ut custodiant te in omnibus uiis tuis, & in manibus portent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Quid diffidis? quid tergiuersaris? Si filius Dei es, certe non hæc solum, uerumetiam multo maiora efficere poteris. Sed excute mihi omnes uires tuas, (Sepositerat enim Christus potentiam maiestatis suæ, & assumpserat nostram infirmitatẽ) non tamen potes sine periculo tuo te demittere.

Via perueniendi ad summa.

Gloriæ affectus.

Vides ipſe, ac propemodũ manu tangis, quòd ſi te in aëre è pinna templi demitte res, non ſolum crus frangeres, ſed etiam toto corpore in uaria & minuta fruſta diſ ſilires. Vana igitur eſt ſententia tua, qua putas te eſſe filium Dei, uana eſt & promiſ ſio Dei, qua cõfitetur ſe angelis mandaſſe, ut portent te in manibus ſuis, ne offen das ad lapidem pedẽ tuũ. Hæ ſunt cogitationes, quas Satã Chriſto iniicit, ut ipſum ad deſperationẽ adigat. Et unde aſtum Satanæ. Defenderat ſupra Chriſtus ſele uer bo Domini. Vſurpat igitur & Satan nũc uerbum Domini, quo cõmodius & poten tius abducat eum ab animi ſui ſententia, qua credit ſe eſſe filium Dei & uerum Meſ ſiam. Sed quia Chriſtus fuit abſq; peccato, & ſuſcepit in ſe noſtras tentationes, ideo & hæc tentatio, & nobis in Chriſtum tranſlata eſt. Nos enim adoptamur in baptiſ mo in filios Dei, in hæredes Dei, in cohæredes Chriſti, & in reges cœli & terræ per Ieſum Chriſtũ Dominũ noſtrum, ſed Satan occaſione accepta ab affectu parandæ gloriæ humanæ, quo natura laboramus, ſtatim conatur nobis excutere fidem, qua tantam diuinorum bonorũ hæreditatem accipimus & poſsidemus. Cum enim in uenit nos coram mundo abiectos & inglorios, ſolet nobis huiuſcemodi cogitatio nes iniicere: Quid? Filius ne Dei tu es? cur igitur contemnunt & abominant̃ te ho mines ut filiũ Satanæ? Si filius Dei es, cur non innoteſcis mundo magnis quibuſdã miraculis? Scriptum eſt enim: Si habeatis fidem ſicut granum ſinapis, dicetis mõti huic: Demigra hinc illuc & demigrabit, neq; quicquam impoſsibile erit uobis. Et iterum: Signa eos qui crediderint hæc ſubſequentur, per nomẽ meũ dæmonia eii cient, linguis loquent̃ nouis, ſerpentes tollent, & ſi quid letale biberint, non nocebit eis. Non potes aũt talia miracula ædere. Non igitur credis, nec es filius Dei, & uana eſt promiſsio, qua in filium Dei in baptiſmo adoptatus es. Quòd ſi ſuccũbat quis, & ſinat ſibi hac tentatione fidem excutere, profecto nihil aliud reliquum eſt, q̃ deſperatio. Qui autem de ſalute ſua deſperat, is per deſperationẽ in omnia genera impiiſsimorum ſcelerum, ac perpetuum ſui ipſius exicium ruit. Quare omnibus mo dis cauendũ eſt, ne huic tentationi nos uictos tradamus, ſed meminerimus, q̃ Chri ſtus eam in ſe tranſtulerit, & uicerit, ut & nos in ipſo, iiſdem armis, eam uincamus. Sed priuſq; oſtẽdamus, quibus armis Chriſtus hanc tentationẽ uicerit, & Satanam repulerit, uideamus uerſiculos illos, quos Satã Chriſto è ſcriptura obiicit. Sunt aũt ſcripti in pſalmo, iuxta rationem Hebræorũ, nonageſimo primo. Non accedet, in quit, ad te malum, & flagellũ non appropinquabit tabernaculo tuo. Quoniã ange lis ſuis mãdauit de te ut cuſtodiãt te in omnibus uiis tuis, & ut in manibus portẽt te, ne forte offendas ad lapidẽ pedem tuũ. Conſolatur enim hic pſalmus pios, ut cũ ambulent in uocatiõe Domini & affligant̃, bene cõfidãt, nec ſentiant ſe in afflictio nibus & aduerſitatibus perituros. Siquidẽ Dominus angelis præcepit, ut ſint cuſto des piorum, ac tanta cura eos cõplectantur, ut etiam in manibus ſuis portẽt ipſos, ne pedem ſuum ad lapidem offendant, tantũ abſit, ut graui quodã caſu uitã amit tant. Quod autẽ hic de angelorũ cuſtodia dicitur, aliis quoq; ſcripturæ locis cõfir matum eſt. In pſalmo enim triceſimo tertio dicitur: Immittetur angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos. Et apud Matthæum ait Chriſtus: Angeli eorum in cœlis, ſemper uident faciem patris mei, qui eſt in cœlis. Et ad Hebræos: Omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus, qui in miniſterium emittunt̃ propter eos, qui hæredes erunt ſalutis. Quod uerbis dicitur, miraculis quoq; reuelatur & confirmat̃. In Geneſi capite undeuiceſimo, duo angeli educunt Loth è Sodoma, ne incendio una cum Sodomitis pereat. Et poſtea capite triceſimo ſecundo, angeli obuiam progreſſi ſunt patriarchæ Iacob, ut ipſum ab iniuria Eſau defenderẽt. Vnde & caſtra Dei uocant̃,

Tentatio fidei.

Angeli cuſtodes piorũ.

Dei uocantur. In exodo capite decimo quarto, angelus Dñi p̄cedit Israelitas, & munit eos, ne quicq̄ mali ipsis à Pharaone inferat. In quarto libro Regū capite sexto, cū exercitus Syrorū circūdedisset prophetā Elizā, ut cōprehenderēt eū, aperti sunt oculi serui eius, & ecce mōs plenus equorū & curruū igneorū in circuitu Elizæ. Hæc miracula sunt publica testimonia & sigilla, q̄ angeli sint ordinati in custodes, ac uelut satellites piorum, & eorū qui ambulant in uocatione Dei. Nam, quæ de custodia & defensione angelorū dicuntur, non sic intelligenda sunt, q̄ propterea liceat sese in quoduis periculū sine uocatione Dei coniicere, sed q̄ in iis periculis & rerum discriminibus, in quæ ex uocatione Dei coniicimur, de salute, liberatiōe & defensione Dei bene sperandū, ac certo confidēdum sit. Satan igitur deprauat sententiam horū uersiculorū, & callida malicia torquet eos huc, ut persuadeat Christo, nō quo in periculis, ex uocatione Dñi susceptis, bene de auxilio & liberatiōe Dei cōfidat, sed quo se temere in pericula absq̄ uocatiōe Dei coniiciat. Quare Christus repellit eum, & alio uerbo Domini prauā & callidam eius interpretationem cōfutat, inquiens: Dictū est: Non tentabis Dominū Deum tuū. Hæc lex scripta est in Deuteronomio capite sexto. Ac plane huc ad cōfutandū Satanam conuenit. Habet enī responsum Christi hanc sententiam: Agnosco quidem uerba psalmi, quæ producis, sed non agnosco tuam deprauationem. Scio quidem quid mandatum sit angelis, & quod sit angelorum officium, sed interim scio quoq̄ quid mihi sit mandatū, & qnod meum sit officium. Alia Deus mandauit angelis, alia mihi mandauit, aliud est angelorum officium, aliud hominum. Angelis mandauit Deus, ut homines custodiant, & portent eos in manibus, ne forte offendant ad lapidem pedem suum. Hominibus autem mandauit, ne tentent Dominum Deum suum, aut ne coniiciāt sese absq̄ uocatione Dei in pericula. Itaq̄ si homines requirant angelorū officium, de quo psalmus loquitur, danda est opera, ut ipsi etiam suum officium faciant, non tentent Deum, non exponant se temere periculis, sed ambulēt in uocatione Dei, & tunc aderunt angeli, ac in maximis etiam periculis custodient eos. Quod ergo ad præsens negocium attinet, tu Satan iubes, ut me de pinna templi demittam, & confidam de custodia angelorum. Ego uero optime confido, Dominū per angelos suos me sine intermissione custodire. Sed ut me de pinna tēpli in aëre mirabiliter demittam, non est uocatio Dei, nec est necessarium. Habeo scalas, per quas licet descendere. Habeo funes, quibus integrū mihi est, ut me demittā. Quæ si deessent, & uocaret me Deus deorsum, certe scio me custodia angelorū in aëre descensurū. Nunc autem cum proponantur mihi scalæ & funes, utar his rebus, ne tentem Dominum Deum meum, & ne meipsum temere periculis absq̄ uocatione Dei exponam. Porro autem, Dominus Deus noster tunc tentari dicitur, cum res uerbo Domini promissas, non eo modo, quē Deus proponit, sed quē nos iniquitate & temeritate nostra eligimus, capessere & quasi manu tāgere conamur. Id aūt dupliciter cōtingere solet. Primum, cum habemus uerbū Domini nullum tamen uidemus modum, quo rem uerbo Domini promissam consequamur. Itaque si tunc non credimus nudo uerbo, sed aut contra uerbum Dei impie agimus, aut DEO modum seruandi promissa præscribimus, uere DOMINVM Deum nostrum tentamus. Sic tentabant Israelitæ DEVM in Massa, quemadmodum scribitur Exodi capite decimo septimo. Habebant enim promissionem, qua DEVS receperat se seruaturum ipsos in deserto. Cum igitur carerent aqua, & perīclitarentur siti, nec quicquam appareret, quo siti suæ subuenirent, conuiciantur

Angelorum officia.

Hominum officia.

Tentatur Deus uariis modis.

Mosi, negant se diuina uocatione ex Aegypto in desertum eductos, nisi Deus dederit ipsis aquam. Quod si non dederit, minantur se in Aegyptum redituros. Hæc certe est tentatio Dei, q̃ non credant nudo uerbo Dei, sed præscribãt Deo modũ, quo ipsos seruet. Quasi uero Deus non posset ipsos sine omni tam cibo quàm potu incolumes in deserto seruare. Sic in Iudith (si modo quis eum librum recipiat) tentant ciues Bethuliæ Dominum, cum statuunt, se impio hosti ciuitatem suam tradituros, si intrà quinq̃ dies non uenerit adiutorium à Domino. Audiunt igitur à muliere: Quod est hoc uerbum in quo consensit Osias, ut tradat ciuitatem Assyriis, si intra quinq̃ dies non uenerit uobis adiutorium? Et qui estis uos, qui tentatis Dominum? Non est iste sermo, qui misericordiam prouocet, sed potius qui iram excitet, & furorem accendat. Posuistis uos tempus miserationis Domini, & in arbitriũ uestrum diem constituistis ei? Deinde solemus & Deum tentare, cum habemus uerbum Domini, & uidemus quoq̃ nobis legitima, iusta, & ordinaria media proposita, quibus licet rem uerbo Domini promissam consequi, ea tamen negligimus, & aut alia illegitima & iniusta eligimus, aut nudo uerbo nos credere uolumus. Sic Dauid tentauit Dominum per tres heroas, quos mittebat ad hauriendam aquam in Bethlehem in statione Philistinorum. Habebat aliàs aquam, quam licebat bibere, sed ea neglecta, appetebat illam, quam sine magno periculo habere non poterat, quemadmodum scribitur in secundo libro Regum, capite uicesimo tertio. Sic tentat Deum, qui in fame non uult uti pane proposito, qui in siti non utitur aqua præterlabente, sed uult cibum & potum de cœlo expectare. Sic tentat Deum, qui in frigore non utitur ueste, quam iuste sibi comparare potest. Sic tentat Deum, qui in traiectu fluminis non utitur proposito ponte aut nauigio, sed his contemptis, pedibus super aquas ambulare conatur. Sic tentant Deum funambuli, qui cum habeant spacioſas plateas, ascendunt tamen funes & ambulant super eos. Sic tẽtant Deum hi, qui ascendunt in summa ædificiorum ac turrium cacumina, ostentandæ audaciæ suæ gratia, & consuunt illic calceos. Sic & ociosi tentant Deum, qui cum labore sibi uictum parare possent, tamen malunt ociari, & de cœlo uictum expectare, gloriantes sese scire, q̃ Dominus non sit ipsos derelicturus. Sic omnes illi Deũ tentãt, qui neglectis iustis & ordinariis mediis, quæ Deus proposuit, aut iniusta conantur, aut nudo uerbo sese credere gloriantur. Ac fieri potest, ut interdum hi, qui temeritate sua sese absq̃ uocatione Dei in pericula coniiciunt, pericula incolumes euadant, hoc tamen non fit ordinaria & promissa clementia Dei. Qui enim sic tentãt Deum, iure perire deberent. Et sapiens ait: Qui amat periculum, peribit in illo, sed fit extraordinaria bonitate & tolerantia Dei, qua peccatores in peccatis sufferunt, & ad pœnitentiam inuitantur. Ergo ne nunq̃ licet, ut exponamus nos manifesto periculo, ne tentemus Deum? Profecto nunq̃ licet, nisi Dominus nos ad pericula subeunda uocauerit. Quid igitur, si forte tale quid accidat, ut aut manifestum periculum sit subeundum, aut aduersus uerbum Domini delinquendum, seu Christus abnegandus sit? Quid faciam? num delinquam, & abnegabo Christum, ne tentem Deum? Absit, ut delinquam & abnegẽ Christum, sed potius extrema quæuis pericula obeunda sunt. Sic enim pericula obire, non est tentare Deum, sed est uocationi Dei obedire. Et uocat nos Deus ad pericula, cum non possumus ea absq̃ peccato uitare. Quem autem Deus ad pericula uocat, eum certissime cõseruat, atq̃ id uere præstat, quod in psalmo dicitur: Non accedet ad te malũ, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. Quoniam angelis suis mandauit de te, ut custodiãt te in omnibus uiis tuis, & ut portent te in manibus, ne forte offendas ad lapidem

pedem

pedem tuũ. Hinc Israelitæ non tentarunt Deum, cum ingrederenť in mare rubrũ, sed obedierunt uocationi Dei. Vnde & mirabiliter liberati sunt. Nec Gideon tentauit Deum, quando cum trecentis tantum, tubicinibus ne dicam an militibus, aggressus est innumerabilem & potentissimum Midianitarum exercitum, sed obedit uocationi Dei, & reportauit uictoriam admirabilem. Sic nec cæmentarii (ut hæc ciuilia artificia adiiciam) nec fabri lignarii Deum tentant, cum ad ædificãdum in alta ædificiorum fastigia scandunt. Huc enim legitime uocati sunt, & habent promissiones auxilii diuini, è quibus confidere possunt, se Deo in periculis ipsorum curæ esse, & diuinitus seruari. Proinde, ne tentemus Dominum Deum nostrum, primum quidem rebus propositis in fide utamur, deindeſi nullæ nobis res propositæ fuerint, quibus pie uti liceat, confidamus nudo uerbo diuinæ promissionis, & adeamus pericula, ad quæ nos uocat Deus, certissimi, quòd qui nos ad pericula uocat, is quoq; nos seruaturus sit per Iesum Christum Dominũ nostrum, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus laudandus in secula Amen.

HOMILIA XXXVI.

HActenus explicuimus monomachiam, qua Christus Iesus cũ Satana congressus est, & uicit eum. Sicut autem non sua (est enim absq; omni peccato) sed nostri causſa hanc pugnã subiit, ita nostri quoque causſa uicit. Quare, si à Satana, & cogitationibus ab ipso excitatis, unde omnia malorum genera oriuntur, impugnamur, meminerimus nobis uincendum esse, non nostra uirtute, sed uirtute Domini nostri Iesu Christi, per gladium uerbi Dei, fide aduersus insultum Satanæ districtum. Sed de his antea. Nunc ea quæ sequuntť perstringemus. Consumata, inquit Lucas, omni tentatione, (nimirũ non ea solũ, qua in quadraginta diebus, uerũetiam ea, qua post quadraginta dies tẽtatus est) diabolus recessit ab illo usq; ad tempus. Quid est illud: Vsq; ad tempus? num rediit postea Satã ad Christũ? Profecto hic locus haud obscure testatur, q; Satan uariis tentationibus, quæ nõ sunt scriptæ, Christũ aggressus sit. Etenim Satan nullum hominẽ ab initio orbis tentauerat, quẽ non sæpenumero uicerat, & in suis uinculis detinuerat. Non Adam, non Abraã, non Mose, non Dauid, nõ alii uel patriarchæ uel prophetæ, quantumcunq; sancti, manus eius ita effugerunt, ut non aliquando apprehenderentur. Solus hic Iesus Christus semper effugit, solum hunc non potest uel semel uincere, & in uinculis suis detinere. Quare extremas suas uires in hunc expedit, & nullam occasionem prætermittit, qua sperat se hunc superatuꝝ. Primum ergo obserua, si Satã nõ pepercit Christo capiti nostro, profecto multo minus parcet nobis, mẽbris Christi. Si à patrefamilias non cõtinuit doloſas manus suas, multominus cõtinebit eas à familia eius. Proinde, donec in hoc mũdo, qui est principatus Satanæ, uiuimus, necesse habemus inter media Satanæ tela uiuere. Nunc enim eiaculať in nos telũ incredulitatis, nunc telũ auariciæ, nũc inuidiæ, nũc ambitiõis, nũc libidinis, breuiter, tot telis nos undiq; impetit, quot fructus peccatũ nobis innatũ affert. Affert aũt innumerabiles. Si declinauimus telũ auariciæ, mox obuiam nobis mittitur telum ambitionis. Si & hoc uitamus, cõtinuo instat telum libidinis. Si hoc auertimus à nobis, confestim emittitur in nos telum inuidiæ: huic succedit telum iræ, contentionis, maledicentiæ, & quis omnia enumerare posset? Nullus enim telorum in nos emittendorum finis est, donec in sepulchrum condamur.

Christus solus Satanæ uictor.

Quis igitur inter tam infesta & mortifera Satanæ tela securus uitã ageret? quis non se omni armorum genere aduersus illa muniret? Sed bene habet. Christus Iesus Dominus noster statuit sese medium inter hæc tela. Cum igitur Christus sit inuulnerabilis, & nos in membra corporis sui per fidem assumpserit, consectaneum est, quòd nec nos per hæc tela uulnerari queamus, si in Christo Iesu per fidem cõstemus, atq; adeo in Christo id nobis continget, quod psalmus dicit: Scuto circundabit te ueritas eius, non timebis à timore nocturno, A sagitta uolante in die, à negocio perambulante in tenebris, ab incursu & dæmonio meridiano. Deinde, non est q̃ existimes, tentationes Satanæ esse argumenta Dei irascentis & tentatum à se proiicientis, sed sunt potius argumenta Dei propicii, & per tentationes Satanæ probare uolentis. Multi erant tempore Christi Iesu, uiri potentissimi, & sapientissimi, atq; in hoc mundo clarissimi, sed Satan neminem grauius tentabat, q̃ Christum, propterea q̃ sentiebat hunc Domino Deo nostro longe omnium acceptissimum esse. Tẽpore Hiobis & Dauidis, multi erant reges, & principes, sed Satan nullum eorũ tam acribus tentationibus impetebat, q̃ Hiobem & Dauidem. Animaduertebat enim hos Deo gratissimos esse. Quare cum tentamur, non despondeamus animum, sed existimemus nos Domino Deo nostro tanto acceptiores esse, quanto grauioribus tentationibus Satan nos adoritur. Cæterum alii Euangelistæ, postq̃ indicarunt, Satanam à Iesu post tentationes discessisse, addunt. Et ecce angeli accedebant, ac ministrabant ei. Quid? Christus ne tam imbecillis fuit, ut indiguerit ministerio & auxilio angelorum? At tu probe memineris, quod supra sæpe indicauimus, Christum sese in nostram infirmitatem coniecisse. Res autem ipsa indicat, q̃ Christus post has tentationes, in grauissimam ac periculosissimam corporis ualetudinem in eremo inciderit. Nihil enim ederat nec biberat plus q̃ quadraginta diebus & noctibus. Et in his tam grauiter à Satana sine intermissione tentatus erat, ut facilius fuisset mortem ferre. E grauitate igitur tentationum, ægritudo etiam corporis orta est. Sed in hac tanta afflictione, nullus hominum in deserto præsto aderat, qui infirmo, ac propemodum animam exhalanti medicas & adiutrices manus porrigeret, ac foueret. Accedunt igitur angeli, & ministrant ei in infirmitate sua, donec pristinas uires resumat. Miraculum probe obseruãdum. Significat enim & docet, q̃ his, qui in uocatione Dei periclitantur, certissime subueniat auxilium Dei, si non per homines, aut alias creaturas, certe per angelos Dei. Et ubi desinat humanum auxiliũ, ibi incipiat angelicum. Salus (inquit) iustorum à Domino, & protector eorum in tempore tribulationis. Et iterum: Mirabilis Deus in sanctis suis, Deus Israel ipse dabit uirtutem & fortitudinem plebi suæ. Exemplum est Elias, qui cum ex uocatione Dei fugeret reginam Isabellam, & ueniisset in desertum itinere unius diei, adeo defecit, ut præ imbecillitate tam animi quàm corporis proiiceret se subter iuniperum, & peteret animæ suæ, ut moreretur. Non erat homo, qui uel cibum ei ministraret, uel deficientem potu recrearet. Quid ergo fit? Hoc periculum accidebat Eliæ ambulanti in uocatione Dei. Cum igitur nullus hominum auxiliaretur ei, ecce angelus Domini attulit panem subcinericium, & uasculum aquæ, quibus Elias ita recreabatur, ut in fortitudine cibi illius ambulauerit quadraginta diebus & quadraginta noctibus. Exmplum est & rex Hiskia. Hic obsidebatur in urbe Hierusalem ab exercitu Sanneherib regis Assyriorum, & iussus erat uerbo Domini per Esaiam ne traderet Assyriis ciuitatem. Quid autem faceret? Exercitus hostis potentior erat, quàm ut poterat ciuitatem ab eo defendere, & nulla prorsus habebat externa auxilia, quibus hostis ab urbe fugaretur. Cum igitur cessaret humanum auxilium, successit angelicũ

Satanæ tentatiões nõ sunt argumenta iræ Dei,

Angeli ministrant Christo.

angelicum, & misit Dominus noctu angelũ, qui percussit in castris Assyriorum cẽ tum octoginta quinq; millia uiroꝝ bellatorum. Quare Sanneherib tanto terrore perculsus est, ut continuo obsidionem solueret, ac ad sua reuerteretur. Quid dicam de Petro Apostolo? Hic, cum ex uocatione Christi Euangelion prædicaret, com prehensus est ab Herode, & in carcerem coniectus, statim ad cædem producendus. Quocunq; Petrus respiciebat, nullum aderat auxilium per homines. Iudæi infestio res erant ipsi, quàm ut liberũ eum dimitterent. Discipuli eius impotentiores erãt, quàm ut ui eripereut ipsum. Quid ergo? Vbi nullum per homines apparebat aux ilium, ibi præsto adest angelicum. In ea enim nocte, post quam Herodes Petrũ pro ducturus erat ad cædem, astitit angelus Domini, & dissecit ab eo catenas, ac edux it eum saluum non solum ex carcere, uerumetiam per portam ciuitatis: Noli igitur animum tuum despondere, si tibi periculum ex uocatione Domini subeũdum est, sed his potius exemplis, ueluti certissimis diuinarum promissionum signaculis, ani mum tuum in fide obfirma, certa fiducia concepta, quòd Deus periclitãtem serua turus sit, si non per homines, certe per angelos suos. Porro autem Iesus per angelos recreatus, & pristinæ saninati restitutus, Reuersus est (inquit Lucas) uirtute spiri tus in Galilæam, & fama exiit per uniuersam regionem de illo. Et ipse docebat in synagogis eorũ, & glorificabatur ab omnibus. Vt Iesus spiritu sancto autore pro fectus est in desertum, quo tentaretur à diabulo, ita eodem autore proficiscitur nũc è deserto in Galilæã, ad capessendum & inchoandum ministerium Euangelii. Id quod ideo nobis inculcatur, ut admoneamur, ne quid sine uocatione Dei, & auto ritate spiritus sancti aggrediamur. Nunc igit, quod fœlix fausturnq; sit, Iesus Chri stus Dominus noster incipit publice prædicare Euangelion, quod est potẽtia Dei ad salutem omni crẽdenti. Nam ante hunc diem uixerat inter Israëlitas obscurus, nec publico aliquo ministerio in populo Israël functus fuerat. Nunc autẽ, ô memo rabilem diem, ô acceptissimum tempus, inchoat publica sua prædicatione officiũ Messiæ, ad quod à Deo patre suo in terrã missus erat. Et inchoat illud in Galilæa, in ciuitate Capernaum, quæ erat Galilææ metropolis, ac ciuitas maritima, & pro pter emporium clara atq; nobilis. Audiamus igitur primam eius concionẽ. Et quis ad audiendam eam, non arrigeret aures? Hic qui nobis concionaturus est, non est simplex homo, sed etiam unigenitus filius Dei. Et ea nobis concionabitur, quæ ab æterno à patre suo audiuit & didicit, atq; adeo, quæ si fide excipiamus, summam sa lutem & fœlicitatem afferent. Quæ est ergo illa concio? Hic mihi audi Matthæũ ita scribentem: Ex eo tempore cœpit Iesus prædicare & dicere: Pœnitẽtiam agite. Appropinquauit enim regnum cœlorum. Hæc, ut prima, ita etiam summa & epito me est omnium concionum, quas Christus habuit, & ab Euangelistis ideo in pau ca collata est, ut possimus eam memori mente reponere. Quanquam autẽ Lucas non commemoret eam diserte, sed tãtum generaliter dicat, Christum docuisse in synagogis Iudæorũ, nos tamen, quia summa est cõcionum Christi, paucis eam hoc loco explicabimus. Ac primum, quòd Christus ait: Appropinquauit regnum cœlorum, maxime omnium ad uaticinium prophetæ Danielis respicit. Nam is propheta uaticinatus est, spiritu sancto reuelante, primum quidem ex humana sta tua, quẽadmodum capite secũdo Danielis scriptũ est, deinde equatuor grãdibus bestiis, ut est in capite septimo, quatuor regna seu monarchias huius terræ fore, ui delicet, regnũ, Babylonicũ, Persicum Græcum, & Romanũ. Et addit: In diebus, inquiens, regum illorum, nimirum ultimi regni, quod est Romanum, suscitabit Deus cœli regnum, quod inæternum non dissipabitur, & regnũ eius alteri popu-

Christi prima concio explicatur.

Monarchiæ quatuor.

lo non tradetur. Comminuet autem & consumet uniuersa regna hæc, & ipsum stabit inæternum. Ac postea: Hæ quatuor, inquit, bestiæ, quatuor sunt regna quæ consurgent de terra. Suscipient autem regnũ sancti Dei altissimi, & obtinebũt regnum usq; in seculum, & in seculũ seculoꝝ. Ex his manifestum est, q̃ Daniel duos constituat ordines regnorum, & imperiorum in terra. In altero ordine cõstituit quatuor summas Monarchias, quæ quia sunt caducæ, uocantur regna huius terræ. In altero, constituit quintum regnũ, quod post has Monarchias orietur, quod quia perpetuum erit, uocatur regnum non terræ, quamuis & in terra futurum erat, sed cœlorum, non humanum, sed diuinum. Ac unicuiq; horum ordinum imperio suæ cõditiones & proprietates tribuunt. Primum, quod est Babylonicum, aureo capite & leena adumbratur, & significat hoc inter quatuor regna prioris ordinis præcipuum esse, interire tamẽ, quia Daniel uidet alas eius euelli, & de terra auferri. Secũdum, quod est Persicum, pectore argenteo & urso adumbratur, & cum acclametur ad ursum: Surge, comede carnes plurimas, significat Persicã Monarchiam multas cædes in terra feciſſe. Tertium, quod est Alexandri magni & Græcorum, adumbratur uentre æreo, & pardo, quibus rebus significatur hoc regnum minus quidẽ fore prioribus, attamen quia pardus uidetur habere quatuor alas & quatuor capita, potestatem eius ad quatuor orbis partes dilatãdam. Quartum, quod est Romanum, adumbratur tibiis ferreis, ac pedibus partim ferreis partim fictilibus. Adhæc terribili bestia, quæ apparet dentes habens ferreos, comedẽs & comminuens, & reliqua pedibus suis conculcans, quæ significant statum regni Romani. Sed hæc nũc pluribus explicare, non est huius loci aut argumenti. Quintũ aũt regnum, quod in secundo ordine constitutum est, & uocatur regnum cœlorum, longe alias habet conditiones & proprietates, q̃ priora. De hoc regno nunc nobis sermo est. Audiamus igitur, quantum ad præsens argumentum satis est, quomodo prophetæ statũ huius regni, & conditiones ac proprietates eius describant. Ac primum Esaias dicit: Erit in nouissimis diebus (hoc est) quando regnum cœlorum incipiet, præparatus mons domus DOMINI in uertice montium, & eleuabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi. Ac mox: Conflabunt gladios suos in uomeres, & lanceas suas in falces. Non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium. Et iterum: Habitabit lupus cũ agno, & pardus cum hædo accubabit. Vitulus & leo & ouis simul morabũtur, & puer paruulus minabit eos. Vitulus & ursus pascentur, simul requiescent catuli eorum. Et leo quasi bos comedet paleas. Et delectabit infans ab ubere super foramina aspidis, & in cauerna reguli, qui ablactatus fuerit, mittet manum suam. Non nocebũt, & non occident, in uniuerso monte sancto meo, quia repleta est terra scientia DOMINI, sicut aqua maris operientis. Et iterum: Deus ipse ueniet & saluabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum & aures surdorum patebunt. Tunc saliet, sicut ceruus, claudus, & aperta erit lingua mutorum. Ac rursus: Pro ære afferam aurum, pro ferro afferam argentum, & pro lignis æs, & pro lapidibus ferrum. Et ponam uisitationẽ tuam pacem, & præpositos tuos, iusticiam. Non audietur ultra iniquitas in terra tua, uastitas & contritio in terminis tuis, & occupabit salus muros tuos, & portas tuas laudatio. Et mox: Non occidet ultra sol tuus & luna tua non minuetur, quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam, & complebũtur dies luctus tui. Populus aũt tuus oẽs iusti in perpetuũ habitabunt terrã, germẽ plantationis meæ, opus manus meæ ad glorificandũ. Minimus erit in mille & paruulus in gentẽ fortissimam.

Babylonicum regnum.

Persicum regnum.

Alexãdri magni regnum.

Romana monarchia.

Regnum cælorum.

Ac paulo

Ac paulo post: Ecce ego creo cœlos nouos & terram nouam, & non erunt in memoria priora, & non ascedent super cor, sed gaudebitis & exultabitis usq; in sempiternum in his quæ ego creo. Quia ecce ego creo Hierusalem exultationẽ, & populum eius gaudium, & exultabo in Hierusalem & gaudebo in populo meo, & nõ audietur in ea ultra uox fletus, & uox clamoris. Non erit ibi amplius infans dierum & senex qui non impleat dies suos. Ezechiel quoq; de statu regni cœlorũ, per Messiam in hac terra inchoandi, ita scribit: Non erunt ultra in rapinam gẽtibus, neq; bestiæ terræ deuorabunt eos, sed habitabunt confidenter absq; ullo terrore. Et suscitabo eis germen nominatum, & non erũt ultra imminuti fame in terra, neq; portabunt opprobria gentium. Ac rursus: Effundam super uos aquam mundam, & mundabimini abomnibus inquinamentis uestris, & ab uniuersis idolis uestris, & dabo uobis cor nouũ, & spiritum nouũ ponam in medio uestri. Et mox: Vocabo frumentum, & multiplicabo illud, & non imponã uobis famẽ, & multiplicabo fructum ligni & genimina agri. Huc accedit & Amos de statu regni cœlorũ ita dicẽs: Ecce dies uenient, dicit Dominus, & cõprehendet arator messorẽ, & calcator uuæ mittentem semen. Et stillabunt montes dulcedinem, & omnes colles culti erunt. Sed & Daniel de huius regni statu scribens: Consumabitur, inquit, prævaricatio, finem accipiet peccatum, delebitur iniquitas, & adducet iusticia sempiterna. Quid autem necesse est omnia prophetarum loca hic cõmemorare, quibus status regni cœlorum per Messiam administrandi describitur? Certe in hoc omnes prophetæ cõsentiunt, statum huius regni ita se habere, primum, quòd omnia membra & subditi huius regni habituri sint perpetuam pacem & tranquillitatẽ, ac tuti sint ab omnibus hostibus & aduersariis suis. Deinde, quòd possessuri sint omniũ rerum abũdantiam, divitias, & gloriam, nec ullam sensuri sint molestiam, dolorem, morbũ, ægritudinem, & aduersitatem, sed fruentur perpetua sanitate, incolumitate & prosperitate. Postremo, quòd omnes erũt iusti, sancti, Deo grati & accepti, breuiter, semper ac perpetuo beati & fœlices. Quid hoc regno præstantius? quid huius regni statu excellentius? Quid huius rgni conditionibus homini melius contingere posset? Regnum Babylonicum, aureum quidem uocatur, attamen eius regni status nunq; tam fœlix fuit, ut omnes incolæ, uel externa tantum pace semper uti potuerint. Salomone in Israël imperante, tanta scribitur fuisse argenti abundantia in Hierusalem, quanta & lapidum, sed interim subditi graui seruitutis iugo premebantur, sua quenq; calamitas excruciabat, & ut maxime aliquis externa fœlicitate fruebatur, erat tamen & peccatis & morti obnoxius. In hoc autem regno cœlorũ, nihil prorsus, quod ad absolutam fœlicitatem pertinet, deest. Si respicias ad bona corporalia, omnia sunt copiosa, iucunda, tuta & trãquilla, si ad spiritualia, omnia sunt sancta, iusta, & benedicta, idq; non aliquot diebus, mensibus, aut annis, sed perpetua & nunq; interitura æternitate. De hoc ergo regno Christus loquitur & ait: Appropinquauit regnum cœlorum. Hactenus fuerunt in terra quatuor magna regna seu monarchiæ, quorum alterum post alterum periit, tantum abest, ut in eorũ statu homines potuerint uere fœlices fieri. Babylonicum præclarum quidem imperium fuit, sed ita nunc periit, ut uix nomen reliquum sit, & nisi beneficio scripturarum nomen Babylonis conseruatum esset, uix sciri posset, num aliquando fuisset urbs aliqua, quæ dicta esset Babylon. Monarchia Persica potens quidem fuit, sed & ipsa ita periit, ut nunc nõ sit nisi inane uocabulũ. Regnum Alexandri & Græcorum fuit quidem ualde nobile, & multorum literis celebratum, sed quid de ipso, præter nomen, nunc reliquum est? Quid de Romano regno dicam? Hoc qui-

Regni cœlorũ status.

dem isto tempore longe omnium potentissimum est, & pomeria sua latissime in omnem orbem terrarum extendit, sed tamen & ipsum incipit nunc decrescere, & subinde magis ac magis decrescet, donec totum intereat. Quia ergo hæc regna partim interierunt, partim iam ad interitum festinant, nec unquam status eorum tam fœlix fuit, ut reddiderit subditos suos uere & perpetuo beatos, ecce adnuncio uobis gaudium magnum: Appropinquauit, uenit, adest hoc ipso tempore regnum illud cœlorum, quod nunquam in æternum deficiet, in quo omnes subditi perpetuo sani, diuites, securi, tuti, glorioſi, iusti, sancti, & fœlices erunt. Porro autem regnum illud cœlorum aduenisse, haudquaquam uane à Christo prædicatur. Ipse enim huius regni rex est, ipse est uerus ille Messias, de cuius regno prophetæ tam præclara uaticinati sunt. Quare cum ipse appropinquauerit, uenerit & adsit, rectissime dicitur, regnum cœlorum appropinquasse. Sed reipsa, inquies, manifestum est, non talem regis statum, qualis supra cõmemoratus est, una cum aduentu Christi in orbem terrarum intrasse. Neq; enim omnes, qui agnoscunt Christum, sani, diuites, & glorioſi fiunt, imo quo magis Christo adhærescunt, eo contemptiores & afflictiores in hoc seculo uidentur. Quid dicam de securitate & tranquillitate? Nulla est gens, quæ tam à Satana q̃ à mundo maiores & grauiores persecutiones & aduersitates patitur, q̃ quæ Christum regem agnoscit. Et tantum abest, ut iuxta prophetam non audiatur inter discipulos & subditos Christi uox fletus & uox clamoris, ut Christus ipse discipulos suos alloquatur dicẽs: Amen amen dico uobis, plorabitis & lamentabimini uos, mundus autẽ gaudebit. Quid autem? nullus ne eorum qui Christum agnoscũt, peccator est? omnes ne iusti & sancti sunt? Quid ergo iubẽtur orare: Remitte nobis debita nostra? Cur Ioannes dicit: Si dixerimus, peccatũ non habemus, nos ipsos fallimus, & ueritas in nobis non est? Certe Christus inter suos ipsius Apostolos tam grauia peccata inuenit, quanta uix inter gentes quis inueniret. Quomodo igitur dicemus regnum cœlorum una cum Christo appropinquasse & aduenisse? Vt hæc diserte intelligamus, obseruandum est, duos esse aduentus Christi: Prior est in carne & humilitate, posterior erit in gloria & maiestate. In priori eius aduentu, quo nunc in Capernaum cõcionatur, & postea in Hierusalem crucifigitur, statum regni cœlorum, de quo prophetæ uaticinati sunt, non aduexit secum in orbem terrarum externa maiestate, sed externo tantum uerbo, & publica Euangelii prædicatione. Prædicauit enim publice, ꝙ qui in ipsum credat, non pereat, non moriatur, sed habeat uitam æternam, habeat placatum patrem in cœlis, habeat remissionem peccatorum, & perpetuam fœlicitatem. Et mãdauit Apostolis suis, ut hæc in toto orbe terrarum prædicarent. In hoc præterea aduentu aduexit secum statum regni cœlorum, quem ante enumerauimus, non ut subditi eius hunc statum externo sensu, iuxta rationem huius seculi palpent, sed ut fide eũ apprehendant. Vnde Christus Pilato respondẽs, inquit: Regnũ meũ nõ est de hoc mũdo, hoc est, habeo quidẽ regnũ in hoc mũdo, sed istud regnũ non habet externas cõditiones & maiestates regnorũ huius mundi. Itaq; donec Christus in maiestate sua secundo aduenerit, status regni cœlorũ, qd secum è cœlo in terrã in priori suo aduentu aduexit, constat in publica tm̃ prædicatione Euangelii, & fide, nimirum, non in externa rerum maiestate, sed in ipso Iesu Christo, per fidem, ex Euangelio de CHRISTO conceptam. Quare si quis agnoscit Christum in hoc seculo, & interim sepositio aliquantisper CHRISTO in seipsum descẽdat, ac excuciat, profecto inueniet tũc nihil aliud quàm peccata, miserias, calamitates, in

Christi aduentus duo.

tates, infœlicitates, mortes & infernos, adeoq; inueniet citius ſtatum regni inferorum, q̃ regni cœlorum. Quòd ſi uero apprehenſo per fidem Chriſto contempletur & excuciat ſe, non in ſe, ſed in Chriſto Ieſu & in publico eius Euangelio, immane, quantas hic inuenit ſanctitates, quantas fœlicitates, quantos cœlos. Si peccata condemnant ipſum, audit: Chriſtus expiauit peccata tua, & communicauit tibi ſuam ipſius iuſticiam & ſanctitatem. Si afflictio, ſi anguſtia, ſi perſecutio, ſi fames, ſi nuditas, ſi periculum, ſi gladius, mortem minantur, audit: Chriſtus uicit mortem, & uictoriam ſuam tibi propriam dicauit. Si mors minatur infernum & perpetuum interitum, audit: Adoptatus es in filium Dei propter Ieſum Chriſtum, & factus es hæres quidem Dei, cohæres autem Chriſti. Nihil igitur Chriſtiano infœlicius, ſi ſepoſito Chriſto, ſeipſum in ſeipſo ſcrutetur. Nihil autem eo fœlicius, nihil beatius, ſi ſe in Chriſto Ieſu Domino & rege ſuo per fidem contempletur. Tunc enim uere eũ regni cœlorum ſtatum inuenit, de quo prophetæ uaticinati ſunt, & qui per Euangelion palàm prædicatur. Vnde Paulus ait: Gratias agentes Deo patri, qui eripuit nos à poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filii ſibi dilecti. Et iterũ: Conuerſatio noſtra in cœlis eſt, ex quo & ſeruatorẽ expectamus, Dominũ Ieſum Chriſtum, qui transfigurabit corpus noſtrum humile, ut cõforme reddat corpori ſuo glorioſo. Ac rurſus: Obſecrãtes uos, ut ambularetis digne Deo, qui uocauit uos in ſuum regnum ac gloriam. Cæterum, regnum quod nunc in priori aduentu Chriſti, in hoc ſeculo publica tantum prædicatione & fide conſtat, hoc in poſteriori aduentu eius reuelabitur etiã externa maieſtate, & quod nunc fide tantum apprehendimus, tunc reipſa & ſenſu palpabimus. Cernimus, inquit Paulus, nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognoſco ex parte, tunc uerò cognoſcam quemadmodum & cognitus ſum. Et Ioannes: Nunc, inquit, filii Dei ſumus, & nondum apparuit, quod futuri ſumus. Scimus autem, quoniam ſi apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam uidebimus eum, ſicuti eſt. Quid ergo, dices, faciendum nobis eſt, ut, quia appropinquauit regnum cœlorũ, & aduenit unà cum Chriſto ſtatus rerum longe omnium fœliciſsimus, efficiamur regni huius & fœlicis eius ſtatus membra, participes, ac ut promittitur, hæredes: Tu uero, quid faciẽdum ſit, ut huius uoti compos fias, è primo concionis Chriſti uerbo, facilime obſeruare potes: Reſipiſcite, inquit Chriſtus, ſeu pœnitentiam agite. Audis quid te facere oporteat: Reſipiſcendum eſt. Agenda eſt pœnitentia. Sic enim recipieris & conſcriberis in ciuem, membrum, & hæredem huius regni. Porro pœnitentia, quemadmodum ſæpenumero ſupra demonſtrauimus, conſtat primum, agnitione peccatorũ, deinde fide in Ieſum Chriſtum, q̃ propter hunc habeamus remiſsionem peccatorum, & placatum patrem in cœlis. Vnde in Marco CHRISTVS addit: Reſipiſcite, inquiens, & credite Euangelio. Quod eſt illud Euangelion? non eſt aliud, quàm q̃ Ieſus Chriſtus uenerit in hunc mundum, ut omnis qui credat in eum, habeat in ipſo & per ipſum, iuſticiam, fœlicitatem, & uitam æternam. Poſtq̃ autem remiſsio peccatorum contigit propter Chriſtum per fidem, ibi nequit ſe pius continere, quin ad proferẽdos fructus fidei, & ad gratias Dño Deo ſuo agendas, ad omnia bona opera quæ Deus præcepit, & ſtatui regni cœlorum conueniunt, faciẽda, ſua etiamnum ſponte & magna animi alacritate feſtinet. Ergo, quoniam appropinquauit regnũ cœlorum, reſipiſcite, ut & huius regni ciues efficiamini, & uitã regno cœlorum dignam ducatis. Habes primam Ieſu Chriſti concionem, quæ & ſi natiua ſua ipſius ueritate fidem mereatur, tamen quia externo ſenſu nihil minus apparet, quàm in Chriſto aduenisſe ſtatum regni cœlorum, ideo Chriſtus

consulit humanæ imbecillitati,& confirmat concionem suam sigillis maxime omnium admirandis. Sic enim Matthæus scribit: Circuibat Iesus totam Galilæam, docens in synagogis illorum, ac prædicans Euangelion regni, & curans omnem morbum,& omnem languorem in populo. Et adduxerunt ad illum omnes male affectos uariis morbis ac torminibus contractos,& dæmoniacos, & lunaticos, & paralyticos,sanauitq; illos. Vnde Lucas hoc loco ait: Fama exiit per uniuersam regionem de illo,& glorificabatur ab omnibus, nimirum propter miracula eius, quæ in sanandis infirmis ædebat. Hæc autem miracula non alio consilio à Christo ædebantur,q̃ ad probandam,& tanq̃ certissimis signaculis confirmandam doctrinam & concionẽ Euangelii sui,quo adnunciabat,se uerum esse Messiam in hũc mundum missum,ut secum adueheret regnum cœlorum,ut omnes, qui in ipsum credunt, consequerentur propter ipsum remissionem peccatorum, & uitam æternam. Confirmemus igitur,amicissimi, fidem nostram miraculis à Christo æditis, & teneamus Euangelion Christi constanti fide, ut simus regni cœlorum ciues, cõsortes & hæredes per Christum Iesum Dominum nostrum,qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus laudandus in secula Amen.

Miracula sunt sigilla Euangelij.

HOMILIA XXXVII.

EXplicuimus primam concionem Domini nostri Iesu Christi,quæ est: Resipiscite,appropinquat enim regnum cœlorũ. Et quia hæc prædicatio de aduentu regni cœlorum in terram,ueteri adhuc rerum statu perdurante, incredibilis uisu debatur,ideo Christus adiecit magna & præclara miracula ueluti sigilla,quibus ueritatem concionis suæ confirmaret. Atq; hæc quidem in Capernaum, & in reliquis urbibus Galilææ gesta sunt. Nunc autem describit Lucas profectionem CHRISTI,ad patriam suam Nazareth,

» & ait: Et uenit Nazareth, ubi erat nutritus,& intrauit secundũ consuetudinem

» suam die sabbatorum in synagogam, & surrexit ut legeret. Ostendimus sæpenumero, Iesum Christum ita hominem nostri caussa induisse, ut etiam humanos affectus,sine omni tamen peccato,in se assumpserit. Inter naturales autem hominum affectus,haud postremus est,amor patriæ. Natura enim dulci quodam affectu patriam nostram complectimur, & quamuis à sympatriotis male interdum affecti simus,tamen patriæ non possumus nõ meminisse & fauere. Hinc est, q̃ multi honesti uiri nõ dubitauerint sanguinẽ suũ pro patriæ libertate effundere. Quidã etiam pro incolumitate eius, sicuti persuasi erãt, se uiuos in uoragines terræ p̃cipitarunt. Fuerũt quoq;,qui ad dilatãdos fines patriæ suæ,passi sunt æquo aĩo se uiuos terra obrui. Tãtus fuit patriæ amor. Christus igit, qui nostrã naturã induerat,hũc quoq; affectũ,uidelicet,amorem patriæ assumit,& relicta Capernaũ urbe celebri,p̃ficiscitur ad Nazareth,obscurã quidem ciuitatulam,patriam tñ suam,ut & sympatriotis suis regnum cœlorum afferret. Porro aũt cũ ueniffet in Nazareth,intrauit secundum consuetudinem suam die sabbatorum in synagogam, & surrexit ut legeret. Ergo ne licuit cuiuis,p̃ sua libidine officiũ legendi,& interpretãdi,p̃phetas in synagoga Iudæoꝝ usurpare? Licuit,sed obseruata interim publica & legitima synagogæ ordinatiõe,nimiꝝ, ut q̃ legere uellet,in locũ lectoribus ac doctoribus dedicatũ sederet,& à principibus synagogæ uocaret. Alioqui enim,si unicuiq; licuisset sine ordinata uocatiõe in mediũ p̃rumpere,& cõcionari,q̃ turba magis fuisset cõfusa? Vnde in Actis Apl̃icis scribit Lucas, q̃ Paulus & Barnabas ingressi sint in die sab-

Patriæ amor.

Docendi ordo in synagogis.

batoꝝ sy-

betoꝝ ſynagogã Antiochæ Piſidiæ, & ſederint, uidelicet, in eũ locũ qui lecturis aut cõcionatu tis deputatus erat. Poſt lectionẽ aũt legis & prophætaꝝ miſerũt princi pes ſynagogæ ad eos dicẽtes: Viri fratres, ſi quis eſt in uobis ſermo exhortatiõis ad plebẽ, dicite. De tali ordinatione Paulus etiam ad Corinthios ſcribens loquitur, & ait; Prophetæ duo aut tres loquãtur, & cæteri diiudicent. Porro, ſi alii fuerit reuela tum aſsidenti, prior taceat. Poteſtis enim ſingulatim omnes prophetare, ut omnes diſcant, & omnes conſolationem accipiant, & ſpiritus prophetarum prophetis ſubiiciuntur. Sed ne quis putet, Paulum concedere licentiam cuiuis quiduis in ec cleſia ſine uocatione garriendi, & publicã concionem interrumpendi, uerbis diſer tis addit: Non eſt cõfuſionis autor Deus ſed pacis. Et mox: Omnia decenter & ſecũ dum ordinem fiant. Quid autem publice turpius, q̃ ut alter alterius ſermonẽ ſine legitima uocatione & ordinatione publice aut interrumpat, aut etiam excipiat? Quare ut maxime licuerit unicuiuis Iudæo in ſynagogis concionari, non tamen id licuit ſine legitima ſua ordinatione. Tametſi aũt Chriſtus non fuit ſubiectus humanis ſynagogarũ ordinationibus & uocationibus, quippe qui par lo ante uoce cœ leſti & ſpiritu ſancto è cœlo delapſo ad officiũ docendi uocatus & ſanctificatus fue rat, tamen quia hominẽ induit, humanis quoq; legibus & ordinationibus obediit. Ex quo apparet, ipſum non niſi obſeruata ſynagogæ ordinatiõe ad legendũ aſſur rexiſſe. Publicæ enim ordinationes in conuentibus populi propter decentem ho neſtatẽ, concordiã, καὶ εὐταξίαν inſtitutæ, non ſunt prophanæ, ſed diuinæ ordina tiones. Si quis, inquit Paulus, uidetur propheta eſſe aut ſpiritualis, agnoſcat, quæ ſcribo uobis, q̃ Dñi ſint præcepta. Quare qui temere ſibi uſurpãt officium docendi in eccleſia, aut publicã concionẽ in eccleſia interrumpũt, hi peccant in Dominũ, & inter ſedicioſos deputandi ſunt. Sed quid? Chriſtus uoluit ſympatriotis ſuis ma ieſtatẽ ſuam declarare, ut ueram ſalutẽ conſequerent, hoc tamen præcipue omniũ egit, ut legeret in ſynagoga, & interpretaret ſcripturas. An non alia ratione potuit maieſtatem ſuam oſtentare, nimirũ cataphracto equitatu & regia pompa? Legen dis enim libris & explicandis ſcripturis magis oſtentatur doctus ſacrificulus, q̃ po tens Meſsias. At nõ eſt, quòd ad mireris factum Chriſti. Potuiſſet quidẽ tanta exter na maieſtate ſe ſuis ſympatriotis oſtẽtare, quantã nullus hoim in ullo maximorũ & potentiſsimoꝝ monarcharũ uidiſſet, ſed maluit humilis in lectiõe tantũ & expli catione ſcripturarũ ſeſe oſtẽtare, ut declararet, maieſtatẽ ſuã in hoc ſeculo cõſtare, nõ in externo reꝝ apparatu & pompa, ſed in miniſterio tantũ uerbi, & fide. Expe ctãt quidẽ Iudæi talem Meſsiam, qui externa maieſtate in orbe dominet, & optant afflicti talẽ Chriſtum, qui ipſos ab omnibus ſenſibilibus calamitatibus in hoc ſeculo liberet, ſed obſeruandũ eſt, Chriſtum ſurrexiſſe, non ad dominandũ externa pom pa, ſed ad legendum ſcripturas. Et ſtat ſententia: Regnum meum non eſt de hoc mundo. Proinde qui affligitur, & aduerſa patitur, nõ exiſtimet ſe ideo ab omni do loris ſenſu immunẽ eſſe debere, q̃ ſit ſub regno Chriſti, ſed audiat Euangeliõ Chri ſti, & adhibeat ei fidem. Sic enim fiet, ut quod uerbo audit, & fide credit, reipſa ſuo tandem tempore, cum Chriſtus in maieſtate ſua rediturus eſt, adſequatur. Sed arri gamus aures, quid Chriſtus in ſynagoga Nazarethana legerit. Traditus eſt illi (inquit Lucas) liber Eſaiæ prophetæ, & ut explicuit librum, inuenit locũ, ubi ſcrip tum erat: Spiritus Domini ſuper me, ideo unxit me, ad euangelizandum pauperibus miſit me, ut ſanem contritos corde, ut prædicem captiuis remiſsionem, & cæcis uiſum, ut dimittam confractos in remiſsionem, ut prædicem annum DOMINI acceptum. Et cum plicuiſſet librum reddidit miniſtro, & ſedit.

Chriſti maieſtas non in externa rerum pompa.

33 Et omniũ in ſynagoga oculi erant intendentes in eum. Cœpit aũt dicere ad illos:
„ Hodie impleta eſt hæc ſcriptura in auribus ueſtris. Nõ eſt propheta, qui plura & manifeſtiora de Meſsia & regno eius ſcripſerit, q̃ Eſaias. Vnde à pleriſq; magis Euã gelista q̃ propheta uocatur. Quare commode admodũ Meſsiæ concionaturo in manus uenit. Quid aũtẽ aliis interpretibus, qui hunc locũ explicent, egemus? Qui hæc uerba legit, is ille ipſe eſt, de quo propheta ſcripſit. Hodie, inquit, impleta eſt hæc ſcriptura in auribus ueſtris. Non igitur requiremus aliũ interpretẽ, ſed tantum uidebimus, quomodo hæc prophetæ uerba, in hunc lectorẽ Ieſum Chriſtum competant. Nam cum Eſaias capite ſexageſimo deſcripſiſſet, quale ſit regnũ Meſsiæ, mox deſcribit capite ſexageſimo primo, qualis perſona ſit Meſsias, & quale ſit officium eius. Eſt autẽ hæc deſcriptio alta mente reponenda, ut cognoſcamus Ieſum Chriſtũ, & ſciamus, quid in eo requirere, quid de ipſo nobis polliceri, quid in ipſo expectare, ſperare, & confidere debeamus. Hæc eſt eñ, inquit Chriſtus, uita æterna, ut cognoſcãt te ſolũ Deum uerũ, & quem miſiſti, Ieſum Chriſtũ. Dicit ergo Eſaias in perſona Chriſti: Spiritus Domini ſuper me. Hebræus ita habet: Spiritus dominatoris Dñi ſuper me. Eſt autem huic prophetæ familiare Deũ duobus his coniunctis epithetis, dominatoris Domini, celebrare. Vnde & hac loquẽdi forma Chriſtus in Euãgelio dicere uidet: Nõ omnis qui dicit mihi, Dñe Domine, intrabit in regnũ Dei. Sed quid hoc magni eſt, q̃ ſpiritus Dñi dicat eſſe ſuper Chriſto? Nõne etiam ſpiritus Dñi ſuper Moſe, ſuper Samſone ſuper Salomone, & ſuper prophetis fuit? Profecto fuit. Sed lõge alia ratione eſt ſuper Chriſto. Aliis eñ datus eſt ſpiritus ſeu dona ſpiritus per partes, & ad menſurã. Moſi datus eſt ſpiritus ſapientiæ, & ædendorũ quorundã miraculorũ. Samſoni datus eſt ſpiritus fortitudinis. Salomoni ſpiritus ſapientiæ. Prophetis ſpiritus cognoſcendorũ myſteriorũ Dei. Chriſto aũt data eſt plenitudo ſpiritus, & effuſa ſunt in eum omnia dona ſpiritus. Requieſcet, inquit Eſaias, ſuper eum ſpiritus Dñi, ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus cõſilii & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis, & replebit eũ ſpiritus timoris Domini. Et Ioannes: Non ad menſurã dat Deus huic ſpiritũ. Similiter Paulus ad Colloſenſes ſcribens: in illo, inquit, inhabitat omnis plenitudo Dei corporaliter. Et iterũ: In ipſo oẽs theſauri ſapiẽtiæ ac ſciẽtiæ recõditi. Quare cũ propheta ait, ſpiritũ Dñi eſſe in Chriſto, ſignificat omnẽ plenitudinẽ & omnia dona ſpiritus in Chriſto eſſe. Plenitudo aũt ſpiritus nuſquã niſi in ſolo Deo inuenit. Cum igit propheta deſcribat, Chriſtũ plenitudine ſpiritus præditũ eſſe, certe palàm ſignificat, Chriſtũ uerũ Deum eſſe. Et quia talis eſt Ieſus, addit: Ideo unxit me Dñs, hoc eſt, Deus cõſecrauit & fecit me Meſsiã ſeu Chriſtũ. Non uſurpo mihi temerario auſu honorem, maieſtatẽ & officium Meſsiæ, ſed quia plenitudine ſpiritus ornatus, ac Deus ſum, ideo ſanctificauit me Dominus, ut maieſtate & officio Meſsiæ defungar. Porro, qui in politia Iudaica iu reges & ſacerdotes conſecrabant, hi ſolebãt ungi, ſed oleo externo. Vnde & Chriſti, hoc eſt, uncti Domini dicebãtur. Hic aũt Ieſus unctus eſt, non externo aliquo & terreno oleo, ſed cœleſti, uidelicet, plenitudine ſpiritus ſancti. Eſt igitur & ipſe rex & ſacerdos, Cæſar & pontifex, nõ aũt talis, qui externa maieſtate & cærimoniis in hoc ſeculo domineẽt, ſed cuius imperiũ & pontificatus cõſiſtat in ſpiritu, hoc eſt, in miniſterio ſpiritus & fide, ac ſedeat ad dextrã Dei patris, donec Dñs ponat inimicos ſuos ſcabellũ pedũ ſuorũ. Audiamus ergo, quod ſit officiũ Meſsiæ, & quod miniſteriũ ſpiritus eius, ad quod à Domino in orbem terrarũ miſſus eſt. Primum, ad euangelizandũ, inquit, pauperibus ſeu afflictis, miſeris & abiectis hominibus miſit me. Non ait: Miſit me ad dominandum externa maieſtate, ſed ad euangelizandũ,

Eſaias, Euangeliſta.

Spiritus ſanctus ſuper Chriſto.

Vnctio olei & ſpiritus.

Meſsiæ officia.

gelizandum,seu ad prædicandum nouum & lætũ nuncium. Nec ait,diuitibus,glo rioſis & potentibus huius ſeculi. Hi enim exiſtimant ſe nõ indigere diuino auxilio, ſed ait,pauperibus,afflictis,miſeris & calamitoſis hominibus. In hoc enim ſeculo ni hil eſt contemptius pauperibus,nihil abiectius afflictis,nihil uilius miſeris. Contem nuntur in agro,faſtidiuntur in foro, negliguntur & publice & priuatim. Breuiter: Pauper & afflictus ubiq; iacent. Et quia reiiciunt in hoc ſeculo, exiſtimant in ſua ip ſorum cõſcientia,ſe à Deo quoq; reiectos eſſe. Nunc autem dicit Meſsias, ſe diuini tus miſſum,ut his euangelizet, ac nouo eodemq; læto nuncio animum eorum uiui ficet,refocillet ac exhilaret. Quod ergo,inquies,Euangelion illud ac lætum nunci um eſt,quod Meſsias miſeris & calamitoſis hominibus prædicauit? Profecto non eſt aliud, quàm q; prædicauit,ſe expiare peccata noſtra, ſe placare irã patris in cœ lo,ſe efficere, q; pater ſit nobis miſericors, q; reſpiciat nos in calamitatibus noſtris, q; uelit nos per calamitates & miſerias in perpetuam gloriam & fœlicitatem duce re. Quid nunc miſer homo dubitas,quo te in calamitate tua uertas? quẽ inuoces? cui ſanctorum uota faciasʔad quem ſanctoꝝ peregrineris? En habes hic regem & ſa cerdotem, Cæſarem & pontificem, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtũ, qui in hoc à Deo patre ſuo unctus,conſecratus & miſſus eſt,ut quotquot Euangelio eius fidem adhibent, in omnibus ſuis miſeriis & calamitatibus incolumes ſeruet, ac perpetua fœlicitate donet. Deinde miſit me ad medendum contritis corde. Et qui ſunt con triti corde? Hi certe ſunt, qui ſentiunt peccata ſua. Peccata enim conterunt corda. Nam peccata adducunt ſecum iram Dei,timorem omniũ periculorum,timorem mortis & inferni. Nihil autem poteſt humano cordi uel durius, uel atrocius acci dere,q̃ ſi iram Dei & timorem mortis ac inferni ſentiat. Chriſtus igitur miſſus eſt, ut huic atroci contritioni medeatur. Sed quomodo,inquies? Expiat peccata,& pla cat patrem in cœlis,& hoc Euangelion prædicat. Quare qui huic prædicationi fi dẽ adhibet, & imponit p fidẽ hoc Euãgelion tanq̃ malagma ſuper contritionẽ cor dis ſui,is præſentaneũ ſentiet remediũ. Quid enim amplius timeret irã Dei, quãdo pla catus eſt Deus per Chriſtũ? quid mortẽ & infernũ formidaret, quãdo peccata,quo rum ſtipẽdia ſunt mors & infernus,per Chriſtũ ablata ſunt? Vnde & aliàs per Eſaiã dicitur: Ad quẽ reſpiciã, niſi ad pauperculũ & contritũ corde,& trementẽ ſermo nes meos? Ac Dauid in pſalmo: Cor contritũ & humiliatũ Deus non deſpicies. Et rurſus: Qui ſanat contritos corde,& alligat cõtritiones eorũ. Adhæc,miſit me,in quit,ad prædicandũ captiuis ſeu mancipiis manumiſsionem. Quid audio? ergóne Chriſtus uenit ad turbandũ ſtatũ imperiorum ciuiliũ,in quibus alius eſt dominus, alius eſt mancipiũ ſeu ſeruus, quẽ nos corpore addictũ uocare ſolemus? Nũ Euãge lion Chriſti non poteſt ferre,ut dominus in Chriſtum credens habeat mancipium aut ſeruum? Sed audi tu uiciſsim, Chriſtus non uenit ut turbet ſtatum Reipub. ci uilis. Date, inquit, quæ ſunt Cæſaris Cæſari. Et Paulus ad Corinthios ſcribens: Vnuſquisque,inquit,in ea uocatione in qua uocatus fuit,maneat. Seruus uocatus es? ne tibi ſit curæ,quin etiam ſi potes liber fieri,potius utere. Etenim qui in Domi no uocatus eſt ſeruus, libertus Domini eſt. Similiter, qui liber uocatus eſt, ſeruus eſt Chriſti. Non igitur loquitur hic Chriſtus de ciuilibus mancipiis, aut externa manumiſsione, ſed de ea manumiſsione, quæ eſt liberatio à Satana. Nos enim omnes ſumus natura captiua Satanæ mancipia, & habet in nos Satan pro iure dominorum, poreſtatem uitæ neciſque, quemadmodum legum tabulæ loquun tur. Poſtquàm enim Adam peccauit, nos omnes poſteri Adæ uenundati ſumus ſub peccatum,ut Paulus ait,& propter peccatũ traditi ſumus in poteſtatẽ Satanæ,

Paupertate nihil cõtemptius.

Euangelion afflictis annũciatum.

Contriti corde quis

Manumiſsio à ſeruitute.

Mancipia Satanæ homines.

Venit igitur Christus, ut prædicet libertatem & manumissionem à Satana, & restituat nos pristino nostro Domino, qui est Deus pater noster cœlestis. Sed quomodo prædicat libertatem? Prædicat remissionem peccatorũ per nomen suum, uidelicet, q̃ satisfaciat pro peccatis ac persoluat debita nostra. Proinde, qui adhibet prædicationi huic fidem, is consecuta propter Christum remissione peccatorum, consequitur etiam manumissionem à Satana, & restituitur pristinæ libertati corã Deo. Sed adhuc magis explicat Christus officium suum: Misit me, inquiens, ut prædicẽ cæcis uisum, & dimittam confractos in remissionem. Hoc in Hebræo simpliciter ita legitur: Vt prædicem clausis apertionem carceris. Quid ad hæc dicet magistratus ciuilis? num quia Christum agnoscit, neminem debet includere in carceres ac turres? aut si quem incluserit, effringendæ sunt, iuxta hanc Messiæ prædicationẽ, fores carceris, & inclusi libere dimittendi? Nihil profecto minus. Sicut enim Christus non uenit, quemadmodum paulo ante diximus, ut turbet statum reip. ciuilis, ita non uenit, ut abroget officium magistratus ciuilis, & auferat ei genera ciuilium supplicioꝝ, quæ sceleratis inferre solet. Quin potius suo ipsius testimonio cõfirmat autoritatem magistratus, dicens ad Petrum: Omnes, qui acceperint gladium, gladio peribũt. Et Paulus. Quæ sunt, inquit, potestates, à Deo ordinatæ sunt. Et mox: Dei minister est, ultor ad iram ei, qui quod malum est fecerit. Accedit huc, quòd Christus, quemadmodum sæpe demonstrauimus, non uenit, ut regnum suum externa maiestate in hoc seculo administret. Regnum meum, inquit, non est ex hoc mundo. Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utiq; decertarẽt, ne traderer Iudæis. Sed uenit ut administret regnum suum ministerio prædicationis, & fide. Vnde & hoc loco non dicit: Vt uiolenta manu eripiam clausos ab externis carceribus, sed ait: Vt prædicem apertionem, manifeste significans, regnum suum ministerio prædicationis constare. Proinde hoc loco de longe alio carcere sermo est, q̃ de externo illo, in quem includuntur homines publica flagitia designantes. Carcer enim est mors, carcer est infernus. Ad hos carceres à primo conceptionis nostræ momento captiui ducimur propter peccatum nostrum, & in nouissimo uitæ nostræ die concludimur in eos, perpetuo condemnati. De his carceribus loquitur nunc Christus, & palàm confitetur se missum, ut uinctos morte & inferno liberos dimittat. Vnde & aliàs in Esaia, de Christo filio suo pater cœlestis ait: Dedi te in fœdus populi, in lucem gentium, ut aperires oculos cæcorum, & educeres de conclusione uinctum, de domo carceris sedentes in tenebris. Quomodo ergo de his carceribus uinctos liberat? Prædicat Euangelion de remissione peccatorum, & docet patrem à se placatum, peccata expiata, mortem uictam, & infernum suo marte expugnatum. Ego sum, inquit, resurrectio & uita. Qui in me credit, etiamsi mortuus fuerit, uiuet. Et omnis qui uiuit & credit in me, non morietur inæternum. Et iterum: De manu mortis liberabo eos, de morte redimã eos. Ero mors tua ò mors, ero morsus tuus inferne. Proinde qui huic Euangelio fidem adhibet, is quia per fidem propter Christum liberatus est à peccatis, liberatur etiam propter Christum è teterrimis carceribus mortis & inferni, ac restituit uitæ & cœlo. Postremo addit Christus, se missum, ut prædicet annum Domini acceptum. Ecquis est ille annus Domini acceptus? Certe non est alius, quàm annus Iubilæus. Dicit ergo Christus, se missum, ut buccina sua ádnunciet omnibus annum iubilæum. Sed ut hoc Christi officium rectè intelligamus, adnotandum erit quæ fuerit obseruatio iubilæi in lege Mosi. De iubilæo autem in Leuitico capite uicesimo quinto ita scribitur: Numerabis tibi septem sabbata annorum, ut septem anni septies numerentur, qui simul faciunt

Magistratus ciuilis,

Carcer mortis.

Annus iubilæus.

faciunt quadraginta nouẽ annos,& clanges buccina mẽſe ſeptimo,decima die mẽſis in ipſo die propitiationis,in uniuerſa terra ueſtra. Sanctificabiſq; annũ quinquageſimũ,& prædicabis remiſsionẽ cunctis habitatoribus terræ tuæ. Ipſe eſt enim Iubilæus, ut reuertat̃ quiſq; ad poſſeſsionem ſuam,& ad familiã ſuam, quia quinquageſimus annus iubilæus eſt. Vides in anno iubilæo duo potiſsimum obſeruata fuiſſe. Alterũ,q; eo anno omnes ſerui liberi fiebant. Alterũ,q; anno illo,poſſeſsiones agrorum diuenditæ,priſtino ſuo domino aut hæredibus eius reſtituebant̃. Hæc fuit ciuilis lex, regioni Canaan cõmodiſsima & politiæ Iudæorũ neceſſaria. Cum em̃ ea regio diuiſa eſſet à Ioſua in duodecim partes,iuxta duodecim tribus Iſrael,& unicuiq; tribui ac familiæ ſui termini definiti eſſent,nõ potuiſſet,inter tam uarios ciuiles cõtractus,ſortium & tribuũ diſtinctio cõſtitiſſe, niſi tempus aliquod ſtatutum fuiſſet, quo omnes in emendis uendendiſq; agris cõtractus ſoluerẽtur. Hic ergo annus fuit quinquageſimus,à tubarũ ſonitu,iubilæus dictus. Adhæc obſeruatio huius anni nõ nihil trãquillitatis attulit. In eo em̃ ſemel finiebant̃ omnes lites,iurgia,debita,acta, pacta,iura,ſigilla & literæ, ut is annus publica fuerit omniũ ciuiliũ controuerſiarũ compoſitio & pacificatio. Cæteꝝ, quod ad externam iubilæi obſeruationem iuxta legem Moſi attinet,nihil ad nos iubilæus. Non em̃ ſumus in politia Moſi, quæ iamdudũ abrogata eſt, ſed in politia Romana. Et quoniã magiſtratus ciuilis eſt ordinatio Dei, neceſſe eſt ut uiuamus ſecundũ leges noſtri magiſtratus, quem agnoſcimus,nimirum,Romani. Alia enim eſt ratio politiæ Moſaicæ,alia politiæ Romanæ. Quare neceſſe eſt alias quoq; leges eſſe in Romana politia,q̃ in Moſaica. Quod aũt attinet ad rẽ ipſam per externũ iubilæũ ſignificatã,multũ certe ad nos iubilæus. Hic em̃ iubilæus incepit ab eo tempore,quo Chriſtus inchoauit prædicationẽ Euangelii ſui, & durat non uno anno, ſed perpetuis temporibus. Ait enim Chriſtus: Dominus miſit me,ut prædicem, hoc eſt,ut buccina Euangelii annunciem annũ Domini acceptũ, ſeu iubilæũ. Etenim, ſi excutiamus nos, reperimus nos propter peccatum factos eſſe ſeruos & mancipia Satanæ, ac uendidiſſe unius pomi eſu,& amiſiſſe poſſeſsionem paradiſi,& hæreditatem omnium cœleſtium bonorũ. Nunc autem uenit Chriſtus & ſatisfecit pro peccatis noſtris,& redemit nos à poteſtate Satanæ,ac reſtituit nos priſtinæ noſtræ poſſeſsioni paradiſi,& hæreditari cœleſtium bonorum,adeoq; hæc omnia prædicatione Euangelii ſui palàm diuulgat. Quare ab eo tempore, quo prædicatio Euangelii Ieſu Chriſti cœpit, cœpit quoq; uerus ille,& omnibus miſeris peccatoribus gratiſsimus iubilæus, ac tantiſper durabit,dum prædicatio Euangelii durauerit. Ea aũt durat uſq; ad nouiſsimũ huius ſeculi diem. Proinde uſq; ad id quoq; tempus iubilæus durabit. Vnde & Paulus ait: Ecce nunc tempus acceptũ,ecce nũc dies ſalutis. Et aliàs: Nunc propius adeſt nobis ſalus,quàm tum cum credebamus. Nox progreſſa eſt, dies autem appropinquat. Habes ex Eſaia quod ſit officium Domini noſtri Ieſu Chriſti. Nam uerba prophetæ in ipſum reſpicere, teſtatur ipſemet Chriſtus: Hodie, inquiens, impleta eſt hæc ſcriptura in auribus ueſtris. Nihil autem Chriſtianum hominem magis decet, quàm ut diligenter cognoſcat, & probe teneat officium Chriſti ſui. Quid enim Chriſtiani nomen geſtas, ſi Chriſtum ignoras? Turpiſsimum eſt, ſi profeſſor ciuilis artificii neſciat artificii ſui rationem, quanto turpius eſt Chriſtiano, per baptiſmum Chriſto incorporatum,& Chriſtum ipſum profitentem, rationem Chriſti neſcire? Ac ſi non honeſtas, at ſaltem utilitas, atque ipſa quoque neceſsitas admoneat te,ut officium CHRISTI optime exploratum habeas. Si enim Chriſtum agnoueris, quid,obſecro, rerum tibi deeſſe poteſt? Si peccata condemnant,

Euangelij tẽpus, annus iubilæus.

Chriſti cognitio, & honeſta & neceſſaria.

Christus pro peccatis satisfecit. Si morbus dolorē affert, Christus est, qui quo magis dolor affligit, eo maiorem interim lætitiam & fœlicitatem dolenti præparat. Si paupertas molesta est, Christus est, qui placauit nobis Deum, & effecit, ut sit nobis clemens pater. Deus autem noster longe omniū ditissimus est, non solū opum cœlestium sed etiam terrestrium. Meæ sunt, inquit, omnes feræ syluarum, iumenta in montibus & boues. Cognoui omnia uolatilia cœli, & pulchritudo agri mecum est. Cum ergo induerit Deus propter Christum erga nos paternū affectū, qui fieri posset, ut sinat filios suos fame perire? An quisquam est homo, inquit Christus, qui si filius eius petierit panem, lapidem daturus est illi? Aut si piscem petierit, nū serpē tem porriget illi? Si uos igitur, cum sitis mali, nostis bona dona dare filiis uestris, quanto magis pater uester qui est in cœlis dabit bona, si postuletis ab ipso. Si infamia torquet, Christus noster est in gloria, qui cum sit caput ecclesiæ suæ, non patietur membrum suū infamia perire. Et qui cum Christo patitur, cum eodem etiam glorificabitur. Si carcer intolerabilis est, Christus est in cœlo & in regno patris sui. Ergo qui secum habet Christum suū per fidē, is in medio etiam carcere, non in ipso carcere, sed in cœlo, in paradiso, in regno Dei patris sui ambulat. Si exiliū graue est, Dñi Christi sui est terra & plenitudo eius. Si mors & infernus imminēt, Christus est, qui mortem & infernū uicit. Breuiter, quodcunq; malum nobis infestum fuerit, in Christo Iesu absorbetur. Nec est ullus alius uel in cœlo uel in terra auxiliator & redemptor, nec ullum aliud nomē datum est hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri, q̄ nomē Domini nostri Iesu Christi. Nihil enim aliud est propter quod cō sequimur remissionē peccatorū, & habemus placatum patrē in cœlis, q̄ Iesus Christus. Non est igitur aliud quicq̄, præter Christū, quod nos à malis seruare & salutē dare possit. Nec est, quòd horreamus Christum, tanq̄ crudelem iudicē, & truculentum carnificem, qualem nobis depingit impiissima hypocritarū doctrina, & fingit interim, nescio quos, reconciliatores & seruatores. Iudex est Christus, fateor, sed corum, qui incredulitate Euangelion ipsius contemnunt, & in peccatis suis obstinati permanent. Eorum autem, qui fide in ipsum resipiscunt, seruator est lōge omnium clementissimus. Hoc docet nos propheta Esaias, hoc ex Esaia interpretatur de seipso, is qui est ipsa ueritas, Iesus Christus. Reponamus igitur hanc cōcionem Christi alta mente, ut cum ex ipsa officium, imo affectum Christi erga nos cognouerimus, sciamus nobis in omnibus afflictionibus tam corporalibus quàm spiritualibus ad ipsum solum festinandum esse, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus laudandus in secula Amen.

Christus iudex.

HOMILIA XXXVIII.

AVdiuimus cōcionem, quam Christus in patria sua ex Esaia habuit, & qua officium suum explicuit. Audiamus nūc quomodo ciues Nazarethani Christum conterraneū suum & concionē eius exceperint ac tractauerint. Omnes, inquit Lucas, testimonium illi dabant, & mirabātur in uerbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius, & dicebant: Nonne hic est filius Ioseph? Quid potuisset Christo magnificentius
" " " " inter ciues suos contingere, quàm quòd propter incredibilem concionum eius gratiam, tanta beneuolētia ipsum complexi sint, ut summa cum admiratiōe nomē eius celebrauerint, ac uno omnium ore, publicoq̄ testimonio ueritatem concionū eius appro

eius approbauerint? Sed hic mihi memineris, quæ sit multitudinis natura. Nihil uulgo mobilius & inconstantius est, & ut iudicio eius nihil est præcipitantius, ita nullam unq̃ mediocritatẽ seruat. Aut extreme laudat, aut perditissime execratur. Et quem modo in cœlum, si queat, posuisse cupit, eum mox diris omnibus deuouet. Cuius rei exemplũ Nazarethani in Iesu Christo cõterraneo suo exhibẽt. Neq; enim mediocri fauore eum excipiunt, nec mediocri odio eum reiiciũt, sed initio, summo ipsum fauore prosequunt, ac ita eum cõmendant, ut etiamsi sciant ipsum ex humili prosapia genitũ, id tamẽ deputent ei in laudẽ, sentientes honestissimum esse, humile genus uirtute sua illustrare. Postq̃ autẽ calor nouitatis refriguit in ipsis, tanto maiori fastidio ipsum cõremnunt, quanto honoratius eum prius excepe runt & tractarũt. Primũ enim fastidiunt ipsum propter uilitatẽ generis & prosapiæ suæ. Deinde propter ignobilitatẽ artificii, quod exercuerat cum nutricio suo. Nonne hic est, inquiunt, faber ille, filius Mariæ, frater Iacobi, & Iose, & Iuda, & Simonis? Nonne & sorores eius hic nobiscum sunt? Et offendebant (inquiũt Matthæus & Marcus) per eum. Sic eñ pro humana sapientia sentiũt, q̃ qui in hoc seculo ob generis & artificii sui uilitatẽ non magni reputat, is nec corã Deo magni æstimet, & qui in hoc mundo cõtemptibilis est, is nec apud Deũ glorioſus sit. At hæc sapiẽtia, mera est stulticia, imo impietas. Tanto eñ magis quis apud Deũ nobilis est, quãto in hoc seculo contẽptior est. Quis, inquit psalmus, sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cœlo & in terra. Quare nihil fuit stultius Nazarethanis, q̃ iudicauerint Iesum cõterraneum suũ ideo à diuinis donis longe abesse, q̃ sciant eũ nulla generis ac status nobilitate in hoc seculo claꝝ esse. Postremo augebat & hoc contemptum Christi in patria sua, q̃ maior fama nominis eius de ipso in Nazareth præcesserat, q̃ reipsa præsens præstabat. Dicit enim Marcus: Nõ poterat ibi uirtutẽ ullam ædere, nisi q̃ paucos infirmos impositis manibus sanauit. Vnde plane id inter se musitabant, quod hic Christus cõmemorat. Et ait illis: Omnino dicetis mihi hanc similitudinem, medice cura teipsum. Quæ cunq; audiuimus facta in Capernaũ, fac & hic in patria tua. Hæc uerba recitat Christus, uulgo in patria sua à ciuibus & cognatis suis de se iactata, & habẽt hanc sententiã: Si tantus, inquiunt, uir es, quantus ab aliis prædicaris, & tu teipsum prædicas, cur eã maiestatatẽ non palàm apud ciues & cognatos tuos, ubi maxime cõueniebat, ostentas? Ad medicum, qui cum ipse ulceribus scateat, aliis se mederi profitet, uulgo dici solet: Medice cura teipsum, cur non idẽ dictum tibi obiiceremus? Si enim tu ille es, qui sanat cõtritos corde, qui omnes ab infœlicitatẽ sua liberat, & reddit eos fœlices, cur non maxime omnium idem præstas ciuibus & cognatis tuis? Fama ad nos peruenit, te in nobili urbe Capernaũ maxima ædidisse miracula, & omnibus miseris salutem contulisse, cur non idem beneficium confers patriæ & cognatis tuis, quibus id maxime omniũ debes? Sed cum uideamus te impotentiorem esse, q̃ ut queas hic miracula ædere, ac miseris tuis ciuibus & cognatis quicq̃ salutis afferre, quid reliquũ est, nisi ut sentiamus & famã de nomine tuo fuisse mendacẽ, & te uafrum esse impostorẽ? Priusq̃ aũt audiamus, quid Christus ad hunc ciuiũ suoꝝ cõtemptũ respõdeat, obseruandũ est, unde accideeit, q̃ Christus pauciſsima miracula in patria sua ædiderit. Non poterat, inquit Marcus, ibi uirtutẽ ullam ædere. Quid audio? an nõ Christus est omnipotens omnipotentis Dei filius? Nonne inquit Christus: Pater diligit filium & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit, & maiora iis demonstrabit ei opera? Cur ergo nõ potuit multa ædere miracula in patria sua? Vt quicquid est istud, recte intelligamus, de omnipotentia Dei & filii eius, diserte sentiendũ est.

Vulgi inconstantia.

Omnipotentia Dei abſcõdita.

Alia enim eſt omnipotentia Dei abſcondita & imperſcrutabilis, quam uocant abſolutam. De qua exclamat Paulus: O profunditatẽ, inquiens, diuiciarũ, ſapientiæ, & cognitionis Dei. Quàm inſcrutabilia ſunt iudicia eius? Et imperueſtigabiles uiæ eius? Si ergo ſecundũ hanc omnipotentiam de Chriſto filio Dei loquamur, profecto poteſt miracula ædere non ſolum inter eos, qui uerbum ſuum per incredulitatẽ contemnũt, ſed etiam qui totis uiribus ſuis uerbo reſiſtunt, & Deo repugnant. An non reſtituit Malcho auriculam ſuam, quamuis nihil tale credenti, ſed potius ad capiendum Chriſtum feſtinanti? An non ſeipſum excitauit à mortuis, & uiuum diſcipulis exhibuit, cum hoc nec diſcipuli, nec Iudæi crederent? Et teſtat aliàs Paulus, Deum poſſe per Chriſtum Ieſum cumulate facere ultra omnia quæ petimus aut cogitamus. Alia autem eſt omnipotentia eius reuelata, quam ordinatam uocant. De

Omnipotentia Dei ordinaria.

hac omnipotentia ſæpenumero loquitur Chriſtus in Euangelio dicens: Credis me hoc poſſe facere? Et iterum: Si credis, poſſum, omnia poſsibilia credenti. Ac rurſus. Fiat tibi iuxta fidem tuam. Et iterum: Fides tua ſaluum te fecit. Itaq; ſi iuxta hanc omnipotentiam de Chriſto loquamur, ibi tantũ miracula ædere poteſt, ubi uerbum eius fide excipitur. Sed ut hanc omnipotentiæ diuerſitatem in Chriſto paulo dilucidius tradamus, explicabimus eam ſimilitudine à patrefamilias mutuata. Finge enim patrem quendam familias, amiſsis clauibus ſuis, ad clauſas ædiũ ſuarũ fores accedere. Ibi quia nemo domi eſt qui aperiat, & ipſe claues amiſit, recte dicere ſolet: Non poſſum in ædes meas intrare. Quid itaq; an non poteſt fores ſuas uiolentia effringere, & ædes intrare? poteſt. Sed alia eſt potentia eius uiolenta, alia ordinata. Si quicq̃ uiolenter agere uoluerit, poteſt non ſolum fores ædiũ effringere, ſed etiam ipſas ædes ferris, aſciis & ſecuribus ſubuertere. Sed ſi uoluerit per ordinatam ianuam, non effracta ſera intrare ædes, certe id non poteſt, niſi clauem habeat. Idẽ de Chriſto filio Dei cogitandum eſt, qui ſi producat omnipotentiam ſuam imper

Credentibus Chriſtus ſalutaris.

ſcrutabilẽ, quid rei nõ poſſet efficere, nolẽtibus uolẽtibus omnibus creaturis? Sed ſi eam omnipotentiã reſpiciat, cui ſe reuelato ſuo uerbo tradidit, non poteſt quicq̃ ſalutis afferre, niſi iis, qui uerbo ſuo fidem adhibent. Et cum ſecundum omnipotentian ſuam imperſcrutabilem poſſet omnes Iudæos, Turcas, & Papiſtas, Euangelion eius non ſolum non agnoſcentes, ſed etiam abominantes & perſequẽtes, ſaluos facere, non tamen poteſt eos, in incredulitate permanentes, ſaluos facere, ſi reſpiciamus (quæ & nobis omnino reſpicienda eſt) omnipotentiam eius reuelatã, qua dixit: Qui credit in filium Dei, non condemnatur. Qui uero non credit, iam condemnatus eſt, quia non credidit in nomen unigeniti Dei. Et iterũ: Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Qui uero non crediderit, condemnabit. Cum igitur ciues Nazarethani doctrinam Chriſti non ſolum non exciperent fide, ſed etiam riderẽt, ac exploderent, recte dicunt Euangeliſtæ, Chriſtum non potuiſſe ullam uirtutem in patria ſua ædere, non q̃ ipſe impotens eſſet, qui erat cum patre eiuſdem omnipotentiæ imperſcrutabilis, ſed q̃ Nazarethani non habebant tantam fidẽ, ut poſſent ea, quæ dicebantur de Ieſu conterraneo ſuo, credere. Vnde Matthæus diſerte addit: Propter incredulitatem illorum. Et Marcus: Mirabatur, inquit, propter incredulitatem eorum. Quæ cum ita ſe habeant, audiamus nunc, quid Chriſtus ad

» contemptum ſuorum ciuiũ reſpondeat. Ait autẽ. Amen dico uobis, nemo pro-
» pheta acceptus eſt in patria ſua. Sed in ueritate dico uobis, multæ uiduæ erant in
» diebus Eliæ, quando clauſum eſt cœlum annis tribus & mẽſibus ſex, cum facta eſſet
» fames magna in omni terra, & ad nullã illarum miſſus eſt Elias, niſi in Sarephtha
» Sidoniæ, ad mulierem uiduã. Et multi leproſi erant in Iſrael ſub Eliſæo propheta,

& nemo

& nemo eorũ mundatus est, nisi Naeman Syrus. Quod Lucas dicit: Nemo propheta acceptus est in patria sua, hoc alii Euangelistæ sic efferunt: Non est propheta expers honoris, nisi in patria sua, inter cognatos & in familia sua. Quid ergo, in quies? num Christus ambitiosus fuit, & uenit in patriã suam, ut ibi à ciuibus suis honoraretur, & adoraretur? Nihil certe carnalis ambitionis unq̃ in Christo fuit, nec honorem illum externum & ciuilẽ à ciuibus suis exegit, sed eum honorẽ requisiuit, quem ratio ministerii sui postulabat, nimirum, ut adhiberent Euangelio suo fidẽ. Honor Christo acceptus.

Ministeriũ enim Euangelii in hoc institutum est, ut fide ab auditoribus excipiatur. Nec potest maior honor aut Euangelio aut ministro Euãgelii contingere, q̃ si auditores Euangelio fidem adhiheant. Cæterꝫ, hunc fidei honorem ambiebat Christus, non propter suam aliquam utilitatẽ, sed propter utilitatem patriæ & ciuium suorum. Quare, cum uideret ciues suos magnificas Euangelii promissiones contẽnere ac fastidire, instituit concionem de minis & suppliciis propter ingratitudinẽ obuenturis, ut si ex promissionibus nolint inuitari ad credendum Euangelio, terreantur saltem ex minis suppliciorũ, ne tanto incredulitatis fastidio Euangelion cõtemnant. Christus enim, in hac concione, qua contemptoribus suis respondet, ad hunc statũ respicit, ꝙ quia Nazarethani contemnant prophetam ad ipsos missum, sint & ipsi à Domino Deo nostro contemnendi & abiiciendi, & merces prophetæ ab ipsis ad alienos transferẽda sit. Sic enim alibi inquit: Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedẽ prophetæ accipiet. Ergo qui abominatur & cõtemnit prophetã, is nec mercede prophetæ fruet. Quare, quo statũ cõcionis Christi & magnitudinẽ malorũ, quæ Christus hoc loco ciuibus suis obuẽtura uaticinat, magis perspicue intelligamus, explicabimus prius, quæ sit merces recipiẽtis ꝓphetã in noĩe prophetæ. Hæc aũt nõ potest cõmodius cognosci, q̃ si reuocemus nobis ob oculos mala nostra, quæ & nunc nobis præsto adsunt, & in futurũ nobis imminent. Ea igitur maiora sunt, q̃ ut uerbis explicari queant. Primum enim sumus in peccato concepti & nati, ex quo etiam uaria externorũ flagitiorum genera designauimus. Deinde propter peccatum priuati sumus spiritu sancto, abiecti à Deo, & traditi in potestatẽ Satanæ. Qui autem sunt in potestate Satanæ, hi sunt obnoxii omnibus maledictionibus tam corporalibus q̃ spiritualibus, & sunt mãcipia perpetuæ mortis & cõdemnationis. Paucissimis uerbis perstrinximus mala nostra, sed si quis ea excutiat, inueniet ipsa esse longe omnium maxima & horribilissima. Prophetæ aũt, seu hi qui uerbum Dei annunciãt (hi enim nomine prophetarum significant) prædicant pœnitentiam, primum quidem peccata & mala nostra nobis ostendentes, deinde remissionem peccatorum propter Christum, & malorum liberationẽ promittentes. Porro, qui hanc prædicationem fide excipit, is principio liberatur à peccatis, deinde redimitur à potestate Satanæ, postremo seruatur ab omnibus maledictionibus tam corporalibus q̃ spiritualibus, tam à captiuitate mortis, q̃ à uinculis perpetuæ damnationis, & restituitur diuinæ gratiæ, iusticiæ, omnibusq̃ benedictionibus tam in cœlo q̃ in terra, ac donatur perpetua uita & fœlicitate. Hæc igitur est merces eorum, qui recipiunt prophetam in nomine prophetæ, ꝙ accipiant remissionem peccatorum, ꝙ habeant placatum patrem in cœlis, ꝙ reputentur iusti coram Deo, ꝙ liberentur à Satana, ꝙ seruentur in omnibus afflictionibus, ꝙ eripiantur à morte & inferno, denicꝙ ꝙ restituantur cœlesti regno, & perpetuæ fœlicitati. Qua mercede, quibus donis & beneficiis quid potest esse maius? quid excellentius? quid miseris peccatoribus acceptius, & iucundius? Sed quanto fœliciores sunt, qui recipiũt prophetã in nomine prophetæ, tanto infœliciores sunt, qui fastidiũt, Prophetã recipiẽs, quam mercedem cõsequatur.

abominantur,& perſequuntur prophetã. Quid enim hi aliud agunt,quàm q̃ faſtidiendo & abominando prophetã,omnis ſalutis miniſtrum,ſuam ipſorum ſalutem & fœlicitatem faſtidiant & abominentur, adeoq; ſeipſos in extremam internicionẽ coniiciant? Porro autem,hoc infœlicitatis genus plærunq; patriis, & cognationibus prophetarũ accidit. Quomodo hoc,inquies, fieri ſolet,quando nemini magis cõueniret mercede prophetarum frui,q̃ patriæ & cognationi eorum? Hic ergo audi mihi concionem Chriſti. Etenim: Nemo,inquit, propheta acceptus eſt in patria & cognatione ſua. Familiaritas enim,ut dici ſolet,parit cõtemptum. Et uulgo aiunt,ultroneas merces putere. Ea enim eſt humani ingenii moroſitas,ut domeſtica faſtidiat,& peregrina appetat. Accedit huc,q̃ hominibus ſolenne ſit, ut multo magis ob oculos ſibi ponant uicia & imbecillitates eorum, qui familiariter ipſis & domeſtice noti ſunt,quàm uirtutes ipſorum. Non eſt autem ullus homo, nẽ propheta quidem,qui non habeat ſua uicia, aut ſuas quaſdam infirmitates. In has igit infirmitates oculos ſuos ita intente defigunt,ut præ eis non poſſint uirtutes aſpicere,quæ cum interim iactentur & prædicentur, maiorem dant contemptus & faſtidii occaſionem. Nihil autem eſt,quod Dominus Deus noſter minus in ultum ferre poteſt,q̃ contemptum ſuorum prophetarum, & eorum qui uerbum Dei adnunciant. Nam qui prophetam reiicit,certe uerbum Dei reiicit. Qui autem uerbum Dei reiicit,Deum ipſum reiicit. Ad Samuelem: Non te,dicit Dominus,abiecerunt,ſed me,ne regnẽ ſuper eos. Ad Apoſtolos quoq; Chriſtus ait: Qui uos audit,me audit, & qui uos ſpernit,me ſpernit. Qui autẽ me ſpernit,ſpernit eum,qui miſit me. Quid uero ſuppliciorum reiectoribus & contemptoribus Dei non immineret? Qui uerba prophetæ illius,inquit Moſe,quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego requiram ab eo. Et in poſteriori libro παραλειπομένων ſcribit: Mittebat Dominus Deus patrum ſuorum ad illos per manus nunciorum ſuorum, de nocte conſurgẽs & quotidie cõmonens, eo q̃ parceret populo & habitaculo ſuo. At illi ſubſannabant nuncios Dei, & paruipendebant ſermones eius,illudebantq; prophetis, donec aſcenderet furor Domini in populum eius,& nulla eſſet curatio. Et in Ieremia: Miſi,inquit Dominus, ad uos omnes ſeruos meos prophetas per diem, cõſurgens diluculo & mittens,& non audierunt me, nec inclinauerunt aurem ſuam,ſed indurauerunt ceruicem ſuam,& peius operati ſunt,quàm patres eorũ. Ideo ecce dies ueniunt, & erit morticinum populi huius in cibum uolucribus cœli & beſtiis terræ, & non erit qui abigat. Et quieſcere faciam de urbibus Iuda & de plateis Hieruſalẽ uocem gaudii & uocem lætitiæ,uocem ſponſi & uocem ſponſæ. Terra enim erit in deſolationem. Porro autem,cum uaria & grauiſsima ſuppliciorum genera impiis illis & ingratis,qui prophetas & uerbum Dei contemnunt,immittantur, omnia tamẽ illa in hoc uno ſupplicio ſummatim comprehenduntur, quòd Dominus Deus noſter omnia diuina dona & benedictiones,à prophetis uerbo Dei propoſitas, ab ingratis cõtemptoribus auferat,ac donet quidem eas alienis, ingratis autẽ & contẽptoribus relinquat oẽs maledictiões & interniciones. Quo ſupplicio,ſi quis rẽ uere excutiat,nihil eſt neq; ſeuerius,neq; atrocius. Atq; id quidẽ ꝓbat Chriſtus duobus exẽplis è ſacra ſcriptura petitis, quorũ alterũ de Elia & uidua Sarephthana ſcriptũ eſt in tercio libro Regũ,capite decimo ſeptimo: alterũ de Elizæo & Naëmano Syro ſcriptũ eſt in quarto libro Regũ capite quinto. In his primũ uides quãta autoritate obſeruãdi ſint libri Regũ,q̃ Dñs noſter Ieſus Chriſtus, q̃ eſt ipſa ueritas, teſtimonia concionis ſuæ ex ipſis petat, & dicta ſua exẽplis,q̃ in his libris ſcripta ſunt,cõfirmet.

Propheta, cur non ſit acceptus in patria ſua.

Regum libri, quantam habeant autoritatem.

Deinde

Deinde obserua, Christum his exemplis appositissime uti. Non enim solum probant, prophetam non esse in patria sua acceptum, sed etiam mercedes prophetæ propter contemptum ad alienos transferri. Primum igitur exemplũ est Elias, qui fuit quidem eximius propheta in Israel sub rege Ahab, sed quia fuit Israelita, nimirum ciuis Gilead, & prædicauit uerbum Domini inter cognatos suos Israelitas, aduersus impietatem eorum, usq; adeo nullam inter ipsos fidem habuit, ut tãdem in genti spiritu & zelo Dei exclamaret: Viuit Dominus Deus Israel, in cuius conspectu sto, si erit his annis ros & pluuia, nisi iuxta oris mei uerba. Et quod uerbis dixit, re ipsa completum est. Nam propter impietatem & incredulitatem Israelis, cœlum fiebat, iuxta uerba Eliæ, æneum, & terra ferrea, tribus annis & sex mensibus. Vnde tanta fames in Israel facta est, ut nec iumenta gramina inuenire possent. In hac rerũ difficultate, Elias, qui iam diuina indulgentia habebat in manu sua abundantiam uictus, ut quocunq; ipse diuerteret, sufficientem uictum unà cum toto contubernio suo haberet, & multæ uiduæ in Israel extrema fame laborarent, ad nullam tamen earum missus est, sed primum missus est in desertum ad torrentem Carith, ut illic à coruis pasceretur, deinde ad uiduam quandam non Israeliticam, sed ethnicam, habitantem in urbe Zarpath iuxta Sidonem in finibus gentium. Ad quam etiam hoc beneficium secum attulit, ut toto famis tempore nec farina in cado eius deficeret, nec deesset oleum in urceo, quo non solum ipse sed etiã tota familia uiduæ nutriebatur. Quid ergo? num quia Elias ad nullam Israeliticam uiduam in fame missus est, omnes fuerunt impiæ, & uerbi Domini contemptrices? Fieri quidem potuit, ut aliquot Israeliticæ uiduæ coram Deo recensitæ fuerint in numero eorum septem millia uirorum, quos sibi Dominus reliquos fecerat in Israel, quorũ genua non sunt curuata ante Baal, & ut hoc sentiamus, charitas, quæ omnia credit & sperat, monet, attamẽ cum Christus dicat: Eliã tempore famis ad nullam uiduam Israeliticam missum esse, testatur eo tempore Eliam & uerbum eius maximo contemptu tam apud uiros q̃ mulieres, tã apud principes q̃ apud populũ laborasse, & si quæ dã uiduæ uerbo Dei per Eliam prædicato crediderunt, eas tamen ita occultæ & absconditæ fidei fuisse, ut Eliæ prorsus ignotæ fuerint. Cum igitur Elias publice ab omnibus suis notis, cognatis, & familiaribus Israelitis contemneretur & exibilaretur, missus est ad mulierem ethnicam, ut beneficium, uidelicet, nutrimentum famis tempore, quo sui indigni erant, aliena acciperet. Sed quid causæ, inquies, est, cp ethnica accepit id quod debebatur Israelitis? In promptu causa est. Quod enim Israelitæ incredulitate reiiciebant, hoc ethnica fide accepit. Nam postq̃ Elias ad uiduam illã ethnicam, iam ultimam cœnam sibi & filio suo parantem uenisset, ac postulata exigua placenta dixisset: Hæc dicit Dominus Deus Israel, farina in cado non deficiet, nec deerit oleum in urceo usq; ad diem, in qua Dominus daturus est pluuiam super faciem terræ, ecce uidua tanta cõtinuo fide hoc uerbum arripit, ut quamuis haberet paululum tantum farinæ & olei, ac cum filio suo de uita propter famem periclitaretur, primum tãmen omnium, nulla mora, prophetæ placentam fecerit. Stupenda in ethnica fides. Pone enim mihi ob oculos, contemptibilem prophetæ aduentum, promissionis eius in tanta rerum penuria nouitatem, & quod ad naturam rerum attinet, impossibilitatem, adhæc, naturalem mulierum sollicitudinem & affectum in unicos suos filios, quid admirabilius uidetur, quàm cp hæc uidua uerbo prophetæ fidem adhibuerit, & ex ea fide, se & filio neglecto, placẽtam Eliæ fecerit? Profecto tantam fidem in Israel haud quaquàm inuenisset Elias. Quare optimo iure factum est, ut beneficium Eliæ à suis incredulis auferretur, & ad alienigenam, sed

Eliæ autoritas.

Sarephthanæ mulieris fides.

uerbo Domini fidem adhibentem, transferretur. Fœcunda est hæc historia, & continet in se multa, quæ partim ad incutiendum timorem Dei, partim ad confirmãdam fidem, non tantum in fame, uerumetiam in aliis afflictionibus attinent, sed sufficit nunc hoc ex ipsa demonstrasse, propter quod Christus eam allegat, nimirum, q̃ propheta non sit acceptus in patria sua, & q̃ mercedes ac beneficia prophetarũ, à suis per incredulitatem reiecta, ab alienis per fidem percipiantur. Secundũ exemplum est de propheta Elizæo. Erat & is Israëlita, & prædicabat uerbum Dei inter Israelitas. Sed quia merx ultronea, quemadmodum prouerbio dicitur, putet, ideo cõtemptus est Elizæus à suis, & alieni acceperunt fructum beneficiorum eius. Nam tempore eius multi fuerunt leprosi in Israel, sed apud nullum eorum tantam fidẽ inuenire potuit, quantam habuit apud Naëmanum, non Israelitam circumcisum, sed ethnicum & Syrum incircumcisum. Longa est historia & iucunda de hoc Naëmano leproso. Sed nos id tantum perstringemus, quod ad nostrũ propositum attinet. Naëman leprosus, ut erat Syriæ princeps, uenit cum equis & curribus ad ostiũ domus Elizæi. Elizæus autem non egressus est foras, sed misit tantum nuncium ad Naëmanum, qui diceret: Vade & lauare septies in Iordane, & renascetur caro tua, atq; mundaberis. Hoc uerbum, non hominis, sed Dei uerbum erat. Cum autẽ nulla maiestate præditum uideretur, existimabat Naëman initio se potius illudi, q̃ remedium sibi demonstrari. Quare ingentes animo iras concipiens, contumeliam hanc grauissime uindicaturus, discedebat. Deinde uero admonitus à seruis, paulatim incipit uerbo prophetæ fidẽ adhibere, & ex ea fide ad Iordanem festinauit, inq; Iordane septies sese iuxta uerbum Elizæi lauit. Ecce igitur miraculum grande. Renata est caro eius, sicut caro pueri paruuli, & mundatus est. Quid primũ admirabimur? stupidam ne incredulitatem leprosorum in Israel, an ingentem fidem Naëmanĩ Syriæ? Nam leprosi in Israel habebant domi suæ prophetam Elizæum, & sciebant ipsum duplici Eliæ spiritu donatum, ac multis stupendisq; miraculis clarũ. Elizæus eñ diuiserat aquas Iordanis pallio Eliæ, & transierat. Ad hæc sanauerat aquas Ieriho, ut non amplius esset in eis neq; mors neq; sterilitas. Præterea, cũ maledixisset in nomine Dñi pueris illudentibus ipsum, duo ursi lacerauerãt ex eis quadraginta duos pueros. Prædixerat quoq; admirabilem uictoriam regis Israel super Moab, & sicut prædixerat, ita euenerat. Accedit huc q̃ effecerat, ut pauperis uiduæ uasa oleo implerentur, quo illa debitoribus suis satisfaceret. Iam & mortuum puerum suscitauerat, & uenenatas ac mortiferas herbas sanauerat, ac centum uiros pauciss imis panibus ita pauerat, ut multum superfuerit. Tot ac tanta miracula ab Elizæo ædita optime nouerunt leprosi in Israel, nullus tamen eorum tantum fiduciæ cõcepit, ut emundationem lepræ suæ ab ipso speraret ac peteret. Quid potest hac incredulitate uecordius dici? Naëman autem nulla tanta miracula in Elizæo cognouerat, & uix nomen eius antea audierat, attamen ad unius tantum puellæ, eiusq; captiuæ prædicationẽ, tantã fiduciã de recuperãda per Elizæũ sanitate cõcipit, ut magnis itineribus, magnoq; sumptu, acceptis quoq; à rege suo literis commendaticiis, è Syria ad terrã Israel proficiscat, & Elizæũ magna equitũ & curruum maiestate inuisat. Quanq; aũt contẽptu & arrogantia, ut existimabat, prophetæ nõnihil offenderet, tamen à seruis suis uix paucis uerbis admonitus, tanto maiori fide uerbũ Dei à prophetanunciatum arripuit, quanto contemptius & abiectius ipsi per seruum prophetæ adnunciatum fuerat. Proinde iustissimo Dei iudicio factum est, ut ethnicus frueret beneficiis eius, pphetæ, quem sua ipsius gens magno fastidio contemnebat.

Elizæus propheta.

Naëman Syrus.

Elizæi miracula.

Præter hæc

Præter hæc duo exempla, quæ Christus hic allegat, conueniet fortasis huc etiam exemplum Ioseph, qui à suis ipsius fratribus reiectus, apud Aegyptios in magnum principem euasit, & beneficium alimoniæ in septẽ sterilibus annis, quo fratres eius indigni erant, ad Aegyptios attulit. Accedit & huc exemplum Ionæ, qui etsi Israëlitas suos sæpenumero ad resipiscentiam multis egregiis cõcionibus uocauit, nõ tamen potuit tantum fidei apud eos inuenire, ut resipiscerent, & à deuastatione liberarentẽ. Ad Niniuitas autẽ, gẽtes externas & incircũcisas missus, una eadẽq; breuissima concione effecit, ut Niniuitæ resipiscerent, ac imminentem deuastationẽ effugerent. Itaq; propheta apud suos contemptus, alienis acceptissimus fuit, & beneficium prophetæ à suis derisum, ad alienos recto Dei iudicio peruenit. In hãc sententiam Mose de Israële uaticinatur: Generatio, in quiens, peruersa est, & infideles filii. Ipsi me prouocauerunt in eo qui non erat Deus, & irritauerunt in uanitatibus suis. Et ego prouocabo eos in eo qui non est populus, & in gente stulta irritabo eos. Huc pertinet etiam id quod Christus apud Matthæum ait: Nunquam legistis in scripturis: Lapidẽ quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. Ideo dico uobis, auferetur à uobis regnũ Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Quod Christus ad principes sacerdotum & pharisæos ait, hoc minatur nunc ciuibus Nazareth euenturũ. Cum enim ipsi prophetam, imo plus quàm prophetam, ad se missum cõtemnãt, sicut alii Israëlitæ suos prophetas contempserãt, profecto nihil aliud reliquum est, quàm ut beneficia eius prophetæ, qui est uerus Messias, ab ipsis auferantur, & ad alienos transferantur. Beneficia autem eius sunt, remissio peccatorum, iusticia, placatus pater in cœlis, liberatio ab omnibus afflictionibus, liberatio à morte, & restitutio in uitam & fœlicitatem sempiternam. Proinde, cum ciues Nazareth Christũ reiiciant, his omnibus beneficiis priuabuntur, & recipient pro eis omnia mala, manebunt in peccatis suis, carebunt iusticia, habebũt iratum Deum, erunt captiui Satanæ, peribunt in afflictionibus & morte, adeoq; ad perpetuam damnationem abiicientur. Hæc est sententia concionis Christi, qua cõtemptum ciuium Nazareth reprehendit, & ex emplo eorum omnibus Euangelii contemptoribus grauissima supplicia minatur. Sed audi nũc, obsecro, quomodo hãc concionem exceperint.

Repleti sunt (inquit Lucas) oẽs in synagoga ira, hæc audiẽtes. Et surrexerũt & eiecerunt illum extra ciuitatem, & duxerunt illum usq; ad supercilium montis, supra quem ciuitas illorum erat ædificata, ut præcipitarẽt eum. Vnde, obsecro, ciues Nazarethani ad tantam iram & insaniam prouocantur, ut quem paulo ante summis laudibus celebrauerant, eum nunc præcipitem dare conentur? nimirum intelligebãt scopum concionis Christi huc respicere, q; ipsi similes essent impiissimis Israëlitis, qui prophetas contempserant & occiderant, q; essent peiores gentibus incircumcisis, & mancipia Satanæ, q; reiiciendi essent, ne in populo Dei recenseantur, q; ciuitas eorum deuastanda esset, quemadmodum aliis Israëlitis contigerat, qui prophetas contempserunt, adeoq; q; petpetuo perituri essent. Hæc & alia multa supplicia Christum ipsis minitari concione sua sentiunt. Quare tanto furore in eum grassantur, ut ipsum non tanq; simplicem hæreticum, sed tanq; sacrilegum & autorem omnis impietatis, ac monstrum aliquod execrandum, Deo pariter & hominibus inuisum, perdere studeant. Hic autem mihi primum uide hominum inconstantiam, & auræ popularis mobilitatem. Quem nuper admirabantur, & in cœlum, si queant, posuisse cupiebant, eum nũc de saxis præcipitare etiamnum gestiunt. Cur igitur te crederes fauori uulgi, & contra Dominum adulareris ei? De

Ioseph.

Ionas.

Nazarethanorum crudelitas.

inde obserua in Nazarethanis, quæ sit fortuna ministrorum uerbi Dei inter impios homines. Nam quemadmodum Christus, ciuibus suis Euangelion ex Esaia

Ministrorum uerbi Dei fortuna.

prædicans, ridebatur, legem uero, minas & supplicia ob oculos eorum ponens ad mortem rapiebatur, ita & ministri uerbi Dei, si Christum & magnificas Euangelii promissiones explicant, ac auditores suos in cœlum ipsum ac perpetuam fœlicitatem collocant, nullam aliam gratiam ab impiis referunt, q̃ q̃ rideantur, ac tanquàm spermologi fastidiantur. Si uero explicant legem & legis minas, ac declamant in peccata hominum, traduntq̃ eos Satanæ ad interitum carnis, quo spiritus saluus sit in die Domini Iesu, hic tum nihil aliud audiunt, q̃ maledici, nebulones, rei læsæ maiestatis, seditiosi, & indigni quos terra ferat, interim & ad mortem tanquàm longe omnium sceleratissimi rapiuntur. Sic enim fieri solet, ut cum margaritæ proiiciantur ante porcos, & sanctum detur canibus, illi conculcent margaritas pedibus, hi autem uersi in benefactores suos, lacerent eos. Quid ergo? Verbum igitur Dei non est prædicandum? Profecto omnino prædicandum est, & uocationi Dei obsequendum. Tametsi enim plures sint qui contemnant & persquantur, tamen Dominus semper habet suos, qui audiunt uocem pastoris sui, & quanquàm plura pericula maneant concionatorem uerbi Dei, tamen nullus aduersarius potest ei uel pilum capitis citra bonam Dei uoluntatem mouere. Vnde & de Christo sequitur: Ipse autem transiens per medium illorum ibat. Nazarethani te

,,

nebant quidem Iesum captum, & ad præcipitium ducebant, sed euadit tamen ab eis ita libere, ut ipsimet nesciant, quo pacto è manibus eorum elabatur. Memorabile exemplum, quod non ideo factum est, q̃ ad solum Christum pertineat, sed ut significet, q̃ omnes qui in Christum credunt, certi esse debeant, aduersarios, ut maxime insaniant, nihil tamen in ipsos in uocatione diuina ambulantes, ante legitimum tempus posse. Aliàs ait Christus: Nonne duodecim sunt horæ diei? Si quis ambulauerit in die, nõ offendit, quia uidet lucẽ huius mũdi. His uerbis significat, u

Vocatio legitima habet suam securitatẽ

numquenq̃ secure ambulare, nondum completo ministerio uocationis suæ, quã impletionem uocat duodecimam horam diei. Ac periclitantur quidem multi, in uocatione Dei ambulantes, sed tamen certum est, pericula non posse ipsis ante suũ tempus ullum incõmodũ afferre. Sic Paulus sæpe de uita periclitatus est, sed quia nondum uenerat hora eius, euasit. Sic Petrus ab Herode captus, iam ad mortem producendus erat, sed quia nondum uenerat duodecima hora eius, elapsus est, angelo duce, è uinculis. Ambulans igitur in uocatione Dei, quid times pericula? Si nondum adest uocationis tuæ duodecima hora, euades. Sin autem adest, nulla cautio, nullum consilium potest te manui Domini subtrahere. Quare nihil melius est, quàm in oĩbus periculis cũ Paulo sentire ac dicere: Mihi uita Christus est, & mors lucrũ, & magnificet in corpore meo siue per uitã siue per mortẽ Christus Iesus Dominus noster, qui est unà cũ Pater & Spiritu sancto Deus laudãdus in secula Amen.

Duodecima diei hora q̃æ?

HOMILIA XXXIX.



Nazarethanorum impietas.

Magna est iniuria, & ingens crudelitas, qua ciues Nazarethani in ciuem & sympatriotam suum Iesum Christum debacchati sunt. Quare expectabit fortasis quispiam, quomodo Christus hanc tam impiã iniuriam in Nazarethanis uindicauerit. Nihil eñ impedit quo minus ultio grauissima, & supplicium seueriſsimum de ipsis sumatur. Nam si potentiam Christi respicias, ipse est, per quem cõditus est orbis, qui uno oris spiritu posset non solum

ſolum omnes homines,uerumetiam totum orbem terrarum ſubuertere.Si autem facinus Nazarethanorum conſideres, multo iniquius & crudelius eſt, quàm ut impune ferri debeat.Teſtatur enim ſcriptura, iniurias multo minores, & hominibus Chriſto longe minoribus illatas,haudquaq̃ inultas fuiſſe. Sodomitæ erant in iurii in ciuem ſuum Loth, & continuo pereunt incendo. Rex Abimelech iniurius eſt in Abraamum,& aufert ei uxorem.Igitur ſtatim terret iudicio mortis,& tam uxores q̃ ancillæ eius fiũt ſteriles.Rex Pharao affligit Iſraëlem nulla iuſta cauſſa,ſed mox aquis marinis obruitur. Rex Ieroboam iniuria afficit prophetam, & extenſa manu iubet eum comprehendi, ſed confeſtim manus eius exareſcit.Quinquaginta uiri mittuntur ab Ahaſia ad capiendum Eliam,ſed cum acceſsiſſent ad iniicien das manus in eum,ecce deſcendit ignis de cœlo, & deuorauit eos. Pueri deridentprophetam Elizæum,& continuo præſto adſunt duo urſi,qui interimũt eos.Multo autem iuſtius uindicanda eſt iniuria Ieſu Chriſto Domino noſtro à Nazarethanis illata. Tanta enim maior & innocẽtior eſt Chriſtus omnibus patriarchis & prophetis,quanto longius diuina maieſtas & iuſticia ab hominum uirtutibus diſtat. Audiamus igitur quo ultionis genere Chriſtus ſeſe de tam ingratis ciuibus uindicauit. Tranſiẽs,inquit Lucas,per medium illorum ibat.Et deſcẽdit in Capernaum ciuitatem Galilææ,ibiq̃ docebat illos ſabbatis. Ecce hæc eſt ultio, quam Chriſtus ciuibus ſuis infert. Non deuocat ignem de cœlo, non excitat diluuium aquarum,non reddit agros eorum ſteriles,non immittit eis peſtem,aut aliud calamitatis genus,ſed ſuam ipſius tantum uocationem ſectatur.Et quæ eſt illa uocatio? Primum,quãtum attinet ad humilitatem & exinanitionẽ eius,uocatio ipſius erat, ut ſeipſum non uindicaret,ſed Domino Deo patri ſuo uindictam reſignaret.Iuxta illud:Mea eſt ultio,& ego rependam. Huic igitur uocationi ſeruit Chriſtus, & ita Deo ultionem reſignat, ut ciuibus ſuis nec pilum capitis ob illatam iniuriam cõcutiat.Deinde,quantum attinet ad miniſterium eius,uocatus erat ut Euangelion prædicaret.Quare non uindictam,ſed obſequium huius uocationis meditãs,abiit ad Capernaum ciuitatem Galilææ. Quid illic facturus? num de iniuria ciuium ſuorum conqueſturus,& ad uindictam Capernaitas concitaturus? Nequaq̃,ſed doctu rus eos Euangelion regni cœlorum.O ſtupendam patientiam.Immane,quantum nos ab hac uirtute abſimus.Chriſtus longe omnium innocentiſsimus fuit,& potẽtiſsimus,ita ut haud iniuſte ſeipſum,quoquo modo uoluiſſet,uindicare potuiſſet. Nihil tamen minus fecit,ſed quemadmodum Petrus ait,tradidit uindictam ei,qui iuſte iudicat.Nos autem & nocentiſsimi ſumus, & impotentiſsimi,attamen minima quadã iniuriola affecti,mirum,quas ultionum tragœdias meditemur.Non dãnamus hic legitimam magiſtratus uindictam,qua nocẽtes puniuntur. Hæc enim diuina eſt uindicta,non humana. Et Paulus ait:Dei miniſter eſt, ultor ad iram ei, qui quod malum eſt fecerit.Nec hoc uocamus iniquam aut impiam ultionem, cũ quis,ſtudio tantum defendendi ſe ab iniuriis proximi, ius ſuum legitima ciuilium legum ordinatione perſequitur.Cum enim ciuiles leges ſint ordinationes diuinæ licebit etiam Chriſtiano iis uti, quo quãtum fieri poteſt, ab iniuria iniquorũ hoĩm tutus ſit. Sed illegitimã & uerbo Dñi prohibitã uindictã dãnamus. Exẽpli gratia: Si quis male affectus,proximo inuidet,& ad uindicandã iniuriã ſibi illatã hoc agit,ut aut calũniis eũ qui iniuriã intulit corã iudicio magiſtratus traducat, & damnũ dare ſtudeat,aut graſſet in eũ uioléta crudelitate,aut ſi id nõ poteſt,nec præ metu ſupplicii audet,inuadat & circumueniat eum inſidiis, dolis, impoſturis, & id genus malis artibus. Atq; hoc uindictæ genus nõ ſimplex eſt peccatum, ſed ſacrilegium.

Chriſti uocatio.

Vindicta legitima & illegitima.

Mea enim, dicit Dominus, est ultio, & ego rependam. Qui ergo sibiipsi ultionem usurpat, quid aliud agit, q̃ q̃, quãtum in ipso est, Dominum Deum nostrum sua maiestate spoliat, & sibiipsi diuinitatem usurpat? Immane crimen est, publicum reip. thesaurum suppilare, quanto ergo immanius crimen est thesaurum Dñi Dei nostri surripere? Caueamus igit ab hoc sacrilegio, & insequamur uestigia Christi, qui cum maledictis incesseret, nõ regesit maledicta, cum malis afficeret, nõ minabat, sed tradidit uindictã ei q̃ iuste iudicat. Quid.n. existimas? Nũ Deus impotẽtior est, quàm ut de iniuriis uindictam sumere possit, aut sperantium in ipsum negligẽtior quàm ut uelit? Minime omnium. Si enim expectaueris Dominum, profecto reipsa senties, eum, qui alteri iniuriam intulit, tanta seueritate diuinitus puniri, ut ipsum miseratione potius q̃ inuidia dignũ ducas. Sed reuertemur cum Christo ad Capernaũ, & obseruabimus quid rei illic agat. Docebat illos (inquit Lucas) sabbatis.

„ Et stupebant in doctrina eius, quia in potestate erat sermo illius. Vide quid pa„ cientiam sequat. Nazarethani cõtemnunt, sed Capernaitæ stupent. Nazarethani rident, & eiiciunt Christum, sed Capernaitæ admirant, & magna ueneratione uerbum Christi excipiunt. Quamobrem? quia sermo ipsius erat cum potestate cõiunctus, & docebat, quemadmodum alii Euangelistæ inquiunt, uelut habens auto-

Christi auctoritas in docendo.

ritatẽ, & non sicut scribæ. Etenim scribæ, si explicabant legem, docebãt eam imple ri externis operibus, ac doctrina eorum nihil aliud erat, q̃ doctrina philosophica de uirtutibus. Sed si Christus legem explicandam in manus sumebat, grauissime o stendebat, non solum externa opera, uerumetiã sanctissimos & incorruptissimos cordis motus lege requiri. Audistis, inquit, q̃ dictum sit ueteribus: Non occides. Quisquis autẽ occiderit, obnoxius erit iudicio. At ego dico uobis, q̃ quisquis irasci tur fratri suo, obnoxius erit iudicio. Ac iterum: Audistis q̃ dictum fuerit antiquis: Non cõmittes adulterium. At ego dico uobis, q̃ quicunq; aspexerit uxorem alte rius ad concupiscendum eam, iam adulterium cum ea in corde suo cõmisit. Et id genus alia, quæ in Matthæo capite quinto & sexto scripta sunt. Deinde, si scribæ docebant de bonis operibus, rarissime mentionem faciebant eorum, quæ lege Do mini proprie requiruntur, sed inculcabant decimationes mentæ, anethi, & cymini, itẽ lotiones manuũ, purgationes poculorũ, dilatationes phylacteriorũ & fimbriarũ, & multas alias id genus nugas. Christus aũt inculcabat ea quæ sunt grauiora legis, uidelicet, iudiciũ, misericordiã & fidẽ. Ite, inquit, & discite quid sit: Misericordiã uolo & nõ sacrificiũ. Adhæc scribæ docẽtes de cõsequenda remissiõe pctõrũ, p̃dicabant peccata expiari & Deũ placari meritis bonorũ operũ, eleemosynæ, longarũ precum, sacrificiorum, & ieiuniorum, qua doctrina, conscientiæ eorum qui iudiciũ peccatorum sentiebant, tanto magis turbabantur, quanto plus eam sectabantur. Christus autem docebat, remissionem peccatorum non contingere propter merita humana, quippe quæ non possent in iudicio Dei constare, sed ptopter misericordiam Dei per fidem, ac remittebat peccata simplici uerbo, nulla planè meritorum conditione adiecta. Bono animo, inquit, esto fili, remittuntur tibi peccata tua. Et ad mulierem peccatricem: remittuntur tibi peccata tua. Fides tua te saluam fecit, uade in pace. Atq; hæc sola doctrina potuit afflictas conscientias tranquillas reddere. Postremo, scribæ non addebant doctrinæ suæ miracula. Christus aũt, quod docebat, miraculis confirmabat. Vt scitaris, inquit, q̃ potestatẽ habeat filius hominis in terra remittendi peccata, dicit paralytico: Surge tolle lectum tuum, & abi in domum tuam, & ille surrexit, abiitq; in domum suam. Cũ igit tanto interuallo doctrina Christi à doctrina scribarũ distet, haud quaquàm mirum, q̃ Capernaitæ ob doctrinam Christi obstupuerint, & summa eam admira

teſtate coniũctam, additur miraculum ſanati dæmoniaci. Erat enim homo in ſy nagoga habẽs dæmonium immundum, & exclamauit uoce magna dicens: Eia, quid tibi nobiſcum eſt Ieſu Nazarene? Veniſti ad perdendum nos? Noui te quis ſis, nempe ſanctus ille Dei. Et increpauit illum Ieſus, dicens: Obmuteſce, & exi ab eo. Et cum proieciſſet illum dæmonium in medium, exiit ab illo, nihilq; nocuit illi. Quod ad poteſtatem Satanæ in homines attinet, primum omnium obſeruandum eſt, q̃ omnes homines propter peccatum in poteſtate Satanæ naſcantur, & ſint natura mancipia Satanæ, ac tantiſper in poteſtate eius maneant, donec per Chriſtum liberentur. Porro autem Satan in aliis aliter potentiam & tyrannidem ſuam oſtentat. Hunc enim transuerſum rapit ira, illum libidine, hunc captiuũ ducit auaricia, illum arrogantia, hunc alligat uinculis inuidiæ, illum uinculis inſaniæ ac furoris. Et cum omnes, qui ſunt natura filii iræ, captiui Satanæ ſint, hi tamen ſoli proprie dæmoniaci, ſeu à Satana obſeſsi dicuntur, qui à Satana ad furorem & inſaniam impelluntur. Huius igitur generis dæmoniacus offertur Chriſto in ſynagoga Capernaitarum Euangelion docenti. Ac dæmon quidem prior alloquitur Chriſtum, exclamans magna uoce: Eia, quid tibi nobiſcum eſt Ieſu Nazarene? Veniſti ad perdendum nos. Noui te, qui ſis, nimirum ſanctus ille Dei. His uerbis expoſtulat Satan cum Chriſto, & confitetur, q̃ agnoſcat quidem ipſum eſſe ſanctũ illum Dei, qui ſit redemptor Iſraëlis, & quem Deus, iuxta Eſaiam, dederit in fœdus populi, ut ſuſcitaret terram, & poſſideret hæreditates diſſipatas, & diceret his qui uincti ſunt, exite, & his qui in tenebris, illuminamini, atq; adeo optime quidem ſciat, ipſum diuinitus ordinatum eſſe, ut tyrannidem Satanæ opprimat, & Satanam perdat, ſed exiſtimat nondum tempus eſſe, ut à ſua tyrannide in perpetua ſupplicia deiiciat. Nondum, inquiens, quicq̃ tibi rei nobiſcum eſt. Ac ſcimus quidem te ſanctum Dei eſſe, & ad perdendum nos ordinatum, ſed iniquiſsimum iudicamus, q̃ ante legitimum tempus nos opprimas. Nam apud Matthæum in hanc ſententiam Satan preſpicue uociferatur, dicens: Veniſti huc ad cruciandum nos ante tẽpus. Ergo ne ſentiendum eſt, Satanam à Deo quidem perpetuæ condemnationi addictum eſſe, nondum tamen uſq; ad extremum iudicium cruciari? Profecto Petrus id in poſteriori epiſtola capite ſecundo ſignificare uidetur, cum ait: Deus angelis, qui peccauerũt, nõ pepercit, ſed catenis noctis in carcerẽ p̃cipitatos, tradidit ſeruatos in iudicium. Seruantur, inquit, in iudicium, nimirum tunc puniendi, nõ ait, nũc eos pœna affici. Idem etiam dæmones poſtea in Luca capite octauo ſignificabunt, cum rogant Ieſum, ne imperaret ipſis, ut in abyſſum irent, manifeſtis uerbis indicantes, ſe nũc à pœna, quam in abyſſo habituri ſunt, abeſſe. Et apud Matthæum ait Chriſtus: Diſcedite à me maledicti, in ignẽ æternum, qui p̃aratus eſt diabolo & angelis eius. Paratum inquit eſſe ignem æternum Satanæ, & ſociis eius, ſed non ait, ipſos in hoc igne ardere. Cum igitur Satan exiſtimet, ſibi ob præſentiam Chriſti mox omnes homines derelinquendos, & confeſtim ad ignem æternum unà cum angelis ſuis abeundum eſſe, uidetur ſibi iure conqueri, & cum Chriſto expoſtulare, q̃ ante tempus perdatur. Hanc autem expoſtulationem non fert Chriſtus, ſed increpat Satanã: Obtumeſce, inquiens, & exi ab eo. Sic & paulo poſt increpat dæmonia, & non ſinebat ea loqui, q̃ ſciebant ipſum eſſe Chriſtum. Et in Actis Apoſtolicis, cum puella habens ſpiritũ Pythonis ſubſequeretur Paulum, & clamaret: Iſti homines ſerui D E I excelſiſsimi ſunt, qui adnunciant nobis uiam ſalutis, ægretulit Paulus, & præcepit dæmonio per nomen Ieſu Chriſti, ut exiret à puella. Quid ad hæc dicemus? an nõ uera eſt cõfeſsio Satanæ, qua p̃dicat Ieſum eſſe

Satanæ poteſtas.

Satanæ ſupplicium in die iudicij reuelãdum.

Confeſsio Satanæ quare rejciatur & cur tacere iubeatur.

Christū, & sanctum Dei, ad deuastandam omnem diaboli potentiam missum? Si autem hoc uerum est, cur increpatur Satan? cur reii citur confessio eius? Cur mandatur ei silentium? Sed cur hoc fiat, minime tibi mirum uidebitur, si naturam & ingenium Satanæ probe perscrutatus fueris. Satan enim teste Christo, mendax est, & homicida. Erat, inquit Christus, homicida ab initio, & in ueritate nō stetit, quia ueritas in eo non est. Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mēdax est, atq; eius rei pater. Qui autem natura sua nihil aliud est quàm mendax & homicida, quo, obsecro, alio tum dictis tum factis suis respiceret, q̄ ad decipiendum & occidendum? Nam qui est eiusmodi ingenii, is etiamsi ueritatem loquatur, ad persuadendum tamen mendacium loquitur, & quamuis amica uerba dicat, ad perdendum tamen dicit. Quare Christus iubet Satanam, quamuis uera confitentem, tacere & obmutescere, ut moneat nos, ne unquam Satanæ benignas præbeamus aures, propterea q̄ non solum mendacia eius, mendacia sint, sed etiam ueritas, si quā loquitur, ad persuadendum mendacium & ad homicidium respiciat. Quod ergo, inquies, mendacium & homicidium est, quod Satan hac sua confessione, qua præ

Cur Satan cō fiteatur Iesum esse Christum.

dicat Iesum esse Christum, subornare conatur? Primum quidem diuulgat Iesum esse Christum, ut hac fama Herodes tetrarcha Galilææ ad occidendum Iesum inuitetur, ne ex imperio suo per ipsum eiiciatur. Deinde diuulgat illud, ut prædicatio Christi eleuetur, & nullum fidei pondus apud auditores habeat. Cum enim Satā idem confitebatur, quod Iesus prædicatione sua significabat, sperauit fore, ut quia ipse ab omnibus habeatur spiritus mendax, hæc quoq; confessio & prædicatio, q̄ Iesus esset uerus Messias, mendacium reputetur. Vides nunc Satanam ueritate cō fessionis suæ, & mendacium & homicidium meditatum esse. Nequaq̄ igitur, ne si uera quidem dicat, audiēdus est Satan. Sed alia quoq; caussa est, propter quā Christus iubet Satanam tacere, & exire ab homine, uidelicet, ut Euangelion, quod hactenus uerbis prædicauit, miraculo quodam, tanq̄ sigillo confirmaret. Prædicauit enim se diuinitus missum esse, ut prædicet captiuis liberationem, & clausis apertionem, hoc est, ut liberet homines à peccatis, & à potestate Satanæ. Cum igitur oblatus ei esset in synagoga dæmoniacus, præcipit dæmonio, ut taceat, & ecce tacet, præcipit ut exeat ab homine, & eece proiicit quidē dæmon hominem in mediū, sed nihil nocuit ipsi, & continuo exiit ab eo. Atq; hoc miraculum ædit Christus in dæmoniaco, ut externo sigillo confirmaret sibi datam esse potestatem super Satanam, & uerum esse, quod prædicauerat, se missum, ut credentes in ipsum ab omnibus peccatis & morte liberet, ac perpetuæ fœlicitati restituat. Hæc enim est uera

Vera miraculorum ratio.

ratio miraculorum, quæ Christus ædidit, q̄ sint certa sigilla Euangelii, & publica testimonia doctrinæ de remissione peccatorū per fidem in Christum. Quare, quoties nobis miraculum aliquod à Christo æditum proponitur, toties nobis ostenditur signaculum, quo fidem nostram, quam Euangelio habemus, confirmare, & in omnibus aduersis conseruare queamns. Cæterum, non est oscitanter prætereundum, q̄ Euangelista diserte scribit, dæmonem ad uerbum Christi primum quidē proiecisse hominem in medium, deinde autem mox exiisse ab homine, & nihil nocuisse ei. His enim significat Lucas, ingenium Satanæ eiuscemodi esse, q̄ ingentes

Satanæ ingenium.

tumultus aduersus Euangelion Christi, & credentes Euangelio concitet, ac uniuersa ita conturbet, ut cœlum ipsum ruiturum uideatur. Sed si in uerbo Christi constiteris, tantum abest, ut possit aliquid tibi nocumenti inferre, ut maximam potius utilitatem tibi post se relinquat. Cum ad Ioseph in somnio diuinitus diceretur, se fore dominum fratrum suorum, uide quantas turbas Satan cōtra hoc uerbū excitet.

Impellit

Impellit fratres ad inuidiam, inuitat eos ad parricidium, & cum hoc consilium nõ promoueret, persuadet ipsis, ut Iosephum alienis diuendant. Iam cum Ioseph ad alienos diuertisset, & in Aegypto seruiret, ne sic quidem Satan quieuit. Subornat adulteram, ut quem non potuit rebus aduersis ad impietatem perpellere, eum delitiis ac uoluptatibus à uia Domini abstraheret. Sed cum nec sic uoti sui compos fieret, subornat, ut Ioseph in tetros carceres coniiciatur. Hoc uere est hominem in medium proiicere? Sed quid hic tumultus Satanæ Iosepho nocuit? in tantum nihil nocuit ei, ut etiam adiumento ei fuerit ad capessendum principatum antea in somnio diuinitus promissum. Quid dicá de ea turba, quam Satan Israëlitis ad uocationem Dñi ex Aegypto exituris concitauit? Dixit enim Deus ad Israëlitas: Visitans uisitaui uos, ut educam uos de afflictione Aegypti ad terram fluẽtem lacte & melle. Sed ad hanc uocem Dei, Satan continuo magnam tragœdiam aduersus Israelitas excitat. Reddit ipsis regẽ inclementem, qui opprimat eos durissimis exactionibus, iubet eos uapulare flagellis, & omnino ita se gerit erga ipsos, ut de salute ipsorum desperaretur. Hoc quid aliud erat, quàm hominem in medium proiicere? Quid ergo factum est? nũ hoc tumultu uerbo Dei prævaluit? Profecto usq; adeo non prævaluit, ut potius seipsum in extremam confusionem coniecerit, & sententiam uerbi Dei contra suam uoluntatem adiuuerit magis quàm impedierit, atq; adeo reipsa declaratum fuit, turbas, tumultus & tragœdias, quas aduersus uerbum Dei excitat, non esse nisi meras laruas & nugas. Non igitur despondeamus animũ in aduersis, quæ nobis Satan contra promissionem Dei immittit, sed cõstemus in uerbo Domini forti fide, certissimi, q; nulla potentia Satanæ tanta sit, quæ possit ueritatem Dei expugnare. Sed quomodo Capernaitæ hoc miraculo afficiũtur?

Factus est, inquit Lucas, pauor in omnibus. Et colloquebantur ad inuicem dicẽtes: Quod est hoc uerbum, quia in potestate & uirtute imperat immundis spiritibus, & exeunt? Et diuulgabat fama de illo in omnem locũ regionis. Quod Christus miraculo suo quæsiuit, hoc etiam consecutus est. Quæsiuit autem hoc miraculo, ut fama nominis sui ubiq; spargeretur, maiestas eius palàm reuelaretur, ac ueritas doctrinæ eius cognosceretur. Atq; id quæsiuit, nõ ad carnalem nominis sui gloriam, quod homines ambitiosi quærere solent, sed ad nostram spiritualem utilitatem, nimirum, ut fama nominis eius illecti, Euangelio ipsius fidem adhibeamus, & ex fide iustificemur, iustificati autem ex fide, pacem erga Deum per Christum habeamus. Cum igitur Christus stupendum istud miraculum ad confirmandam Euãgelii sui ueritatem, & ad cognoscendam maiestatem suam ædiderit, agite amicissimi, obediamus Euangelio, & cognoscamus maiestaten Christi, q; sit uictor Satanæ, mortis & inferni, ut & nos oẽm Satanæ potẽtiã uincamus, in ipso Christo Iesu Dño nostro, qui est unà cũ Patre & spiritu sancto Deus laudandus in secula Amen.

Christus uoluit famã nominis sui reuelari.

HOMILIA XL.

Idimus antea Christũ restituere sanitati uirum dæmoniacũ, & Satanã ab eo eiicere, ut manifesto miraculo significaret, sese ad destruendam Satanæ potentiam uenisse. Nunc uideamus ipsum restituere sanitati anum febricitantem, ut palàm testificetur, omnem sibi sexum, non uiros tantum sed & mulieres curæ esse. Surgens enim Iesus (inquit Lucas) de synagoga, introiuit in domum Simonis (uidelicet Petri, qui paulo ante ad discipulatum uocatus fuerat) Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus.

,, Et rogauerunt illum pro ea. Et ſtans ſuper illa, increpauit febrim. Et febris dimi-
,, ſit illam, ſtatimq; ſurgens miniſtrabat illis. Principio obſerua mihi ingentem Chriſti humilitatem. Nam ingreſſus in urbem celeberrimam Capernaum, in qua iam propter miracula magnus habebatur, non diuertit ad diuites & claros Phariſæos, quorum fauorẽ uel uno uerbo ſibi conciliare potuiſſet, & qui ipſum nondũ exoſum, nõdum proſcriptum, nondum publicis diris deuotum magna obſeruantia excepiſſent, quippe qui ex tanto hoſpite nonnihil ſibi gloriæ, ut hoc genus hominum laudis appetentiſsimum eſt, paraſſent. Sed diuertit ad pauperem caſam piſcatoris, & ut ita nominem, ad noſocomion, in quo infirma anus lecto decumbebat. Id aũt facit Chriſtus hoc conſilio, non ut ſignificet, diuites & nobiles prorſus à Deo reiectos eſſe: Deus enim non eſt acceptor perſonarum, ſed in quouis hominum ſtatu, qui timet Dominum & operatur iuſticiam, is acceptus eſt illi. Nec id facit, ut ſignificet, impietates pauperum, quas prætextu paupertatis interdum deſignãt, ſibi placere. Qui enim impie agit, ſiue ille pauper ſiue diues fuerit, ſuum accipiet iudicium. Sed diuertit, ad pauperẽ caſam, in qua ægra anus paroxyſmis febrium concutiebatur, ut ſignificet, paupertatem & ægritudinem non tanto cõtemptu coram Deo negligi, quãto coram hominibus laborant. In hoc enim ſeculo, nihil eſt abiectius pauperibus, nihil neglectius infirmis. Sed Chriſtus ad hos diuertit, ut oſtendat, ipſos ſibi maxime omnium curæ eſſe. Quod autem Chriſto curæ eſt, qui fieri poſſet, ꝙ non etiã Domino Deo patri noſtro cœleſti curæ eſſet? Chriſtus enim unigenitus & æternus filius Dei eſt, in quem pater nõ ſolum omnem poteſtatem ſuam poſuit, uerumetiam omnem ſuam uoluntatem per ipſum reuelauit, ut quicquid Chriſtus agat & dicat, id & opus & uerbum Dei certiſsime ſenciẽdum eſt. Quare qui paupertate premuntur, & infirmitate affliguntur, non exiſtimẽt ſe propter paupertatem & infirmitatem à Deo reiectos, ſed confidant ſe tanto magis à Deo reſpici, quanto grauioribus afflictionibus percelluntur. Deinde non eſt oſcitanter cõſideranda pietas huius familiæ, quæ erat in domo Simonis Petri. Nutriunt enim ſocrum & annis & febribus grauem. Adhæc, rogant pro incolumitate eius. Immane, quantum hæc pietas à moribus impiorum hominum differat. Hi enim magno faſtidio contemnunt mulieres anus, & citius petunt, ut anus à Satana auferantur, quàm ut ſanitati reſtituantur. Quid autem tali animo inhumanius, quid crudelius? Nam ſenectus etiam inter barbaras & efferas nationes uenerabilis eſt, & tu audes eam in muliere natu grandiori execrari? Inter dona Dei, ſenectus non poſtremum locum obtinet. Quæ eſt ergo illa inſania, mulierem propter donum Dei diris deuouere? Sed iuſto Dei iudicio fieri ſolet, ut donum Dei, quod tu in alio faſtidis, nunq; in te cõſequaris. Quare niſi uolueris immatura mortẽ perire, da operam ut exemplum familiæ Petri imiteris. Hi eũ ſocrui ſuæ, tum anui, tum febricitanti ſeruiunt q̃ poſſunt diligenter, ac tantum abeſt ut mortem eius precent, ut magis pro illius q̃ pro ſua ipſorum ſanitate ſolliciti ſint. Vnde & Chriſtus ad domum eorum diuertit. Quid enim ſentis? num exiſtimas Chriſtum in ea familia hoſpicium quærere, in qua nihil reperias, niſi lites, contentiones, execrationes, & impietates? Profecto cum Deus ipſa ſit charitas, quomodo illic habitaret, ubi nullus eſt charitatis uel locus uel reſpectus? Mane igitur in charitate, ut & Chriſtus Dominus Deus noſter apud te non ſolum hoſpes, ſed etiam incola & domeſticus maneat. Iam & hoc loco diſcendum eſt, quomodo, id quod charitas poſtulat, infirmandum ſit cum infirmo, dolendum ſit cum dolente, flendum cum flente, hoc eſt, febricitandum cum ſtebricitante, paralyſi laborandum cum paralytico, & alii id genus mor-

Humilitas Chriſti.

Pauperes & ægroti Deo curæ ſunt.

Pietas familiæ Simonis Petri.

Senectus honoranda, non execrãda.

Chriſtus non diuertit ad diſcordes.

Infirmari cũ infirmo quid ſit.

hus morbi sufferendi sint cum ægrotantibus. Nam cum familia Petri seruit anui febricitati, & rogat pro sanitate eius, manifeste significat, hoc demũ uere esse infirmari cum infirmo, non eundem sibi morbum temere adsciscere, sed infirmo seruire, infirmum consolari, & pro incolumitate ac salute eius apud Dominũ intercedere. Hæc qui facit, recte dicitur alterius onera portare, & legem Christi, quæ est de charitate, implere. Sed quid Christus pro febricitate rogatus? num preces piorum hominum surda aure trãsit? Minime omnium. Nam, ut declaret se piis precibus semper præsto adesse, & exaudire, cõfestim ad anum febricitantẽ properat, & astans super eam increpauit febrim. Quid hoc? num febris res est ratione prædita, ut quae at increpationem Christi intelligeret? Sed solenne est Christo, res inanimas perinde ac animatas increpare. Sic paulo post increpabit uẽtum & tempestatem aquæ. Sic apud Ioannẽ, fremit in seipso super mortẽ. Hoc aũt non est in Christo deputã dũ temerariæ stulticiæ, sed potius maximæ ac optime collectæ prudentiæ. Primum enim declarauit Christus his minime uanis sed efficacissimis increpationibus, da tam sibi esse omnium rerum potestatem, & omnia tam corporalia q̃ incorporalia, tam uisibilia q̃ inuisibilia potentiæ suæ subiecta esse. Si autem Christo omnia subiecta sunt, profecto etiam huic, qui per fidem membrum Christi factus est, omnia subliciuntur. Subiiciunt autem ei, non ut externa maiestate ipsis in hoc seculo dominetur, sed ut per fidem in Christo certificetur, nullam creaturam nec in cœlo nec in terra nec sub terra esse, quæ possit ipsum ab ea dilectione separare, qua cõplectitur ipsum Deus pater in Christo Iesu Dño nostro. Quare si te afflictionum grauitas & mortis horror comprehẽderit, fac maiestatem tuam, quam in Christo habes, cõsideres, ut confirmata per fidem conscientia, afflictiones, mortem & omnia aduersa superes. Deinde increpat Christus febrim, tempestatẽ, mortem, & id genus alia, ut hac increpatione declaret affectum suum, quem habet erga omnia ea aduersa, quæ nobis molesta sunt, & internicionem minãtur. Etenim, increpatio certum indignationis argumentũ est. Cum igitur Christus increpat febrim, & alia, perspicue significat se magna ira & indignatione aduersus calamitates nostras affici. Eos aũt affectus, quos habet Christus filius Dei, sentiendum est etiam ipsum Deum patrẽ habere. Est enim Christus splendor gloriæ Dei, & expressa imago substantiæ illius. Si autem Deus pater, qui est in cœlo, indignat aduersus calamitates nostras, quid est, q̃ tãtopere eas horremus? Natura quidem ita cõparatum est, ut dolore affecti, aduersus morbos & alias afflictiones indignemur, sed ne in ea indignatione peccemus, meminerimus, non nos tãtum, sed etiam ipsum met Dominũ Deum nostrũ aduersus afflictiones nostras indignari, adeoq̃, ut ita dicam, nobiscum congemiscere. In libro Iudicum: Doluit, inquit scriptura, Dominus Deus super miseris Israelitarum. Et Paulus: Spiritus ipse, inquit, intercedit pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Quid autem? num existimas, quicq̃ siue in cœlo siue in terra tam potens esse, quod queat coram indignatione Dei consistere, & in perpetuis gemitibus eum retinere? A b increpatiõe tua, inquit psalmus, deus Iacob, dormitauerunt equus & eques. Tu terribilis es, quis resistet tibi quando ira fueris? Et iterum: Montes sicut cera fluunt ã facie Dñi, ã facie Domini omnis terra. Bene igit in calamitatibus quãuis magnis cõfidamus, certissima persuasiõe cõcepta, q̃ calamitates nostræ in tantũ nõ queãt nos perdere, ut etiam necesse habeant nobis in bonum & salutem adiumẽto esse. Sed uideamus nũc, q̃ efficax fuerit increpatio, qua Christus in febrim inuectus est. Febris, inquit Euangelista, dimisit illam, statimq̃ surgẽs, ministrabat illis. Quid uerbo Christi efficatius? Vt enim uerbo suo febrim increpauit, cõtinuo

Christus increpat febrim

Christus indignatur aduersus calamitates nostras.

Efficatia uerbi Christi.

non ſolum febris abſceſsit ab anu, uerumetiam anus ita ualida reddita eſt, ut è lecto ſurgeret,& menſis miniſtraret. Ingẽs miraculũ, quod ut nobis utile fiat, perſcrutandũ eſt, quam ob rem Chriſtus hoc miraculum ædiderit. A edidit aũt, non ut aram tantum popularem uenetur. A c uoluit quidẽ Chriſtus populo manifeſtari, uoluit gloria nominis ſui celebrari, ſed nõ affectauit carnalem quandam laudem, qualẽ ambitioſi uenari ſolẽt. Nec ædidit propter hãc tantũ mulierculam. Quanq̃ enim uoluerit ipſi beneficium præſtare, non tamẽ ſolius ipſius cauſſa hoc miraculũ operatus eſt. Nec ædidit, ut ſignificet, quamlibet mulierẽ febricitantẽ, ab externa febri, ſi in Chriſtum credat, eodem modo, quo ſocrus Petri, liberari. Regnũ enim Chriſti non eſt de hoc mundo, ſi eſſet de hoc mundo, tunc quemadmodum miniſtri Chriſti decertaſſent pro Chriſto ne traditus fuiſſet Iudæis, ac crucifixus, ita oẽs pharmacopolæ & medici, imo ipſi angeli optima quæuis remedia febricitanti admouerent, ut mox à febris ardore liberaretur. Sed ædidit hoc miraculum, ut eſſet ſignaculũ doctrinæ Euangelii ſui. Videamus ergo quid docuerit. Vt cõpendio dicam, docuit, ſe miſſum, ut medeatur contritis corde, peccata hoim remittat, Deũ patrem propicium reddat, & nobis perpetuam ſalutẽ per fidem in ipſum cõferat. Huius doctrinæ ſeu Euangelii ſigillum eſt, miraculũ in ſocru Petri æditum. Quare qui eſt contrito corde propter peccata ſua, & timet ne iratum Deum habeat, is credat Euangelio Chriſti, ac confirmet hoc miraculo fidẽ ſuam. Sic eñ fiet, ut quẽadmodum febris ad increpationem Chriſti continuo à ſocru Petri diſceſsit, ita peccata ad faciem Chriſti mox aufugiant, & relinquant poſt ſe nobis in Chriſto propicium Deum. Ecce aũt, unum ac alterũ miraculum ſequunt innumera. Addit eñ

» Euangeliſta. Cum ſol occidiſſet, omnes, qui habebant infirmos uariis languo-
» ribus, ducebant illos ad eum. A t ille ſingulis manum imponens, curabat eos. Exi
» bant aũt dæmonia à multis clamantia & dicentia: Tu es filius Dei: Et increpans
non ſinebat ea loqui, q̃ ſciebant ipſum eſſe Chriſtũ. Quod de ſuperioribus miraculis dictum eſt, hoc idem de omnibus his, quæ hic præſtringuntur intelligendũ eſt. Omnia enim hæc miracula nihil aliud ſunt, q̃ cœleſtia ſigilla, quibus ueritas Euangelii confirmat, nimirũ, q̃ habeamus remiſsionem peccaeorum propter Chriſtum per fidẽ, & q̃ Chriſtus uictoriam à Satana reportauerit, ac nos in Chriſto Satanam uincere poſsimus. Sed ſunt alia quoq; hic obſeruãda. Primum Chriſtus curaturus infirmos, & eiecturus dæmones, imponit infirmis manus, & ut Matthæus ſcribit, eiicit ſpiritus uerbo. Manus & uerbũ, ſunt herbæ & emplaſtra, quibus Chriſtus male affectos curat. Ex hoc igitur colligenda eſt etiam ratio ſacramentorum, quæ Chriſtus in eccleſia utenda inſtituit. Etenim, quemadmodũ uerbũ & manus Chriſti, uidenẽ hoĩs tantũ uerbum & manus eſſe, attamen habent potentiam diuinam, propterea q̃ hic homo, uerus Deus ſit, ita in baptiſmo & cœna dñica, nihil præter aquã, panẽ, uinum, & uerbum hoĩs, extrinſecus apparet, attamen quia hæc omnia uerbo & manu Dñi Ieſu Chriſti, omnipotentis filii Dei, continentur, profecto ſunt organa efficacia ad ſalutem omni credenti. Deinde uides hoc loco dæmones etiam credere ac confiteri, q̃ hic Ieſus ſit Chriſtus, filius Dei. Ergo ne iuſtificantur, ꝓpterea q̃ iuſticia ſit ex fide? Minime oĩm iuſtificanẽ. A lia eñ eſt fides hiſtorica, alia eſt fides iuſtificans. Hiſtorica fides eſt, quæ credit hiſtorias de rebus diuinis ueras eſſe. A tq̃ hæc quidẽ fides neceſſaria eſt, ſed non iuſtificat coram Deo. Nam & impii credũt aliquot ſacras hiſtorias ueras eſſe, & dæmones certo ſciunt ac ſentiunt Ieſum eſſe uerum Meſsiam ac filium Dei, idq̃ intantũ credunt, ut etiã cõtremiſcãt, quemadmodũ Iacobus ſcribit, attamen ex hac fide nihil iuſtiores in conſpectu Dei fiunt. Fi

Miraculũ in ſocru Petri æditum, ſigillũ doctrinæ Euãgelij.

Manibus & uerbo curat Chriſtus male affectos.

Ratio ſacramentorum.

Fides hiſtorica.

sunt. Fides aũt iustificans est, quæ nõ solũ credit Iesum esse Messiã aliorũ, sed etiã credit ꝙ sit noster Messias, ꝙ pro nostris, & ut significãtius loquar, pro meis ipsius peccatis satisfecerit, & mihi, mihi inquã, Deum placauerit. Et hæc est fides, quæ uere apprehendit Christum, & per quã ꝓpter Christum in cõspectu Dei iusti reputamur. Quare cũ & impii, & dæmones hac fide careant (non enĩ credũt, ꝙ Iesus sit ipsorũ Messias, & ꝙ pro ipsorum peccatis satisfecerit) non possunt ex fide ipsorũ historica iustificari, & Dño Deo nostro grati esse. Sed perstringamus etiã ea, quæ in hoc capite sequunt. Facto aũt die, egressus ibat in desertum locum. Quid in deserto facturus? Hoc explicat Marcus ita scribens: Mane, multa adhuc nocte cum surrexisset, egressus est, & abiit Iesus in desertum locum, ibiq; orabat. Papæ, ad qd Iesus Christus, unigenitus filius Dei indiget oratione? Oratio enĩ ideo nobis ꝓposita est, ut per eam reuocemus nobis ob oculos mentis nostræ ꝓmissiones diuinas, & cõfirmemus fidẽ nostram. Quid aũt necesse habet Christus diuinas promissiones sibi in mentem reuocare, cum in ipso oẽs promissiones Dei, quẽadmodum Paulus ait, sint etiam & amen? quid item necesse habet fidẽ suam cõfirmare, cum ipse sit unigenitus & naturalis Dei filius, ac talis, in quem alii fidem habere debeãt? Sed memineris Christũ coniecisse se in nostras infirmitates, & quanq; ipse sit uerbum & promissio Dei, exinaniuit tñ semetipsum, forma serui assumpta, & orauit, ut Deũ nobis placaret, & spiritum inuocãdi Deum patrem nobis impetraret. Oratio autem eius haud quaq; fuit inefficax. Nam cũ Deũ ita nobis placauerit, ut Deus agnoscat nos per Christum filios suos, impetrauit etiam nobis, ut acciperemus spiritum adoptionis, per quem clamamus Abba pater. Iam si terrenus quispiam pater filio suo panem petenti haud quaq; lapidẽ porrigit, quãto magis pater cœlestis filiis suis bona daturus est si postulauerint ab ipso. Sed quid? an non potuit Christus in urbe orare? Cur ad orandum in desertum secedit? Nullus quidem locus non est sanctus ad precandũ Dominũ, sed secretis affectibus secretus quoq; locus aptior est ad orationẽ, q̃ frequẽs locus. Habet præterea secretus locus minus iactãtiæ quàm publicus. Vnde aliàs Christus ait: Tu cum oras, introito in conclaue tuum, & occluso ostio tuo ora patrẽ tuum qui est in occulto, & pater tuus qui uidet in occulto persoluet tibi in propatulo. Porro autem, tametsi Christus fugiebat turbam ad desertũ, quo diligentius orare posset, tamen ne sic quidẽ latet, Sequitur enĩ: Et turbæ requirebãt eũ, & uenerũt usq; ad ipsum, & detinebãt illũ, ne discederet ab eis. Quibus ille ait: Et aliis ciuitatib⁹ oportet mẽ Euãgelizare regnũ Dei, qa ideo missus sum. Et erat ꝓdicans in synagogis Galilææ. Habẽt quidẽ Capernaitæ zelum Dei, sed nõ secundũ scientiã. Quærũt. n. Christũ, & postq; inueniũt eũ in deserto, cupiũt ipsum mãgno desiderio secũ in urbẽ suã Capernaũ reducere, ac pollicent ei mõtes aureos, ut semper apud ipsos maneat. Quærũt aũt ipsum, nõ ut per eũ corã Deo iustificent, sed ut per eũ corã mundo glorificent, ac si quando morbis laborent, mirabiliter curent. Nam si quæsierũt eũ, ut iustificent, cur Christus aliàs dicit: Tu Capernaũ, quæ es usq; ad cœlũ exaltata, usq; ad inferos detraheris. Quoniam si in Zodomis æditæ fuissent uirtutes, quæ æditæ sunt in te, mãsissent usq; ad hodiernũ diẽ. Veruntamẽ dico uobis, quòd Zodomis tolerabilius erit in die iudicii quàm tibi. Audis Capernaitas nullã habuisse rationẽ resipiscentiæ in Christo. Non igitur inquirunt Christum ut resipiscant à sceleribus suis, sed potius ut ab infirmitatibus suis corporalib⁹ sanent. Sic aũt Christũ inquirere, nõ est Christũ sed sua ipsius cõmoda sectari, non est maiestatẽ Christi uere per fidẽ agnoscere, sed ex Christo Aesculapiũ quendã aut Hippocratẽ facere. Quid ergo? an aõ licet Christũ in morbis inuocare? licet.

Fides iustificans.

Orationis usus.

Oratio Christi efficax.

Christus cur in deserto orauit.

Christus in morbis inuocandus.

care,& liberationẽ à morbo corporali ab ipso peteret? Cur igit̃ & cæci & leprosi clamarunt ad Christũ, & à uitiis suis corporalibus ac morbis liberati sunt? Profecto nõ solum licet,uerũetiam necesse habemus tam in corporalibus q̃ in spiritualibus afflictionibus Christũ inuocare. Ait enim: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis,& ego refocillabo uos. Et in psalmo: Inuoca me in die tribulationis, & eruam te & honorificabis me. Sed in Christo remediũ tantum morborum corporaliũ,nõ aũt ipsam ueram & propriam Messiæ maiestatẽ,quæ est,remittere peccata, Deum placare,& perpetuam dare salutẽ,inquirere, hoc demum non est rectã de Christo cognitionem habere. Quanq̃ enim Christus multos corpore ægrotos sanauerit,tamen non fuit potissimũ ob hãc causſam in mũdum missus,ut male affectos corpore curaret,sed maximum & præcipuũ eius officium est,q̃ expiet peccata hoĩm,q̃ mitiget iram patris, q̃ mereatur omnibus in ipsum credẽtibus uitã & fœlicitatẽ sempiternam. Interim curauit etiam morbos corporales,nõ quia hoc sit præcipuũ eius officium,sed ut præcipuũ suũ officiũ his miraculis cõprobaret ac rectificaret. Quare qui maiestatem Christi recte sectari uelit,primũ oĩm remissionem peccatorũ suoꝝ, & placatũ Deum in ipso per fidẽ quærat. Qui enim hoc in Christo inuenerit,is deinceps inueniet in eo præsentanea oĩm tam corporaliũ q̃ spiritualiũ afflictionũ pharmaca. Iã in hoc quoq; errãt Capernaitæ, q̃ existimẽt se Christo carere,nisi ipsum externa & uisibili cõuersatione secũ retineãt. An nõ habebãt uerbũ eius? an nõ audierũt Euãgelion eius? Atq; illic est Christus, ubi Euãgelion eius est,illic uere habet̃ Christus,ubi Euãgelio eius credit̃. Si quis,inquit,diligit me,sermonẽ meũ seruabit,& pater meus diliget eũ,& ad eũ ueniemus,& mãsionẽ apud eũ faciemus. Et iterũ: Amẽ dico uobis: Qui sermonẽ meũ audit,& credit ei qui misit me,habet uitam æternam,& in condẽnationem non ueniet, sed trãsiuit à morte ad uitam. Et rursus: Qui uos audit,me audit. Proinde qui Christum habere desiderat,non hoc quærat cum Capernaitis, ut ipsum uisibili cõuersatione in hoc seculo secũ habeat, sed ut Euangelio eius fidẽ adhibeat. Sic eñ Christum unà cum omnibus suis diuinis bonis possidebit. Porro aũt, quãdo Capernaitæ tãto studio Christum secũ retinere cupiant,quid est,q̃ Christus affectui eorum nõ cedit? Primum non uult opinionem Capernaitarum confirmare, qua existimabant se Christo carere,quòd uisibili eius conuersatione carebant. Deinde mauult uocationi suæ q̃ affectibus uulgi seruire. Vocatio aũt Christi erat, ut Euangelion in Galilæa & Iudæa prædicaret. Et aliis,inquit, ciuitatibus oportet me Euangelizare regnũ Dei. Nam in hoc missus sum. Non sum missus, ut in una Capernaum habitẽ, sed ut in omni regione Iudæorũ Euangelion adnunciem. Quare non est mihi spectandũ, ubi securius & honoratius uiuam,sed ubi uocationi meæ seruiã. Nec Capernaitarũ tantũ Christus sum,sed omnium tam Iudæorum q̃ gẽtium. Itaq; necesse mihi est ut regnũ Dei inter Iudæos ita nunc prædicem, quo postea p̃dicatio eius inter oẽs gentes,& in fines orbis terræ spargat̃. Habes memorabile obediẽtiæ exemplũ. Potuisset eñ Christus in Capernaũ, magno honore uiuere,ac securũ & iucundũ ociũ ducere,sed maluit uocationi patris sui obedire, q̃ carnales suas cõmoditates sectari. Primũ ob hãc causam,ut per obedientiã suã placaret nobis Deũ,& expiaret peccata nostra,deinde ut exẽplo suo admoneret nos obsequii,quod & nos diuinæ nostræ uocationi debemus. Nam si ex fide in Christũ,uocationẽ Dei sectemur, profecto quẽadmodũ Deus extulit Christũ,obedientẽ sibi usq; ad mortẽ crucis, in summã sublimitatẽ, ita quoq; exaltabit nos in perpetuã fœlicitatẽ, per Christũ Iesum Dñm nostrũ qui est unà cũ Patre & Spũ sancto Deus laudandus in secula Amen.

Præcipuum Christi officium in terra.

Christus illic ubi Euangelion eius est.

Exemplum obedientiæ in Christo.

Caput

CAPVT QVINTVM

HOMILIA XLI.



ERVM EST Verbum, quod non uulgus solum, sed etiam Dominus noster Iesus Christus usurpat: Vbicunq; est cadauer, illic & aquilæ. Nã cum Christus, non fœtorem quendam, qualẽ solent mortua cadauera spirare, sed iucundissimum ac maxime uiuificum odorem doctrina & miraculis suis de seipso in totam regionem Galilææ & Iudææ spargeret, continuo maxima hominum turba, uelut aquilæ ad cadauera, ad ipsum à Galilæa & Decapoli, à Hierosolymis, & Iudæa, adeoq; à regionibus trans Iordanem sitis, aduolant, & sectantur eum, non interdiu tantum, sed etiam noctu, non ad synagogas solum, sed etiam ad deserta, ad montes, & ad littora maris. Nec dispersim ad ipsum accedunt, sed congregatim ad eum irruunt. Hactenus enim audierant à Scribis & Pharisæis suis nugas, nescio quas, de decimationibus mentarum, de meritis sacrificiorum, de lotionibus manuum, deq; id genus aliis rebus, quæ doctrina neq; conscientiã pacificare, neq; ullã salutẽ afferre poterat. Nunc aũt audiunt à Iesu Christo eiuscemodi uerba, quæ non solũ cõscientiæ tristiciã discutiebant, uerũetiam ipsam mortẽ in fugam uertebãt. Quare nullo periculo prohibentur, quin Iesum, quoquo loco possunt, affectent. Ob quam, inquies, causſam? Vt audirent, inquit Lucas, uerbum Dei. Quanq; aũt ueri simile sit, in tanta hominũ turba, maiorem partẽ secutam esse Christum curiositate potius & nouitatis studio, q; uera spiritus pietate, tamen ipse uerbi Dei auditus, quẽ turba inquirit, non solũ honestus, sed etiã ad salutẽ necessarius est. Non enim potest nobis salus cõtingere nisi per fidẽ in Iesum Christũ. Quomodo aũt credẽt ei, de quo nõ audierũt? Cũ igit fides, quẽadmodũ Paulus ait, sit ex auditu, & auditus p uerbũ Dei, cõsectaneũ est, & necessario sectãdus sit auditus uerbi Dei. Ad hæc, Euãgelion, autore Paulo, potẽtia est ad salutẽ omni credẽti, Quare qui salutẽ quærit, pfecto necesse habet prædicationẽ Euãgelii quærere. Huc accedit, & ut Christus inquit, nisi quis renatus fuerit è supernis nõ potest uidere regnũ Dei. Renascimur aũt, iuxta Petrũ, nõ ex semine mortali sed ex immortali per sermonẽ uiuẽtis Dei, & manẽtis inæternũ, qui sermo per Euãgelion ad nos delatus est. Proinde, si nobis curæ est, ut in regnũ Dei intremus, sermo Euangelii capessendus est, ut hoc renati, ciues regni cœlorũ fiamus. Sed reuertamur ad ea, quæ Lucas scribit. Factũ est aũt cũ turba irrueret ad eũ, ut audiret uerbũ Dei, & ipse stabat secus stagnũ Genesareth (hic est lacus in quẽ se Iordanis fundit, magnæ tũ lõgitudinis tum latitudinis:) Et uidit duas naues stãtes secus stagnũ. Piscatores enim descẽderant, & lauabãt retia: Ascendẽs aũt in unã nauim, quæ erat Simonis, rogauit eũ ut à terra reduceret pusillũ. Et sedẽs docebat turbas de nauicula. Quid hoc est, inquies, & Christus docturus auditores suos in nauim ascẽdit? An nõ potuit cõmodiorẽ reperire cathedrã cõcionatoriã? Sed cur in nauim ascẽderit, Euãgelista pspicue explicat, dicens: Cũ turba irrueret ad eum, ut audiret uerbũ Dei, stabat ipse secus stagnũ Genesareth. His uerbis significat Lucas, & populus tãto impetu ad Christũ in littore stantem cõfluxerit & irruperit, ut periculũ fuerit, ne urgẽte populi frequẽtia è littore in lacũ proturbaretur.

Cõcursus hominum ad Christum.

Auditus uerbi Dei necessarius ad salutem.

Christus cum è naui docuerit turbas.

Vt igitur paulo tutius doceat populũ, in nauim ascendit. Quid hoc? Cur Christus timuit ne in lacum propelleretur? An non potuit efficere, ut in littore uelut murus aheneus staret? aut si omnino in lacum proturbaretur, ut super aquas mirabiliter staret, & ex aquis concionaretur? Sic enim maiorem concioni suæ fidem conciliasset. Sed ad hanc obiectionem idem respondendum est, quod Christus supra respondit Satanæ iubenti de pinna templi se demittere. Ait enim: Scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum. Primum enim non erat necessariũ, ut Christus super aquas staret, quando naues aderant, quod genus ad hoc ordinatum est, ut homines in ipsis super aquas contineantur. Deinde, Christus non uenit in hunc mundum, ut omnia iuxta diuinam suam maiestatem & potentiam ageret, sed ut maiestatem quidem suam aliquot miraculis testaretur, interim tamen sufferret nostras infirmitates, ac nobis, quod ad humanam imbecillitatem attinet, similis efficeret, quo peccata nostra expiaret, & Deum nobis placaret. Sed à spectaculo huius concionis nondum digrediemur. Vide enim mihi insolens templi huius, in quo Christus concionatur, ædificium. Nauis in lacustans, est cathedra concionatoria. Littus stagni, locus est auditorũ. Hæc autem optime cõueniunt, & commodissime adumbrant, quæ sint conditiones cathedræ concionatoriæ, hoc est, officii prædicationis Euangelii, & auditorum Euangelii. Etenim, quemadmodum nauis in mari orta tempestate magnis fluctibus horribiliter concutitur, ac nunc huc nunc illuc propellitur, nunc sursum nunc deorsum uoluitur, & magna fœlicitas est, si uel semilacera tempestatem euadat, ac nautas ad portum incolumes exponat, ita nihil in toto terrarũ orbe est, quod maioribus & grauioribus periculis expositum sit, quàm cathedra concionatoria, seu officium prædicandi Euangelii de Iesu Christo. Pontifices condemnant prædicationem Euangelii hæreseos. Ciuiles magistratus condemnant eam sedicionis. Turca prorsus abrogat prædicationem Euangelii. Vulgus contumeliosissime de Euangelio loquitur. Et Satan nouam nunc inuenit uiã, qua cathedram concionatoriam deiiciat. Sunt enim multi, qui diripiunt bona ecclesiastica, à maioribus ad conseruandum religionis nostræ studium tradita. Quare adolescentes à studio sacrarũ literarũ ita deterrent, ut nisi Dñs ædificasset ecclesiam suam supra firmam petram, paucis post annis uix unus aut alter inueniretur, qui officiũ prædicandi Euangelii capessere posset. Sed quid de futuris dico, hi qui nunc præsto adsunt, & Euangelion prædicant, adeo sordide, non dico à suis ipsorũ auditoribus, tractantur, ut uix habeant, quo famem depellant, & si quid edunt, fragmentis in os numeratis edunt. An non hæ sordes magnum exitium cathedræ cõcionatoriæ minantur? Atq; ita officium prædicandi Euangelii, sua habet pericula ab omni parte, quemadmodum nauis undiq; fluctibus petitur. Littus autem, terra firma est, in qua qui stant, in tuto loco stant, etsi enim immineant fluctus, eos tamen facile effugere licet. Auditores igitur Euangelii stant in littore securi, & fruuntur ex auditu Euangelii omnibus bonis, sine omni propemodum periculo. Si enim respicias ad corporalia bona, quæ auditores tam magistratus q̃ priuati ex Euangelio percipiunt, nullo precio æstimari possunt. Si ad spiritualia, omnem humanum captum excedunt. Ecce, hæc est sors prædicationis Euangelii. Quare probe conuenit, q̃ Christus ex naui concionetur, & populus è littore concionem audiat: Quid autem Christus concionatus sit hoc loco, non explicat Lucas. Sed prima Christi concio, quæ est: Resipiscite, appropinquauit enim regnum cœlorum, & ea concio, quam Christus ex Esaia habuit in patria sua, quam & Lucas supra commemorauit, diligentissime obseruandæ sunt. Hæ enim sunt compẽdium & summa omniũ concionum

Conditiones cathedræ cõcionatoriæ.

Littus.

Securitas auditorum Euangelij.

concionum quas Christus habuit. Quare, cum de doctrina Christi mentio fit, ad has cõciones, tanq̃ ad statum totius doctrinæ Christi, respiciendum est. Vt cessauit autem Iesus loqui, dixit ad Simonẽ: Duc in altum, & laxate retia uestra in capturam. Et respondens Simon, dixit illi: Præceptor per totam noctem laborantes nihil cepimus, in uerbo autem tuo laxabo rete. Et cum hoc fecissent, concluserũt piscium multitudinem copiosam. Rumpebatur enim rete eorum. Et annuerunt sociis, qui erant in alia naui, ut uenirent & adiuuarent se. Et uenerũt, & impleuerũt ambas nauiculas, ita ut mergerẽtur. Supendum miraculum. Petrus & socii eius tota nocte laborauerunt, & nihil prorsus piscium ceperunt. Laxantes autem rete ad uerbum Christi, tantam piscium multitudinem concludunt, primum ut præ piscium numero rete rumperetur, deinde ut necesse habuerint socios suos ex alia naui in auxilium uocare, postremo, ex hac una captura ambas naues piscibus ita implent, ut præ nimio onere propemodum mergerentur. Simile miraculum habes apud Ioannem capite uicesimo primo. Apparuit enim Iesus, postq̃ resurrexisset à mortuis, discipulis suis piscantibus, & dixit eis: Pueri, num quid obsonii habetis. Responderunt ei: Non. At ille dicit eis: Mittite in dexteram nauigii partem rete, & inuenietis. Miserunt ergo, & iam non ualebant illud trahere præ multitudine piscium. Hæc miracula diligentissime obseruanda sunt, & alta mente reponenda. Quanq̃ enim potissimum ad excitandam & confirmandam fidem Apostolorũ in Christum ædita sint, tamen quia sacra scriptura ad nostri doctrinam pertinet, certo sentiendum est, ea quoq; nostri causa tum ædita tum scripta esse. Videamus ergo, quæ sit horum miraculorum utilitas. Principio, q̃ ad uerbum Christi tanta piscium multitudo una captura concluditur, sigillum est ueritatis Euangelii, quod Iesus prædicabat, nimirum, q̃ ipse sit uerus ille Messias, qui expiet peccata hominũ, & placatum reddat Deum, & quòd omnis qui credat in ipsum, nõ uideat mortem sed habeat uitam æternam. Deinde, præter testimonium, quod ex hoc miraculo generaliter uniuersæ doctrinæ Christi accedit, etiam illud specialiter ex eo comprobatur, q̃ Christus non solum terræ, sed etiam maris, ac omnium quæ in eo sunt, dominus existat. Nisi enim & piscibus maris dominaretur, qui fieri potuisset, ut ad uerbum eius tanta piscium multitudo concluſa esset? Sic aliàs, ut omnino declararet sibi omnia subiecta esse, mittit Petrum ad mare, & iubet eum, piscem illum, qui primus prodierit, hamo tollere, & accepto statere ex ore illius, tributum pro ipsis duobus soluere. Si autem Christus est Dominus maris & omnium quæ in eo sunt, quid tu, qui per fidem membrum Christi factus es, periculis maris aut aquarum cõprehensus, animum tuum despondes? Bono animo esto. Quod capiti tuo Christo subiectum est, id etiam tibi membro eius ita subiectum est, ut necesse habeat tibi ad bonum adiumento esse. Postremo, quod est maxime omnium in hoc miraculo animaduertendum, docemur ex eo, unde laboris nostri benedictio, incrementum, seu, quod uocamus, lucrũ proueniat. Sunt enim homines increduli, qui existimãt, omnem laboris benedictionem & incrementum tantum ex improbitate & nunq̃ inter missa assiduitate laboris prouenire. Vnde non interdiu solum, uerumetiã totas noctes laborare solent, & nec publicis ac solennibus feriis laborem intermittũt. Sunt alii homines impii, qui putant benedictionẽ laboris non prouenire ex nomine aut uerbo Dei, sed ex nomine aut uerbo Satanæ. Ecquis, inquies, tam impudẽtis impietatis est, qui hoc asseueret? Profecto etiamsi nemo fere sit, qui uelit uideri tam impia sentire, attamẽ res ipsa arguit maximã hominũ multitudinẽ ita sentire. Etenim maior hoim pars solet sibi uictũ parare usuris, imposturis, nugis, dolis, periuriis, & aliis

Miraculorũ utilitas,

Maris Dominus Christus

Incremẽtum laboris nostri unde proueniat.

id genus iniquitatibus. Ac quod propheta auaros dicere testatur, hoc plane etiam inter nos auditur: Imminuamus mensuram, augeamus siclum, supponamus stateras dolosas, ut possideamus in argento egenos, & pauperes pro calceamentis, & quidquidlibet frumenti uendamus. Et quod alius propheta de sua Hierusalem conqueritur, hoc etiam de nostris urbibus uerissimum est: Argentum tuum uersum est in scoriam, uinum tuum mixtum est aqua. Principes tui infideles, socii furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Dare autem operam, ut uictum tibi pares, lucrū acquiras, & opes tuas augeas dolis, nugis, & impostu ris, quid aliud est, q̄ sentire benedictionem & lucrum prouenire, non in nomine Domini, sed in nomine Satanæ? Impostura enim & doli mali in contractibus ciuilibus, opera Satanæ sunt, à Domino Deo nostro, qui non est Deus uolens iniquitatem, prohibita. Itaq; qui sic lucrum quærit, is profecto sentit lucrum sibi in nomine Satanæ cōtingere. Huc accedit & dictum illud, quod uulgus iactat: Si uis, inquiunt, uictum tibi parare, ne cesse habes animam tuam postianuam seponere. Qua uoce significant, eum qui uelit uictum sibi parare & lucrum acquirere, nullam oportere rationē salutis animæ suæ habere, nec iuste agere. Qui enim uelit in labore aut negocio suo iusticiam sectari, is necesse habeat perpetuo egere, ac fame etiam nunc mori. Quid autem hac uoce magis impium audiri potest? Et qui ita loquuntur, quid obsecro aliud sentirent, quam non Dominum Deum nostrum, sed ipsum diabolum, Satanam nostrū, omnis benedictionis & incrementi in laboribus autorem esse? Sunt item alii, qui postquàm audiunt benedictionem rerum non ex laboribus aut propter labores prouenire, deserunt officiū suum, ac tradunt sese ocio & ignauiæ, iactantes se de cœlo expectare uictum. Sed has omnes opiniones uanas ac falsas esse demonstrat hæc historia, quæ est de miraculo capturæ piscium, ac monet nos, primū, ut haud quaquam ipsi laborum operi ac merito benedictionem, incrementum, & lucrū adscribamus. Nam si benedictio & incrementū constat ex ipso laboris opere & assiduitate, quid est, q̄ Petrus & socii eius per totam noctem laborauerunt, & nihil piscium ceperunt? quid est, quod psalmus dicit: Vanum est uobis ante lucem surgere, sero cubitum ire, & magno labore uictum parare. Hunc enim dat Dominus dilectis suis per somnum? Ecclesiasticus quoque ait: Et homo laborans & festinans & dolens impius, & tanto magis non abundabit. Huc accedit, quod & Aggæus ait: Seminastis multum, & intulistis parū, & qui merces congregauit, misit eas in sacculum pertusum. Deinde, & si benedictio non constet ex ipso laboris merito, nihilominus tamen laborandum est. Hoc enim uult Christus, cum ad Petrum dicit: Duc in altum, & laxate retia uestra in capturam. Qui iubet piscatores retia sua laxare, eo ipso iubet omnes suæ uocatiōi & suo labori seruire. Vnde Salomon in prouerbiis multis gnomis hortatur nos ad laborem: Egestatem, inquit, operata est manus remissa, manus autem sedulorum diuitias parat. Et iterum: Qui congregat in messe filius sapiens est, qui autem stertit æstate, filius cōfusionis. Ac rursus: Qui operatur terram suam, saciabitur panibus, qui autem sectatur ocium stultissimus est. Et Paulus ad Thessalonicenses scribens: Cum essemus, inquit, apud uos, hoc præcipiebamus uobis, ut si quis nollet operari, is nec ederet. Audimus enim quosdam uersantes inter uos inordinate, nihil operis facientes, sed curiose agentes. His autem qui sunt istiusmodi præcipimus, & obsecramus per Dominum nostrum Iesum Christum, ut cum quiete operantes, suum ipsorum panem edant. Postremo miraculum istud, est cœleste testimonium & diuinum signaculum, q̄ laborum benedictio seu lucrum, non ut impii iudicant, ex nomine diaboli, sed ex nomine & uerbo Domini Dei nostri proueniat.

Labor cuique in sua uocatione mandatus.

ueniat. Ac, ut quicquid iſtud ſit rectius intelligamus, uidendum eſt quid uere dicatur benedictio aut lucrum. In hoc enim negocio, non eſt de lucro iuxta externum ſenſum ac ſpeciem iudicandum. Nam qui rerum diuinarum imperiti ſunt, hoc tantum lucrum uocant, quod oculis uidetur, & manibus palpatur. Si quis, exempli gratia, mercator eſt, tum demum ſe aliquid lucrari putat, cum multam pecuniarum uim ultra ſortē ex mercibus ſuis ab emptoribus extorqueat. Si quis agrum habet, tunc demum benedictionem ſe agro conſequi exiſtimat, cum multas fruges colligit. Aut, ſi quis morbo corporali affligitur, & utitur medicamentis, putat ea tunc ſibi benedici, cum ex ipſis ſanitatem corporalem adipiſcitur. Hæc eſt benedictio, hoc eſt lucrum, quod homines huius ſeculi admirantur, & appetunt. Promptuaria eorum plena, inquit pſalmus, eructantia ex hoc in illud. Oues eorum fœtoſæ, abundantes in egreſsibus ſuis, boues eorum craſſæ. Non eſt ruina maceriæ, neque tranſitus, neque clamor in plateis eorum. Beatum dixerunt populum, cui hæc ſunt. Sed ſpiritus ſanctus longe aliter de benedictione & lucro iudicat. Sentit enim benedictionem & lucrum eſſe, quicquid Deus, ſiue proſperum ſiue aduerſum, homini per fidem in Chriſto renato immittit. Vnde Paulus uincula quoque ſua benedictionem iudicat: Scire uos, inquiens, uolo fratres, quòd quæ mihi acciderunt, magis ad profectum Euangelii euenerunt, ita ut uincula mea manifeſta facta ſint in Chriſto in toto prætorio, ac cæteris omnibus. Et mox aſſeuerat, mortem etiam lucrum ſuum eſſe: Magnificabitur, inquiens, Chriſtus in corpore meo, ſiue per uitam ſiue per mortē. Nam mihi uita Chriſtus eſt, & mors lucrum. Et aliàs: Scimus, ait, quòd his qui diligunt Deum, omnia ſimul adiumento ſunt in bonum. Neceſſe igitur eſt, ꝙ omnia, ſiue iucunda ſiue triſtia, ſiue proſpera ſiue aduerſa, ſint credentibus in Chriſtum benedictio & lucrum. Itaque miraculum, quod hoc loco in captura piſcium æditum eſt, confirmat & teſtificatur, quòd tale lucrum & incrementum, quale modo explicuimus, iis ſemper contingat, qui in nomine ſeu uerbo Domini laborant. Nam quemadmodum per uerbum Domini omnia creata ſunt, ita etiam per uerbum Domini omnia benedicuntur. Si enim uerbum Dei effecit, ut id, quod nihil erat, aliquid eſſet, quanto magis efficit, ut id, quod aliquid eſt, incrementum accipiat & augeatur. Per totam noctem, inquit Petrus, laborantes nihil cepimus. Quamobrem? quia nondum receperat Chriſtum in nauim ſuam, nec habebat uerbum CHRISTI ad laxandum rete. Addit ergo: In uerbo autem tuo laxabo rete. Quid fit? Ecce miraculum. Cum hoc feciſſet, concluſerunt multitudinem piſcium ita copioſam, ut rumperetur rete eorum. Quid autem ad nos hæc admiranda piſcium in uerbo Domini captura? multum per omnem modum. Eſt enim, ut iam diximus, cœleſte teſtimonium, quo comprobatur, quòd qui abſq; Chriſto & uerbo eius laborant, hi nullam benedictionem conſequantur. Qui autem Chriſtum ad ſe recipiant (recipitur autem per fidem in ipſum) & in uerbo eius laborem capeſſant, hi omni genere lucri benedicantur. Eccleſiaſtes, exempli gratia, quiſpiam eſt, qui cum uideat perſecutorum Euangelii potentiam, & pertinacem uulgi impietatem, de profectu Euangelii deſperat, & putat Euāgelion nihil promoturum, etiamſi ipſe centum annos, noctes atque dies laboret, ac de Chriſto concionetur. Quid ergo faciat? num abiiciat rete ſuum, quod eſt officium prædicandi Euangelii, & aufugiat in ſolitudinem quandam? Abſit. Sed recipiat ad ſe IESVM CHRISTVM, hoc eſt, credat, quòd habeat Deum propicium, propter CHRISTVM, & ponat ſibi oboculos uerbum uocationis ſuæ: ite in mundum uniuerſum, & prædicate Euangelion omni creaturæ. Item:

Benedictio ſeu lucrum quid uere ſit.

Benedicuntur omnia uerbo Dei.

Eccleſiaſtæ officium.

Vnuſquiſq; in ea uocatione, in qua uocatus fuit, maneat. Vocatio autem Eccleſiaſtæ eſt, prædicare Euãgelion de Ieſu Chriſto. Si ergo eccleſiaſtes recepto ad ſe Chriſto ita ſentiat: Ego quidem, quod ad meam eruditionem, & populi impietatem attinet, uideo me fruſtra prædicaturum Euangelion, etiamſi noctes atque dies prædicem, tamen quia tu Domine Ieſu Chriſte uocaſti me per legitimas ordinationes ad hoc munus, & iuſſiſti ut Euangelion adnunciem, ecce uerbo & iuſſu tuo laxabo rete miniſterii mei, & prædicabo Euangelion, quoad ſpirauero, quid huic, obſecro, erit? Profecto, quia in uerbo Domini officium ſuum adminiſtrat, fieri non poteſt, quin reti prædicationis ſuæ copioſiſsimam multitudinem hominum cõcludat, & Chriſto Domino ſuo offerat. Alius quiſpiam magiſtratu fungitur, & noctu diuq; hoc unum agit, ut bonis legibus honeſtam politian conſeruet, Sed tanta eſt hominum malitia, ut quanto meliores leges condat, tanto peiores homines fiant, ac reipſa ſentit nec curua, iuxta Salomonem, corrigi, nec defectus numerari poſſe. Quo ergo ſe uertat? Recipiat ad ſe Chriſtum per fidem, & reuocet ſibi ob oculos uerbum diuinæ uocationis, quod eſt: Magiſtratus eſt ordinatio Dei, ac Petrum imitando dicat: Ego quidem multis annis leges condo, & remp. adminiſtro, ſed uideo me fruſtra laboraſſe, tamen, quia tu Domine Deus meus impoſuiſti mihi magiſtratũ, in uerbo & iuſſu tuo capeſſo remp. Profecto qui hoc animo ad remp. accedit, is una lege plus honeſtatis & tranquillitatis à ciuibus ſuis extorquebit, quàm alius quiſpiam ſuæ prudentiæ & potentiæ innitens, ſexcẽtis legibus. Eſt, qui manibus laborat uel agricultura, uel artificio. Is toto anno ſudat, alget, ſitit & eſurit, non tamen poteſt tantum lucri ſibi parare, ut familiam honeſte alat. Quid faciat? num familiam derelinquat, in ignotã quandam regionẽ aufugiens, aut ſubinde aliud atq; aliud artificium inchoet? Nequaquam. Familiam enim ſuam abſq; uocatione Dei derelinquere, impietas eſt, quæ uix inter incredulos inuenitur, & plura artificia inchoare, iuxta prouerbium, eſt pluribus incommodis ſeſe obiicere. Sed recipiat ad ſe Chriſtum, propter quem credat ſe Deum propicium habere, & meminerit uocationis ſuæ, ad quam ab adoleſcentia à parentibus aut tutoribus ſuis, hoc eſt, diuina ordinatione, deſtinatus eſt, ac ita ſentiat: Quod ad meum quidem laborem attinet, uideo me littus arare aut aërem uerberare, ſed quia diuina ordinatione per parentes aut tutores meos ad hoc genus laboris uocatus ſum, & tu Domine Deus meus iuſſiſti parentibus obedire, & in ſudore pane ſuo ueſci, ecce in uerbo & iuſſu tuo arripio aratrum, & appono manus ad inſtrumenta artificii mei, certa fiducia concepta, quòd qui iuſſiſti laborare, daturus quoq; ſis laboris incrementum. Certe, qui ad laborem ſuum ita accedit, is proculdubio audiet: Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in uiis eius. Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit. Aut iuxta alium pſalmum; Iunior fui, & ſenui, & non uidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem. Tota die miſeretur & commodat, & ſemen illius in benedictione erit. Quid plura? Verbum Domini tanta benedictione & incremento plenum eſt, ut ad quemcunq; laborem, ad quodcunq; officium & miniſterium uerbum Domini per fidem afferas, & in uerbo Domini capeſſas, fieri non poſsit, quin, ſicut Petrus ad uerbum Chriſti copioſiſsimam piſcium multitudinem concluſit, ita tu omnem diuinam benedictionem conſequaris. Proinde, hoc unum nobis præ omnibus quærendum eſt, ut Chriſtum ad nos per fidem recipiamus, & poſito nobis uerbo uocationis noſtræ ob oculos, quicquid agendum eſt, in uerbo Dñi agamus. Ad extremum, ſi cui allegoria allubeſcit, poteſt hoc in loco non iniucundã inuenire. Rete enim Petri, quid eſt, niſi miniſteriũ prædicationis Euangelii?

Magiſtratus.

Agricula.

Achzehen handuuerck Neunzehen ungluck.

Omnia in uerbo Domini agenda.

Rete Petri.

Sic enim

Sic enim Christus ait: Simile est regnum cœlorũ uerriculo iacto in mare, & ex omni genere contrahenti. Ac paulo post ad Petrum dicitur: Posthac homines capies. Absente igitur Christo, nec dante incrementum suũ, rete Euangelii nihil plane piscium capit, nec ullos auditores ad salutem attrahit. Postquàm autem Christus hoc organo spiritum suum effundit, tunc tanta hominum multitudo reti Euangelico concluditur, ut rete ipsum rumpatur. Rumpitur autem, cum in ecclesiæ multitudine aliqui in hæreses labuntur, & concordiam Euangelicæ doctrinæ erroribus suis disrumpũt. Sic initio reuelati Euangelii post Pentecosten, rũpebant rete Pharisæi quidam Christiani facti, docentes: Nisi circumcidamini secundum morem Mosi, nõ potestis salui esse, quemadmodum in Actis Apostolicis capite decimo quinto scriptum est. Sic postea cum Euangelion inter gentes magno incremẽto promoueret, eruperunt plus q̃ sexcenta hæreticorum genera, quemadmodum ueterum historiæ testantur. Sic nostro tempore, postq̃ Euangelion iterum diuina clementia nobis reuelatum est, & magnam hominum multitudinem cõclusit, rũpũt rete Sacramentarii, qui negant panem cœnæ dominicæ esse corpus Christi, item Anabaptistæ, & id genus alii sectarii, qui, ut Ioannes ait, è nobis profecti sunt, sed non erãt ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, permansissent utiq; nobiscũ. Quid autem? num salus piscis est, si rumpat rete, & euadat rursus in mare? Certe si rem recte iudices, hic est summus honor piscis, hæc est salus eius, ut fiat esca in mensa hominis sui. Ad hoc enim creatus & diuinitus ordinatus est: Omnes pisces maris inquit Dominus, manui uestræ traditi sunt, & omne quod mouet & uiuit erit uobis in cibum. Piscis ergo qui effugit rete, suum ipsius honorem fugit. Sic qui hæresi sua pertumpit rete Euãgelicum, uidetur quidem libertatẽ, gloriam & salutem habere, propterea quod prætextu uerbi Dei erumpat, sed quia uerbo Dei aduersus uerbum Dei abutitur, sentiendũ est ipsum è reti Euangelico ad tale mare euadere, in quo & corpore & anima periturus sit. Maneamus igitur amicissimi in uerriculo Euangelii, nec perrumpamus illud, ut in cõsumatione seculi ad littus subducti, in uasa perpetuæ salutis & fœlicitatis colligamur per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus laudandus in secula Amen.

Rumpitur rete p hæreses.

HOMILIA XLII.



Magnum est miraculũ, quod Christus in captura piscium uerbo suo ædidit. Sed maius est, quod hoc miraculo in Petro Ioanne & Iacobo operatus est. Sic enim sequitur: Quod cum uideret Simon Petrus, procidit ad genua Iesu, dicens: Exi à me Domine, quia homo peccator sum. Quod autem Petrus dixit, hoc etiam sentiebant socii eius Ioannes & Iacobus. Stupor enim circũdederat eum & omnes qui cum illo erant, in captura piscium, quam ceperãt. Similiter autem Iacobũ & Ioannẽ filios Zebedæi, qui erãt socii Simonis. Quid ergo sibi uult hæc uox Petri: Exi à me Domine, quia homo peccator sum? Nonne rectius dixisset: Veni ad me Domine, quia homo peccator sum? Ait enim Christus: Non ueni ad uocandum iustos sed peccatores ad pœnitentiam. Et Paulus: Certus, inquit, sermo, quòd Iesus Christus uenit in hunc mũdum ut peccatores saluos faceret. Ac si Petro Ioanni & Iacobo tam male est cum Christo, ut ipsum à se repellant, quid est, quòd mox relictis omnibus sequũtur eũ? Quomodo hæc conueniunt? Obsecro uos, amicissimi, ut ea, quæ ad hæc dicturi sumus, attẽtis auribus & animis auscultetis. Sunt enim prophani quidã homines,

quì quicquid de ira & misericordia Dei, de ignibus inferni, & gaudio cœli dicitur, meras nugas, & puerorum terriculamenta esse existimant. Hic autem exemplis Petri & sociorum eius discemus, ira & seueritate DEI nihil grauius, misericordia & clementia DEI nihil iucundius & acceptius, ignibus inferni nihil ardentius, gaudio cœli nihil delectabilius esse. Quare arrigamus aures, ut ex seueritate iræ diuinæ, & uehementia ignis inferni, timorem, ex clementia autem DEI & gaudio cœli, fidem concipiamus, & in mandatis DOMINI ambulemus. Primum autem omnium obseruandum est, quòd quemadmodum facies DOMINI DEI patris nostri, ita & facies IESV CHRISTI filii eius, duos aspectus habere dicatur. Nec mirum. Sunt enim pater & filius eiusdem essentiæ, & filius est expressa imago substantiæ patris. Quanquàm autem hæ uoces facierum & duorum aspectuum prophaniores sint, quàm ut iuxta carnalem nostram imaginationem in diuinam maiestatem competant, tamen quia omnino de hac re nobis, quatenus licet, dicendum est, necesse habemus his uocibus uti, quibus rationem diuinarum rerum, si non ad uiuum explicare, at saltem, quantum nobis satis est, significare queamus. Habet igitur facies CHRISTI, ut diximus, duplicem aspectum. Altero apparet non nisi horrenda maiestate, tremenda omnipotentia, seueriſsima iustitia, & grauissima aduersus impios ira atque indignatione. De hoc CHRISTI aspectu scribit Esaias: Percutiet, inquit, terram uirga oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium. Et iterum: Misit me, ut prædicarem diem ultionis Deo nostro. Altero autem aspectu apparet, non nisi clementissima misericordia, iucundissima omnium peccatorum remissione, perpetua redemptione, salute & fœlicitate. De hoc aspectu CHRISTVS ipse apud Esaiam ita loquitur: Spiritus DOMINI super me, ideo unxit me, ad prædicandum humilibus misit me, ut mederer contritis corde, ut prædicarem captiuis liberationem, clausis apertionem, & annum placabilem DOMINO. Et in Euangelio: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego refocillabo uos. His ita obseruatis, animaduertendum est, quòd ex hoc miraculo capturæ piscium reuelatur Petro & sociis eius præsertim Ioanni & Iacobo filiis Zebedæi, huncIesum esse uerũ Messiam, & filium Dei, ac ducuntur primum in cognitionem aspectus Christi, non totius, sed eius, quo non nisi horrenda maiestate, & grauissima seueritate aduersus impios apparet. Vox enim Petri, qua dicit: Exi à me Domine, quia peccator sum, perspicue significat, Petrum irã Dei aduersus peccata in conscientia sua sentire. Idipsum quoq; Euangelista indicat, cum ait: Circumdederat eos θάμβος, qui est stupor cum maxmo timore coniunctus.

Facies Christi duos aspectus habere dicitur.

Aspectus maiestatis & iræ Christi.

Aspectus clementiæ & misericordiæ Christi.

Hoc enim

Hoc enim uerbo significat, eos & mortem & infernum timuisse. Non timuissent autem, nisi in conscientia horrendam faciem Dei aduersus peccata exporrectam aspexissent. Quin & Christus ipse, cũ mox ad Petrum ait: Ne metuas, haud obscure significat, quòd cum Petrus maximo mortis & inferni metu propter peccata sua correptus sit, agnoscat seueritatem aspectus diuini, & sentiat iram Dei aduersus peccata. Nemo autem est, qui hũc durissimum & grauissimum aspectum Christi sustinere queat. Nam, cum omnes homines sint peccatores, & hic aspectus Christi peccatores iudicet ac cõdemnet, fieri non potest, ut cuiquã hominum, suis uiribus relicto, tolerabilis sit. Vnde in psalmo dicitur: Sicut deficit fumus, & fluit cæra à facie ignis, sic pereunt peccatores à facie Dei. Et iterum: Montes sicut cæra fluũt à facie Domini, à facie Domini omnis terra. Ac rursus: Auerte, inquit Dauid, faciẽ tuam, nimirũ iratam, à peccatis meis. Quamobrem? quia si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Hinc, quòd cum Adam peccasset, & audiret uocem Dei deambulantis in paradiso, fugit & abscondit se à facie Domini. Non eñ potuit propter peccatum suum faciem irati Dei ferre. Hanc faciem Dei agnouit Gideon ex miraculo incẽsæ oblationis, & exclamat. Heu mihi, quia uidi angelum Domini facie ad faciem, quemadmodum in libro Iudicum, capite sexto scriptum est. Hanc faciem Domini uidet Manoah pater Samsonis & ait aduxorem: Morte moriemur, quia uidimus Dominum, de qua re in libro Iudicum capite decimo tertio. Aspicit & hanc faciẽ Dei Esaias capite sexto, & exclamat: Væ mihi, perii, quia uir pollutis labiis ego sum, & in medio populi polluta labia habentis ego habito, & regem Dominum Zebaoth uidi oculis meis. De hac facie ait Dominus ad Mosen: Non poteris uidere faciem meam, non uidebit me homo & uiuet. Cum igitur Petrus, Ioannes & Iacobus hãc faciem Dei in Christo per miraculum capturæ piscium intuerentur, & seueriſsimam iram Dei aduersus peccata agnoscerent, existimant sibi non mortem tantũ, sed omnes Satanas, ac ipsum quoq; infernum & perpetuam damnationem propter peccata sua eo ipso temporis momento imminere. Quem horrendum sensum & aspectum cum sustinere non possint, nec sustinẽt etiam ptæsentiam Christi, sed manibus pedibusq; hoc unum, ut Christum à se expellant, tantisper conantur, dum iucundiori eos facie aspiciat. Vides nunc iram Dei, & ignem inferni res esse minime pueriles ac ludicras, sed maxime omnium serias. Quid enim arbitraris? num quia tu nondum reipsa expertus es seueritatẽ iræ diuinæ, & uehementiam ignis inferni, ideo nugas & puerorum terriculamẽta esse pronũciabis? At multo maior fides autoritati diuinæ scripturæ, & exemplis inscripturæ propositis, in quibus & ira Dei & dolores inferni reuelata sunt, q̃ sensui tuo adhibenda est. Ac nisi credideris, profecto citius quàm uelles, experieris eam ex me seria esse. Sed audiamus nunc, quid de Petro & sociis eius actum sit. Ardent ex aspectu diuinæ iræ flammis inferni. Quid ergo? num in his flammis pereunt? Certe tanta est harum flammarum uehementia & efficatia, ut nisi Christus mox ostendisset Petro & sociis eius propiciam faciem, necesse habuissent continuo morte tam corporali quàm perpetua interire. Dominus autem Deus noster, non misit filium suum in mundum, ut condemnet mundum, sed ut seruetur mũdus per eum. Ac, quemadmodum affligit populum suum, nõ ut perdat eum, sed ut per afflictiones ad salutẽ pducat, ita obiicit electos suos flãmis inferni, nõ ut in his pereant, sed ut per has in gaudiũ cœleste trãsponat. Dñs, inquit canticũ Hannæ, mortificat, & uiuificat deducit ad inferos & reducit. Quare q̃ Christus Petrũ & socios eius, Ioannẽ & Iacobũ, ad inferos deduxit, ob eũ causam fecit, ut ipsos eo altius in cœlũ redu

Aspectũ iræ Christi nemo potest sustinere.

Petrus & socij eius cur Christum à se expellant.

Verbo Euangelij Christus reducit suos ex inferno ad cœlum.

cat,& quos irata facie ad ignes inferni adegerat, eos propicia facie gaudio cœlesti rursus restituat. Quomodo ergo, inquies, Christus ex inferno in cœlum electos suos reducit? aut quomodo reuelat propiciam suam faciem? Profecto hic arrigendæ sunt aures, ut hunc modum obseruantes, nos quoq; ipsum inferni doloribus affecti apprehendamus. Reducit igitur Christus Petrum & socios eius ex inferno in cœ-
„ lum, nullo alio instrumento, quàm uerbo Euangelii. Et ait: Ne metuas. Posthac
„ homines capies. Quod ad Petrum dicit, hoc etiam ad Ioannem & Iacobũ, qui unà cum Petro in ignes inferni coniecti erant, dictũ existimandũ est. Et habet hãc sentẽciam: Quid times, ne in morte, q̃ tibi oboculos posita est, & in inferno, in quẽ deduct9 es, propter peccata tua pereas? Ne timeas, adhuc diu uiues & piscator eris, non quidem piscium, sed hominum. Ac tam certam tibi peccatorum tuorum remissionem polliceor, ut etiam tibi hoc ministerium commendaturus sim, quo alijs hominibus peccata remittuntur. Hoc est ministerium Apostolicum, de quo aliàs ad Petrum dicitur: Dabo tibi claues regni cœlorum, quicquid alligaueris in terra, erit alligatum in cœlis, & quicquid solueris in terra erit solutum in cœlis. Et ad omnes Apostolos: Accipite spiritum sanctum, quorumcunq; remiseritis peccata, remittuntur eis, quorumcunq; retinueritis, retenta erunt. Itaq; si tu Petre aliis hominibus peccata ministerio tuo remissurus es, quanto magis tu ipse habebis remissionem peccatorum. Hoc est Euãgelion, quo Petrus & socii eius Ioannes & Iacobus ex inferno ad cœleste gaudium reducuntur, quo & Christus propiciam suam faciem ita ipsis reuelat, ut non aliter afficiantur, q̃ si ex morte ad uitam emergerent. Et quod in his tribus discipulis hoc Euãgelio cœpit, id paulo post perfectius ipsis ostendit. Assumit enim eos, quemadmodum Euangelistæ testantur, & subducit illos in montem excelsum seorsum, transformatusq; est coram illis, & splenduit facies eius sicut sol. Quo spectaculo tãto gaudio perfusi sunt hi tres discipuli, ut Petrus exclamarit: Domine bonum est nos hic esse, si uis, faciemus hic tria tabernacula. Hoc certe nihil aliud fuit, q̃ gustus cœlestis gaudii, quod per Euangelion ex propicia facie Christi reuelatur. Postq̃ igitur Petrus & socii eius, per Euangelion, ex in-
„ ferni doloribus, ad gaudia cœli reducti sunt, quid fit? Subductis, inquit Lucas,
„ ad terram nauibus, relictis omnibus, secuti sunt eum. Et quod hic scribitur, aliàs Petrus Christũ cõmonefacit: Ecce nos, inquiens, reliquimus omnia, & secuti sumus te. Quid uero hoc tanti est, relinquere lacerum rete, & fathiscentem nauim? Si reliquissent propter Christum, regnum aliquod aut principatum, id demũ sermone dignum esset. Nunc autem relinquũt tantum saccum, ut ita dicam, mendicatis, quid ergo magni est, quod scripura ait: Relictis omnibus secuti sunt eum? Vt respondeam, animaduertendum est, in hoc negocio non esse iudicandum de bonis ab Apostolis relictis, iuxta externam bonorum speciem & æstimatiõem, neque iuxta collationem retis aut nauis cum regno, sed iuxta conditionem eorũ, qui hæc bona relinquũt. Probe nouimus, lacerum rete nulla ratiõe posse cum regno aut opibus Crasi cuiusdam comparari, sed si conditiones hominum interse cõferas, profecto, quod est regnũ regi, & quod sunt diuitiæ Crasso, hoc sunt piscatori nauis & rete. Illi è suis regnis, & diuitiis habent, ut genus uitæ suæ ducant, habent & hi quoq; è naui & reti, ut suum uitæ genus conseruent. Proinde, cum relictis nauibus & retibus suis secuti sunt Iesum, non minus obedientiæ opus fecerunt, quàm si reges fuissent, & relictis regnis suis, IESVM secuti essent. Et si recte iudicare uolueris, plus reliquerunt Apostoli, quàm si reges regna sua reliquissent. Etenim

Relinquere omnia propter Christum quid sit.

quemadmodum CHRISTVS de uidua paupercula dicit, quòd cum misisset duo minu

duo minuta in gazophylacium, plus miserit, quàm omnes diuites. Hi enim ex eo, quod ipsis supererat, miserunt. Vidua autem è penuria sua, omnia quæcunq; habebat, misit totá substantiam suam: ita etsi rex quispiam regnum relinquat, habet tamen amicos, apud quos multó splendidius uiuit, & honoratius tractatur, q̃ priuatus quispiam ciuis aut agricola, quãtumuis opulentus. Apostoli autem relinquẽdo rete & nauim, & sequendo Christum, omnes suas opes, & omnem substantiam reliquerunt, & quos habebant amicos, hi, q̃ eodem paupertátis onere premebantur, nihil opis ipsis conferre poterant. Vnde ergo, obsecro, fit tanta in his tribus piscatoribus mutatio animi, ut quem paulo ante in naui ferre nequiuerant, ac reiecerãt, nunc ità complectantur, ut relictis omnibus sequantur ipsum? Profecto non aliunde fit, q̃ ex Euangelio, ad Petrum dicto: Ne metuas, posthac homines capies, uel, ut est apud Matthæum, faciam uos piscatores hominum. Nam in quauis Euangelii promissione, tam diuina & tam cœlestia bona comprehenduntur & proponũtur, ut qui uel minimam eorum partem fide perspexerit & gustauerit, non possit se cõtinere, quin Christo totum se subiiciat, & adhæreat. Simile, inquit Dominus, est regnum cœlorum thesauro absconso in agro, quem repertum homo abscondit, & præ gaudio, quod habet super eo, abit, & omnia quæcunque habet uendit, ac mercatur agrum illum. Ager hoc loco Euangelion Christi significat, quod etsi paucis, simplicibus, & incultis uerbis proponitur, tamen tantus in eo latet cœlestium bonorum thesaurus, ut qui hunc repererit (id quod fit per fidem) citius omnia sua relinquat, q̃ ut iussa Christi, qui Euangelion adnunciauit, non capessat. Et rursus: Simile, inquit, est regnũ cœlorum homini negociatori, quærenti pulchras margaritas, qui cum inuenerit preciosam margaritam, abiens uẽdidit omnia quæ possidebat, & mercatus est illam. Hæc preciosa margarita nihil aliud est, q̃ cœleste gaudium, & perpetua fœlicitas, quæ in concha Euãgelii inclusa iacet. Qui hãc margaritam in Euangelio per fidẽ scrutatus fuerit, is certe mauult omnia abiicere, q̃ Euãgelion derelinquere. Vide saltẽ mihi patriarchã Abraamũ. Huic mandat à Deo ut egrediatur de terra sua & de domo patris sui. Si affectũ patriæ amantẽ cõsideres, nihil potuit Abraamo durius mandari. Sed addit Euangelion. Faciã te, inquit Dominus, in gentẽ magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuũ, eriscq; benedictus. Benedicam benedicẽtibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi, atq; in te benedicentur uniuersæ cognationes terræ. Hoc Euangelion ager fuit, in quo ingens thesaurus absconditus latebat, & concha fuit, in qua preciosissima margarita latebat. Cum igitur Abraam huius thesauri & margaritæ per fidem conscius fieret, tanta consequendi ea desiderio correptus est, ut maluerit non solum patriã, uerũetiam uitã derelinquere, q̃ uocationi Dei non seruire. Sic & hi tres piscatores tantum bonorum thesaurum, tantas diuitias, tamq; admirandam fœlicitatem in hoc Euangelio: Faciam uos piscatores hominum, per fidem gustarunt, ut iam tũ sibi uidebantur non in terra sed in ipso cœlo habitare. Nihil ergo sibi impedimento esse sinunt, quo minus Christum sectentur. Memorabile exemplum, quo primum discamus, quod sicut ira Dei res est ualde seria, quemadmodum supra indicauimus, ita etiam clementia Dei, & gaudium cœleste maxime omnium uera & seria sint. Deinde ut hoc exemplo admoneamur, quo diligentissima fide Euangelion Christi intueamur, ut reperta in eo ueræ fœlicitatis margarita, uocationẽ Domini nostri Iesu Christi obedienter sectemur. Quid ergo, inquies? num ad exemplum Apostolorum nobis omnia relinquenda sunt, ut Christum sequamur? Et siquidẽ quispiam piscator est, relinquere ne debet retia & nauim? Si agricola est,

Promissionũ Euangelij uis

relinquet ne aratrum & boues? Si faber lignarius est, abiiciet ne securim & sertam, & abeat, nescio quò, sectaturus Christum? In hac re obseruãdum est, q̃ exempla sanctorum proponuntur nobis, nõ ut uocationes eorum absq; uerbo Dei sectemur, sed ut obedientiam ipsorum nobis in exemplum sumamus, nimirum, ut quẽ admodum sancti in sua uocatiõe summam obedientiam uerbo Dei exhibuerunt, ita & nos in nostra uocatione uerbo Domini obsequamur. Nam uerbum Dei est lucerna pedibus nostris. Sicut ergo sancti uerbũ diuinæ suæ uocationis sectati sunt, ita debemus & nos uerbum nostræ uocationis sectari. Si enim quis imitatur opera sanctorum sine uerbo Dei, non obsequium Dei, sed superstitio, & si accesserit opinio satisfaciendi his operibus pro peccatis, impietas est. Vnde quòd Abraam uoluerit filium suum Isaac ad uocationem uerbi Dei immolare, obedientia Dei fuit. Eandem obedientiam & nos præstare deberemus, si idem nobis uerbo Domini mandaretur. Sed quia nos aliò uocamur, & iubemur neminem occidere, ideo non opus sed obedientia Abraæ imitanda est, ut quam obedientiam Abraã Deo in sua uocatione præstitit, eandem & nos Deo in nostra uocatione præstemus. Sic uocatio horum trium piscatorum, Petri, Ioannis & Iacobi, fuit, ut relictis retibus Christum sequerentur, & munere Apostolico fungerentur. Igitur, quod obsequium hi exhibuerunt uerbo suæ uocationis, idem & nos exhibeamus uerbo nostræ uocationis. Et siquidem quispiã diuina ordinatione uocatus est ad rete & nauim, aut ad aratrum, aut ad securim, aut ad malleum, tractet ea summa fide. Si autem diuina otdinatione ab his ad aliud genus uitæ auocatur, quam obediẽtiam uidet in tribus his piscatorbus, eam in sua quoq; uocatione imitetur. Nũquid uult Dominus, inquit Samuel, holocausta & uictimas, & non potius ut obediatur uoci Domini? Melior est enim obedientia (uidelicet, quæ exhibetur uerbo Dei) q̃ uictimæ, & auscultare magis q̃ offerre adipem arietum. Et per Ieremiam: Non præcepi, inquit Dominus, eis in die qua eduxi eos de terra Aegypti, de uerbo holocautomatum & uictimarum, sed hoc uerbum præcepi eis dicens: Audite uocem meam, & ero uobis Deus, & uos eritis mihi populus, & ambulate in omni uia quam mandaui uobis, ut bene sit uobis. His uerbis monẽt nos Samuel & Ieremias, ut in instituenda uita nostra proponamus nobis ob oculos, non personales sanctorum uocationes, aut opera personis tantum ipsorum mandata, sed uerbum & uocationem Dei nobis ipsis cõmendatam. Sic enim fier, ut quemadmodũ sancti in suis uocationibus, ita & nos in nostris uocationibus ad accipiendam hæreditatem cœlestis regni proficiscamur in Christo Iesu Domino nostro, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus laudandus in secula Amen.

Sanctorũ exẽpla cur nobis proponantur

HOMILIA XLIII.



EQuitur aliud miraculũ, quo ceu sigillo cœlesti Christus Euangelion suũ confirmauit. Factum enim est, cum esset in una ciuitatum, & ecce uir plenus lepra. Et uidens Iesum, & procidens in faciem, rogauit eum dicens: Domine, si uis, potes me mũdare. Et extendens manum tetigit eum, dicens: Volo, mundus esto. Et confestim lepra discessit ab illo. In hoc negocio, primum omnium considerãda est nobis oratio leprosi. Domine, inquit, si uis, potes me mundare. Paucissima uerba, sed maxime efficacia. Hac eñ oratione inuitatus Christus, facit continuo leprosum uoti sui compotem, & uerbo fugauit ab ipso lepram, quã toto corpore infectus erat. Quid ergo adeo magni & præcla

Leprosi oratio breuis sed efficax.

præclarii in hac oratione ineſt, quo Chriſtus tam cito perſuadeꝫ, ut mox leproſum à ſordibus ſuis mundet? Num uerba ipſa tã elegantia ſunt, ut uiribus eloquẽtiæ ad hoc miraculũ ædendũ perpellãt? Sed quid in tribus aut quatuor uerbis multũ eloquẽtiæ requireres? Et ſi ualde eloquẽs & multiloqua eſſet oratio, Chriſtus tamẽ nõ obſeruat externũ orationis nitorẽ, aut multiloquiũ, ſed requirit in oratione fidẽ. Hæc enĩ eſt eloquentia, hic eſt ornatus orationis, quo Chriſtus ita perſuadeꝫ, ut nõ poſsit nõ uelle uoto precãtis ſatisfacere. Ad Centurionẽ pro famulo ſuo precantẽ ait: Quemadmodũ credis, ita fiat tibi. Ad cæcos orantes pro reſtitutiõe uiſus ait: Creditis me hoc poſſe facere? Et mox: Iuxta fidẽ ueſtrã fiat uobis. Patri pro filio rogãti & dicenti: Age ſi quid potes, ſubueni nobis, miſertus noſtri, ait: Illud ſi potes credere. Omnia poſsibilia credẽti. Cum igiẽ leproſus, de quo nũc nobis ſermo eſt, pauciſsima oratiõe, maximũ beneficiũ à Chriſto impetrauerit, neceſſe eſt, quòd in hac oratione tanto maiorẽ habuerit fidẽ in corde, quanto pauciora uerba ore protulit. Porro aũt nullum eſt artificiũ, quod nobis utilius ac magis neceſſariũ eſt, q̃ ut ſciamus recte Deum orare. Nam cũ Deus iraſcitur, neceſſe habemus iram Dei oratione auertere, cũ affligit nos Deus, auertendæ ſunt afflictiones oratione, cum in periculis cõprehendimur, ad orationẽ uelut ad ſacrã ancoram confugiendũ eſt, cum quid rerum neceſſariarũ indigemus, oratione à Deo impetrandũ eſt. Breuiter, ſola oratio eſt, quæ animũ Dei ita expugnat, ut recte oranti nihil deneget. Inuoca me, inquit Dñs, in die tribulatiõis, & eruã te, & honorificabis me. Et iterũ: Omnis qui inuocauerit nomẽ Dñi, ſaluus erit. Hoc etgo loco proponiẽ nobis leproſus, ut ab ipſo, tanq̃ præceptore noſtro, recte orare diſcamus. Orabimus aũt recte, ſi ad exemplũ huius leproſi, paucis quidẽ uerbis, magna aũt fide oremus. Quã, inquies, fidẽ habere, & quid in oratione credere debemus? Neceſſe eſt, ut credamus, primũ quidẽ q̃ Deus poſsit nos iuuare & ſeruare. Deinde, q̃ uelit nos iuuare & ſeruare. Nam, ut in afflictionibus à Deo ſeruemur, & uoti noſtri cõpotes efficiamur, neceſſe eſt Deũ talem eſſe, qui & potens & uolens ſit ad adiuuandos nos. Neq; enĩ potentia Dei ſine uoluntate eius, neq; uoluntas eius ſine potentia quicq̃ auxilii nobis afferret. Si Deus poſſet nos ſeruare, & nõ uellet, quid nobis cõmodi accederet? Rurſus: Si uellet, & non poſſet, quid utilitatis hinc cõſequeremur? Oportet igitur nobis talẽ Deum eſſe, qui ſimul & poſsit & uelit nos ſeruare. Porro aũt, Dñm Deũ noſtr̃ ſatis potentẽ eſſe ad ſeruandũ nos, docemur è prima fidei noſtræ parte, qua cõfitentes dicimus: Credo in Deum, patrẽ, omnipotentẽ, creatorẽ cœli & terræ. Atq; hic fidei articulus, nõ ſolũ multis autoritatibus ſacræ ſcripturæ, uerumetiã magnis & ſtupendis miraculis cõfirmatus & obſignatus eſt. Itaq; Dñs Deus noſter ſatis potẽs eſt, ut nos in omnibus periculis ſeruet. Quod autẽ uelit etiã nos ſeruare, docemur è ſecũda fidei noſtræ parte, qua cõfitemur, dicentes: Credo in Ieſum Chriſtũ filium eius unicũ Dñm noſtrum. Nam Dominus Deus noſter miſit hunc Ieſum Chriſtũ filium ſuũ in mundum, ut per ipſum nobis propicius reddatur, & declaret ſe non niſi animum paternum, & uoluntatem ſeruandi in omnibus aduerſis, erga nos gerere. Sic enim Deus, inquit Chriſtus apud Ioannem, dilexit mundũ, ut filium ſuum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat uitam æternam. Non enim miſit Deus filium ſuum in mundum, ut condemnet mundum, ſed ut ſeruetur mundus per eum. Itaq; reuelatum eſt nobis per Chriſtum Ieſum, q̃ Deus uelit nos in omnibus noſtris afflictionibus ſeruare. Orantes igitur, & Dominum noſtrum inuocantes neceſſe habemus credere, quòd Deus & poſsit & uelit nos ſeruare. Ex qua fide, ſi orauerimus, profecto ſtatim in nobis implebitur illud Eſaiæ: Erit antequam

Fidem requirit Chriſtus in oratione.

Oratione omnia impetramus à Deo.

Orandum recte quomodo?

Fides quæ requiratur in oratione,

Deus & poteſt & uult nos iuuare,

clament, & ego exaudiam, adhuc illis loquentibus, ego audiam. Et illud Christi. Quæcunq; orantes petitis, credite q̃ accipitis, & erunt uobis. Si ergo, inquies, requiritur, ut in oratione credamus non solum q̃ Deus possit, sed etiam uelit nos seruare, quid est, quod leprosus dicit: Si uis, potes me mundare: Hæc enim ita dicuntur, perinde ac si de uolũtate Christi dubitaret. Ac ne forte tibi hoc insolens uideatur, etiam ipse Christus apud Lucam, in mõte Oliueti sic orat dicens: Pater, si uis, transfer poculum hoc à me. Si uis, inquit, quasi de uoluntate Dei ambigeret. Dubitatio autem ab oratione longe abesse debet. Quid igitur dicemus? Aliud est generalem salutem à Deo petere, aliud specialem salutem petere. Generalem uoco, eam quam Deus promisit omnibus in ipsum per Iesum Christum credentibus, siue in uita siue in morte, siue in corporis, siue in animæ periculis. Hac salute seruauit Deus Abelẽ etiamsi nõ liberabat ipsum à gladio fratris sui, & à morte corporali. Hac salute seruauit omnes prophetas ab impiis occisos, quanq̃ sinebat impios gladium in capita prophetarũ stringere. Hac salute seruat oẽs pios, in paupertate, in morbis, in ipsa denique morte, quanq̃ non auferat ab ipsis paupertatẽ & morbos, nec cõseruet eos ab externa morte. De hac salute scribit Paulus: His, inquiens, qui diligũt Deũ, omnia simul adiumento sunt in bonũ. Et iterũ: Mihi uita, Christus est, & mors lucrũ. In huius igitur generalis salutis petitiõe, haud quaq̃ licet, nec de potentia, nec de uoluntate Dei dubitare. Est enim Deus noster non minus misericors, ac uoluntarius ad seruandum, q̃ omnipotens, qui cum proprio filio suo non pepercerit, sed pro nobis omnibus tradiderit illũ, qui fieri potest, ut non & cum eodem nobis omnia donet, siue sani simus, siue morbis affecti, siue uiuamus siue moriamur? Specialem autem salutem uoco, quam Deus speciali quodã modo afflictis præstat, ut cum seruat febricitantẽ, non tantum, ut non perpetuo damnetur, sed etiam ut ab externa febri liberetur, aut cum seruat in periculo mortis comprehensum, non solũ, ut non in æternum moriatur, uerumetiam, ut in eo periculo corporalem mortem effugiat. Hac salute liberauit Dominus Iosephum è carcere, non tantum, ut carcer nihil incommodi ad salutem animæ afferret, sed etiam, ut ex ipso externo carcere educeretur, & ad principatum eueheretur. Hac salute liberauit Naamanum Syrum à lepra, uidelicet, ut non tantum lepra nihil perpetuæ saluti Naamani noceret, uerũ etiam ut corpore sanus & mundus fieret. Et quis omnia mirabilia Dei siue occulta siue manifesta enumerare posset? In huius igitur salutis petitione, nimirũ, cum quis maximis febriũ æstibus ardet, orat Dñm, ut ab ipsa externa febri liberet, aut cũ quis in periculo mortis cõprehenditur, precatur Dñm, ut ab ipsa externa morte cõseruetur, in huius, inquã, specialis salutis petitione, necessariũ est, primũ, ut credamus, q̃ Deus possit nos seruare. Deinde aũt, si habemus uerbũ Dei, quo Deus promisit, se nos eo modo, quẽ nos præscribimus, seruaturũ, omnino quoq; credendũ est, q̃ uelit nos eo modo, quo petimus, seruare. Si aũt non habeamus tale uerbũ, licebit quidem, ut Deo modum & rationẽ, qua petimus adiuuari, proponamus, sed ne tentemus Deum, necessariũ est, ut uoluntatẽ nostrã diuinæ uoluntati resignemus & subiiciamus. Vnde, cum leprosus, de quo nobis nunc sermo est, non generalem tantum salutem, sed etiam specialem peteret, uidelicet, ut ab ipsa externa lepra liberaretur, & nõ plene intelligeret, nũ ea liberatio ad gloriã Dei, & suã ipsius utilitatẽ cessura esset, subiicit magna fidei prudẽtia uoluntatẽ suã uolũtati Christi, dicẽs: Si uis, potes me mũdare. De potẽtia tua nihil diffido, sentio te uerũ Messiã, omnipotentẽ filiũ Dei: Nec de ea uolũtate dubito, qua uis oẽs in te credẽtes perpetuo saluos facere, sed quia

Generalis salus quid, & quomodo petenda à Deo.

Specialis salus quid sit et quomodo petenda à Deo.

Voluntati diuinæ nostra uoluntas subijcienda.

sed quia ignoro, num hæc externa liberatio, quam peto, nomini tuo hoc tempore gloriosa, & mihi salutifera sit, non quod ego, sed quod tu uis, fiat. Sic & Christus orat: Pater, si uis, transfer poculum hoc à me. Veruntamen non mea uoluntas, sed tua fiat. Sic docuit & nos orare: Fiat uoluntas tua, quēadmodum in cœlo, sic & in terra. Quæ cum ita se habeant, audiamus quid leprosus oratione sua tam fideli cōse cutus sit. Extēdens (inquit Lucas) Iesus manū tetigit eum, dicens: Volo, mundus esto. Et cōfestim lepra discessit ab illo. Ingens miraculū, quod non tantū propter leprosum, sed etiam propter nos æditū est. Primū enim Christus declarauit nobis hoc miraculo maiestatē suam. Fugauit leprā, & sanauit leprosum Verbo. Quid ergo aliud est Christus, q̄ omnipotens uerbū Dei, quo omnia creata sunt? Deinde cōfirmauit hoc miraculo ueritatē Euangelii sui, q̄ missus sit in hunc mundū ad placandū Deum, & seruandos homines. Vnde hoc uerbū, quod dicit: Volo, non temere ipsi excidit, nec oscitāter à nobis obseruandū, sed tanq̄ precios̄issimum margaritū diligentissime custodiendū est. Hac enim uoce aperit Christus latebras cordis sui, & recludit nobis recessus animi sui, ut per eam certissime cōspiciamus, ac manibus quodāmodo palpemus, q̄ nihil aliud cupidius & ardentius uelit ac desideret, q̄ ut nos in nostris afflictionibus seruet, atq; adeo multo promptior & alacrior sit ad cōferendā nobis salutē, q̄ nos ad petendā. Quanq̄ em̄ ad unum leprosum dictum sit: Volo, in uno tamē declarauit, quo sit animo erga omnes in ipsum cōfidentes, & nomen eius in fide inuocantes. Id quod aliàs haud obscuris uerbis significat, dicens: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego refocillabo uos. Et iterum: Hæc est uoluntas eius qui misit me, ut omnis qui uidet filium & credit in eum, habeat uitam æternam, & ego suscitabo eum in nouissimo die. Sed admirabitur quispiam, quid sibi illud uelit, quod sequitur. Et ipse præcepit illi, ut nemini diceret. Sed uade (inquit) ostende te sacerdoti, & offer pro emundatione tua, sicut præcepit Moses, in testimonium illis: Marcus affectum, quo Christus leprosum tacere iussit & à se ablegauit, manifestius explicat, ὁ ἐμβριμησάμενος, inquit, αὐτῷ, hoc est, seueriter & acriter obiurgauit eum, & eiecit ipsum à se, ad sacerdotem. Quid ergo est, q̄ Christus leprosum à se, obiurgando & interminando repulerit, ac tacere iusserit? num miracula Dei non sunt prædicanda? Redi, inquit aliàs, in domum tuam, & narra quæcunq; tibi fecerit Deus. Hoc autem admirabilius est, q̄ mittat leprosum ad sacerdotem. An nescit sacerdotes esse impostores, & cæcos, quos aliàs cauere iussit? Principio, sunt qui sentiant, Christum ideo præcipisse leproso, ne cui hoc miraculum proferret, ne uideatur esse ambiciosus, & auram popularem captare. Hinc occasionem sumunt declamandi in ambitionem. Atq; id quidem, mea sentēcia, non ociose faciunt. Prædica, inquit Paulus, sermonem, insta opportune, importune. Sed hoc loco uidetur Christus aliò, q̄ ad uitandam ambitionis suspicionem respicere. Deinde, q̄ releget leprosum ad sacerdotem, quidam ineptissime ad confirmandam confessionem auricularem detorquent. Accscimus quidem, peccata nostra Deo sine intermissione confitenda, ministros ecclesiæ in angustiis & afflictionibus cōscientiæ cōsulendos, & uerbū Euāgelii seu absolutionē ex ipsis audiendā esse, quēadmodū sæpenumero demonstratū est, sed q̄ ex hoc loco arguiē, confessionē illā auricularē diuino iure institutā esse, nullā plane ueri speciē habet. Christus em̄ non mittit leprosum ad sacerdotem, ut cōfiteatur ei peccata sua, quādo eiuscemodi cōfessio, quæ constat enumeratiōe oīm peccatorū secūdum omnes circūstantias, filias & neptes suas corā sacerdote, non solū in lege, uerumetiā in ecclesia recens ab Apostolis plātata, prorsus ignota fuerit. Quid ergo sibi uult, q̄

Christus uerbum Dei omnipotens.

Animus & uolūtas Chrī sti erga omnes homines.

Leprosus curatus iubeatur à Christo, & ad sacerdotem relegetur.

Confessio auricularis.

Christus grauiter interminatur leproso, ne cui miraculum proferat, & reiicit eum à se ad sacerdotem magna ira & indignatione, quemadmodum Marcus indicat. Si perscrutemur statum eius temporis, quo Christus Euangelion prædicauit, inuenimus duas præcipue causas, quarum alteram maxime uerisimile est Christum hoc loco ad iram & indignationem concitasse, & eo perpulisse, ut leprosum ad sacerdotem mitteret. Primum enim, impii calumniabantur miracula eius, q̃ non uere sanaret homines, sed spectatoribus nebulas quasdã ob oculos offunderet, ut existimarent homines sanatos, qui tamen reuera non essent sanati. Porro autẽ, quod apud nos in diiudicanda lepra corporis sunt medici & chirurgici, hoc in politia Israelitica erant sacerdotes. Hi enim erant diuina lege ordinati in iudices lepræ, ut quem iuxta legem iudicassent leprosum, is ab omnibus leprosus haberetur, & à cõtubernio reliquorum hominum separaretur. Quem autem iudicassent à lepra mũdum, is ab omnibus quoq; mundus censeretur, & in consortia ciuilia admitteret. In Leuitico capite decimo tertio ita scribitur: Homo cui in cute carnis suæ fuerit pustula uel scabies uel candor, quasi plaga lepræ in carne eius futura sit, adducetur ad Aaron sacerdotem, uel ad unum quemlibet filiorum eius sacerdotum. Qui cum uiderit plagam in cute, & pilos in plaga album mutatos colorem, ipsamq; speciem plagæ humiliorem cute carnis reliqua, plaga lepræ est, & sacerdos eum uidens, immundum iudicabit. Et capite decimo quarto: Hæc est lex leprosi, quando mũdandus est, adducetur ad sacerdotem. Ex his, & alus, quæ illic scripta sunt, habes sacerdotes fuisse in lege ordinatos in publicos iudices lepræ. Cum igitur Christus mundasset uerbo suo hunc leprosum, & reuocaret in memoriam, quòd impii calumniarentur sanationes suas, uehementer indignatur aduersus malicioſas hominum calumnias, & ea indignatione mittit leprosum ad sacerdotem, iudicem lepræ. Vide inquiens, ne cui dixeris: Nolo palàm effutias, & diuulges, te à me sanatum, priusquam publico & ordinario sacerdotis iudicio mundus declaratus fueris. Abi igit mox ad sacerdotem, & offer ea, quæ iuxta legem leprosi mundãdi offerri debẽt, ut ordinario iudicio, & legalibus cærimoniis uere mundus esse declareris. Quod si factum fuerit, nihil prorsus amplius habebunt impii, quod in mea sanatione calumniari queant. Si dixerint, me non uere à lepra sanate, reclamabit publicum sacerdotis iudicium. Si reprehenderint iudicium sacerdotis, in suam ipsorum legem impii erunt. Nam, q̃ Christus in sanationibus suis calumnias diligenter cauerit, ex aliis etiam locis manifestum est. Cum enim paralyticum nudato tecto ad se demissum sanaret, non tantũ dixit: Surge & ambula, sed ut nullus calumniæ locus relinquerẽtur, a omnibus manifestum fieret, ipsum uere sanatum, addidit etiam: Tolle grabbarum tuum, & abi in domum tuam. Adhæc, cum resuscitasset mortuam puellam archisynagogi, quo palàm fieret, ipsam uere uiuere, iussit ut daretur illi, quod ederet. Quare eodem quoq; consilio misit leprosum ad sacerdotem, ut eo per ordinarium iudicem mundo declarato, non haberent impii, quod in hoc miraculo calumniarentur. Quo exemplo admonemur, ut quanquam, iuxta prouerbium, non sit remedium aduersus morsum sycophantæ, tamen quantum in nobis est, summam operam dare debeamus, ne calumniis occasionem præbeamus. Deinde, quid si Christus hac leprosi ablegatione ad sacerdotem respiceret potius ad conseruandã publicarum & ciuilium ordinationum autoritatem, q̃ ad cauendas calumnias? Nam quemadmodum hoc tempore, quo Euangelion Iesu Christi diuina clementia reuelatum est, multi sunt, qui usurpant sibi libertatem Euangelii in licẽtiam carnis, quia ex uerbo Domini reprehendũtur impiæ superstitiones missæ, ieiuniorũ, peregrinationũ,

Sacerdotes iudices lepræ.

Calumnias cauit Christus diligẽter in sanationibus.

Calumnijs nõ præbeamus occasionem.

Ordinationũ ciuilium autoritatem Christus uult conseruari.

peregrinationũ, ordinum monasticorũ, & aliarum id genus rerũ, existimant sibi licere, quidquid libet, nihil orant, cõtemnunt conciones sacras, negligunt cœnam Dñi, appellant quosuis, etiã maiores & magistratus suos, fratres, nulli ciuilẽ honorem exhibent, nihil soluũt, quod debent. Si debitũ ab ipsis exigitur, cõtinuo exclamant: Hoccine est Euangelicũ, debitũ repetere? Atq; adeo quia iubentur ex uerbo Dñi superstitiones & impietates abiicere, ipsi omnem etiã ciuilem honestatẽ abiiciunt. Sic Euangelici sunt. Ita ex multis argumẽtis apparet, q̃ eo tẽpore, quo Christus inter Iudæos Euangelion prædicauit, magna pars auditorũ, præsertim eorum qui curiositati operã dabant, magis licentiã carnis q̃ pietatem spiritus sectati sint. Atq; alius quidem detrectabat prætextu libertatis soluere tributũ Cæsari, alius prætextu fraternæ charitatis non reddebat mutuũ, alius prætextu auariciæ sacrificulorum nõ soluebat sacerdotibus, quod debebat. Breuiter, maxima eorum pars, qui Christo adhærebãt, existimabant sibi impune licere, tam ciuiles q̃ ecclesiasticas ordinationes contẽnere & uiolare. Tales.n. multos extitisse, ipsa accusatio indicat, qua põtifices Christum corã Pilato accusauerunt, dicentes: Hunc deprehẽdimus euertentẽ gentem, ac uetantẽ tributa dare Cæsari, dicentem se Christũ regem esse. Ac mox: Commouet populũ, docens per uniuersam Iudæã, exorsus à Galilæa usq; ad hunc locũ. Scimus quidẽ has accusatiões falsas esse, sed tamẽ argumento sunt, multos fuisse inter auditores Christi, qui sua licẽtia his accusatiõibus occasionẽ præbuerint, & eas uerisimiles reddiderint. Cum igitur Christus leprosum mũdasset, & meminisset multos, prætextu sanitatis ab ipso mirabiliter cõsecutæ, contẽnere ciuiles ordinatiões, & politicã legis Mosaicæ, sub qua uiuebant, disciplinã, magna indignatione aduersus importunã & ineptã eorum hoim morositatem corripit, & ex ea indignatione iubet leprosum mox adire sacerdotẽ, & obseruare eas ordinationes, quas lex leproso obseruãdas præscribit. Lex aũt in Leuitico capite decimo quarto iubet leprosum mundandũ ad sacerdotẽ accedere, & duas uiuas acmũdas aues, cũ ligno cedrino, cocco bis tincto, & hysopo afferre, ut una ex auibus mactet, alia aũt sanguine alterius tincta libera dimittat. Deinde iubet die octauo assumere duos agnos immaculatos, & ouem anniculã absq; macula, & tres decimas similæ, ac sextarium olei. Aut si pauper est leprosus, iubet eum unũ agnum & duos turtures, siue duos pullos columbæ afferre, ut hæc iuxta cærimonias in lege præscriptas sacrificẽtur, & leprosus publicũ habeat testimoniũ, se à lepra mũdatum, & contubernio hominum restitutũ esse. Cum igitur Christus mittit leprosum ad sacerdotem, uult ut has cærimonias, & has publicas legis ordinationes obseruet, præcipiẽs ei, ne cui diceret, sed uade, inquiẽs, ostende teipsum sacerdoti, & offer pro emundatiõe tui, quemadmodũ præcepit Mose, in testimoniũ illis. Quod hanc habet sententiã. Noli prætextu sanitatis mirabiliter cõsecutæ, in contuberniũ hoim te immisceas, & hoc miraculũ diuulges, priusquã ordinario iudicio mũdus declaratus, & ad ciuilia cõsortia admissus fueris. Es eñ antea pnblica legis autoritate & cognitiõe leprosus iudicatus, & ex hoim cõtubernio abiectus. Quanq̃ igitur sanitatẽ nunc admirabiliter cõsecutus sis, nolo tũ, ut hoc prætextu publicas ordinatiões contẽnas, sed præcipio, ut quẽadmodum publica autoritate ad leprosorũ numerũ separatus es, ita eadem autoritate ad numerũ & consortium sanorũ hominum recenseari, ac offeras, quod lex offerre iubet leprosos, ut habeant publicum & ordinarium testimonium, se uere sanitati restitutos, & ad ciuilia hominum contubernia admissos esse. Hoc igitur mandato, quod Christus dedit leproso, docet omnes in ipsum credentes, ut prætextu Euangelii publicas & ciuiles ordinationes haud quaq̃ contemnant,

Licentia hominũ tempore Christi.

Leprosi lex.

ſed eam politiam, in qua uiuunt, diligentiſsime obſeruent, ac unicuiq; quod debent, fideliter exoluant. Date, inquit Chriſtus, Cæſari, quæ ſunt Cæſaris, & Deo, quæ ſunt Dei. Apud Matthæum quoq; capite ſeptimo, poſtulatus didrachma, aut tributum, iubet Petrum pro ſe & ipſo ſtaterem ſoluere, ne, inquiens, offendiculo ſimus illis. Et Paulus: Reddite, ait, omnibus, quod debetur, cui tributum, tributum, cui uectigal, uectigal, cui timorem, timorem, cui honorem honorem. Nemini quicquam debeatis, niſi hoc ut inuicem diligatis. Habes igitur Euangelion, & requirere & præcipere, ut ciuiles leges obſerues, publicam honeſtatem ſecteris, & unicuiq; ſuum debitum reddas. Sed quid, obſecro, ſibi uolunt ridiculæ illæ, ut extrinſecus apparent, cærimoniæ, quibus leproſus apud Moſen mundatur? Offerantur duæ aues uiuæ, quarum altera mactatur in uaſe fictili ad aquas uiuas, altera tingitur in ſanguine mactatæ, & aſperſo cum ipſa leproſo ſpecies, libera dimittitur, ut auolet. Deinde lauat mundandus ueſtimenta ſua, & radit omnes capillos corporis, ac lauatur. Poſtremo, octauo die aſſumuntur duo agni immaculati, & ouis annicula, quæ offeruntur partim pro delicto, partim pro peccato, partim in holocauſtum. Accedũt præterea multæ aliæ cærimoniæ, quibus mundandus à ſacerdote tractatur, ſed non eſt huius loci eas omnes enumerare & explicare. Quid igitur ad eas dicemus? Profecto non eſt, ut condemnemus eas uanitatis & ſtulticiæ. Non enim ab autore homine, ſed à Domino Deo noſtro inſtitutæ, & reip. Iſraeliticæ traditæ ſunt. Quod autem Deus inſtituit, quis non iudicaret prudentiſsimo conſilio inſtitui? Deus igitur inſtituit hos ritus & cærimonias per Moſen, primũ ob hanc cauſſam, ut in rep. Iſraelitica negocium lepræ non priuata præſumptione, ſed publica & ordinata autoritate tractaretur. Niſi enim publica ordinatio in hoc negocio inſtituta eſſet, nemo ſeipſum iudicaſſet leproſum, nemo ſua ſponte contubernia hominum uitaſſet, ac etiãſi lepra in quopiam ita manifeſte apparuiſſet, ut non potuiſſet ſe leproſum negare, leuiſsima tamen coniectura adductus ſeipſum ſanum pronunciaſſet, ac ſua ipſius autoritate ſeſe in ciuilia ſanorum hominum conſortia immiſcuiſſet. Sed quanta contagia ex hac confuſione ad ſanos homines peruenirent? Itaq; Dominus Deus noſter, publicæ incolumitati Iſraelitarum conſulturus, inſtituit publicum ritum cognoſcendi de leproſis, ut qui ordinario iudicio leproſus pronunciaretur, is ab aliorum hominum conuictu ſecluderetur. Qui autem publico iudicio mundus inueniretur, is publicis quoq; cærimoniis & certis ritibus ita ſanis hominibus commendaretur, ut porro non debeant conuictum eius uitare, ſed ad ciuilia quæq; negocia tractanda admittere. Et quia hic ritus erat à Deo inſtitutus, & pertinebat ad publicam incolumitatem, ideo diuina ordinatio dicebat, cui neceſſe habebant obedire, quot quot in politia Moſaica uiuebant. Deinde hæ cærimoniæ fuerunt in lege, ueluti cõciones de futuro ſacrificio Chriſti, & prædicatione Euangelii eius. Nam, q altera auis mactatur, ſignificauit Chriſtum pro peccatis noſtris mactãdum, q autem altera auis ſanguine alterius aſperſa libera dimittitur auolare, ſignificauit prædicationem Euangelii, de expiatione per ſanguinem Chriſti facta, uulgandam & libere adnunciandam, non inter Iudæos ſolum, uerumetiam inter gentes, adeoq; in toto orbe terrarum. De eadem quoq; re concionabantur Iſraelitis immolationes agnorũ, & ouis, quæ neceſſe habebat leproſus offerre. Sed & lotiones & aſperſiones ſanguinis ſuper auriculam & pollicem, & id genus alii ritus, quibus leproſus mũdus declaratur, adumbrauerunt ipſam Euangelii prædicationem, qua aſpergimur, ut audiamus & credamus, ac per fidem bona operemur. Aſperges me, inquit Dauid, hyſopo & mundabor, lauabis me, & ſuper niuem dealbabor. Iam, cum politicus

Cærimoniarum Moſaicarum in leproſo mundando ratio.

Cærimoniæ in lege concionꝭ de futuro ſacrificio Chriſti.

ſtatus

ſtatus Iudæorum unà cum populo ſuo diſsipatus ſit, & nos nõ ſub Iudaica ſed ſub Romana politia uiuamus, iuſtum eſt, ut in negotio lepræ, non Moſaica, ſed Romana conſuetudine cognoſcendi de leproſis utamur. Præterea, quando Chriſtus uenit, & ſatisfecit unico ſuo ſacrificio pro peccatis noſtris, ac uulgauit Euangelion ſuũ in orbẽ terrarum, non amplius requiruntur à nobis ſacrificia legis, ſed hoc requiritur, quod ritus illi ſacrificiorũ adumbrarunt, nimirum, ut prædicemus Euangelion de ſacrificio & ſatisfactione Chriſti pro peccatis noſtris, ut audiamus hoc Euangelion, & fide excipiamus, quo aſperſi in conſcientia noſtra ſanguine Chriſti, purgemur à mortuariis operibus, ad ſeruiendum Deo uiuenti. Habes leproſum mirabiliter ſanatum, & legem cognoſcendi de lepra, quantum ad præſens argumentum ſatis eſt, utcunq; explicatam. Nunc perſtringemus paucis ea quæ ſequuntur.

Leproſi lex & ſacrificia externũ abrogatum.

Perambulabat (inquit euangeliſta) magis ſermo de illo, & conueniebant turbæ multæ, ut audirent, & curarentur ab infirmitatibus ſuis. Ipſe autem ſecedebat in deſertum & orabat. Iterũ fugit Chriſtus turbam, & ſecedit in deſertum. Quas ob cauſas? Primum, ne cõgregando ad ſe turbas uideatur aut humanam gloriam affectare, aut ſeditionem aduerſus ciuilem magiſtratum commouere. Deinde, ut à laboribus, quibus in prædicando Euangelio & curandis infirmis diſtinebat, paululum interquieſceret. Non enim durare poteſt, quod alterna requie caret. Sed obſerua, quòd Chriſtus in ſeceſſu ad deſertum recreet ſeſe, non uenationibus ferarũ, quod potentes huius ſeculi ſolent, nõ deliciis carnalibus, qui mos eſt Epicureorũ, quorum deus uenter eſt, ſed orationibus. Orabat, inquit. Hæc eſt recreatio à laboribus, ut diuiniſsima, ita longe omnium iucundiſsima. Quid enim iucundius, q̃ cũ Dño Deo noſtro colloqui, & familiarẽ ſermonẽ cũ ipſo cõferre? Deus enim pater noſter, ſaluator noſter, redẽptor noſter, adeoq; ipſa fœlicitas noſtra eſt. Cũ tali aũt familiariter colloqui, quid eſt niſi ipſum cœleſte gaudium? Bona pars lætitiæ angelorum eſt, quòd frequens colloquium cum Deo miſceant. Quomodo igitur & homines non magno gaudio perfunderentur, ſi cum Domino Deo ſuo confabulentur? Humanæ literæ, imo ipſa rerum experientia teſtatur, nihil dulcius eſſe, quàm habere aliquẽ, quo cum ſic audeas loqui ut tecũ, & apud quem tutò liceat omnes cogitatus & affectus animi deponere. Talis autẽ eſt Dominus Deus noſter, qui colloquentem cum ipſo non prodit, ſi quid recti cogitas, adiuuat, ſi ſecus, miſericorditer celat & remittit, ſi doles, conſolatur, ſi times, addit animum, breuiter, omnibus affectibus tuis medetur. Cum tali igitur familiares miſcere ſermones, quid eſt niſi ipſa fœlicitas? Tunc autem colloquimur cum Deo, cum uacamus orationi. Proinde, ſi in laboribus & afflictionibus noſtris recreationẽ quærimus, ſecedamus exẽplo Chriſti in loca ſecretiora, ad uacãdum deprecationibus, ut cum Deo colloquentes cœleſti gaudio perfundamur, per Chriſtum Ieſum Dominum noſtrũ, qui eſt unà cum Patre & Spiritu ſancto Deus laudandus in ſecula Amen.

Turbã fugit Chriſtus.

Recreat ſe Chriſtus in deſerto oratione.

Colloqui cum Deo ſummum & cœleſte gaudium.

HOMILIA XLIIII.



Vod ſæpenumero demõſtrauimus, miracula à Chriſto ædita eſſe cœleſtia teſtimonia maieſtatis Chriſti, & ueritatis Euangelii eius, hoc nunc Chriſtus ipſe, in ſanando paralytico per tectum demiſſo, perſpicue comprobat. In eo enim miraculo primum aperit, quæ ſit uera Meſsiæ maieſtas, & quod proprium ipſius officium, propter quod in hunc mũdum miſſus eſt. Deinde addit miraculum, quo, ſeipſo interprete, quod uerbis dixe-

rat,reipsa confirmat. Proinde, si uolumus ueram maiestatem ac officium Christi cognoscere, si item uolumus rectam miraculorum, quæ Christus ædidit, rationē habere, hanc historiam de paralytico per tectū demissō, & per Christū sanato, diligētissime obseruemus. Ac ante quidē dictū est, Christū secessisse in desertū & orasse. Secessit aūt, nō ut instituat monasticos in deserto ordines, nec secessit, ut ad hoim contubernia nō redeat, sed ut maiori hoim utilitate redeat. Hæc em̄ Christi cōsuetudo est ꝙ abeat, sed rediturus maiori cū fœnore. Sic abiit postea per mortē in regnū patris, sed mox rediit uita & spiritu sancto, bonoꝝ Dei thesauro comitatus. Sic uidetur à nobis abire, cum obiicimur afflictionibus, sed tanto maiori gratia redit, quanto grauiori nostro dolore discedere uidebatur. Ad pūctum, inqt, in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te. Sic & nūc rediit è deserto ad ciuitatem Capernaum, & affert secum, primum tantam docendi autoritatem, ut iam non solum uulgus, sed & pharisæi ac doctores legis, non tam ex Galilæa q̄ ex Iudæa & ipsa urbe Ierusalem, ad conciones eius properarent. Deinde rediit tanta sanandi infirmos uirtute præditus, ut omnes obstupescerent. Ait em̄

Abit Christus, sed ut redeat maiori cum fœnore.

„ Lucas: Et factum est una dierum, & ipse sedebat docens (uidelicet, in domo quadam, quæ erat in ciuitate Capernaum, quemadmodum Marcus scribit) & erāt Pharisæi sedentes & legis doctores, qui uenerant ex omni castello Galilææ & Iudææ „ & Ierusalem. Et uirtus Domini erat ad sanandum eos. Quid ergo? num uirtus sanandi non affuerat antea Christo? Profecto Christus semper fuit præditus uirtute sanandi, sed ea non semper sese in Christo exerebat. Tunc autem præcipue emicabat, cum Christus fungebatur munere docendi ac prædicandi Euangelii, nimirum, ut reipsa declararetur, miracula esse testimonia & sigilla Euangelii, id quod paulo post clarius demonstrabitur. Cum igitur Christus post reditum suum in urbe Capernaum doceret, & uirtutem sanādi haberet, ecce offert quoq; sese exercendæ uirtutis materia. Viri enim (quatuor) portantes in lecto hominem, qui erat „ paralyticus, & quærebant eum inferre, & ponere ante eum. Et non inuenientes, qua „ parte illum inferrent, præ turba. (Erat enim, ut Marcus ait, tanta hominum multitudo, ut nec illa loca, quæ erant circa ianuam, caperent eos) ascenderunt supra tectum, ac demiserunt eum funibus per tegulas cum lecto, in medium ante Iesum.

Sanandi uirtus in Christo

Labor periculosus uirorum portantiū paralyticum.

Hic mihi uide, q̄ magnum & periculosum laborem hi quatuor uiri propter paralyticū subeant. Primū em̄ asportant paralyticū in lecto decumbentem, deinde, cum præ turba non possent ipsum in domum, in qua Christus concionabat, inferre, ascendunt supra tectum ædium, & attrahūt ad se paralyticum, ut erat in lecto iacēs. In ea enim regione domus sic ædificabantur, ut tecta essent plana, & uelut plateæ, lapidibus strata in quibus licebat conuenire, conuiuari, & ludere, & ne quis forte deorsum caderet, muris per circuitum munita erāt, iuxta legem, quæ est in Deuteronomio capite uicesimo tertio: Cum ædificaueris, inquit lex, domum nouam, facies murum tecti per circuitum, ne si quis deorsum ceciderit, sanguinē super domum tuam inducas. Postremo nudant & perfodiunt tectum, ac funibus demittūt grabbatum in quo paralyticus decumbebat, quod certe sine magno ipsorum periculo fieri non poterat. Et hic tamen periculosus labor prorsum uanus ac irritus uidetur. Afferūt enim hominem decumbentem paralysi. Est autem paralysis, neruorum resolutiō, quæ hominem in tantum stuporem coniicit, ut & motu & sensu destituatur, ac reciproco tantum oris flatu reliquam adhuc uitam significet, cætera nihil à mortuo differat. Quis ergo talem speraret pristinam sanitatem recuperaturum? Sed hi quatuor uiri hac morbi specie nihil deterriti, periculosum laborem

Paralysis.

subeunt,

subeunt, & paralyticum in conspectum Christi demittunt. Quo quid, obsecro, aliud declarant, quàm q̃ ingentem fidem in Iesum Christum conceperint, & credant, quòd Christus & possit, propter uirtutem suam; & uelit, propter misericordiam suam, sæpenumero aliàs, tum uerbis tum factis testatam, paralyticum ipsorum sanare? Hæc igitur fides effecit, ut nullum laborem, nullum periculum recusarent, quo saltem paralyticum in conspectum Christi proponere possent. Obseruãdum exemplum, ut in eo conspiciamus, quanta sit fidei energia, & erudiamur, ut si ex uocatione Domini duri labores, & grauia pericula obeunda sint, memineri-mus fidem capessendam, & ex fide uirtutem diuinæ uocationi obsequendi accipiendam esse. Sed audiamus nunc, quid hi quatuor uiri paralytico fide sua impetrauerint. Quorum fidem, ut Iesus uidit, dixit: Homo, remittũtur tibi peccata tua. *Fidei energia*

Iesus respiciens fidem eorum qui afferunt paralyticum, confert paralytico duo longe omniũ maxima beneficia, quibus non possunt homini in hac terra maiora contingere. Primum enim pollicetur ei remissionem peccatorum, quæ est iusticia nostra corã Deo, deinde confert ei sanitatẽ corporalẽ. Esse aũt iustũ coram Deo, & sanũ corã mundo, ac, ut ille ait, habere sanã mentẽ in corpore sano, q̃d in hoc seculo optabilius, q̃d pstabilius est? Quid.n. sunt diuitiæ, ubi nõ est sanitas? quid potentia, ubi nõ est iusticia? quid sunt oĩa dona siue corporalia, siue spiritualia, si absit iusticia & sanitas? Obserua igit̃, quãta sit utilitas fidei & operũ: quæ ex fide proficiscuntur. Hæc eñ non solum credenti & facienti, uerumetiam multis aliis prosunt. Loth erat uir iustus, qui ex fide fugiebat Sodomam & diuertebat ad urbem Zoar. Qua re non se tãtum & familiam suam, sed etiam ciues, & urbem Zoar ab incendio Zodomitico tutã seruat. Et paulo ante palàm affirmauerat Dominus se propter decem iustos seruaturum Zodomam. Ad Mosen quoq; dicẽs: Dimitte me, ut irascatur furor meus contra Israëlitas, & deleam eos, quid aliud significat, q̃ se propter Mosen Israëlitis parcere? Et in Actis Apostolicis, ait angelus Dei ad Paulum naufragio periclitantem: Ne timeas Paule, ecce donauit tibi Deus omnes qui nauigant tecum. Cum igitur tanta sit utilitas fidei & operum eius, ut tam credenti q̃ aliis prosint, agite dum, amicissimi, nullus labor, nullum periculum nos à tanto lucro faciendo deterreat. Quid ergo, inquies? nemo sua iusticia sibi aliquid iustificationis & salutis meretur, & merebit aliis: Cum omnia fecerimus, dicendum est, seruiinutiles sumus, & aliis utiles erimus? Si steterint, inquit Dominus, Mose & Samuel coram me, non est anima mea ad populam istum: Et aliàs: Si bestias pessimas induxero super terram, ut uastent eam; tres uiri isti Noe, Daniel & Iob, si fuerint in ea, uiuo ego, dicit Dominus Deus, quia nec filios nec filias liberabunt, sed ipsi soli liberabuntur, terra aũt desolabit̃. Quid ad hæc dicemus? Si meritum humanæ iusticiæ consideraẽ, pfecto nemo est, qui possit aut sibi aut aliis ex dignitate suæ ipsius iusticiæ quicquam coram Deo mereri. In conspectu enim Dei non iustificabitur omnis homo. Si respicitur ad iustificationem coram Deo, & ad uitam æternam, is quidem qui credit reputatur coram D E O iustus per fidem suam propter Christũ, & habet uitam æternam, nemo tamen propria fide carens reputatur aliena fide coram Deo iustus, nec habet uitã æternam. Iustus enim, inquit prophe ta, ex fide sua uiuit. Et: Qui non credit, condẽnabitur. Si aũt alia beneficia Dei siue corporalia siue spiritualia considerantur, certe quemadmodum Deus multa bona largitur credenti per orationem, & alia fidei opera, ita etiam aliis per orationem & opera credentium benefacit; idque nullo humanæ dignitatis merito, sed *Fidei & operum quæ ex fide proficiscũtur utilitas* *Humanæ iusticiæ meritũ*

tantum propter ueritatem promissionis suæ, qua recepit se orationem piorum ex auditurum, & ob paucos iustos toti Zodomæ parsurum. Nam quêadmodum sanus homo non potest ægroto, cui seruit, sanitatẽ suam ita applicare, ut ægrotus in ægritudine manés aliena sanitate ualeat, sed hoc tantũ potest sanus, ut ægroto admoueat remedium, quo si recte utatur, propriam sanitatem recuperet ac ualeat, ita credens non potest incredulo fidẽ suam ita applicare, ut incredulus in incredulitate manens iustificetur & saluetur aliena fide, sed hoc potest credens, ut fide sua offerat incredulo uerbum Dei, & alia beneficia à Deo impetret, quibus incredulus ad cognitionem Dei ueniat, propriam fidem consequatur, & per fidem perpetuam salutem habeat. Nisi enim Dominus uellet alteri per alterius pietatem benefacere, cur iussisset nos diligere proximos nostros, & orare non solum pro amicis, uerumetiam pro inimicis? Cur etiam per Ezechielem conquereretur, se quæsiuisse inter Israëlitas uirum, qui interponeret sepem, & staret oppositus contra ipsum pro terra, ne dissiparet eam, non tamen inuenisse? Quare, & si nemo dignitate suæ ipsius iusticiæ quicquam coram Deo mereatur, & iustus sua, non aliena fide uiuat, in aliis tamen bonis siue corporalibus siue spiritualibus, alter alterius pietate diuina clemẽtia adiuuatur. Cæterum, quod propheta ait, nec Mosen, nec Samuelem, nec Noë, nec Dauidem, nec Iobem, posse placare iram Dei, ut populo parcat, obseruandum est, aliud esse, pro pœnitentibus, aliud pro impœnitentibus intercedere. Nam qui sunt impœnitẽtes, & præfracti contemptores uerbi Dei, adeoq; ad interitum definita sententia Dei cõscripti, his aliorum, quantumuis piorum intercessio nihil prodest. Qui uero agunt pœnitentiam, aut de quibus spes est agendæ pœnitentiæ, hi precibus piorum ita adiuuantur, ut Israëlitæ à Mose & Samuele, filii Noé & Iob à parẽtibus suis, & socii Danielis à Daniele in periculis adiuti sunt. Ex his admonendi nunc sumus nostri officii, quod coram Deo, ram adultis præ infirmitate omni pene sensu destitutis, quàm infantibus præ ætate nihil adhuc rerum intelligentibus, præstare debemus. Etenim, quemadmodum hi quatuor uiri sustollunt ex fide paralyticum suum in lecto, & perfosso tecto ædium, ubi Christus erat, demittunt cum funibus ante conspectum CHRISTI, non uerbis quidem, sed ipsis factis, pro incolumitate eius precantes, ita sustollamus etiam ex fide nostros infirmos, & perfosso, non terrenarum ædium tecto, sed ipsius cœli firmamẽto, proponamus eos ante oculos DOMINI, ut misertus eorum, conferat ipsis sanitatẽ. Quis aũt, dices, tãtæ esset temeritatis, ut conaretur firmamentum cœli perfodere? Non iubeo te corporalibus scalis in cœlum ascẽdere, & ferreis ligonibus fodere, sed CHRISTVS ipse scala cœli est, & qui credit in eum, hic per fidem ascendit in ipso tanquam scala in cœlum. Oratio autem ex fide profecta, tantæ est uirtutis, ut per eam cœlum perfodiamus, & ad maiestatem Dei alioqui inaccessibilem penetremus. Sufferamus igitur infirmos in cœlum, ex fide in Christum, nimirum credentes, q; DOMINVS Deus noster tam nobis quàm ipsis propter CHRISTVM filium suum propicius sit, & demittamus eos funibus precum nostrarum ad conspectum Dei. Sic enim fiet, ut obsecratio fidei, quemadmodum Iacobus ait, saluum reddat laborãtem, & erigat eum Dominus, ac si in peccatis fuerit, remittentur ei. Iam, quod officium præstamus adultis infirmis, idem quoq; præstandum est infantibus nostris. Nam quod ad corporis imbecillitatem & humanæ rationis usum attinet, quid, obsecro, differt infans à paralytico, aut alio uiribus corporis & animæ destituto? Offeramus igitur Christo Domino no

Fidei alienæ usus.

Intercessio piorum quatenus prosit,

Christianorũ erga infirmos officium.

Christus scala cœli.

Infantes Christo offerendi per baptismũ

mino noſtro infantes, & offeramus eos non ulnis tantum ſpiritualibus, ſed etiam corporalibus. Et ubi, inquies, inueniemus Chriſtum, ut ad ipſum infantes corporalibus ulnis afferamus? En accipe tibi baptiſmum. Is enim eſt, in quo, non Chriſtus tantum filius Dei, uerumetiam pater & ſpiritus ſanctus inuenitur. Baptizate, inquit, omnes gentes, in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti. Et Paulus: Quicũque baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. Primum igitur, ad præſtãda infantibus pia officia, credere debemus, quòd Chriſtus etiam pro infantibus mortuus ſit, & placauerit pro eis patrem, & quòd Deus non tantum adultorum, ſed etiam infantium Deus ſit. Deinde, ex hac fide pro ſalute infantium orare debemus, & baptiſmo eos offerre, ut per baptiſmum Chriſto incorporati ſalutem conſequantur. Hæc ſi alta mẽte reponantur, magnam conſolationem afferunt non ſolum amicis pro paralyticis ſuis, & parentibus pro ſalute infantium ſuorum ſollicitis, ſed etiam his, qui timore paralyſis aut apoplexiæ ſibiipſis obuenturæ, deſpe ſalutis ſuæ tentantur. Sunt enim, qui in infirmitate ſua hoc ſolum timẽt, ne grauitate & magnitudine morbi in tantum ſtuporem coniiciãtur, ut & ſenſu & motu deſtituant. Senſibus autem & ratione deſtituti, exiſtimant ſe quoque ſalute ſua perpetua deſtitui. Sed hæc exiſtimatio longe omnium uaniſsima eſt. Nemo enim ideo ſalute ſua deſtituit, quòd ſenſibus & ratione deſtituatur, ſed quòd non ſit membrum CHRISTI per fidem, nec ſit in communione eccleſiæ ſeu ſanctorum, in qua ſola eſt remiſsio peccatorum. Quare, cum adhuc ſanus fueris, da operam, ut ſis membrum CHRISTI & eccleſiæ, & commendes te, non uerbis tantum ſed etiam beneficiis tuis, fratrum precibus, ac omnino iuxta præceptũ Chriſti, facias tibi amicos ex mammona iniquitatis, ut cum deficias, & ſenſu ac ratione deſtituaris, ſuſſerant te in æterna tabernacula, & proponant te ſeruandũ, in conſpectum Dei. Nec eſt ut formides, ne amici impotentiores ſint, quàm ut queant te magna corporis mole grauem ad cœlũ ferre. Hoc enim negocium precibus ex fide profectis peragitur. Quanquam autẽ preces uideantur externa ſua facie res euanida, poſſunt tamen grauiſsimum quenque uirum è terra ſuſtollere, per nubes ad cœlum ferre, & ante conſpectũ Deicõſtituere. Si enim Eliæ preces tam potẽtes fuerũt, ut clauſerint & recluſerint cœlũ, ſi Moſi preces tam ualidæ fuerunt, ut potentiſsima Amalecitarum arma ab Iſraelitis auerterint, cur non & hominẽ geſtare & in cœlum ferre poſſent? Quare in Chriſto exiſtens, & piorum precibus commendatus, de ſalute tua nihil deſperes, etiamſi & ſenſibus & ratione deſtituaris. Sed nunc uerbum CHRISTI perſtringemus. Dicit enim ad paralyticum: Homo, uel ut alius Euangeliſta habet: Fili, bono animo eſto: Remittuntur tibi peccata tua. Quid hoc ſibi uult inexpectatũ uerbum? Baiuli petunt paralytico ſuo ſanitatem corporis, Chriſtus autem de ſanitate negat, qui dem, de remiſsione uero peccatorum concionatur. Impius quiſpiam reſpõdiſſet: Si nihil aliud nobis conferre potes quàm remiſsionem peccatorum, uale, nos, ſi ſanitatem haberemus, per noſtra ipſorum opera poſſemus peccata expiare. Et peccata noſtra non intantum nos afficiunt, ut præ ipſis ſomnus non ſit nobis ſuauis & conuiuia iucunda. Dolor autem infirmitatis noſtræ ita nos premit, ut præ eo nihil nobis ſit nec iucundum, nec ſuaue. Ab hoc liberari deſideramus, de peccatis aliàs tempore nobis opportuno curabimus. Hæ ſunt cogitationes hominũ impiorum, qui in ægritudinibus ſuis nullam habent peccatorum ſuorum rationem, ſed tantum ad recuperandam ſanitatem corporis ãdſpirant. Nos uero ſentiamus Ieſum Chriſtum DOMINVM noſtrum, non ſine optimo ac diuiniſsimo conſilio, prius promiſiſſe paralytico remiſsionem peccatorum, quàm contuliſſe ſanitatem

Precũ ex fide profectarum potentia.

corporalem. Principio enim, Christus hac uoce: Remittũtur tibi peccata tua, per ſpicue explicat honorẽ & maieſtatem diuinitatis ſuæ. Remittit enim peccata, ſua ipſius autoritate & poteſtate. Remittuntur, inquit, peccata tua, uidelicet mea, nõ alterius autoritate. Nam uerba Chriſti ſic intelligenda eſſe, ſignificant Phariſæi cogitantes: Quis poteſt remittere peccata niſi ſolus Deus? Et CHRISTVS ipſe ſic interpretatur dicens: Vt ſciatis, quòd filius hominis habet poteſtatem in terra remittendi peccata. Remiſsio autem peccatorum, gloria eſt & maieſtas, quæ ſoli Deo competit. Proinde, cum CHRISTVS aſſerat ſibi autoritatem remittendi peccata, profecto manifeſte ſibi aſſerit ueram & naturalem diuinitatem. Si aũt Chriſtus uerus ac naturalis DEVS eſt, quid relinquitur, niſi quòd ſit etiam creator, omnipotens, DOMINVS cœli & terræ? Deinde, uendicat etiam ſibi hac uoce maieſtatem Meſsiæ, & clare ſignificat, ſe uerum eſſe Meſsiam illum, qui patriarchis promiſſus, & per prophetas prædicatus eſt. Apud Eſaiam eñ Meſsias dicit: Ego ſum, ego ſum ipſe, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor. Et iterum: Vere languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit. Ac mox: Vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra. His uerbis ſignificat Eſaias, quòd nemo poſsit dignitate & merito, uel operum, uel paſsionum ſuarum pro peccatis ſatisfacere, ſed quòd ſolus Meſsias agnus ille ſit, qui tollat peccata noſtra, quod ad ſe quidem pertinet, paſsione & ſanguine ſuo, quod autem ad nos pertinet, gratis, ſine ullis humanæ iuſticiæ meritis. Ego enim, inquit, ſum, qui deleo iniquitates, non tu, propter me, propter meam clementiam, propter meam paſsionem, propter meum ſanguinem quem effudi, non propter tuam iuſticiam, non propter tuas uel actiones uel paſsiones. Porro autem, Ieſus ille Mariæ filius uſurpat ſibi hoc loco erga paralyticum id, quod Eſaias de Meſsia ſcribit. Remittit enim paralytico peccata gratis, nullum ab ipſo exigit meritum, nullum ſacrificium, nullam uel ſatisfactionem uel ſatispaſsionem. Remittuntur, inquit, tibi peccata tua, nullo tuo merito, ſed mea ſolius gratia, nulla tua dignitate, ſed mea ſolius clementia, nullis tuis operibus, ſed mea ſolius miſericordia. Et remittuntur tibi peccata, non parua tantum, uerumetiam magna, quæcunque uel in Adamo, uel tuis ipſius operibus deſignaſti. Ac remittuntur tibi, non ſolum quantum ad culpam, uerumetiam quantum ad pœnam attinet. Breuiter, peccatorum tuorum qualiumcunque non amplius recordabor. Manifeſte igitur hoc loco explicat, quòd ſit uerus Chriſtus ſeu Meſsias, propter quem habeamns per fidem remiſsionem peccatorum & uitam æternam. Hic nunc uide mihi, quàm impie & blaſpheme peccẽt in Chriſtum hi, qui confidunt ſe meritis ſuorum operum peccata expiaturos, & iram DEI aduerſus peccata placaturos. Nam maieſtas remiſsionis peccatorum, & placationis iræ diuinæ ad ſolum Ieſum Chriſtum pertinet. Quod autem ſolius Chriſti eſt, hoc hypocritæ trãſferunt ad opera ſua, quod ſolius filii Dei eſt, hoc transferunt ad dignitatem filiorum hominum, quod ſolius creatoris eſt, hoc trãſferunt ad creaturas & figmenta humana. Iudæi transferunt remiſsionem peccatorum in legem, & ſentiunt Deũ remittere ipſis pcta ppter circumciſionẽ & alia opera legis. Gentes putãt Deũ ſibi ppicium, ppter ſacrificia & uirtutes ſuas morales. Turcæ exiſtimãt Deũ remittere ipſis pcta propter ſacra ſua Mahumetica. Monachi cõfidunt ſe iuſtos eſſe propter opus operatũ Miſsæ, & alia ſacra. His opinionibus quid aliud faciunt, quàm quòd transferant maieſtatem Meſsiæ in opera manuum hoim? Igitur quot

Chriſtus naturalis Deus & uerus Meſsias.

Blaſphemia iuſticiariorũ.

quot religio

quot religiones sunt, quæ sentiunt humanam iusticiam & uirtutem expiare peccata, & remissionem peccatorum non contingere gratis propter Christum per fidē, sed contingere propter merita operum, non sunt nisi impietates & blasphemiæ in Dominum nostrum Iesum Christum. Adhæc, cum Christus prius ad paralyticū dicat: Remittuntur tibi peccata tua, quàm restituat eum corporali sanitati, palàm significat, quod sit præcipuum suum officium, propter quod in hunc mundum missus est. Non enim hac potissimum caussa in hunc mundum uenit, ut corporaliter ægrotos corporaliter sanaret. Edidit quidem magna & stupenda miracula in sanandis infirmis, eiiciendis dæmonibus, & suscitandis mortuis, sed hoc nō fuit præcipuum eius officium, propter quod in hunc mundum uenit. Nec uenit, ut externa maiestate in hoc mundo dominaretur, pro more regum huius terræ. Dominatur quidem à mari usque ad mare, in cœlo & in terra, sed partim inuisibili maiestate, partim externa tantum Euangelii prædicatione, quæ fide comprehenditur. Nec uenit, ut nouam legem condat. Explicuit quidem legem Mosi, & docuit, quid in ea requireretur, sed hoc non fuit præcipuum eius officium. Hoc autem loco, cum dicit: Remittuntur tibi peccata tua, explicat præcipuum officium suum, nimirum, quòd uenerit in hunc mundum, ut hominibus peccata sua remittat, & homines cū Deo patre reconciliet. Et hoc est Euangelion, in quo summa Christianismi constat. Non misit (inquit) Deus filium suum in mundum, ut condemnet mundum, sed ut mundus seruetur per eum. Non potest autem seruari, nisi remissione peccatorum. Necesse igitur est, Christum ad hoc præcipue missum esse, ut peccata remittat. Certus, inquit Paulus, sermo, & dignus, quem modis omnibus amplectamur, quòd Christus Iesus uenit in mundum, ut peccatores saluos faceret. Non possunt autem peccatores salui fieri, nisi accepta peccatorum remissione. Venit igit Christus præcipue ob hanc caussam, ut secum afferret remissionem peccatorum. Nec potuit maius nobis beneficiū afferre, nec utilius ac magis necessarium nobis officiū præstare. Quid. n. si attuliisset nobis nihil nisi glorias humanas, sanitates corporales, diuitias terrenas, imperia huius mundi, & maiestates regias? Quid hæc absq; remissione peccatorum prodessent? Quid aliud est glorioſus, sanus, diues & potens uir absq; remissione peccatorum, quàm uitulus ad sui ipsius mactationem saginatus, & ad occisionem destinatus? Cum uero attulit secum Christus remissionē peccatorum, attulit unà cum ipsa thesaurum omnium bonorum. Vbi enim est remissio peccatorum, ibi est gratia Dei, & iusticia, & liberatio ex omnibus periculis, & perpetua fœlicitas. Qui hæc bona habet, cuius rei indigebit? Agnoscamus igitur officium Christi, ut eo ad sempiternam nostram salutem per fidem utamur. Præterea docet Christus hac uoce: Remittuntur tibi peccata tua, summam scientiam, qua maior & utilior homini in hac terra contingere non potest. Docet enim scire, quæ sit uera iusticia, qua quis coram Deo iustus reputatur, & qua ueram salutem cō sequitur. Nam alii aliter in cognitione iusticiæ erudiuntur. Discipuli pharisæorum audiunt à Rabbinis suis, circumcisionem, sacrificia, lotiones manuum, & alia id genus opera, esse iusticiam coram Deo, & qui ea fecerit, habere uitam æternam. Gentes idololatræ audiunt à sacrificulis suis, offerre hecatombœa Ioui tonanti esse iusticiam. Discipuli philosophorum audiunt à præceptoribus suis, uirtutes morales esse iusticiam, qua ad salutem peruenitur. Monachorum discipuli audiunt à suis doctoribus, missas, cucullam, rosaria, & stata ieiunia esse iusticiam, propter quam Deus uitam largiatur. Sed nos, qui Christi sumus discipuli, audimus hoc loco longe aliam doctrinam de iustificatione. Cum enim Christus uellet paralyti-

Christi præcipuum officium in mūdo.

Remissio peccatorum summum beneficium.

Iusticia uera quæ sit?

cum iustificare, dicit ad eum: Remittuntur tibi peccata tua. Quo uerbo perspicue significat, nullam aliam iusticiam nobis contingere posse, quàm remissionẽ iniusticiæ nostræ per fidẽ in Christũ. Et quæ, obsecro, alia posset esse iusticia nostra? Si excutiamus omnia nostra, non sunt nisi peccata, & iniusticiæ: Non tantum credimus Deo, quantum debemus, nec tantum diligimus proximum, quantum lex requirit. Lex enim spiritualis est, nos autẽ carnales, uenditi sub peccatum. Relinquit ergo, solam remissionem peccatorum propter Christum nostram esse iusticiã, qua salutem consequimur. Postremo, cum Christus prius remittit peccata paralytico & postea restituit eum corpori sanitati, haud obscure indicat, peccata esse autores morborum corporalium. Dominus quidem Deus noster, non omnes morbis affectos affligit propter peccata. Afflictus fuit Iob, sed uir sanctus cuius similem non habebat uniuersa terra. Et quidam apud Ioannem cæcus nascitur, nec propter ipsius nec propter parentũ peccatum, nihilominus tamen omnes homines peccata habent, & peccata sunt autores morborũ corporalium. Si enim per peccatũ, quemadmodum Paulus ait, introiit mors in mundũ, cur non & morbi corporales, mortis nuncii, per peccatum intrassent? Proinde, qui morbo corporali affligitur, hoc primum omnium curet, ut peccatum radicem morbi expurget. Expurgatur autẽ per fidem in Christum. Expurgato ergo per fidem peccato, uera salus certissime consequetur. Sed cum iam satis explicuerimus uerbum Christi: Remittuntur tibi peccata tua, audiamus, quomodo Pharisæi hoc exceperint. Et cœperunt cogitare scribæ & Pharisæi, dicentes: Quis est hic, qui loquitur blasphemias? Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus? Blasphemia est, si homo suæ autoritati & dignitati usurpet, quod solius Dei est, aut si quis temeraria conuicia & maledicta congerat in Deum, in uerbum & in legem Dei, & autoritati diuinæ legis resistat. Duobus igitur nominibus uidetur Christus Pharisæis blasphemias loqui: Primum, quòd autoritate sua remittat peccata. Remittere autem peccata, ad solius Dei autoritatẽ & maiestatem pertinet. Deinde, quòd remittat peccata gratis. Remittere autẽ peccata gratis est, iuxta opinionem Pharisæorũ, derogare autoritati diuinæ legis, quæ multa sacrificia & satisfactiones pro peccatis præscripsit. Sed his cogitationibus declarant Pharisæi insignem suam tum insciti am, tum hypocrisim. Scriptura enim perspicue concionatur de Messia, quem promittit, quòd in ipso benedicentur omnes gentes, quòd Dominus positurus sit in ipsum omnium hominum iniquitates, quòd daturus sit animam suam pro peccato, quòd sit medicaturus contritis corde, & prædicaturus captiuis indulgentiam & clausis apertionem. Cum autem hoc loco Pharisæi cogitent secum: Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus? manifeste apparet, ipsos scripturas ignorare, nec intelligere, quod sit uerum officiũ Messiæ. Tametsi enim non crediderint hunc Iesum esse Messiam, tamen quia erant professores theologiæ, debuissent è scriptura scire, Messiam uenturum, filium Dei esse, & habere eandem autoritatem cum patre suo remittendi peccata. Nunc autem cogitationibus suis hoc significant, quòd sentiant Messiã nec Deum esse, nec habere autoritatẽ remittendi peccata. Quare suam ipsorũ insciti am & ruditatẽ, in cognoscenda scripturæ intelligentia, produnt. Quid autem de hypocrisi dicam? Natura hypocriseos est, festucam in alterius oculo uidere, trabem autem in oculo suo non animaduertere. Habebant autem Pharisæi maximam & latissimã blasphemiæ trabem in oculis suis. Tribuebant enim remissionem peccatorum operibus suis, lotionibus manuum, latis fimbriis, longis preculis, & aliquot horarum ieiuniis, quod quid aliud est, q̃ humanis operibus diuinitatem tribuere, & sua merita pro

Deo adorare?

Peccata autores morborũ corporaliũ.

Blasphemia quid?

Pharisæorũ insciti a & hypocrisis.

Natura hypocriseos.

Deo adorare? Hæc est ingens blasphemia & impietas in Deū. Hanc aūt trabē nō uidēt Pharisæi in oculis suis, solā festucā, quā falso existimāt se in oculo Iesu animaduertisse, cogitatiōibus suis ita agitāt, ut sentiāt nihil unquā magis blasphemū audiri esse. Quare iis cogitationibus, quibus putant se suam sanctitatē declarare, nō nisi prophanissimam suam hypocrisim produnt. Vt cognouit aūt Iesus cogitationes eorū, respōdens dixit ad illos: Quid cogitatis in cordibus uestris? Quid est facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata, an dicere: Surge & ambula? Vt aūt sciatis, q̄ filius hoīs habet potestatē in terra dimittēdi peccata, ait paralytico: Tibi dico, surge, tolle lectū tuū & uade in domū tuā. Et cōfestim cōsurgens corā illis, tulit lectū in quo iacebat, & abiit in domū suā, glorificans Deū. Hic iā adiicit Christus uerbo suo signacula, significans interim manifestissime, quæ sit uera miraculorū suorum ratio. Nam his uerbis: Remittuntur tibi peccata tua, asseruit sibi antea maiestatem diuinitatis & Messiæ. Quod autē uerbis dixit, hoc nunc duobus miraculis, quæ sunt testimonia cœlestia, & sigilla spiritus sancti, cōprobat. Alterum est, quòd occultas pharisæorū cogitationes cognoscit. Quis autem potest occulta cordium cognoscere præter solū Deum? Tu solus, inquit Salomon, nosti corda filiorum hominū. Et apud Ieremiā: Ego Dominus scrutans cor & probans renes. Alterū & præcipuū est, quòd paralyticum resolutione neruorū plane stupidum, ac sensu & motu destitutū, uerbo suo ita mirabiliter sanat, ut nō solum incolumis surgat, sed etiam lectū, quo asportatus erat, in humeros suos tollat, ac domum reportet. Quid est facilius, inquit, dicere: Remittuntur tibi peccata tua, an dicere: Surge & ambula? Iuxta sensum humanum, facilius est dicere: Remittuntur tibi peccata tua, quod effectus huius uerbi sit inuisibilis, quàm dicere: Surge & ambula, q̄ effectus huius uerbi sit uisibilis, adeoq̄ palpabilis. Itaq̄ si Christus potest id efficere uerbo suo, quod difficilius uidetur, nimirum, sanare paralyticum, quanto magis potest & id efficere, quod facilius uidetur, quod est, remittere peccata. Vt sciatis, iuquit, q̄ filius hominis habet potestatem remittendi peccata, tibi paralytico dico, surge, tolle lectum tuū, & abi in domū tuam. Et ecce miraculum: Paralyticus mox surgit, & sublato lecto, sanus abit. Multa sunt, quæ hoc miraculum illustrissimum reddunt. Primum, q̄ paralyticus sensu & motu destitutus fuerit, deinde, q̄ baiuli non potuerint ipsum propter turbam recta ad Christum asportare, sed necesse habuerint in tectum subtrahere, & perfosso tecto, ad Christum in lecto demittere. Hac enim demissione omnium auditorum oculos ad se uerterunt, & occasionem dederunt scrutandi quid hoc rei esset? Facit & illud ad splendorem miraculi, q̄ Christus, arrectis omnium auribus & longe aliud expectantibus, pollicetur paralytico ab initio, nō sanitatem sed remissionem peccatorum, & differt sanitatem disputatione de cogitationibus Pharisæorum, ut hac dilatione auditores attentiores, & de euentu rei magis solliciti fierent. Postremo miraculum istud ex hoc maxime illustre redditur, quòd Christus, parata promptissima omnium attentione, solo uerbo paralyticum sanitati ita restituit, ut ad dictū Christi, nulla interposita mora, incolumis surrexerit, & in conspectu omnium lectum ad domum suam reportauerit. Quid ergo nunc de Iesu, qui hoc miraculū ædidit, sentiendū putas? Certe miraculo isto egregie comprobauit, se, quamuis hominem in terra uersantem, habere potestatem remittendi peccata. Si autem comprobatum est, ipsum habere potestatem remittendi peccata, profecto comprobatum est etiam, ipsum uerum esse filium Dei, & Messiam. Ostendimus enim supra, Christum eo ipso asserere sibi maiestatem diuinitatis & Messiæ,

Miraculis probat Christus diuinitatem suam.

quo asserit sibi autoritatem remittendi peccata. Hoc igitur miraculũ reuelat, & ob
signat nobis maiestatem Iesu, & ueritatẽ Euangelii eius, nimirum, quod Iesus sit ue-
rus filius Dei, & uerus Messias, & quod per ipsum habeamus remissionem peccato
rum, placatũ patrem in cœlis, & uitam sempiternam. Ex hoc loco de aliis quoq;
miraculis à Christo æditis iudicandũ est, uidelicet, q; sint cœlestia sigilla, quibus cõ
firmatur maiestas Iesu & ueritas Euangelii eius. Sic enim de ipsis iudicandum esse,
Christus ipse docet: Opera, in quiens, quæ ego facio, testificant de me, quod pater
miserit me. Totigitur habemus maiestatis Iesu & ueritatis Euãgelii eius cœlestia sig
nacula & testimonia, quot miracula uel ab ipso Iesu, uel ab Apostolis in nomine
eius ædita, in scriptura cõmemorãtur. Sed quomodo, inquies, possumus maiestatẽ
diuinitatis & Messiæ in Iesu ex eo colligere, q; asserat sibi autoritatẽ remittendi pec
cata, quando etiã ad Petrum dictum est: Quicquid alligaueris in terra, erit alligatũ
in cœlis, & quicquid solueris in terra, erit solutũ in cœlis. Similiter ad omnes Apo
stolos dicitur: Accipite spiritum sanctum. Quorum cunq; remiseritis peccata, remit
tuntur eis, quorũcunq; retinueritis, retenta sunt: Ergo ne etiã Apostoli erũt dii, &
Messiæ? Profecto fuerunt quidam in Romana ecclesia, qui gloriati sunt se Aposto-
lorum successores. Hi usurparunt sibi in negocio remissionis peccatorũ tantã pote
statem, quantã nec Christus Apostolis dedit, nec Apostoli unq; agnouerũt. Quod
enim Deus pronunciauit peccatum, hoc isti iusticiã pronunciarunt. Quod Deus
dixit nõ esse peccatũ, hoc isti peccatũ dixerũt, eoq; insaniæ tandẽ deuenerũt, ut bul
lis suis præceperint angelis, quo animas ex purgatorio, quod fingebant, extrahãt,
& in cœlũ collocent, prætexentes ad se dictũ: Quicquid solueritis in terra, erit solu-
tum in cœlis. Hoc autem quid aliud est q; se in locum Dei collocare, & maiestatem
Messiæ sibi arrogare? Sed abominanda illa impietas, ab Apostolis & piis eorũ suc-
cessoribus, hoc est, synceri Euangelii prædicatoribus, longissime abest. Christus
enim aliter sibi asserit potestatem remittendi peccata, aliter Apostolis eam com-
mendat. Asserit eam sibi propria maiestate & autoritate, id quod miraculis confir
mat. Apostolis autem & omnibus Apostolicam doctrinam prædicantibus com-
mendat eam ministerio, & prædicatione Euangelii in nomine suo. Oportebat, in
quit, Christũ pati, & resurgere à mortuis tertio die, & prædicari pœnitentiam & re
missionem peccatorum nomine eius, nimirum Christi, non Apostolorum. Ac
eadem quidem remissio peccatorum confertur & per Christum, & per Apostolos
ac ministros ecclesiæ. Iuxta illud: Qui uos audit, me audit. Et: Sicut misit me pater,
ita & ego mitto uos. Sed non eadem confertur autoritate. Cõfertur enim per Chri
stum autoritate magisterii. Per Apostolos autem & Apostolicam doctrinam præ
dicantes, functione ministerii. Sic nos, inquit Paulus, existimet homo, ut ministros
Christi (ut ministros inquam Christi, non ut magistros) & dispensatores (non au
tores) mysteriorum Dei. Et iterum: Si ad aliquid idonei sumus, id ex Deo est, qui
& idoneos fecit nos ministros noui testamenti, non literæ sed spiritus. Qui autẽ mi
nister tantum est, necesse habet aliena bona ita dispensare, ut ultra septa, quod dici
tur, non transiliat, & extra præscriptum magistri sui non discedat. Quare, etsi Apo
stolis & Apostolicam doctrinam prædicantibus cõmendatum sit, ut prædicatione
Euangelii de Iesu Christo hominibus peccata remittant, non tamẽ concessum est
ipsis, ut illic peccatum statuant, ubi peccatum non est, ac dignitati suæ honorẽ Dei
& Messiæ uendicent. Habes nunc, quæ sit maiestas Dñi nostri Iesu Christi, & quãto
miraculo eam comprobauerit. Ac omnes quidem, qui hæc uiderunt, apprehen
dit (quemadmodum Euangelista ait) stupor, & glorificabant Deum. Et repleti
sunt timore,

Miracula sunt sigilla maiestatis Iesu & ueritatis Euangelij.

Potestas remittendi peccata qualis in Christo & qualis in Apostolis.

sunt timore, dicentes: Quia uidimus mirabilia hodie. Nos aũt qui hæc, Euange listis & Apostolis Christi cõmemorantibus, audiuimus, magna fide reponamus ea, primũ, ut ex ipsis Christum Dominũ nostrum uere agnoscamus, & thesaurũ quem in ipso habemus per fidem sciamus. Deinde, ut corporalibus infirmitatibus oppressi, meminerimus ad consequendam sanitatem, primum omniũ de remissione peccatorum cogitandum esse, qua consecuta, sua tunc sponte sequetur sanitas, si non externa, certe spiritualis & perpetua per Iesum Christũ Dominum nostrũ qui est unà cum Patre & spiritu sancto Deus laudandus in secula Amen.

Sanitas quomodo recuperanda.

HOMILIA. XLV.



Magnum miraculum est, ꝙ ad uerbũ Christi paralyticus è lecto exiliit, & sublato in humeros suos lecto, ad domum suam incolumis rediit, sed non minus miraculum est, ꝙ ad uerbũ Christi publicanus è teloneo suo exilit, & Christum, relictis omnibus, sequitur. Hæc igitur, quomodo acta sint, nunc perstringemus. Et posthac exiit Iesus, & uidit publicanum, nomine Leui, sedentem ad teloneum. Primum omnium uidendum est, quis fuerit hic Leui, de quo Euangelista scribit. Fuit ergo is Leui, filius Alphæi, quemadmodum Marcus ait, & uocatur alio nomine Matthæus, adeoq; is Matthæus est, qui cõscripsit Euangelion, quod uocamus, secundũ Matthæum. Ac priusq̃ secutus est Christũ, fuit officio suo publicanus. Cæterum, quale uitæ genus publicanorũ fuerit, explicuimus in ea concione, quam Ioannes baptista ad publicanos habuit, nimirum, ꝙ per se quidẽ honestum fuerit genus uitæ, sed apud Iudæos duplici nomine male audierit. Altero, ꝙ publicani fere crudeles erant uectigaliũ & tributorũ exactores, plus extorquentes q̃ constitutum erat. Ac iniquũ quidem est, ultra constitutum aliquid exigere, ipsum tamẽ genus uitæ non est propter iniquitatem hominis in eo uiuentis condemnandũ. Altero, ꝙ Iudæi sentiebãt iniquum esse, ut penderent Romanis tributa & uectigalia. Quare omnes eos iniquos iudicabant, qui Romanorum exactiones ministerio suo colligebant. Ac iniquum quidem est, ministerio suo iniquitati auxilium præbere; sed quod ad hanc rem attinet, non iniquum erat, Romanis in ciuilibus officiis seruire, propterea ꝙ Romani possidebant eo tempore terram Iudæorũ iure legitimi belli. Proinde, quod attinet ad officium publicani, Matthæus non uixit in impio uitæ genere. Quod autem attinet ad personam Matthæi, apparet è uerbis Christi mox dicentis: Non ueni uocare iustos sed peccatores ad pœnitentiã, magnis eũ peccatis & sceleribus bonũ alio qui uitæ suæ genus sordidasse. Hunc ergo Leui seu Matthæũ auocat Christus à teloneo suo, non quia publicani officiũ impium per se uitæ genus sit (quemadmodum nec piscatura, à qua Petrus & frater eius per Christum auocabãtur, per se mala est) sed quia ipsi aliud officium, nimirum apostolatum, demandaturus erat. Et ait illi: Sequere me. Et relictis omnibus surgens secutus est eum. Audis uerba paucissima ac breuissima, sed hoc opere, quod Matthæus fecit, nihil admirabilius, nihilq̃ homini factu difficilius, ac minus possibile uideꝰ. Matthæus eñ erat ualdè diues, & multas possidebat opes. Adhæc fungebaꝰ officio, è quo annuatim ingens lucrũ recipiebat. Relinquere aũt multã uim opũ, & officiũ plenũ lucri, nõ tã difficile est, q̃ carni suis uiribus relictæ impossibile. Deinde Matthæus sequebaꝰ Iesum. Quid aũt hoc aliud uidebaꝰ, q̃ suam ipsius ignominiã, exitiũ, adeoq; mortẽ sequi? Audiebat

Leui publicanus.

Publicani cur male audierint apud Iudæos.

Matthæus sequitur Iesum.

enim Iesus apud principes populi hæreticus, seditiosus, seductor, & extremo supplicio dignissimus. Ergo qui huic adhærebat, profecto iudicabatur sese præsentaneæ suæ internicioni exponere, & in suum ipsius exicium festinare. Natura autem hominis, qui adhuc sanam mentem habet, nihil uehementius horret, q̃ præsentaneum exicium. Matthæus tamen relictis omnibus secutus est Iesum alacritate prõptissima. Quid igitur est, quod Matthæo hoc opus effecit nõ solum possibile sed etiam facile? Profecto, si undequaq; circumspiciamus, non possumus aliud inuenire, quàm fidem. Credidit enim Matthæus, per Euangelion, hunc Iesum esse uerũ Messiam, in quo habeat remissionem peccatorum, iusticiam, uitam, & salutem perpetuã. Hæc fides tam efficax in Matthæo fuit, ut opus, ad quod à Christo uocabat, fieret ipsi tam possibile, quàm facile & iucundum. Hoc igitur exemplo obseruandum est, quid nobis agendum sit, ut præcepta Dei fiant nobis possibilia, facilia, & iucunda. Dominus enim Deus noster proposuit nobis mandata, quæ carni nostræ partim sunt iniucunda & difficilia, partim impossibilia. Interim tamen requiritur à nobis summa seueritate, ut ea præstemus & impleamus. Maledictus, inquit, qui non permanet in sermonibus legis huius, nec eos opere perficit. Quo igitur recurrendum est, ut ea perficiamus? num ad uires nostras? Sed hæ imbecilliores sunt, q̃ ut queant minimum præceptum Dei perfecte implere. Affectus carnis, inquit Paulus, inimicicia est aduersus Deum. Nam legi Dei non subditur, siquidem ne potest quidem. Recurrendum autem est ad capessendam fidem, quæ est uirtus spiritus sancti. Si enim habuerimus fidem in Christum Iesum, in quo omnes promissiones Dei sunt etiam & amen, primum, remittuntur nobis peccata propter Christum, deinde datur per fidem spiritus sanctus, qui nos reddit potentes & alacres ad obediendum uocationi & mãdatis Dei, postremo, non inputatur per fidem ea imperfectio, quæ adhuc in obseruandis mandatis Dei reliqua est. Sed ut melius intelligamus, quomodo ad obseruanda mandata Dei recurrendum sit ad capessendam fidem, demonstrabimus illud uno aut altero præcepto Dei. Lex est: Non occidas. Hæc lex non solum prohibet externum homicidium, sed etiam iram, concupiscentiam ultionis, & mandat, ut non tãtum amico, sed etiam inimico benefacias. Hui, dices, benefaciam inimico, & non ulciscar iniuriam mihi illatam? Ego uero mallem inimico meo omnes dentes incutere, q̃ humano tantum uerbo eum alloqui. At hic non quæritur, quid tu malles, sed quid Deus postulet, ac facere debeas. Postulatne Deus ut non ulciscaris iniuriam tibi illatam, & uocat te ad benefaciendum inimico. Sed non inuenio, inquies, in carne mea, ut hoc facere possim. Capesse igitur fidem. Quomodo? Audi Euangelion Christi, audi promissiones Dei, in Christo confirmatas. Est autem Euangelion Christi, q̃ Deus remittat nobis peccata nostra aduersus ipsum commissa, gratis propter Christum. Et q̃ Christus pro nobis mortuus est, cum adhuc essemus peccatores, & inimici Dei. Promissiones itẽ Euãgelicæ sunt: Si remiseritis hominibus sua errata, remittet etiam uobis pater cœlestis uestra errata. Et: Mea est ultio, ego rependam. Hæc si serio crediderimus, profecto fieri non potest, quin dilectio inimici, & obliuio inferendæ ultionis non solũ possibilis, sed etiam iucunda sit: Et quanq̃ reliquiæ carnis alió uocent, tamen quia spiritus fidei dominatur, non imputantur. Lex item est: Non fureris. Qua lege non uocamur tantum ad uitanda externa furta, sed iubemur etiam egenos & pauperes nostris opibus iuuare. Huic autem diuinæ uocationi obsequi, & suas opes aliis exponere, carni admodum durum ac difficile est. Itaq; ut fiat iucundum ac facile, ad capessendam & confirmandã fidem recurrendũ est. Dixit enim Deus: Fœnerat Domino, qui largitur

Præcepta Dei fiunt nobis possibilia per fidem.

Fides quomodo capessenda in obseruãdis mandatis Dei.

qui largitur pauperi. Et: Beatus, qui intelligit super egenum & pauperẽ, in die ma la liberabit eum Dominus. Et iterum: Qui reliquerit aliquid propter nomen meũ, centuplum accipiet, & uitæ æternæ sorcietur hæreditatem. Qui has ac similes pro missiones crediderit, is certe tanta alacritate uocationi Dei obsequetur, ac opes su as in egenos effundet, ut prodigus potius q̃ pius ab hominibus huius seculi iudice tur. Obseruemus igitur, ꝙ ad facienda mandata Dei, & ad obediendum diuinæ uo cationi, necessariũ sit, ut Euãgelion Christi & ꝓmissiones diuinas audiamus, & ex ipsis fidẽ cõcipiamus atq; confirmemus. Sic enim fiet, ut quod nobis nostra uirtute durum, difficile, ac impossibile est, hoc uirtute fidei possibile, facile, & iucundum fi at. Cæterum priusq̃ Matthæus, uel ἀ Christo uocaretur, uel uocatus cum Christo a biret: Fecit ei conuiuiũ magnum in domo sua, & erat turba multa publicanoꝝ « & aliorũ, qui cum illis erant discumbentes. Et murmurabant Pharisæi & scribæ eo « rum, dicẽtes ad discipulos eius: Quare cũ publicanis & peccatoribus manducatis « & bibitis? Hic iam produnt Pharisæi inuidũ animum suũ, quem iamdudũ ad- « uersus Christum conceperãt. Nam, quod per se non erat malum, imo, quod erat summa in Christo uirtus, hoc Pharisæi iuxta naturã inuidiæ caluminant, & in pes simam partem interpretant. Quare cum publicanis, inquiunt, & peccatoribus su- *Pharisæorũ inuidia.* mit cibum præceptor uester? Habetis præceptorem, qui profiteť se doctorem iusti ciæ, sed ecce cũ iniustis non solũ loquiť, uerumetiam familiariter uiuit. Quid ergo aliud reliquũ est, q̃ ut ex sodalicio suo iudicãdus sit? Habet peccatores sodales, qua re & ipse peccator est. Pares cum paribus, aiunt, facillime cõgregantur. Hæc aũt « cum Iesus audiret, respondens dixit ad illos: Non egent qui sani sunt medico, sed « qui male habent. Non enim ueni uocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. «

Etsi Pharisæi meri sint sycophantæ, est tamen quod ipsis gratias agamus. Oc casione eñ huius calũniæ extorquent è Christo tria (sic eñ uocare libet) apophthe gmata, ut diuinissima, ita doctrina pietatis & cõsolatione plenissima, ac perpetua memoria dignissima, necaliter conseruanda, q̃ margarita, uniones, & reliquiæ san ctissimæ. Primum est: Non egent qui sani sunt medico, sed qui male habent. Hoc dictum maximæ consolationis est animo, propter peccatum aut peccati sup plicium male affecto. Nam si conscientia tangitur cognitione peccatorũ, tunc sentit homo, se ἀ Deo abiectum, Christum ad se non pertinere, Christum in afflicti onibus non adiuturum, nec in morte seruaturum. Quare non audet in Christũ cre dere, non audet patrem in nomine Christi inuocare, non cõciones Euangelii iu cundo animo audire, non sacramentũ cœnæ dominicæ ad confirmationẽ fidei su mere, breuiter, tanto timore propter peccata corripiť, ut ἀ Christo & doctrina ac sacramentis eius non aliter q̃ ἀ crudelissimo tyranno, & præsentanea sua ipsius in ternicione abhorreat. Sed huic timori, ac propemodum desperationi medeť hoc dictũ Christi: Qui sani sunt, non egent medico, sed qui male habent. Christus eñ uocat se publicum medicum. Sed is medicus longissime ἀ corporalibus medicis distat. Hi eñ corporibus tantum remedia admouent, ille aũt medeť animis & con *Christus est publicus medicus.* sciẽtiis. Hi, si multũ, corporalem uitã aliquot horis aut annis medela sua proferũt, ille aũt uitã in perpetuũ profert his, qui remedia eius accipiunt. Hi non nisi accep ta aut certo sperata mercede medicant, ille aũt gratis, sine omni merito aut merce de confert remediũ. Hi medicant herbis mane uirentibus, uesperi arescentibus, ille aũt medicať uerbo Euangelii, quod inæternũ uiret ac floret. Hi nonnunq̃ aut insci tia, aut errore, aut ignauia, ægroto exiciũ afferunt. Ille aũt tam doctus medicus est, ut oĩa morborum & remediorũ genera exactissime cognoscat, tam prudẽs, ut non

possit falli, tam sedulus, uigil ac promptus, ut iuxta prophetam, oculi eius semper sint super metuentes ipsum, & in eis, qui sperant super misericordia eius. Vt eruat à morte animas eorum, & alat eos in fame. Et in alio ꝓpheta: Nũquid obliuisci potest mulier infantem suum, ut nõ misereat filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui. Ecce in manibus meis descripsi te, muri tui coram oculis meis semper. Proinde, quo quis animo magis ægro est, eo certius confidat hũc medicum Dominum nostrum Iesum Christum ad se pertinere, tantum absit, ut propter animi ægritudinem & peccata non audeat ipsum inuocare. Quis enim nõ iudicet hunc infirmum magis insania mentis, q̃ morbo corporis laborare, qui de aduocando medico admonitus, diceret: Non audeo medicum uocare, quia ægrotus sum: quandoquidem hæc præcipua causa est, propter quam admonet, ut medicum uocet, ita quis non sentiat hunc peccatorẽ furere, qui de inuocando Christo admonitus, respondeat: Non audeo, quia peccator sum: quandoquidẽ ob hãc causſam Christus inuocandus est & se inuocare iubet. Venite ad me, inquit, omnes qui laboratis & onerati estis, & ego refocillabo uos. Sed dices: Scio Christum medicum esse, scio ipsum ad expurganda peccata inuocãdum esse, at hoc ego timeo, ne multitudine & repetitione peccatoꝝ meorum ad tantam iracundiá ipsum prouocauerim, ut & si inuocet, non tamen ueniat, nec adiuuare uelit. Hæc sunt ignita iacula, quibus Satan imbecillem conscientiam perstringit. Sed uicissim obuertendum est scutum fidei, quo hæc iacula ita excipiantur ut in autorem repellant. Affectus enim Christi erga nos non est exigendus ad sensum cordis nostri, sed ad promissiones & uerbum Euangelii Christi. Dixit autem Christus: Sicut Mose exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in eum nõ pereat, sed habeat uitam æteram. Omnis, inquit, qui credit in eum. Neminem reiicit. Omnis, siue unius tantum, siue sexcentorum, siue decem myriadum peccatorum reus, & omnis, siue minimis siue maximis peccatis obnoxius, qui credit in eum, non peribit. Et iterum: Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non condemnet. Rursum audis: Omnem, omnem, inquam, qui credit salutem consequi. Vbi igitur Christus nõ distinguit, inter peccatorem unius peccati, & inter peccatorem multorum ac magnoꝝ peccatorum, cur tu illic distinguendi tibi autoritatem arrogas? Et aliàs: Conclusit, inquit Paulus, omnes sub incredulitatem, ut oĩm misereatur. Itaq; si sentis te sub incredulitatem & fructus eius conclusum, memineris eo ipso te ad horum catalogum pertinere, quorũ Dñs misereri uelit, si in Christum credi derint. Ac iterũ: Omnis, qui fidit illi non pudefiet. Et addit Paulus: Non enim est distinctio uel Iudæi uel Græci. Nam idem Dominus omnium diues in omnes, omnes, inquam, inuocãtes se. Quisquis enim inuocauerit nomen Domini saluus erit. Si autẽ nõ est distinctio uel Iudæi uel Gtæci, quanto minus est distinctio uel pctõris unius tantum peccati, uel peccatoris multorum & magnorum peccatorum. Quare, siue pauca siue multa, siue parua siue magna peccata designaueris, cõfide in Christũ & saluus eris. Atq; eo magis cõfide, quo uerius est apophthegma quod sequitur. Secundum eũ apophthegma, hoc loco obseruandum, tale est: Non ueni uocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Est & hæc sententia, tanq̃ preciosissimum margaritum conseruanda. Ac nec ad porcos, nec ad canes pertinet. Porci dicũt: Si uenit Christus propter peccatores, peccabo igit, ut gratia Christi abundet. Canes autem, si audierint Christũ humanam sanctitatẽ, quantum ad iustificationẽ corã Deo attinet, reiicere, uertũtur in Apostolum Christi, & lacerant eum, non maledictis solum & calumniis

Ad infirmos & peccatores pertinet medicus Christus.

Christi affectus ergo nos ad Euãgelion exigendus.

Porci.

Canes.

calumniis, uerumetiã crudelibus latrociniis. Quid ergo? inquies, quomodo dicit Christus: Non ueni uocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam, quando scriptum sit: Dominus diligit iustos, & uias peccatorũ dilperdet? Et iterum: Nouit Dominus uiã iustorum, & iter impiorum peribit. Si Dñs diligit iustos, quomodo nõ uocat eos Christus? Si odio habet peccatores, quomodo Christus eos ita diligit, ut relictis iustis uocet ipsos ad pœnitẽtiam? Scio quidẽ iustos hoc loco, cum Christus dicit: Non ueni uocare iustos, pro hypocritis, & externa tantum iusticia honestis uulgo intelligi. Sed quia etiam hos uocat Christus ad pœnitentiam, ideo rectius intelligemus per iustos, eos qui perfecte & absolute satisfaciunt legi diuinæ. Et hos non uenit uocare Christus. Quamobrẽ? quia in tota orbe terrarum nullos tales inuenit. In conspectu enim tuo, inquit, nõ iustificabitur omnis uiuens. Et: Omnes deflexerũt, simul inutiles facti sunt, non est qui exerceat bonitatem, non est usq; ad unum. Venit igit̃ Christus, non propter iustos, quos non inuenit, sed propter peccatores. Et uenit, non ut plus peccent, sed ut resipiscant, & salutem consequantur. Viuo ego, dicit Dominus Deus, nolo mortem impii, sed ut conuertatur impius à uia sua, & uiuat. Ac Paulus: Certus, inquit, sermo & dignus quem modis omnibus amplectamur, q̃ Christus Iesus uenit in mundum, ut peccatores saluos faceret. Sed ut melius intelligamus, quid sibi uelit, quod Christus dicit, se uenisse, ut uocet peccatores ad pœnitentiam, statuemus quatuor ordines peccatorum. Primus ordo eorum est, qui iuxta externa opera honeste quidem & sancte uiuunt, sed confidunt in suam sanctitatem, & putant se bonis suis operibus expiare peccata, non tantum sua sed etiam aliorum, item placare Deum, & mereri uitam æternã. Talis peccator fuit Paulus, & Pharisæi quidam, priusq̃ ad Christianismum conuerterentur. Tales peccatores sunt oẽs hypocritæ & iusticiarii. Hi etsi uideantur iusti, sunt tamẽ longe oĩm maximi peccatores coram Deo. Etenim, quantum in ipsis est, deiciũt Christum è sua maiestate, & collocant se & opera sua in locum Christi, adeoq; contempto Christo suam ipsorum sanctitatem pro Deo adorant. Hoc autem nihil aliud est, q̃ alienos Deos colere, & uerum Deum blasphemia afficere, quæ sunt peccata maxime omnium detestanda. Venit igit̃ Christus hos peccatores uocare. Quo? ad pœnitentiam. Ad quam? num ut pœniteat eos bonorũ operum, quæ iuxta legem Dñi fecerunt? Nequaq̃. Dominus eũ iussit bona opera secundum legẽ suam facere, sed ut pœniteat eos impietatis, quam habuerũt in bonis operibus, & credãt in Christum, q̃ propter hunc solũ habeãt remissionẽ peccatorũ. Sunt eñ duæ præcipuæ partes pœnitentiæ, quemadmodum sæpe indicauimus: Altera est agnitio peccatorum. Altera est fides, q̃ remissio peccatorũ propter solum Christũ contingat. Nam bona opera, quæ ex fide sequunt̃, nõ sunt proprie partes, sed fructus pœnitentiæ. Ad has igitur pœnitentiæ partes & fructus uocat Christus peccatores hypocritas & iusticiarios, uidelicet primũ, ut agnoscant suam impietatem, qua honorẽ Messiæ sibi & suis operibus usurparunt, agnoscant item naturalẽ suũ morbum, quo spũ Dei ita priuati sunt, ut nec quic̃q̃ perfecte boni facere, nec Deum placare, nec pro peccatis satisfacere, nec uitã æternã mereri queant, & confiteant̃ cum Davide dicentes: Tibi solũ pecco, & malũ coram te facio. Quare? quia in iniquitatibus cõceptus sum, & in peccatis cõcepit me mater mea. Deinde, ut credant, q̃ solus Iesus Christus sit propiciatio pro peccatis ipsorũ & meritũ uitæ æternæ. Postremo, ut ex hac fide mandata & uocationẽ Dei sequant̃, quo gratũ suũ animũ erga Deũ declarent. Secundus ordo eorũ est, qui uitã manifeste flagicioſam & turpẽ ducũt, uuari, inuidi, susurrones, obtrectatores, contumelioſi, elati, fœdifragi, impostores,

Iusti qui sint intelligendi.

Peccatorum quatuor ordines.

I

Hypocritæ et iusticiarij.

Pœnitentiæ partes.

II

Manifeste flagicioſi.

ebriosi, maledici, scortatores, adulteri, fures, homicidæ, latrones, & quis omnia sceleratorũ genera enumerare posset? Cum igit Christus dicat, se uenisse ad uocãdos peccatores, profecto uenit, ut hos quoq; peccatores, quos iam commemorauimus, nõ dico abominet, sed uocet, ad quid? num ut in flagitiis & sceleribus suis pergãt? Nihil uero minus, sed ut pœnitentiã agant. Pœnitentia aũt, ut diximus, constat agnitione peccatorũ, & fide in Christũ, quæ postea fructus suos, bona opera, ferunt. Vocant igitur à Christo, ut peccata sua agnoscant, & sentiant se ob peccata perpetuum inferni supplicium meritos: uocant item, ut post agnitionem peccatorũ credant peccata sibi propter Christum gratis remissa, & se habere Deum propicium. Postremo uocantur, ut faciant dignos fructus pœnitentiæ, & à peccatis liberati, iustitiæ seruiant. Tercius ordo eorũ est, qui iam in conscientia sua sentiunt iudiciũ peccatorum, uident suam impietatem, & iudicant se propter peccata, non unũ, sed sexcentos infernos probe meritos. De his quid dicemus? Hos ne Christus abominat? Minime omnium, sed uenit uocare eos, ad quid? nũ ad desperationẽ? Absit, sed quia iam ante in priori parte pœnitentiæ, nimirum, agnitione peccatorũ cõsistunt, uenit uocare eos ad alterã partem, uidelicet fidem, ut credant, q̃ habeant propter Christũ remissionem pct̃õrũ, placatum patrẽ in cœlis, & uitam æternam, & ut ad gratiarũ actionẽ, ex hac fide uocationi Dei obediãt. Hoc enim officiũ Christi esse, ut agnitione pct̃õrum perterritos ad fidem uocet, explicat etiã Esaias, per quẽ Dñs de filio suo ita loquitur: Dedi te in fœdus populi, in lucem gentiũ, ut aperires oculos cæcorũ, & educeres de conclusione uinctũ, de domo carceris sedentes in tenebris. Et iterũ dicit ipse Christus: Spũs Domini super me, eo q̃ unxerit me, ad euangelizandũ afflictis misit me, ut mederer contritis corde, & prædicarẽ captiuis indulgentiã, & clausis apertionẽ. Ac rursus: Super quẽ respiciam, nisi super pauperculũ & contritũ spiritu, ac trementẽ sermones meos? Proinde, qui agnoscunt peccata sua, tanto magis sentiant Christũ ad se pertinere, quanto grauius exiciũ peccata minant. Quartus ordo eorũ est, qui post agnitionẽ peccatorũ fidẽ ex Euangelio concipiũt, & credũt, q̃ habeant remissionẽ peccatorum propter Christum. Hi etsi reputent coram Deo iusti per fidẽ propter Christũ, & obediãt ex fide uocationi Dei, ac bona opera faciãt quæ Deo placent, habent tñ adhuc in se reliquias peccati, quo fit, ut non possint perfecte implere legẽ Dñi, nec absoluta & omni uitio carentia bona opera facere, sed cum oĩa fecerint, necesse tñ habeant cũ Dauid exclamare: Iniquitatẽ meã ego cognosco, & peccatũ meum coram me est semp. Tibi solũ pecco & malũ coram te facio, hoc est, q̃cquid facio, pecco, quia nunq̃ ad plenũ satisfacio legi Dei. Venit igit Christus, ut & hos peccatores uocet ad pœnitentiã, uidelicet, ut reliquias peccati sui semper agnoscãt, & credãt, q̃ etsi peccatũ in ipsis maneat, reatus tñ peccati ꝓpter Christũ sublatus sit, & non imputet: ꝓterea, ut fidẽ suã subinde magis atq; magis cõfirmẽt, quo dominent peccato & concupiscentiis eius, ac seruiãt iustitiæ. Habes nunc quatuor peccatorũ ordines, ac nullus profecto hoĩm est, in toto orbe terrarũ, qui nõ in aliquo horũ ordinũ cõprehendi tur. Cũ igit Christus palam confitet, officiũ suũ esse, ut uocet peccatores ad pœnitentiã, quid reliquũ est, nisi q̃ Christus uenit uocare oẽs hoies ad salutẽ, siue hypocritas, siue manifeste sceleratos, siue pctã sua agnoscentes, siue iam credẽtes? Quod si hoc est officiũ Christi, sicut uere est, quid propter pctã tua Christũ fugis? quid ad conspectum eius trepidas? quid desperas? Nam ut confidenti animo adiungas te Christo, imo patiaris saltẽ Christũ tibi adiungi, ecce tibi aliud dictũ Christi, quo omnino se tibi donat, & obuiis, quod aiũt, ulnis te expectat. Filius hois, inqt, nõ uenit ad pe-

III
Perterriti agnitione peccatorum.

Christi officium.

IIII
Peccatores credentes & remissionem peccatorum consecuti.

nit ad perdendũ animas hoim, sed ad seruandum. Et iterũ: Venit filius hois quærere, & seruare qđ perierat. Cur ergo dicitur: Diligit Dñs iustos, & uias peccatorũ disperdet? Hic iustiappellant, pœnitentes, & in uocatione Dñi ex fide ambulates, quos supra etiã inter ordines peccatorũ cõmemorauimus. Peccatores aũt uocant hic proprie, impii, qui uerbo Dñi ad pœnitentiã uocati nulla, prsus ratiõe adduci queunt, ut resipiscãt, sed pergẽtes in sua impietate, Dño Deo nostro, & uerbo eius, mediũ, quod aiũt, digitum ostendunt. Hos tantisper odit Dñs, dum in impietate sua perseuerant, & odit, non quia perdere uelit, si resipiscant, sed quia uocati resipiscere nolũt. Quare, qui perit, profecto nõ perit, quia peccauit: Alioqui enim nullus non hoim periisset, sed quia uocatus ad pœnitenriã non obediit, non agnouit peccatũ, non credidit, q̃ propter Christũ peccatorũ remissionem habeat. Dicit enim Dominus: Si impius egerit pœnitentiã, oĩm iniquitatũ eius, quas operatus est, nõ recordabor. Terciũ apophthegma, hoc loco obseruandũ, nõ cõmemorat Lucas, sed Matthæus capite nono, ubi eadẽ historia de cõuiuio cum publicanis in domo Matthæi habito describit. Respõdet eñ Christus Pharisæis calumniantibus, q̃ cũ publicanis & peccatoribus cibum sumeret, & ait: Quin potius ite & discite, quid sit illud: Misericordiã uolo & non sacrificiũ. Hæc sunt apud prophetam Oseam, capite sexto. Misericordiã, inquit Dñs, uolo, & non sacrificiũ, & sciẽtiam Dei plus q̃ holocausta. Memorabile dictũ, quo quæ sint uera bona opera, lege Dñi mãdata, & Deo accepta, explicat. Et enim Pharisæi & hypocritæ existimant, ea proprie uera esse bona opera & Deo grata, quæ ipsi statutis & præceptis suis præscribũt, certo tẽpore ieiunare, certas preculas numerare, certã eleemosynã certis pauperibus pstare, manus ante sumptionẽ cibi lauare, phylacteria sua dilatare, fimbrias palliorũ suoꝝ magnificare, mentã, anethum & cyminũ decimare, multa holocausta offerre, faciẽ exterminare, ad peccatoris aspectũ expuere, contubernia prophanorum hominũ fugere, in deserto habitare, tunica certi coloris uestiri, apertis calceis calciari, pecuniã manu nõ attingere, cucullam gestare, stationes uisitare, & quis oẽs hypocritarũ nugas enumerare posset? Quanq̃ aũt hæc opera per se non sint impia, & quædam ex ipsis lege Dñi non improbant, non tamẽ sunt ea opera, quæ lex Dei pprie requirit, & quæ maxime oĩm à nobis præstari uult. Sed hic est præcipuus diuinæ legis scopus, q̃ requirat, non sacrificia & holocausta, non nugas & lusus pueriles, sed fidẽ erga Deum, & dilectionẽ erga proximum. Vnde Dominus apud Oseã dicit: Volo misericordiã, hoc est, dilectionem proximi, uolo ut alter alteri misericordiã & bñficium exhibeat, præcipio, ut sapiens consulat insipienti, potens defendat impotentem, diues adiuuet opibus suis pauperẽ, sanus seruiat ægroto, lætus cõsolet tristem, recte incedens ostendat uiam erranti, iustus studeat peccatorẽ ad pœnitentiã reducere, breuiter, unusquisq̃ bñfaciat proximo suo, quoquo modo potest. Hæc sunt opera, quæ lege mea mandant. Volo item sciẽtiã Dei, hoc est, fidẽ in Deum, uolo ut agnoscatis q̃ seuerus sim Deus erga peccatores impœnitentes, quàm item misericors & clemens erga pœnitentes, uolo ut credatis me tam propicium esse, pter semen Abraæ, Iesum Christũ filium meũ, ut gratis remittã peccata, & donem uitã æternã, uolo, ut nomen meũ celebretis, & in oĩbus afflictionibus inuocetis, uolo, ut certo senciatis, uos mea clementia in oĩbus aduersis seruandos. Hæc sunt opera, quæ lege mea pcipue requiro. Huc cõuenit etiam, quod Esaias dicit: Quo mihi multitudinẽ uictimarũ uestrarũ dicit Dñs? Plenus sum. Holocausta arietũ & adipẽ pinguiũ, & sanguinẽ uitulorũ, agnorũ & hircorum nolui. Et mox: Quiescite agere peruerse, discite bñfacere, quærite iudiciũ, subuenite oppresso, iudi

Iusti.

Peccatores.

Bona opera quæ uere sint

Legis diuinæ scopus.

Scientia Dei.

eate pupillo, defendite uiduã. Et Ieremias: Non ſum locutus, inquit Dñs, cum patribus ueſtris, & nõ præcepi eis in die qua eduxi eos de terra Aegypti de uerbo holocautomatũ & uictimarũ, ſed hoc uerbũ præcepi eis dicens: Audite uocẽ meã, & ero uobis Deus, & uos eritis mihi populus, & ambulate in omni uia quã mãdaui uobis, ut bene ſit uobis. Accedit huc & Micheas: Indicabo, inquiẽs, tibi ò homo quid ſit bonũ, & quid Dñs requirat à te. Vtiq; facere iudiciũ, diligere miſericordiã, & ſollicitũ ambulare cum Deo tuo. Sed cur p̃teriremus Samuelẽ, qui ad Saulẽ ſacrificia potius q̃ mandatũ Dñi ſectantem ita ait: Nunquid uult Dominus holocauſta & uictimas, & non potius, ut obediatur uoci Dñi? Melior eſt eñ obedientia q̃ uictimæ, & auſcultare magis q̃ offerre adipẽ arietũ. Habes quæ ſint uere bona opera, Deo accepta, & q̃ inique Phariſæi calumniati ſint Chriſtũ, q̃ maluerit cũ publicanis cõ uiuari, ut ipſos ad pœnitentiã inuitet (id quod eſt uere bonũ opus facere) q̃ ſacrificia & hypocritica opera cũ Phariſæis ſectari, ut ab hoĩbus glorificet, id quod eſt uanæ gloriæ ſtudere. Nunc igit reliquũ eſt, ut hæc tria apophthegmata altiſsima mẽte reponamus, primum, ut è duobus prioribus officiũ Chriſti recte cognoſcamus, & fidẽ noſtrã in terroribus conſcientiæ cõfirmemus, deinde ut è poſteriori rationẽ operũ uere bonorũ diſcamus, & eam ſectantes, ad uerã & ſempiternã fœlicitatẽ perueniamus, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui eſt unà cum Patre & Spiritu ſancto Deus laudandus in ſecula Amen.

HOMILIA XLVI.

Chriſtus non poteſt omnibus placere.

VIgo dicitur: Eum, qui uelit oĩbus placere, neceſſe habere alto mane ſurgere, quo ſignificatur, tam moroſa eſſe hoĩm iudicia, ut nemo ſit, quantumcunq; iuſtus ac pius, qui oĩbus omni ex parte ſatis recte facere uideatur. Et hanc quidẽ ſortẽ hoĩbus in peccato cõceptis & natis accidere, haudquaq̃ mirum, ſed q̃ idẽ quoq; eueniat Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui peccatũ nõ fecit, nec inuẽtus eſt dolus in ore eius, hoc demũ eſt admiratione digniſsimũ. Nam ſupra ſcriptũ eſt, Phariſæos & ſcribas calũniatos eſſe Chriſtũ, q̃ cũ publicanis p̃tõribus conuiuaret, nunc aũt ſcribit Euãgeliſta, expoſtulaſſe ipſos cũ Chriſto, q̃ nõ certa ieiunia & ſtatas precationes diſcipulis ſuis p̃ſcriberet. Itaq; Chriſtus nunq̃ tam bñ facere ac docere potuit, qn fuerint, qui id reprehenderint. Sed quanto uaniores ſunt calũniæ & expoſtulationes aduerſariorum Chriſti, tãto ueriores ac diuiniores ſunt apologiæ Chriſti, nec aliter nobis q̃ cœleſtia oracula obſeruandæ ſunt. Audiamus, quid Phariſæi nũc, poſt excuſatũ conuiuiũ cum publicanis, in Chriſto reprehẽdant, & quid Chriſtus reſpondeat. Et dixerunt ad illum: Quare diſcipuli Ioannis ieiunant frequenter, & obſecrationes faciũt, ſimiliter & Phariſæorũ, tui aũt edũt & bibunt? Qui hoc dixerint, alii Euangeliſtæ explicant. Diſcipuli Ioannis (inquit Marcus) & Phariſæorũ ieiunabant, ueniuntq; & dicunt illi: Quare diſcipuli Ioannis & Phariſæoꝝ ieiunãt, tui aũt non ieiunãt? Quid autem hæc ſibi uelit expoſtulatio, diligenter excutiendum eſt. Ac primum quòd

Ieiunia & obſecrationes quare coniungantur.

coniungantur ieiunia & obſecrationes (Dicunt enim, quare diſcipuli Ioannis ieiunant, & obſecrationes faciunt) conſuetudinem Moſaicæ politiæ explicat. In publicis enim afflictionibus obſeruarunt Iſraëlitæ ſolenni more publicas litanias ac precationes, & quo commodius hæ obſeruarentur, à mane uſque ad ueſperam ieiunauerũt. Oratio enim in fide ardens, qualis in afflictionibus eſſe debet, requirit hominem non ebrium ſed ſobrium. Vnde, ubi ſcriptura tradit ieiunia obſeruata, ibi

meminerit

memineris litanias & precationes obseruatas esse. Sic Israelitæ à Beniamitis uicti, quemadmodũ Iudicum capite uicesimo scribit, ieiunauerunt usq; ad uesperam, hoc est, sobrii & ieiuni obseruarunt litanias, & in oratione usq; ad uesperã perseuerarunt. Sic Ahab audiens uaticiniũ Eliæ de internitione domus suæ, operit cilicio carnẽ suã, & ieiunat, hoc est, publicam litaniam obseruat. Sic rex Iosaphat irruptione hostium perterritus prædicauit ieiuniũ in uniuerso Iuda, hoc est, ut scriptura exponit, totum cõtulit se ad rogandum Dñm, & omnes de urbibus suis uenerunt ad obsecrandum Dñm. Niniuitæ quoq;, quamuis non fuerint de corpore Israeliticæ reip. hunc tamen ritũ obseruarunt, & ad prædicationẽ Ionæ prædicauerunt ieiuniũ, uidelicet ut clamarent, quemadmodũ in Iona scriptum est, ad Dñm in fortitudine, quo ignoscat ipsis, & reuertatur à furore iræ suæ. Et Ieremias ait: Cum ieiunauerint, non exaudiã preces eorum, nimirũ significans ieiunia fuisse propter precationes obseruata. Cõiungit etiã illa Christus in Euãgelio dicẽs: Hoc genus dæmoniorũ non egreditur, nisi per deprecationem & ieiunium. Quibus uerbis nihil aliud significat, quàm q; dæmones non expellantur humana sed diuina uirtute, quæ oratione fidei à Domino impetratur. Cæterũ, hoc ieiunandi & obsecrandi more, hi qui ueram rectæ fidei cognitionem habuerunt, & pie & utiliter usi sunt. Ieiunarunt enim, non ut ex opere operato ieiunii expiarent peccata sua, & mererentur gratiã Dei, sed ut sobrietate aptiores essent, in luctu & afflictione sua, ad orandum. Et orarunt, non ut ex opere operato orationis Deum placarent, & auxilium impetrarent, sed ut oratione fidem suã excitarẽt & accenderent, ac per fidẽ à Deo propter misericordiam eius acciperent, quod petebãt. Atq; hic est legitimus ieiunii ac orationis usus, uidelicet, ut sobrietate aptiores ad orationẽ efficiamur, & oratione fidẽ nostrã excitemus, accẽdamus, & foueamus. Hypocritæ aũt & Pharisæi, cum à maioribus suis hũc ritũ ieiunãdi & orandi quasi per manus accepissent, direxerũt oculos suos non in fidem maiorũ, sed in opus tantũ eorum externũ, & instituerunt ut hic ritus à discipulis suis obseruaretur, non tantũ in luctu, cũ grauitas afflictionũ ad orandũ impellebat, sed certis semper diebus ac horis, & obseruaretur hac opinione, ut merito huius operis placarent Deum, satisfacerent pro peccatis, & mererentur uitam æternã. Ac quemadmodum sub Papatu, monachi multas ecclesiasticas obseruationes, à maioribus ad prædagogian tantũ institutas, mutarunt in propria genera uitæ, & condiderunt ex ipsis regulas uiuendi, quas uocamus ordines monasticos, & docuerunt postea, q; eorum ordinũ opera sint merita, quibus peccata expiantur, ira Dei mitigatur, & sempiterna fœlicitas acquiritur: ita Pharisæi transtulerunt maiorum suorũ ritus in Iudaismo, ad monasticum genus uiuẽdi, & obseruarunt ieiunia & precationes, non quãdo afflictiones admonebant, nec ad excitandam fidem in aduersis, sed certis semper temporibus ac diebus, & ad faciendum Deo sacrum, cuius merito delerent peccata sua, & cõsequerentur uitam æternam. His adiunxerunt se postea discipuli Ioannis Baptistæ, nõ illi, qui ueram fidem à Ioanne didicerunt, & mox Christũ sectati sunt, sed qui hypocrisim tantũ è Ioanne collegerũt. Etenim, quemadmodũ ecclesiastici quidam scriptores, qualis est inter Græcos Basilius, inter Latinos Augustinus, duplices habuerũt discipulos aut lectores: alteros, qui Christũ ac ueram Christianismi rationẽ è scriptis ipsorũ didicerũt: alteros, qui merita tm̃ ac certas obseruatiões operũ è scriptis eorũ coaceruarũt, & in regulã uiuẽdi ac monasticũ ordinẽ cõtulerunt: ita Ioãnes Baptista duplices habuit auditores: alteros, qui ex cõcionibus eius ueru Messiã didicerũt, quẽ postea secuti sunt, quorũ aliquot mentionẽ facit Ioãnes Euãgelista capite primo: alteros, qui in Ioãne nõ cõciones de Messia,

Ieiunij & orationis usus.

Ordinum monasticorum origo.

Ioannis discipuli duplices.

& rectam fidei ac operum rationẽ, sed durum & insolitũ uiuendi genus obseruarũt, è quo deinceps sibiipsis singularem regulã uitæ finxerunt, ut certis obseruationibus operum pro peccatis suis satisfecerent, & æternam uitam mererentur. Hi ergo, & si diuersam à Pharisæis professionem sectabantur, tamen quia eadẽ cum Pharisæis opinione suam uiuendi regulam obseruabant, adiunxerunt se Pharisæis, & expostularunt cum Christo dicentes: Quare nos & Pharisæi ieiunamus plærunq; discipuli uero tui non ieiunant? Pharisæi præscripserũt discipulis suis certos dies, certas horas ieiunii, & certas ordinationes orandi, quas hi magna diligentia obseruant. Adhæc nos, qui sumus discipuli Ioannis, proposuimus nobis Ioannem in exemplar uiuendi, è quo nobis ipsis præscripsimus certam uitæ regulam, à uulgari hominum consuetudine longe dissidentẽ. Tui uero discipuli nullũ certum uiuendi genus habent. Edunt cum esuriunt, nulla habita temporis ratione, bibũt cũ sitiũt, orant cum libet, dormiunt cum somno grauantur, adeoq; talẽ uitã ducunt, ut quendã potius Epicurum, q̃ cœlestẽ doctorem, imitari uideantur. Quid ergo tu, qui te tantum diuinæ iusticiæ professorem gloriaris, non melius discipulos tuos instituis? Cur non præscribis eis regulas quasdam uiuendi monasticas, quales nos & Pharisæi habemus? Cur toleras in eis tam delicatũ genus uitæ? Si tam molli uiuendi genere peccata expiari, & uita æterna impetrari posset, mallemus & nos te delicatum præceptorẽ, q̃ Pharisæos & Ioannẽ sequi. Sed quia peccata nõ expiant, nisi durissimis castigationibus corporis, multis & magnis bonis operibus, & uita æterna non paratur, nisi innumerabilibus iusticiæ nostræ meritis, profecto, si uere ueluti es esse doctor iusticiæ, qualem te iactas, necesse habes discipulos tuos ab hac ignaua & uoluptuaria uita auertere, & non tantũ fidem ipsis inculcare (nihil enim præter fidei mentionem in concionibus tuis audimus) sed etiam præscribere eis certa ieiunia, certas precationes, & alias id genus obsetuationes, quibus mereantur diuinam gratiam & uitam æternam. Hanc sententiam habet expostulatio discipulorum Ioannis, & Pharisæorum cum Christo. In qua uides primũ, ueterem esse consuetudinem, ut discipulus præceptorem, sus uidelicet Mineruam, doceat, & ut Christus ait, sapientia à filiis suis iustificetur. Deinde uides, q̃ morosum sit ingenium hypocritarum, q̃ nullum genus uitæ probent, nisi quod ad ipsorum exemplar institutũ sit. Sed audiamus nunc, quid Iesus respondeat. Quibus ipse ait: Nunquid potestis filios sponsi, dum cum illis est sponsus, facere ieiunare? Venient autem dies, cũ ablatus fuerit ab illis sponsus, tunc ieiunabunt in illis diebus. Excusat Christus, primum comparatione, deinde duabus similitudinibus, & se & discipulos suos, q̃ non præscribat ipsis certas obseruationes ieiuniorum, nec adigat eos ad Pharisaicã & monasticam uiuendi regulam. Comparatio igitur est: Num potestis facere ut filii thalami, dum cum illis est sponsus, ieiunent? Vel, ut alius Euangelista habet, nũ possunt filii sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus? Dicuntur autem filii sponsi seu thalami, more Hebraico, amici ad nuptias inuitati. Est igitur sententia: Obseruationes ieiuniorum & litaniarum conueniunt luctui, & afflictionibus, gaudia uero & conuiuia conueniunt nuptiis. Iam, si solenni more licet amicis ad nuptias inuitatis cum sponso lætari, & paulo splendidius conuiuari, quis discipulos meos ad obseruationes ieiunii hoc tempore adigeret, quando nunc non lugeant, sed in nuptiis uersentur? Non necesse habes nuptialibus certum ieiunandi tempus præscribere, sed expecta tantum finem nuptiarum, & abitum sponsi in domum suã, tunc sua sponte sequetur ieiunium, & qui in nuptiis opipare conuiuabantur, hi post nuptias uix olus manducant. Sic prorsus nulla est necessitas, ut meis discipulis tempus

Hypocritarũ ingenium morosum.

Filij sponsi.

ieiunandi

ieiunandi præscribam. Hoc enim tunc nullo præscripto uenret, cum nuptiæ, in quibus nunc uersantur, finitæ fuerint. Perstringit autem Christus hac comparatione discipulos potissimum Ioannis. Hi enim etiam antea Christum apud Ioannem ac cusauerant, & dixerant: Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce is baptizat, & omnes ueniunt ad eum. Sed uicissim audiuerat à Ioanne: Ipsi uos testes estis, q dixerim: Nõ sum ego Christus, sed missus sum ante illũ. Qui habet sponsam, sponsus est, amicus autem sponsi, qui stat & audit eum, gaudio gaudet propter uocem sponsi. Hoc ergo gaudium meum impletum est, illum oportet crescere, me autem minui. Ex quibus uerbis discipuli Ioannis optime intelligere potuissent, & quid de Iesu, & quid de genere uitæ eius ac discipulorum ipsius iudicandum esset, sed hypocrisi sua excæcati harum rerum nihil intellexerunt. Quare Christus tacite eos hac comparatione stuporis & ignauiæ arguit, perinde ac si diceret: Si uere fuissetis discipuli Ioannis, nihil mecum de ieiunio expostularetis, sed ex ipsius concione, quam de sponso habuit, animaduertere potuissetis, quam ob causam discipuli mei, nimirum nuptiales, non obseruarent nunc ieiunia. Nunc autem teipsa cõperio, uos harũ rerũ nihil animaduertisse. Quid igitur aliud reliquum est, quàm ut iudicẽ uos plane stupidos & ignauos Ioannis auditores fuisse? Sed quid ad hæc dicemus, quòd Christus ait: Venient dies, cum tolletur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt? Ergo ne, non necesse quidem fuit certa ieiunia obseruare, donec Christus in terris conuersatus est, nunc autem, postquam per passionem in gloriam patris intrauit, & in cœlos ascendit, necesse erit? Cur igitur Paulus ad Galatas scribens: Dies, inquit, obseruatis & menses & tempora & annos. Metuo de uobis, ne frustra laborauerim erga uos. Et ad Colossenses: Ne quis uos iudicet in cibo aut potu, aut in parte diei festi, aut nouilunii, aut sabbatorum? Profecto, Christus hoc uerbo: Venient dies, cum tolletur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt, nihil minus quàm certa ieiunia post ascensum suum in cœlum statuit. Præcepit quidem, ut semper sobriam uitam ducamus. Cauete, inquiens, uobis, ne quando grauentur corda uestra crapula & ebrietate, & curis huius uitæ, sed non præcipit, ut post ascensionem suam in cœlum certis diebus & certis horis ieiunemus, atq; à certis cibis abstineamus. Neque cum ait: Tolletur ab eis sponsus, significat, se post passionem suam à discipulis & ab ecclesia sua abesse. Tametsi enim in passione sua à discipulis abierit, tamen addit: Et si abiero ad parandum uobis locum, iterum ueniam & assumam uos ad me ipsum, ut ubi sum ego & uos sitis. Et iterum: Non relinquam uos orphanos, ueniam ad uos. Ac mox: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & mansionem apud eum faciemus. Et rursus: Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. Et Paulus: Christus, inquit, est caput ecclesiæ, & idem est, qui salutẽ dat corpori. Quæ cũ ita se habeant, quomodo uerum esset, quòd sponsus Christus nunc à sua sponsa ecclesia ablatus esset, quemadmodum nugantur hypocritæ? Imo quanto longius per mortem abire uisus est, tanto propius se per resurrectionem suam & missionem spiritus sancti ecclesiæ suæ cõiunxit. Quare hoc quod Christus dicit: Venient dies, cũ tollet ab eis sponsus, nõ potest intelligi de ea ablatione, qua Christus ascẽdit in cœlũ, & intrauit in gloriã patris. Itaq; quod ad hunc locũ attinet, in nuptiis tunc dicimur esse, cum Deus reuelat nobis misericordiã suam, & cõfert nobis gratum & acceptũ beneficiũ, siue corporale siue spirituale. Sic Iacob in nuptiis erat, quando resciuit filiũ suũ Ioseph adhuc uiuere, & uidit plaustra à Iosepho missa. Sic Dauid in nuptiis

Certa ieiunia non præcipit Christus.

In nuptiis quãdo esse dicimur.

fuit, quando uictoriam è Goliathe reportauit. Sic & Apostoli in nuptiis fuerũt, quãdo siue ante siue post passionem Christi, Euangelion Christi, propter miracula à se æditã, inter homines promouit, & ipsi ab auditoribus suis, obuiis, quod aiunt, ulnis exceptí, ac honorifice tractati sunt. Tunc autem nuptiæ finem accipiunt, & sponsus abire dicitur, cum Deus immittit nobis afflictiones, & obiicit nos uariis aduersitatibus. Sic sponsus à Iacob abire dicebatur, cum nunciabatur ipsi, filium suum Ioseph à fera dilaniatum. Sic sponsus à Ioseph recedere uisus est, cum tanquam adulter in carcerem coniiciebatur. Sic sponsus ab Apostolis auferri uidebatur, cum aduersis persecutionibus propter Christum, siue ante siue post passionem Christi, concutiebantur. Proinde, cum Christus dicit: Num potestis facere, ut filii thalami, dum cũ illis est sponsus, ieiunent? Venient autem dies, cum ablatus fuerit ab eis sponsus, tunc ieiunabunt: nec tempore nuptiarum licentiam helluandi & inebriandi concedit, nec post nuptias certa & stata ieiunia præcipit, nec requirit ut sine uocatione Dei aduersis te obiicias, & te ipsum affligas, quemadmodum sacerdotes Baal flagellis & cultris sese concidebant, sed hoc requirit, ut te præsenti uocationi Dei accommodes, ut in omnibus siue bonis siue malis, prout diuinitus acciderint, recte te geras, ut tam prosperis quàm aduersis pie utaris, adeoq; ut super quæuis ephippia, quod aiunt, idoneus sis. Longe eñ alia uiuendi ratio à pio requiritur, quàm ea quã sectantur impius & hypocrita. Nam impius nihil recte facit. In nuptiis ita lætatur, ut insaniat. Post nuptias, ablato sponso, ablatis beneficiis Dei, ita tristicia afficitur, ut animum despõdeat. In prosperis contemnit Deum, & fœlicitate sua praefracte abutitur. In aduersis maledicit Deo ac desperat. Hypocrita in nuptiis tristicia afficitur, præsentia beneficia Dei reiicit, ac sibi ipsi cruces & afflictiones sine uocatione Dei cõquirit. Post nuptias, immittente Deo afflictiones, & uocante ad cruces, fugit eas, & quoquo modo potest, siue pie siue impie ad cõsequenda prospera cõtendit. Qui autẽ pius est, is ita uitam suã instituere debet, ut in nuptiis, hoc est, præsentibus beneficiis Dei, non ieiunet, non abiiciat beneficia Dei, sed his cum gratiarum actione utatur, nec sibi ipsi crucem sine uocatione Dei imponat, & se affligat. Hæc enim crux, quam quis sibi sine uocatione Dei imponit, non est crux Christi, sed crux Satanæ, nec potest quis in ea Dominũ ex fide inuocare. Post nuptias autem, hoc est, ablatis beneficiis Dei, & præsentibus afflictionibus à Domino immissis, ita se gerat pius, ut ieiunet, ut manum Domini pacienter toleret, ut non desperet, sed Dominum inuocet, certa concepta fiducia, quòd qui afflictiones immisit, is etiam in afflictionibus seruaturus sit. Et ut aliquid amplius addamus, nemo quidem, ut iam diximus, sibiipsi crucem absq; uocatione Dei imponere debet, attamen, si omnino quis temeritate sua se in afflictionem quandam coniecit, ne sic quidem animum despondeat, sed agnoscat peccatum suum, credat peccatum propter Christum remitti, & inuocet nomen Dñi, ut saluus fiat. Quicunq; eñ, inquit propheta, inuocauerit nomẽ Domini saluus erit. Breuiter, hac quisque uirtute præditus esse debet, ut nulli nec prosperæ nec aduersæ fortunæ succumbat, sed in omnibus quæ acciderint, piã mentẽ seruet, ac præsenti uocatiõi Dei obediat. Vnde Paulus, ad Corinthios scribẽs: Cõmendemus, inquit, nos ipsos in oĩbus, ut ministri Dei, in tolerantia multa, in afflictiõibus, in necessitatibus, in anxietatibus, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus. Et mox: Per arma iusticiæ dextra ac siniſtra, per gloriã & ignominiã, per cõuicia & laudes. Et ad Philippẽses: Didici, ait, in quibus sum his cõtentus esse. Noui & humilis esse, noui & excellere. Vbiq; & in oĩbus institutus sum, & saturari

Nuptiarum finis & abitus sponsi.

Impiorum & hypocritarũ uiuẽdi ratio.

Piorũ uiuendi ratio.

Crucem nemo sibiipsi sine uocatione Dei imponat.

& saturari & esurire, & abundare & penuriam pati. Omnia possum per Christum qui me corroborat. Huius rei exemplū dedit Iob. Nam cum dono Domini diuitiis affluebat, non abiiciebat eas, nec tradebat se in mendicitatem, sed utebatur ipsis in Domino cum gratiarum actione, adeoq; pie se in ipsis gerebat, ut testimonio Dei non fuerit eo tempore ullus similis ipsi in toto orbe terrarum. Postea uero cum diuitiæ ablatæ essent, non insanuit aduersus Dominum, nec desperauit, sed manum Domini admirabili æquitate animi sustinuit dicens: Nudus egressus sum de utero matris meæ, & nudus reuertar illuc. Dominus dedit, Dominus abstulit. Sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum. Habes etiam huius rei exemplum in Dauide. Hic accepto à Domino regno, non abdicabat se imperio, nec includebat se in monasterium, sed agebat regem, regia utebatur maiestate, iuxta præsentem uocationem Dei. Postea autem regno expulsus, non indignabatur aduersus iudicium Dei, nec animum despondebat, sed cogitabat, si bona de manu Domini accepisset, mala cur non sustineret? ac dicebat: Si inuenero gratiam in oculis Dei, reducet me, & ostendet mihi arcam & tabernaculum suum. Si autē dixerit mihi, non places, præsto sum, faciat quod bonum est coram se. Itaq; uides Dauidem in omnibus institutum, & super quæuis ephippia idoneum fuisse, adeoq; reipsa præstitisse, quod Christus hoc loco ait: Num possunt filii sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus? Venient autem dies cū tolletur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt. Habes primam rationem, propter quam Christus non præscripsit discipulis suis certas & Pharisaicas obseruationes ieiuniorum. E qua primum obseruandum est, Christum non uelle, ut quis sine uocatione Dei sibi crucem imponat. Quare castigationes, flagella, & aliæ afflictiones, quas monachi & hypocritæ nulla Dei uocatione suscipiunt, uanissimæ sunt, nec pertinent ad crucem Christi. Deinde animaduertendum est, Christum hoc potissimum requirere, ut discamus in quauis fortuna, siue prospera siue aduersa, animum in fide fortem ac constantem seruare, & prosperis quidem cum gratiarum actione in timore Domini uti, aduersa autem à Domino immissa, in fide pacienter tolerare. Quæ cum ita se habeant, audiamus nunc ea quæ sequūtur. Dicebat autem & similitudinem ad illos: Nemo cōmissuram à nouo uestimento immittit in uestimentum uetus, alioqui & nouum rumpit, & ueteri non conuenit commissura à nouo. Et nemo mittit uinum nouum in utres ueteres, alioqui nouum uinum rumpit utres, & ipsum effundetur, & utres peribunt. Sed uinum nouum in utres nouos mittendum est, & utraq; conseruantur. Et nemo bibens uetus, statim uult nouum. Dicit enim, uetus melius est. Comparationi nuptiarum addit Christus duas similitudines. Et sicut cōparatione ostendit, non esse certas ieiuniorum obseruationes statuendas, sed foro, ut dicitur, utendum, ac præsenti fortunæ sese accommodandum, ita nunc similitudinibus docet, Christianismo prorsus non conuenire cum obseruationibus Pharisaicis, & traditionibus humanis. Prior ergo similitudo ab immissura noui panni ducta est. Nam quemadmodum nemo, qui honestam uestem habere uelit, assuit ueteri & lacero uestimento immissuram aut supplementum à nouo panno sumptum. Hæc enim minime conueniunt, & consuta ualde indecora sunt. Itaq; etiamsi quis consuerit, tamen offensus pannorum dissimilitudine, & indecoro habitu, statim abrumpit assumentum & fit ruptura multo peior quàm antea fuerat, ita nemo, qui ueram religionem sectari uult, coniungere potest in unam religionem Pharisaicas & humanas traditiones cum Euangelio DOMINI nostri Iesu CHRISTI. Vetus enim & lacera uestis est religio Pharisaicarum & humanarum traditionū ac obseruationum

Iob.

Dauid.

Christianismo non conuenit cum traditionibus humanis,

Religio Phariſaicarũ & humanarum traditionũ eſt uetus & lacera ueſtis.

de cibis, feſtis diebus, ueſtitu, certis ieiuniis, certis precationibus, & aliis id genus operibus. Hæc religio ideo uetus dicitur, non quòd fuerit religio ueterum ac piorum patriarcharum & ſanctorum, qui remiſsionem peccatorum & uitam æternam in benedicto ſemine Abraæ, hoc eſt, CHRISTO IESV, per fidem, non in obſeruationibus humanarum traditionum, quæſiuerunt, ſed quòd ante multos annos à maioribus Phariſæorum tradita, & in diſcipulis ipſorum ita inueterata fuerit, ut exiſtimauerint, nullam poſſe aliam ueram & legitimam religionem eſſe. Cõmodiſsime autẽ uocatur lacera ueſtis, quæ opus habeat aſſumento. Sicut enim lacera ueſtis non depellit frigus à corpore humano, nec calefacit hominem, ita opera humanarum traditionum non poſſunt horrori conſcientiæ mederi, nec poſſunt conſcientiam ad bene confidendum de Domino accendere, ſed quo plura repetuntur, eo frigidiorem ac deſperatiorem animum operantis reddunt. Euangelion uero Domini noſtri Ieſu Chriſti, quod pollicetur remiſsionem peccatorum gratis per fidem propter Chriſtum, nouo panno confertur, non quòd ſit religio recens excogitata. Hoc enim Euangelion iam inde ab initio in paradiſo ab ipſomet Domino Deo noſtro prædicatum eſt, cum dixit ad ſerpentem: Semen mulieris conteret caput tuum, & ſubinde magis ac magis illuſtratum eſt, donec Chriſtus ipſe tam diu prædicatus hominem induit: ſed dicitur nouum, propterea q̃ Phariſæis, hypocritis & diſcipulis eorum inauditum, inſolitum, & incognitum erat, & uidebatur ipſis religio non noua ſolum, & nuper nata, uerumetiam hæretica & in Deum blaſphema. Igitur, quemadmodum lacero & ueteri ueſtimento non cõuenit aſſumentum noui panni, ita uetus Phariſæorum & hypocritarũ ſuperſtitio non poteſt conuenire cum nouo Euangelio, quod Chriſtus & diſcipuli eius prædicarunt. Nam, quod ad prædicationem legis attinet, docent hypocritæ, legem impleri externis operibus, & eum coram Deo iuſtum eſſe, qui coram mundo honeſtam & irreprehẽſibilem uitam ducit. Chriſtus uero docet, legem non requirere tantum externa opera, uerumetiam ſpirituales motus cordis. Audiuiſtis, inquit, q̃ dictũ ſit ueteribus: Non occides, quiſquis autem occiderit, obnoxius erit iudicio. At ego dico uobis, q̃ quiſquis iraſcitur fratri ſuo, obnoxius erit iudicio. Et iterum: Audiſtis, q̃ dictum fuerit antiquis: Non cõmittes adulterium. At ego dico uobis, q̃ quicunq; aſpexerit uxorẽ alterius ad concupiſcendum eam, iam adulterium cum ea cõmiſit in corde ſuo. Quod autem ad prædicationem Euangelii ſeu remiſsionis peccatorum attinet, docent hypocritæ, q̃ merita bonorum operum & humanarum traditionum ſatisfaciant pro peccatis, mitigent iram Dei, & ſint digna ſempiterna fœlicitate. Chriſtus autem docet, q̃ nulla opera hominum tam bona ſint, ut poſsint expiare peccata, placare Deum, & mereri uitam æternam, ſed q̃ remiſsio peccatorum, gratia Dei & ſempiterna fœlicitas cõtingant gratis per fidẽ in ipſum. Quid autem his doctrinis pugnantius? quid inter ſe magis diuerſum? Nõ poteſt igitur fieri, ut Chriſtus ueteri & lacero Phariſæorum ueſtimento nouum ſuum pannum affuat, & doctrinam Euangelii Phariſaicis & hypocriticis traditionibus uiciet. Fuere quidem in eccleſia, qui conati ſunt merita hominum cum Euangelio conſuere atq; cõmiſcere, & dixerunt: Remiſsionem peccatorum cõtingere per fidem in Chriſtũ, ſed ita, ſi hanc remiſsionem bonis operibus merearis. Hoc autem nihil aliud eſt, q̃ ruptura ueteris ueſtimenti peiorem facere. Nihil enim magis repugnat doctrinæ de meritis operum, quantum ad iuſtificationem attinet, q̃ doctrina fidei in Ieſum Chriſtũ. Vbi. n. prædicatur fides in Chriſtum, ibi prædicatur gratia & clemẽtia Dei, ibi nullus eſt locus meritis. Si enim per gratiam, inquit Paulus, non iam ex operibus,

Euangelion Ieſu Chriſti eſt nouus pannus.

Doctrinæ de meritis operũ repugnat doctrina fidei

quandoquidẽ

quandoquidē gratia, iam nō est gratia. Sin ex operibus, nō iam est gratia. Et itē: Gratia seruati estis per fidē, idq; non ex uobis. Dei donum est, non ex operibus, ne quis glorietur. Quare qui dicūt, remissionē pctōrum hac cōditione contingere per fidē, ut remissionē bonis operibus mereāris, non possent apertius, q̄ suis ipsorum uerbis, seipsos cōfutare, & merita sua destruere. Posterior similitudo ducta est à ueteribus utribus. Sicut enim nullus prudens œconomus infundit nouū uinū in ueteres utres, (Fuerūt aūt utres Israelitis pro uasis) ne uidelicet utres uetustate fathiscētes insolentia noui uini rumpant, & uinū effundat. Sed qui uoluerit rem familiā rem utiliter administrare, nouū uinum nouis utribus cōmittit, ut & uinū & utres seruent, ita nullus prudēs mysteriorum dispensator nouum Euangelion de gratuita remissiōe pctōrum propter Christum cōmiscere debet cum ueteribus utribus Pharisaicarū traditionū, quæ sentiunt, quòd opera hoīm mereant remissionē peccatorum. Qui uero hoc conat, nihil aliud agit, quàm q̄ & sua merita destruat, & Euangelion Christi uiciet, atq; ita nec merita operū, nec gratiam Christi retineat. Oibus igit modis fugiendū est, ne Euangelion cū humanis traditionibus, quæ docent remissionē pctōrum ppter opera contingere, cōmisceat. Cæterū, quod in fine addit: Nemo qui biberit uetus, statim uult nouū: Dicit enī, uetus melius est, hāc habet sententiā: Qui ueteribus hoīm traditionibus & opinionibus meritorū infecti sunt, hi difficulter admittunt Euangelion de gratuita remissione pctorū propter Christū. Existimant enī, ut uetus uinū, ita ueterē suam superstitionē multo meliorē esse noua puædicatione Euangelii. Quòd si antea infectis hoc accidit, quid his accideret, quibus unà cū Euangelio de gratuita remissione peccatorū etiā Pharisaicæ obseruationes & merita humanorū operū prædicarent? Quare nihil cōsultius, nihil utilius, imo nihil magis necessariū est, quàm ut doctrinæ Euangelii nihil Pharisaicarum traditionū commisceatur. Habes argumenta, quibus Christus docet, quas ob causſas non exigat à discipulis suis certa ieiunia, nec præscribat ipsis certas & Pharisaicas aliorū operū obseruationes. Non est aūt existimandum, quòd quia hæc ad Pharisæos dicta sunt, ad pharisaismum duntaxat Iudaicū confutandū pertineant, sed senciendum est, quòd his argmentis totus sophisticus ordo, qui in Christianismo merita operū pro peccatis docet, totus monachismus, qui certas regulas uitæ ad cōsequendā remissionē peccatorū obseruat, totus denique Papat9, qui certa opera & indulgentias pro satisfactione pctōrum instituit, subuertat ac destruatur. Non est enī aliud nomē sub cœlo inter hoies datum, in quo oporteat nos remissionem peccatorum & salutem cōsequi, quàm nomen Domini nostri Iesu Christi, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus laudandus in secula Amen.

Euangelio nō sunt cōmiscēdæ humanæ traditiones.

Sophistæ Monachi & Papistæ refutantur.

CAPVT SEXTVM

HOMILIA XLVII.



IN SVPERIORI capite exprobrarunt Pharisæi Domino nostro Iesu Christo, primum, q̄ hominibus peccata remitteret, & diuinam autoritatem sibi usurparet, deinde q̄ cum peccatoribus & publicanis conuiuaretur, Postremo, q̄ certas ieiuniorum & aliorum operum obseruationes discipulis suis non præscriberet. In principio autem huius capitis exprobrant ei (Impia enim hypocrisis, maximorum suorum uiciorum oblita,

semper in altero inuenit, quod fastidiat, calumnietur, arguat & reprehẽdat quòd discipulos suos non adigat ad obseruationem diuinæ legis. Sed quẽadmodum antea inuida Pharisæorum exprobratio nobis optime ceisit, ppterea quòd occasione eius didicerimus è Christo, quod sit uerum ipsius officium, & quæ sit uera Pharisaicarum traditionum ratio, ita nunc magnam nobis affert utilitatem, quòd Pharisæi expostulent cum Christo de uiolatione sabbati. Hac enim occasione explicat Christus, quid recte sentiendum sit de obseruatione non solum sabbati, sed etiam omnium legũ tam politicarum quàm cærimonialium. Quare si nobis recta publicarum legum cognitio curæ est, diligenter animaduertamus, quod hoc loco scribitur. Factum est, inquit Lucas, in sabbato secundoprimo, cum trãsiret Iesus per sata, uellebant discipuli eius spicas, & manducabãt, cõfricantes manibus. De hoc sabbato secundoprimo, quod Græci δευτεροπρωτῳ uocant, alii aliter sentiunt. Sed si quis diligenter omnia, quæ ad hãc rem attinet, excutiat, inueniẽt eum diem hoc loco sabbatũ secũdoprimum uocari, quo sacerdos manipulum primiciarum messis coram Domino mouebat. Is erat dies Pẽtecostes, quem & ipsa scriptura uocat, alteram diem sabbati, hoc est, secũdum diem post prius sabbatum. In Leuitico eñ capite uicesimo tertio ita scribitur: Cum messueritis segetem, feretis manipulũ primiciarum messis uestræ ad sacerdotẽ. Qui mouebit manipulũ corã Dño, ut acceptabilis sit pro uobis. Mouebit autem illũ altera die sabbati. Et mox: Numerabitis ab altera die sabbati, in quo attulistis manipulũ mouẽdæ, septem integra sabbata, usq; ad crastinũ sabbati septimi. Festũ igitur, quod Mose uocat alteram diẽ sabbati, hoc Lucas uocat sabbarum δευτεροπρωτῳ, diem sanctum, in quo nullum seruile opus facere licebat. Quare, cum eo die discipuli Christi spicas uellerent, & manibus confricarent: Quidam Pharisæorũ dicebant illis: Quid facitis, quod nõ licet sabbatis? Apud Matthæum etiam ipsi Christo hoc exprobrant, dicentes. Ecce discipuli tui faciunt, quod non licet facere in sabbato. Non exprobrãt, quòd alienas segetes uellant. Hoc enim iuxta legem licebat, quæ ait: Si intraueris segetem amici tui, franges spicas & manu conteres, falce autem non metes, sed exprobrant, quòd id faciant die festo. Habet autem exprobratio ista hanc sententiam: Tolerare quidem possumus, ut cum peccatoribus edatis, ut humanas traditiones non obseruetis, at hoc est intolerabile, quòd uioletis legem diuinam. Sint sane certa ieunia & prolixæ preces, cõstitutiones Pharisæorũ. At huius diei obseruatio mandatum est diuinum. Ipsa uox Dei inquit: Vocabitis hũc diem sanctum inter uos. Nullũ opus seruile facietis in eo. Quibus uerbis perspicue significat Dominus, quòd non minori religione hunc diem obseruari uelit, quàm ipsum septimi diei sabbatum. Quid aũt sabbato septimi diei obseruatu sanctius præceptum est? Nam, cũ Deus post creaturas recens conditas septimo die quieuerit, argumentũ satis manifestum est, nihil operis sabbato faciendum esse. Quid, quòd huius diei obseruatio etiam miraculo cõfirmata est? Etenim cum Israelitæ ex Aegypto in desertũ proficiscerentur, pluit Dominus mãna de cœlo singulis diebus, & cum reseruare usq; ad mane alterius diei, cœpit scatere uermibus & computrescere. Sexta autem die dedit Dominus duplices cibos, qui usque in sabbatum reseruati non computruerũt. Hoc igitur signo & miracalo uoluit Deus ostendere, diem sabbati summa sanctitate, ocio, & quiete obseruandum esse. Vnde, cum filii Israël, quemadmodum in Numeris capite decimo quinto scriptum est, deprehendissent hominem in sabbato ligna colligẽtem, & Mose nesciret, quo supplicio hic homo afficiendus esset, respondit Dominus: Morte moriatur homo iste, obruat eum lapidibus omnis turba extra castra. Et, ut

Sabbatum secundo primũ.

Sabbati obseruatio.

huius diei

huius diei obseruatio maiori religione inculcaretur, præceptum de sabbato relatum est in catalogum decem illorum uerborum, quæ totius legis summam continent, & sortitum est tertium locum, ut quo in illustriori loco positum esset, eo sanctiori religione obseruandum significaretur. Cum igitur Dominus Deus noster obseruationem huius sabbati δευτεροπρώτου, quod est dies Pentecostes, nō minori seueritate, q̄ obseruationem sabbati diei septimi exigat, consectaneum est, discipulos tuos tanto grauius aduersus Deum peccare, quanto præfractius legem Dei uiolant. Profecto tanta peccandi licentia prorsus intolerabilis est. Vobis ne solis impune erit, tam humanas quàm diuinas leges uiolare? Nihil minus feremus. Quare aut facito, ut discipuli tui legem Dei obseruēt, aut nos lapidibus efficiemus, ut porro non libeat uobis tam præfracte peccare. Hæc est sententia expostulationis, qua Pharisæi exprobrant Christo, quòd discipuli eius festum diem uiolent. Atq; hoc uere est, quod Christus de hypocrita dicit: Cur uides festucam, quæ est in oculo fratris tui, trabem autem, quæ est in oculo tuo, non animaduertis? Aut quomodo dicis fratri tuo: Sine eximam festucam ex oculo tuo, & ecce trabes in oculo tuo? Hi Pharisæi scatebant toti inuidia, liuore, auaricia, arrogantia, contemptu proximi, & impietate. Has suas trabes non animaduertunt. Festucam autem illam, quòd discipuli Christi sabbato spicas uellerent, continuo non solum animaduertūt, sed etiam exaggerant. Audiamus igitur quid Christus ad hæc respōdeat. Dicit ēm « ad eos: Nec hoc legistis, quod fecit Dauid, cum esuriret ipse, & qui cum illo erant? « Quomodo intrauit in domum Dei, & panes propositionis sumpsit, & manducauit, & dedit his qui cum ipso erant, quos non licebat manducare, nisi tantum sacerdotibus. Et dicebat illis: Dominus est filius hominis, etiam sabbati. Duobus « argumentis probat Christus, discipulos suos euulsione spicarum nec peccare nec uiolare festum diem. Prius illud argumentum, exemplum est à Dauide sumptum. Cæterum, historia quam CHRISTVS hoc loco allegat, habetur in priori libro Samuelis capite uicesimo primo. Nam cum Dauid paucis seruis comitatus fugeret Saulem persecutorem suum, diuertit forte ad urbem Nobe, in qua habitabat summus sacerdos nomine Achimelech. Et cum esuriret, postulauit à sacerdote pānes. Sacerdos autem respondit: Non habeo, inquiēs, laicos panes ad manum, sed tantum panem sanctum. Si mundi sunt pueri, maxime à mulieribus, manducent. Cui Dauid: Si de mulieribus (inquit) agitur, continuimus nos ab heri & nudiustertius, quando egrediebamur, & fuerunt uasa puerorum sancta. Porro uia hæc pollu ta quidem est, sed & ipsa hodie sanctificabitur in uasis, hoc est: Scimus quidē non licere ex lege laicis manducare panes propositionis, sed quia nos mundi sumus, & mundis omnia sunt munda, ideo licebit & nobis his panibus uesci. Porro, de his panibus lex in Leuitico capite uicesimo quarto ita dicit: Accipies similā & coques ex ea duodecim panes, qui singuli habebunt duas decimas, quorum senos altrinsecus super mensam purissimam coram Domino statues, & pones super eos thus lucidissimum, ut sit panis in monumentum oblationis Domini. Per singula sabbata mutabuntur coram Domino, suscepta à filiis Israēl fœdere sempiterno. Eruntque Aheron, & filiorum eius, ut comedant eos in loco sancto. Erunt (inquit lex) Aheronis & filiorum eius, hoc est, non liceat aliis hominibus manducare hos sanctos panes, qui coram Domino per totam hebdomadam positi erant (unde & panes propositionis dicti sunt) sed pertinent tantum ad summum sacerdotem & filios eius, quia sanctum sanctorum est de sacrificiis Domini iure perpetuo. Cæterum, hi

Panes propositionis.

Panes propositionis quid significauerint

panes(ut & hoc interim adiiciam)significauerunt Euangelion, quod est per duodecim Apostolos in orbem terrarum uulgatum, & est panis cœlestis, cor hominis confirmans, potentia nimirum Dei, ad salutem omni credenti, semper in ecclesia Domini prædicandum, & subinde repetendum, iterandum, & inculcandũ esse, acproprie pertinere ad filios summi sacerdotis, qui est Iesus Christus Dominus noster. Ex hoc igitur exemplo Christus pro discipulis aduersus Pharisæos ita argumentatur: In lege non minus præcipitur, ut laici non uescantur panibus propositionis, q̃ ut sancta religione hoc δευτερόπρωτον sabbatum obseruetur. Dauid autem in casu necessitatis nullam habuit rationem legis de propositionis, sed cum esuriret, ac fame urgeretur, uiolauit hanc legem, & comedit panes sanctificatos. Nec quisquam est, qui ipsum propter hoc factum alicuius peccati accuset, sed omnes excusant potius factum propter necessitatem, quam aiunt non esse legibus subiectam. Nec eludi potest, si dicatur, q̃ ideo licuerit Dauidi hãc legem uiolare, quia summus põtifex Achimelech, cui sit autoritas dispensandæ legis, id ex plenaria, ut loquuntur, potestate concesserit. Nam Dauid addit rationem uiolandæ legis, &

Legem Dei quatenus uiolare liceat.

ait: Via hæc polluta quidem est, sed & ipsa hodie sanctificabitur in uasis, hoc est, puris omnia sunt pura, & sanctis omnia sunt sancta. Hæc autem generalis est ratio, & perspicue docet, legem licere uiolare, non autoritate põtificis, sed autoritate Dei, qui quod ad hanc rem attinet, nec alligaret necessitatem legi, nec iudicaret cibos ullum fide sanctificatum inquinare. Proinde si licuit Dauidi uiolare propter famẽ legem de panibus propositionis, cur non liceret discipulis meis, in eodem casu necessitatis, propter famem uiolare legem de obseruando sabbato? Et si obieceritis, discipulos meos longe dissimiles esse Dauidi, q̃ hic iam in regem unctus erat, mei autem discipuli homines priuati sint, regia tamen unctio non excusat Dauidem, sicut nec humilitas meos discipulos accusat, propterea q̃ quæ fecerit Dauid, solis duntaxat sacerdotibus, nullis autem laicis siue regibus siue priuatis hominibus, facere licuerit. Adhæc, non solus Dauid hanc legem propter esuriem uiolauit, uerumetiam serui eius, qui cum ipso erant, uiolarunt eam. Nam & ipse Dauid manducauit, & dedit his, qui cum ipso erant, ut manducarent. Quare, si serui Dauidis non peccarunt comedendo panes propositionis, profecto nec discipuli mei peccant euellendo spicas in sabbato. Habes exemplum Dauidis, quo discipuli Christi excusantur. Huic additur apud Matthæum capite duodecimo exemplum de sacerdotibus. An non legistis (inquit Christus) in lege, q̃ sabbatis sacerdotes in tẽplo sabbatũ prophanant, & crimine uacant? Dico autem uobis, q̃ templo maior est hoc in loco. Sunt & alia exẽpla, quæ aliàs Christus, ad excusationẽ uiolati sabbati, ut est illud de circũcisione, quæ fit sabbato, & de oue sabbato in foueã incidente affert, sed ea postea cõmemorabuntur à nobis. Nunc audiamus posterius argu-

,, mẽtum, quo Christus hoc loco uiolationẽ sabbati excusat. Et dicebat illis: Do

,, minus est filius hominis, etiam sabbati. In Euangelistis sæpenumero fit mentio filii hominis. Paucis igitur explicabimus, quæ sit huius nominis ratio, & quid hoc

Christus filius hominis.

loco per filium hominis intelligendum sit. Manifestum autem est, q̃ Christus sæpissime sese filium hominis uocet. Ac alii qudem inepte sentiunt, Christum ideo dici filium hominis, q̃ cum alii homines sint filii duorum hominum, patris uidelicet & matris, Christus unius tantum hominis in terra filius sit, nimirum, uirginis

Duo præcipui homines in terra.

Mariæ. Alii melius sentiunt, Christum dici filium hominis (quo nomine Hebræi simpliciter hominem intelligunt) per antithesim ad Adam primum hominem. Sunt enim duo tantum præcipui homines in toto orbe terrarum, unde totum humanum ge-

manum genus pendet: Adam, à quo pendemus generatione carnali, & Christus, à quo pendemus generatione spirituali. Factus est, inquit Paulus, primus homo Adam in animam uiuentem: Extremus Adam in spiritum uiuificantem. Et primus homo de terra terrenus. Secundus homo ipse Dominus de cœlo. Hæc expositio filii hominis non est absurda. Sed obseruandum est, primum, q̃ quemadmodũ paulo ante meminimus, Hebræi more suo hominem uocant filium Adam seu hominis, sicut morti obnoxium uocant filium mortis, pacificum, filium pacis, perditum, filium perditionis, & multa id genus alia. Deinde, non solus Christus uocat se filium hominis, sed etiam propheta Ezechiel filius hominis sæpissime uocatur. Et generaliter quiuis homo, filius Adam seu hominis appellatur. Iob ait: Ecce stellæ non sunt mundæ in conspectu Dei, quanto magis homo, putredo, & filius hominis, uermis. Et Esaias: Quis est tu, inquit, ut timeas ab homine mortali, & à filio hominis, qui quasi fœnum arescet? Et Ieremias de deuastatiõe Idumææ: Non habitabit, inquit, ibi uir, & non incolet eam filius hominis. In his & multis aliis scripturæ locis filius hominis non pro Christo, sed simpliciter pro homine, iuxta Hebræum idiotismum accipitur. Vnde cum & Christus se filium hominis uocat, non usurpat sibi nouum quoddam & insolitum cognomen, sed se hominem significaturus, more Hebræo filium hominis se appellat. Aut si omnino singulari quadam caussa se filium hominis uocat, profecto hanc potissimum esse puto, q̃ hoc cognomine humilitatem & contemptum sui coram mundo significare uelit. Nam Hebræi, cum aliàs pro homine, filium Adam seu hominis dicant, tum præcipue hoc faciunt, cum uolunt hominis miseriam & calamitatem ab Adamo in ipsum transmissam exprimere, ut sit filius hominis, quasi dicas, miser & calamitosus homo, qui à primo parente suo Adam in omnia genera afflictionum coniectus est. Quid est homo, inquit Dauid, quia innotuisti ei? aut filius hominis, quia reputas eum? Homo uanitati similis factus est, dies eius sicut umbra prætereunt. Et iterum: Nolite confidere in principibus, neq; in filiis Adam, in quibus non est salus. Vocat igitur Christus se filium hominis, ut hoc cognomine significet, omnes calamitates ab Adam propter peccatum meritas, in se coniectas, ac se hunc hominem esse, qui iuxta prophetam, sit despectus & nouissimus uirorum, plenus doloribus & infirmitatibus, in quem Deus omnium hominum peccata reiecerit. Sed hoc loco, cum dicitur: dominus est filius hominis, etiam sabbati, pro filio hominis non tantum intelligitur Christus, sed simpliciter quiuis homo. Nam id Marcus perspicue indicat, apud quem Christus ita dicit: Sabbatum propter hominem factum est, & nõ homo propter sabbatum. Itaq; dominus est filius hominis, etiã sabbati. Quod hanc habet sententiam: Homo ab initio non solum creatus est in dominum terræ, piscium, maris, uolatilium cœli, & animantium terræ, sed etiam creatus est in dominum sabbati. Quicquid enim creatum & ordinatum est in utilitatem hominis, eius rei homo constitutus est dominus, & necesse habet utilitati humanæ cedere. Non solum autem animantia terræ, maris ac cœli in utilitatem humanam creata sunt, uerumetiam sabbatum in utilitatem humanam diuinitus ordinatum est. Quare manifeste consequitur, hominem esse dominum etiam sabbati. Si autem est dominus sabbati, quid reliquum est, nisi q̃ liceat ei etiam sabbato pro iure dominii sui uti? Non est ignotum nobis, quod ius habeat dominus in possessiones suas. Habet enim potestatem administrandi eas pro suo cõmodo & utilitate, ac ipsæ possessiones necesse habẽt utilitati domini sui seruire. Proinde, quia etiam sabbatum inter humanas possessiones numerandũ est, necesse habet humanæ utilitati cedere.

Dominus sabbati, quilibet homo.

Et siquidem obseruatu utile fuerit, obseruari debet, si autem fuerit obseruatu inutile & in cõmodum, quẽadmodum accidit in fame, autalio casu necessitatis, uiolare citra peccatum, diuina autoritate iam olim homini in prima sui creatione concessa, licet. Sed quid, inquies? Lex Domini est: Sabbatum sanctifices. Ergo ne licebit legem Domini uiolare ex necessitate? abnegabo igitur Christum ex necessitate, uidelicet, ne propter confessionem nominis Christi aut persecutionem patiar, aut occidar. A dorabo idolum, ex necessitate, ne trucider. Dicam falsum testimonium, ex necessitate, uidelicet, ne dicendo ueritatem meipsum grauibus periculis & damnis obiiciam. Et si homo dominus est sabbati diuina lege instituti, ac potest pro suo cõmodo illud administrare, quid consequitur, nisi quòd homini in diuina lege liceat, quod libet? Quid autem absurdius? quid rebus humanis perniciosius? quid timori Dei, quem homo uerbo Domini debet, magis aduersum dici potest? Obseruandum igitur est, quod sit discrimen legum & ordinationum diuinarum, ut ex hoc discrimine erudiamur, quomodo homo sit dominus legum, & quibus legibus necessitas non sit subiecta. Itaq; legum aliæ sunt naturales, aliæ positiuæ. Positiuarum autem aliæ sunt iudiciales, aliæ cærimoniales. Naturales leges, quæ alio nomine ethicæ aut morales uocantur, sunt, quas Deus naturali hominis rationi inscripsit, & postea per Mosen, partim in decalogo, partim aliàs illustrauit. Hæ autem sunt: Deum colendum esse, nomen Dei uenerandum & prædicandum esse, parentes & magistratus honorandos, non occidendum, non furandum, non adulterium committendum. Breuiter, proximum sicut seipsum diligẽdum, & quod tibi non uelis fieri, alteri non faciẽdum esse. In hoc enim uerbo, quicquid studii & beneuolentiæ proximo impendere debemus, summatim comprehenditẽ. Hæ dicuntur diuinæ leges, non tantum ob id, quòd decalogus, in quo tanquam in breui epitoma continentur, datus sit diuinitus in monte Sinai per Mosen, sed ob id etiam, quòd cognitio earum humanæ rationi diuinitus insculpta sit. Vnde sentiendũ est, q; nõ solum id, quod Mose de bonis operibus, sed etiã id quod philosophi gentium de generibus uirtutum & officiorum scripserunt ac docuerunt, ad harum legum ordinem pertineat. Quod de Deo, inquit Paulus, cognosci potest, manifestum est in gentibus. Deus enim illis patefecit. Et rursus: Gentes ostendunt ópus legis scriptum in cordibus suis, simul attestante conscientia illorum, & cogitationibus inter se accusantibus aut etiam excusantibus. Positiuæ autem leges habẽt originem suam è legibus naturalibus, & sunt, quæ diuina ordinatione ad conseruationem publicæ tum ecclesiasticæ tum ciuilis politiæ ponuntur & constituunt. Et quia duplex est politia, altera ecclesiastica, altera ciuilis, duplex quoq; ordo est legum positiuarum: Aliæ sunt ecclesiasticæ, quas uocãt cærimoniales. Et sunt, quæ instituuntur ad docendam & conseruandam ueram fidem seu religionem in ecclesia. Harum multæ sunt in lege Mosi, ut leges de circumcisione, de sabbato, de sacrificiis, & de toto Leuitico cultu. Sunt etiam aliquot earum in Christianismo, ut institutiones de baptismo, de cœna dominica, de prædicatione Euangelii, & quæcunque ordinationes ad porrigenda & sumenda sacramenta ἐυχρμόνως, ut Paulino uerbo ũtar, & ad peragẽdum ministerium uerbi κατὰ τάξιν, institutæ sunt. Hæ autem dicuntur diuinæ leges, primum, quòd quæ in lege Mosi fuerunt, latæ sunt per Mosen ex uerbo Dñi, deinde, q; in nouo testamẽto baptismus, cœna dominica, & p̃dicatio Euãgelii ab ipso Christo filio Dei instituta & cõmendata sint. Cæterum, quæ his ob hanc causſam adiecta sunt, ut omnia fiant in ecclesia decenter & secundum ordinem, ea etiam diuinæ ordinationes dicuntur, propterea quòd Deus requirat

Legem Dei num uiolare liceat ex necessitate?

Legũ diuisio.

Leges naturales.

Naturales leges cur dicantur leges diuinæ.

Leges positiuæ.

Politia duplex.

Leges ecclesiasticæ seu cærimoniales.

Legis cæremoniales cur diuinæ uocentur.

requirat à nobis publicam dicentiam, ordinem, honestatem & modestiam. Vnde cum Paulus ecclesiam Corinthiorum honeste ordinasset, & uiris ac mulieribus sua cuiq; officia in ecclesia præscripsisset, addit: Si quis uidetur propheta esse, aut spiritualis, agnoscat quæ scribo uobis, quòd sint præcepta Dñi. Quam ob causſam? quia Dominus uult & præcipit, ut omnia decenter & secundum ordinem fiant. Sacra autē gentium, non fuerunt diuinæ ordinationes, sed cōmenta impietatis. Neq; enim fuerunt uerbo Domini instituta, nec profuerunt ad docendam uerā fidem, sed potius spectarunt ad subuertendam ueram religionem, & ad docendam impietatem ac idololatriam. Sacra quoq;, quæ sub papatu tantum ad expianda meritis ipsorum peccata, & ad placandam iram Dei ex opere operato obseruantur, nō sunt fidei in Christum, sed impiæ superstitionis sacra. Quare nec ipsa sunt diuinæ ordinationes. Sed de his postea. Aliæ sunt leges ciuiles, quæ proprie politicæ, aut iudiciales, aut forenses dicuntur, & sunt, quæ instituuntur ad conseruandam publicam pacem, tranquillitatem, & honestatem. Sunt & harum multæ in Mose, quæ Israelitis latæ fuerunt. Et habet unaquæuis gens politicas suas & forenses leges. Dicuntur & hæ leges diuinæ. Nam quas Mose Israelitis tulit, è uerbo Domini tulit. Quas autē alii legislatores secundum rectam rationem tulerunt, ideo diuinæ dicuntur, quòd magistratus sit ordinatio Dei, & minister Dei, ultor ad iram ei, qui quod malū est fecerit. Quare politicæ leges magistratus, huc spectantes, ut bonum opus laudem ferat, malum puniatur, & publica tranquillitas ac honestas conseruetur, diuinæ leges ac ordinationes optimo iure dicuntur. Dicit enim Paulus: Non est potestas nisi à Deo, quæ uero sunt potestates, à Deo ordinatæ sunt. Habes discrimen diuinarū legum. Reliquum nunc est, ut uideamus quarum legum homo ita dominus sit, ut non sit ipsis in casu necessitatis obnoxius. Ac primum, si de modo iustificationis coram Deo loquamur, profecto sentiēdum est, hominem nulli prorsus legi nec naturali nec positiuæ subiectum esse. Quanquam enim lex sancta sit, & quod ad se attinet, tam sancta opera præcipiat, ut ea, si perfecte & absolute ab homine implerentur, coram Deo iustificarent, tamen quia homo uenditus est sub peccatū, nulla lex, nulla opera legis siue naturalis, siue cærimonialis, siue iudicialis, possunt hominē coram Deo iustificare, iram Dei placare, & uitam æternam mereri, sed solus Iesus Christus propositus est nobis in iustificationem nostri, ut omnis qui credit in eum, reputetur ptopter ipsum iustus coram Deo, & habeat uitam æternam. Quare, quod ad iustificationem attinet, Christus omnes qui in ipsum credunt ab omnibus legibus & operibus earum ita liberos reddidit, ut necesse habeant sentire, se nullis plane operum suorum meritis iustificari & uitam habere posse. Pertinet autem hæc libertas, non ad externam & ciuilem uitam, qua omnibus legibus subiecti sumus, quē admodum mox sequetur, sed ad conscientiam & fidem cordis, uidelicet, ut non reputemus nos iustos propter opera, sed credamus nos tantum propter Christum iustos coram Deo reputari. Et hæc libertas conscientiæ à legibus & operibus earum, non tunc primum in orbē intrauit, cū Christus reuelatus, & inter gētes prædicatus est, sed semper fuit in orbe in cordibus piorū, ab eo tēpore, quo primū omniū Christus promissus est, hoc est, ab initio orbis terrarū, quo dictū est ad serpentē: Semen mulieris conteret caput tuum. Et postea ad Abraamū: In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ. Sic Mose, quanquā ipse Israelitis legē tulit, tamē, quod ad iustificationē attinet, fuit in cōscientia sua ab oībus legibus liber. Sic Dauid quamquam uixit sub lege, tamē nō reputauit se iustū propter opera legis. Sic oēs pii ante

Sacra gentiū

Leges politicæ & cur diuinæ dicātur.

Homo quarū legum sit dominus.

Libertas Christiana.

Libertas conscientiæ à legibus semper fuit in mūdo.

aduentum Christi in ipsis mediis legibus suis fuerunt in conscientia ab omnibus legibus liberi, quia crediderunt se non propter opera legis sed propter Christum iusticiam coram Deo habere. De hac libertate concionatur Petrus in concilio Hierosolymitano, & ait: Quid tentatis Deum, ut imponatur iugum super ceruices discipulorum, quod neq; patres nostri neq; nos portare potuimus, sed per gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus nos saluos fieri, quemadmodũ & illi. Et Paulus: Non estis, inquit, sub lege, sed sub gratia. Ac rursus: Lex spiritus uitæ per Christum Iesum liberum me reddidit à iure peccati & mortis. Et iterum: Quicunq; iustificamini per legem, à gratia excidistis, Christus factus est uobis ocioſus. Ac de libertate quidem conscientiæ hactenus, qua homo per Christum ita factus est dominus legis, ut oporteat non nisi in Christo iusticiã per fidem quærere. Nunc aũt dicemus de obedientia, quam diuinis legibus debemus. Nam quod ad obedientiã, & ad ipsa diuinaꝝ legum opera à nobis facienda pertinet, profecto nullus homo liber est, sed omnes omnibus diuinis legibus seruandis, tam naturalibus q̃ positiuis, obnoxii sunt. Quid ergo supra dictum est, hominẽ esse dominũ sabbati, & licere in casu necessitatis sabbatum impune uiolare? Vt hanc rem diserte intelligamus, discrimẽ diuinarum legũ paulo ante cõmemoratum animaduertẽdum est. Nam naturales leges hanc habent condicionẽ, ꝙ nulla quantumuis ingenti necessitate liceat eas uiolare, sed omnia pericula, omnia aduersa, omnes necessitates adeundæ potius sunt, q̃ ut hæ leges uiolentur. Comburi potius uelis, quàm ut Deũ abneges. Suspẽdi ex arbore malis, q̃ ut nomen Domini blasphemia afficias. Mori citius oportet, q̃ ut falsum testimoniũ dicas. Non enim est maior necessitas, quàm ea quæ debet obedientiæ Dei. Et non est maius periculũ, quàm id quod imminet nobis propter inobedientiã & peccatum. Quare omnes aliæ necessitates & pericula huic uni necessitati & periculo cedere debent. Vt enim obedias Deo, necesse est, ut uiuas corpore, non est necesse. Nam Dominus Deus noster ideo homini naturaliter cognitionem harum legũ patefecit, ut eas quisq; obseruare debeat. Et fides in Christũ non aufert hanc cognitionem, sed potius illustrat eam, & affert spiritum sanctum, cuius uirtute id, quod ante nobis factu impossibile erat, redditur possibile, non quidem perfecte impletur (semper enim manet in carne peccatum) sed tamen, quantum ad testificandã fidem satis est. Proinde omnino necesse est, ut naturalibus legibus, quas morales uocant, semper obediamus. Positiuæ autem leges, quarum aliæ sunt ecclesiasticæ, aliæ forenses, quoniam & ipsæ sunt diuinæ ordinationes, & habẽt originem suam ex naturalibus, non minori religione quàm naturales obseruandæ sunt. Non tamen ita sacrosanctæ & inuiolatæ sunt, ut non liceat eas legitima necessitate uiolare, imo & in totum abrogare. Hæ enim leges constant uariis populoꝝ, ecclesiarum, rerumpublicarũ, regionum, temporum, locorũ, personarum, & aliarũ rerum circumstantiis, quæ subinde mutari solent. Proinde sicut circumstantiæ harum legũ tum publice tum priuatim mutantur, ira & obedientia aut obseruatio earum mutatur. Perstringamus ergo singulas species haꝝ legum, ut uideamus, quæ sit uera earũ ratio, Primum enim, sunt leges ecclesiasticæ seu cærimoniales in Mose. Hæ debuerunt ab Israelitis obseruari, quamdiu externa eoꝝ resp. cõstitit, & Christus nõ reuelatus fuit. Erãt enim populo Israelitico diuinitus per Mosen ordinatæ, & erãt in hoc ordinatæ, ut nomẽ Dei prædicaret, promissiones de Christo docerent, & uera religio conseruaretur. Huc spectat circumcisio, huc sabbatum, huc sacrificia, huc totus Leuiticus cultus. Vult autem Deus naturali lege, ut nomen eius prædicetur, & uera religio conseruetur. Quare leges cærimoniales omnino in rep. Israelis

Obedientia erga leges diuinas.

Leges naturales nulla necessitate licet uiolare.

Leges positiuæ summa religione obseruandæ,

Legum cærimonialiũ obseruatio,

obseruandæ

obseruandæ erant. Attamen quia hæ leges, populo tantum Israelitico, non autem gentibus, datæ sunt, ac datæ sunt Israelitis non in damnum sed in utilitatem ipsorum, ideo neque gentes his legibus obnoxiæ fuerunt, nec necesse habuerunt secundum eas uiuere, etiamsi abiecta idololatria resipiscerent, uerum Deum agnoscerent, & promissionibus de Christo crederent. Vnde legimus Naëmanum Syrum abnegata impietate uerum Deum amplexum esse, non tamen legimus ipsum circumcisum, aut sabbata agentem. Legimus quoque Niniuitas ad prædicationem Ionæ resipuisse, & Deo placuisse, non tamen legimus ipsos leges cæriminiales Israelis in politia sua instituisse. Testatur & Daniel, quòd Nebucad Nezar rex Babyloniæ confessus sit publico edicto Deũ Israelis, & uetuerit ne quis aduersus hunc Deũ blasphemiam loquatur. Idem etiam de Dario rege Persarum scribit, quòd is publico edicto constituerit, ut in uniuerso imperio & regno suo tremiscant & paueant Deum Danielis. Atque ita uerus Deus, tam in monarchia Babylonica, quàm in monarchia Persica, publice prædicatus est, & proculdubio multi ex gentibus conuersi sunt ad Dominum, certum tamen est, quòd hæ gentes non instituerint apud se sacra Israelitica, neque id ad salutem ipsarum necessarium erat, quippe quòd leges illæ cærimoniales non gentibus sed Israelitis tantum datæ fuerunt. Iam & ipsi Israelitæ non fuerunt ita obnoxii his legibus, ut necesse habuerint eas semper obseruare. Quoties enim necessitas uel honestatis uel utilitatis aliò uocabat, licebat has leges sine peccato uiolare. Sic postquam Israelitæ ex Aegypto in desertum uenerunt, multi in deserto non circumcidebantur, quemadmodum in Iosua capite quinto scriptum est, & uerisimile est plures illorum in deserto mortuos, qui tamen, quia in fide mortui sunt, non sunt propter præpucium condemnati. Sic rex Hiskia dispensat cum iis, qui uescebantur agno pascali, non tamen erant iuxta legem sanctificati, & ait: Dominus bonus propiciabitur cunctis, qui toto corde requirunt Dominum Deum patrem suorum, & non imputabit eis, q̃ minus sanctificati sint. Sic .n. scriptum est in posteriori libro chronicõv capite tricesimo. Qua uoce Hiskia perspicue indicat, nec Israelitas teneri legibus cærimonialibus, si necessitas aliud suaserit. Huc pertinet etiam exemplum Dauidis, quod Christus hoc loco allegauit, de panibus propositionis. Huc facit, quod Christus ait: Dominus est filius hominis, etiam sabbati. Quo dicto non uult Christus, quòd sabbatum, aut aliæ cærimoniæ non debeant in rep. Israelitica obseruari. Dicit enim aliàs: Hæc, (nimirum moralia) oportuit facere, illa autem, uidelicet cærimonialia, non omittere. Sed exponit rationem legum cærimonialium, uidelicet, q̃ obseruari quidem propter publicã ordinationem debeant, sed si necessitas uel honestatis uel utilitatis aliò uocat, tunc quia homo dominus est earum, potest eas sibi aptas & accommodas facere. Postremo, leges ecclesiasticæ populi Mosaici post Christum in totum abrogatæ sunt, primum, quòd sacra Israelitarum fuerunt umbra Christi. Postquàm igitur uerum corpus aduenit, umbræ euanuerunt. Et lucente sole, extinguuntur lampades. Itaq̃ postquàm CHRISTVS uerus sol illuxit, extinctæ sunt lampades legis. Deinde, quia post CHRISTVM externus Israel desiit esse publicus populus, Resp. enim eorum prorsus dissipata & abrogata est, ideo desierunt etiam leges ipsorum cærimoniales. Atque hæc est uera ratio legum cærimonialium in lege. Nunc dicamus etiam de cærimoniis populi Christiani. Sunt enim quædam, quas Christus instituit: Sunt quædã, quas maiores nostri ad fidẽ in Christũ cõmode docendã ordinarunt. Tametsi aũt hæ cærimoniæ, quas maiores nostri instituerunt, nequaq̃ cum his, quas Christus instituit, cõferendæ sunt, tamẽ utræq̃ magna relgiõe obseruãdæ

Leges cærimoniales licebat Israelitis in necessitate uiolare.

Cærimoniæ Christianorum.

ſunt. Quod eñ ad cærimonias uerbo Ghriſti inſtitutas attinet, omnino uult Chriſtus, ut uerbo ipſius obediamus. Et quod attinet ad cærimonias à maioribus inſtitutas, uult etiam Chriſtus, ut omnia in eccleſia decenter & ſecundum ordinem fiant. Sed quia hæ cærimoniæ in noſtri utilitatem, non damnũ inſtitutæ ſunt, ideo uult etiam Dominus ut neceſsitati noſtræ cedant. Sic multi ſunt Chriſtiani ſub Turca captiui, qui non poſſunt uti ſacramento cœnæ dominicæ: Ergo ne damnabũtur nequaq̃, ſi modo ueram in Chriſtum fidem habeant. Multi quoq; ſub Papatu altera tantũ ſpecie ſacramenti cœnæ dominicæ contra inſtitutionem Chriſti uſi ſunt, quis autem diceret eos ob hanc rem damnatos? Hi quidem peccauerunt, qui nulla neceſsitate ſed tyrannide tantum & hypocriſi alteram ſpeciem ſacramẽti eccleſiæ abſtulerunt. Qui aũt alteram tantum ſpeciem ſumpſerunt, excuſati ſunt propter neceſsitatem. Sunt & multi, qui naturaſua uinum ne olfacere quidem poſſunt, hi panem tantum in cœna Dñi ſumunt. Ergò ne peccant, quia non ſequuntur ordinationẽ Chriſti? Minime. Neceſsitas eñ excuſat eos. Ná ſi filius hoiſeſt dominus ſabbati, cur nõ eſſet etiã dominus cœnæ dominicæ? dñs, inquã, non tyrãnus. Hic eñ nõ niſi temeritate, crudelitate, & mero uoluntatis ſuæ arbitrio leges uiolat, ille aũt non uiolat eas, niſi magna, iuſta & legitima neceſsitate coactus. Itaq;, & ſi homo conſtitutus ſit dominus cœnæ dominicæ & aliarum cærimoniarum, non tamen licet has cærimonias abſq; iuſta & legitima cauſſa uiolare. Cæterũ cærimoniæ, quæ à pontificibus in hoc inſtitutæ ſunt, ut mereant ex opere operato gratiam Dei, remiſsionem peccatorum & uitam æternam, prorſus impiæ ſunt, & cum hac opinione nequaquam obſeruari debent. Tantum enim abeſt, ut doceant fidem in Chriſtum, ut potius à fide in Chriſtum abducant, & Chriſtum blaſphemia afficiant. Cũ enim remiſsio peccatorum ad ſolam maieſtatem Chriſti pertineat, certe ubi remiſsio peccatorum transfertur in merita operum, ibi nihil eſt, niſi blaſphemia in Chriſtum. Quare cærimoniæ ſic inſtitutæ, quales ſunt priuatæ Miſſæ, & quædam aliæ, in eccleſia Domini prorſus abrogandæ ſunt. Deinde ſunt etiam leges ciuiles, quas, ut diximus, iudiciales ſeu forenſes uocant. Hæ eandem habent conditionem cum legibus cærimonialibus. Nam quæ ſunt in lege Moſi, profecto tantiſper ab Iſraelitis obſeruari debuerunt, dum reſp. eorum in terra Canaan conſtitit. Sed quia hæ leges fuerunt tantum populo Iſraelitico in ipſius utilitatem & trãquillitatem datæ, ideo neq; gentes his obnoxiæ fuerunt, neq; Iſraelitis illicitum fuit eas in neceſsitate uiolare. Huc accedit, quòd hoc tempore in totum abrogatæ ſunt. Ea enim reſp. in qua conditæ fuerunt, & publica eius populi autoritas cui datæ fuerunt, prorſus abrogata ſunt. Quare unà cum ipſis etiam leges eorum iudiciales cõciderunt. Habet & unaquæque Chriſtianorum reſp. ſuas forenſes leges, quibus certe magna religione obediendum eſt, tum, quòd magiſtratus eſt ordinatio Dei, tum, quòd Dominus præcipiat, ut publica tranquillitas conſeruetur. Attamen, quia non unius tantum, ſed cuiuſq; legitimæ reip. magiſtratus ordinatio Dei eſt, & leges ciuiles latæ ſunt ad publicam utilitatem, ideo hæ leges non ita ſacroſanctæ ſunt, ut neceſſe ſit eas ſemper inuiolatas obſeruare, ſed ad quancunq; remp. quis acceſſerit, ad leges eius mores ſuos accommodare debet, & magiſtratus ſi uiderit leges ſuas publicæ tranquillitati impedimento eſſe, poteſt eas aut aliquandiu ſuſpendere, aut in totum abrogare. In his enim legibus maxime ualet, quod uulgo dicitur: Neceſsitas non eſt legibus ſubiecta. Et iterum: Leges inter arma ſilent. Habes nunc tam diſcrimen quàm rationem omniũ diuinarũ legum, quòd quantũ ad iuſtificationem attinet, nullus ex operibus legis ſiue naturalis ſiue cærimonialis ſiue iudicialis coram Deo iuſtificetur,

Filius hominis Dominus cœnæ dominicæ.

Cærimoniæ Pontificum.

Legum ciuilium ratio.

iuſtificetur, quantũ autem attinet ad obedientiam, debet quidẽ quilibet tam naturalibus q̃ poſitiuis ſuæ cuiuſq; reip. legibus obſequiũ præſtare. In neceſsitate autẽ, & ſi non ſileant naturales leges, quæ ex omni parte ſacroſanctæ & inuiolatæ ſunt, ſilẽt tamen tum cærimoniales tum iudiciales, id quòd Chriſtus perſpicue ſignificat, cũ pronunciat hominem etiam ſabbati dominum eſſe. Reliquum igitur nunc eſt, primum, ut ad parandam nobis iuſticiam coram Deo nõ confidamus operibus legis, aut meritis noſtrorum operum, ſed credamus quòd propter Chriſtum reputemur iuſti coram Deo. Deinde, ut uirtute ſpiritus ſancti, quem per fidem accipimus, diuinis legibus ita pareamus, ut fidem noſtram teſtemur, & nihil temere facere uideamur, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui eſt unà cum Patre & Spiritu ſancto Deus laudandus in ſecula Amen.

Iuſticia coram Deo quomodo paranda.

HOMILIA. XLVIII.



E ſabbato extant grauiſsima in lege Moſi præcepta. Sed quanto ea grauiora ſunt, tanto ineptioribus & abſurdioribus impiorum Phariſæorũ nugis & traditionibus ſordidata & obſcurata fuerunt. Quare magnæ molis fuit, ueram legis de ſabbato ſententiã reſtituere. A cuius ſabbatum recte iuteIligeremus, antea quidẽ Chriſtus Dominus noſter diligenter egit, cum diſcipulis eius exprobraretur, quòd in ſabbato ſpicas euellerent. Nunc idẽ quoq; magna autoritate agit, & addit illuſtre miraculum, quo ceu ſignaculo cõprobaret, non Phariſæorũ, ſed ſuam de ſabbato ſententiam ueram ac diuinã eſſe. Sic enim ſcribit Euangeliſta: “Factum eſt aũt & in alio ſabba “to, ut intraret in ſynagogam, & doceret. Et erat ibi homo, & manus eius dextera e- “rat arida. Obſeruabant autẽ eum ſcribæ & Phariſæi, ſi in ſabbato curaret, ut inueni- “rent, unde accuſarẽt eum. Cæci Phariſæi produnt ſuo ipſorũ indicio cæcitatem “& inſcitiam ſuã. Nam cum obſeruent Chriſtũ, num uelit ſabbato hominẽ ſanare, ut habeant occaſionem accuſandi ipſum contemptæ & uiolatæ legis, quid his cogitationibus aliud declarant, quàm quòd nullã prorſus habeant ueræ ſententiæ legis de ſabbato cognitionẽ? Lex enim de ſabbato dicit: Non facias omne opus in eo. Hoc illi ſic interpretabantur, quaſi Deus præcepiſſet, ut in ſabbato nec œconomi ea opera fierẽt, nec ægro remedia admouerentur. Hic ergo uide mihi plane præpoſteros legis interpretes & exactores. Naturales, ſeu, ut uocant, morales leges, quæ ſunt grauiora legis, interpretabantur ciuiliſsime, cum debuiſſent eas interpretari exactiſsime & ſeueriſsime. Diliges, inquiebãt, proximũ tuum, nimirũ amicum, nam inimicum potes odio habere. Non occidas quenq; manu, alioqui obnoxius eris iudicio. Sed ſi interim fratrẽ odio habeas, aut conuiciis eum proſcideris, parũ retulerit, nõ ita atrox crimẽ deſignaſti, ut propter ipſum obnoxius fias iudicio & incendio gehennæ. Non cõmittas adulteriũ externo opere. Interim tamẽ, etiamſi cor adulteriis æſtuet (quis enim his motibus reſiſtat?) non cõmittitur adulterium. In his & aliis legibus moralibus explicãdis, Phariſæi clementiſsimi interpretes erant. In cærimonialibus aũt, quæ ſunt minora legis, erant ſeueriſsimi & prorſus inhumani, atq; adeo ibi atrociſsimũ ſtatuebant peccatũ, ubi aut nullum aut minimũ erat, & ibi minimum ſtatuebant, ubi maximũ erat. Vnde apud Matthæum audiunt: Væ uobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, quia decimatis mentam & anethũ & cyminũ, & reliquiſtis quæ grauiora ſunt legis, iudiciũ, miſericordiã ac fidẽ, hæc oportuit facere, & illa non omittere. Duces cæci excolãtes culicẽ, camelũ aũt gluciẽtes. Iam tolerabile

Phariſæi præpoſtere interpretantur legem.

esset, si inter solos Iudæos tales Pharisæi fuissent, nunc autẽ uideas eiuscemodi præposteros legis interpretes in totũ orbẽ terrarũ quouis tẽporespargi. In rebus ecclesiasticis maius peccatũ ab hypocritis habet in die dominica ligna secare, aut in feria sexta carnibus uesci, q̃ ebrietatem sectari, & scortari. In rebus ciuilibus maius peccatũ ab imperito magistratu iudicat, ferã occidere, aut tributũ nõ omnino iuxta præscriptum pendere, q̃ adulterium committere, uirginẽ uitiare, & Dominum Deũ blasphemia afficere. Hæc enim fere impune committuntur, cum illa grauissimis suppliciis puniantur. Quid ergo? quandoquidem præposterorum Pharisæorum, hoc est, legis interpretum omnia plena sunt, præposteri etiam sunt mores hominum, & nisi resipiscamus, præposterus quoq; erit rerum euentus, ut qui in hac iniquitate sperent pacem, his eueniat bellum, qui uitam, iis contingat mors, qui fœlicitatem, iis accidat damnatio. Audiamus igitur Christum, uerum legis tam interpretem q̃ impletorem, ut non solum ex ipso rectam cognitionem legis discamus, uerumetiam in ipso legis impletionem per fidem habeamus. Sequitur: Ipse uero sciebat cogitationes eorum. Et ait homini, qui habebat manum aridam: Surge & sta in medium. Et surgens, stetit: Ait autem ad illos Iesus: Interrogabo uos, utrũ liceat sabbatis benefacere, an male? animam saluam facere, an perdere? Et circumspectis omnibus, dixit homini: Extende manum tuam. Et extendit, & restituta est manus eius sana, quemadmodum altera. Marcus paulo plenius narrat hanc historiam: At illi (inquiens) tacebant. Et cum circumspexisset eos cum iracundia, condolescens super cæcitate cordis eorum dicit homini: Extende manum tuam, & reliqua, quæ sequuntur. Christus interrogatione & miraculo suo interpretatur uerã sententiam legis de sabbato. Nam lex dicit: Memento, ut diem sabbati sanctifices. Et addit: Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. Septimo autem die sabbatum Domini Dei tui est, nullum opus facias in eo. Cum ergo Christus indicat licere sabbato benefacere, & mox habenti aridam manum benefecit, restituens eum sanitati, profecto perspicue significat, q̃ etsi lex dicat, nullum opus facias sabbato, tamen quia addat: Diem sabbati sanctifices, ea opera & negocia sabbato facere licet, quæ non impediant sanctificationem. Lex enim præcipue in sanctificationem respicit, & requirit, ut ea opera faciamus in sabbato, quibus à Deo sanctificamur. Vnde in Exodo dicitur: Videte, ut sabbatum meum custodiatis, quia est signum inter me & uos in generatiõibus uestris, ut sciatis, quia ego Dominus, qui sanctifico uos. His uerbis sabbatum consecratur in sacramentum, quo Israelitæ discãt, q̃ non possint suis uirtutibus sanctificari aut iustificari, sed necesse habeant, ut sabbatum obseruent, & sabbati opera faciant, quæ sunt audire uerbum Dei, & alia sacra diuinitus instituta facere, quibus à Deo sanctificantur. Igitur, opus quod sanctificationi non repugnat, & quod ad sanctificationem pertinet, non est lege prohibitum. Sanctificationem autem uocamus eam proprie, qua Deus nos sanctos & iustos facit. Hæc sanctificatio duplex est. Docendi enim gratia sic distinguendum est. Altera est interior, & fit per fidem. Credidit (inquit scriptura) Abraam Deo, & reputatum est ei in iusticiam. Et Petrus: Fide purificantur corda. Neq; enim quicq̃ aliud est, quo Deus nos sanctos & iustos coram se facit ac reputat, q̃ fides in Christũ Iesum. Hæc autem sanctificatio debet perpetua esse in hac uita. Quare si de ista sanctificatione loquamur, omnia opera quæ repugnant fidei, qualia sunt quæ uocamus peccata aduersus Deum, non solũ in sabbato, sed omnibus quoq; aliis diebus prohibita sunt. Altera est exterior, & fit per externum ministerium ecclesiasticum, per prædicationem uerbi Dei (sub qua apud Israelitas comprehenduntur etiam sacrificia, quæ nihil aliud

Hypocritæ falsi legis interpretes.

Legis de sabbato uera sentẽcia.

Sabbati opera.

Sanctificatio quid & quot tuplex.

nihil aliud fuerunt q̃ prædicatio de Iesu Christo) & per dispensationem sacramentorum. Per hæc enim Deus sanctificat homines, & dat eis fidē ac spiritum sanctū, ut uere coram ipso sanctificentur. Si ergo de hac sanctificatione loquamur, tunc lex ea opera uetat, quæ impediunt, quo quis nō potest in sabbato adesse prædicationi uerbi Dei, sacrificiis, & dispensationi sacramentorum. Hæc autem sunt præcipue, agrum colere, quotidianum suum artificium exercere, & alia id genus negocia facere. Sed, quia lex de sabbato cærimonialis fuit, neq; ista negocia tam seuere prohibita sunt, ut nō licuerit ea in necessitate facere. Vnde Iudæi in Machabæis recte statuunt, se aduersus gentes in die sabbati pugnaturos. Sic enim dicūt: Omnis homo quicunq; uenerit ad nos in bello in die sabbati, pugnemus aduersus eum, & non moriemur omnes sicut mortui sunt fratres nostri in occultis. Si autem licuit in necessitate ea opera in sabbato facere, quæ externam sanctificationem impediebāt, quanto magis ea in sabbato facere licet, quæ partim non sunt impedimento, quo quis sancta sabbati opera faciat, ut sunt, infirmum curare, œconomica opera facere, cibos parare, oues & boues aquatum ducere, ouem è fouea extrahere, & si quid horum operum aliud est, partim ad sanctificationem pertinēt, ut circumcidere puerum, mactare sacrificia, & id genus alia. Ac utrorūq; horum operū meminit Christus, cum sabbatum exponit. Hoc loco dicit: Sabbato benefacere licet, infirmum uidelicet curare, & uitam hominis incolumem seruare. Hoc enim opus non impedit, quo minus audias cōcionem uerbi Dei, & adsis sacrificiis (nam hæc sunt publica sabbati opera). Apud Matthæum dicit: Quis erit ex uobis homo, qui habebit ouem unam, & si ea inciderit sabbatis in foueam, nonne apprehēdet illam & eriget? quanto igitur præstantior est homo oue? Ait & postea apud Lucam: Vnusquisq; uestrum sabbato nōne soluit bouem suum aut asinum à præsepi, & ducit aquatū? Hanc aute mfiliam Abraæ, quam alligauit Satanas ecce decem & octo annis, non oportuit solui à uinculo isto in die sabbati? Hoc enim opus non impedit sanctificationem sabbati, & si impediret, tamen quia sabbatum propter hominem ordinatū est, & homo necessitate infirmitatis premitur, æquius est ut sabbatum cedat homini, q̃ homo sabbato. Apud Ioannem dicit: Si circumcisionem accipit homo in sabbato, ut non soluatur lex Mosi, mihi indignamini, q; totum hominem sanum fecerim? Ex his omnibus manifestum est, q; cum lex dicat: Nullum opus facias sabbato, non simpliciter de omnibus operibus loquatur: Alioqui enim nec è domo in templum ambulare, nec loqui, nec uidere, nec audire, nec etiam quicq̃ cogitare in sabbato licuisset, hæc enim omnia, opera sunt, sed q; de iis tantum loquatur, quæ sunt impedimento, quo minus sabbatum sanctificetur, hoc est, quo minus ea opera peragant, quibus à Dño homines sanctificātur, ut sunt, audire uerbū Dei, & obseruare cultum sacrificiorū, ad confirmandā & testificandā fidē. Ex his etiam de die dominica & de aliis quibusdam publicis festis Christianorum iudicandum est. Tametsi enim hæc nō sint tanta seueritate in Rep. Christianorum instituta, quanta sabbatum in rep. Israëlitica institutum fuit, tamen quia ordinata sunt, ut omnia in ecclesia decenter & secundum ordinem fiant, & ut præcipui fidei nostræ articuli & miracula, in festis, tanq̃ in illustrioribus locis posita atq; insignita, maiori religione doceantur & conseruentur, profecto diuinæ etiam ordinationes sunt, & tali a præcepta Domini, qualia Paulus ecclesiasticas ordinationes in Corinthiis appellat. Quid ergo dicemus? num peccatum est, in die dominica infirmum curare, aut spicas ad medendum fami euellere, quemadmodum Pharisæi de sabbato iudicabant? Absint Pharisaicæ traditiones & uanitates. Ne quis uos iudicet, inquit Pau

Lex de sabbato quæ uetet opera.

1. Mach. 2.

Festorum publicorum obseruatio apud Christianos.

lus, in parte diei festi, aut sabbatorum. Nam ut de sabbato diximus, ita sentiendũ quoq; est de die dominica, & aliis quibusdam publicis festis, q̃ in iis ea opera nõ debeant fieri, quæ sunt impedimento, quo minus queas audire concionem Euangelii, & sumere cœnam dominicam. Hæc eñ, uidelicet concio Euangelii & sacramenta, sunt organa, quibus Christus ecclesiam suam sanctificat, & quibus communicat ecclesiæ fidem & spiritum sanctum. Ac his organis, præsertim cõcione uerbi Dei, quotidie quidem utendum esset, sed quia alii aliis negociis distrahuntur, certus dies publice ordinatus est, ut eo die ciuilia opera intermittantur, & his organis utendis commode uacetur. Quare diuinæ huic ordinationi obsequendũ est, & iis festis nihil eorum negociorum, quæ nos ab auditu uerbi Dei & usu cœnæ dominicæ abstrahant, temere præter necessitatem agendum. Sed de his satis. Excutiamus nunc breuibus miraculum, quod Christus hoc loco ædidit, & uideamus, quam nobis utilitatem afferat. Restituit enim homini misero dextram manũ aridam pristinæ incolumitati, & restituta est manus eius, quemadmodum Euangelista dicit, sana, ut altera. Stupẽdum miraculum, q̃ ad unum uerbum & mandatum Iesu ariditas manus absces sit, & sanitas rediit: Primum ergo, hæc utilitas, quæ est generalis utilitas omnium miraculorũ Christi, ex isto miraculo nobis accedit, quòd habeamus cœleste signaculum & testimonium, hunc Iesum esse uerum Messiam, & filium Dei, & q̃ Euangelion eius, quod de placato patre in cœlis per ipsum & de remissione peccatorũ prædicauit, sit certissimũ uerbũ Dei, adoq̃ q̃ hic Iesus uere is Deus sit, qui prioribus temporibus manũ Mosi in sinum missam leprosam fecit, & postea retractã in sinum continuo pristinæ sanitati restituit, quẽadmodum in Exodo capite quarto scribit. Sit quoq; is Deus, cuius potẽtia manus extensa regis Ierabeami, qua propheta Domini apprehendi iubebatur, exaruit, cuius etiam clementia restituta est manus pristinæ incolumitati, quẽadmodum in priori libro Malachim capite decimo tertio scribitur. Nam q̃ Iesus Christus, nõ alieno nomine, quemadmodum prophetæ & Apostoli, sed suo ipsius nomine & propria uirtute hoc miraculũ ædiderit, ac per hoc se uere & natura Deum esse testificatus sit, manifestis postea argumentis comprobat, nimirũ, resurrectione à mortuis, ascensu in cœlum, sessione ad dexteram patris, & missione spiritus sancti. Hoc igitur miraculum alta mẽte, tanq̃ cœleste sigillum, reponendũ est, ut ex eo fidem nostram cõfirmemus, q̃ is Iesus sit Messias & filius Dei, & q̃ uerũ ac diuinũ sit Euangelion eius de remissione peccatorum & uita æterna. Deinde, est & specialis utilitas quã ex hoc miraculo habemus. Etenim Christus longe aliter interpretabat legem de sabbato, q̃ Pharisæi. Docebat enim, q̃ non quæuis opera in sabbato prohibita erãt, sed ea tantum, quæ publicæ sanctificationi impedimento essent, quæ tamen hanc haberẽt conditionẽ, ut & ipsa facere sabbato liceat, si legitima necessitas id postularit. Addit igitur huic doctrinæ & interpretationi sabbati miraculum, quo homini aridam manũ incolumem restituit, ut hoc admirando & cœlesti signaculo ueritatẽ interpretationis suæ cõfirmaret. Huc accedit & alia huius miraculi specialis utilitas. Etenim Dominus Deus noster promisit, se omnibus in diuina uocatione ambulantibus, & in ipsum confidentibus, ita adfuturum, ut etiamsi extrema necessitate premantur, ac nec panem nec aquã habeant, non tamen nec fame nec siti pereant. Non in solo, inquit, pane uiuit homo, sed in omni uerbo seu uocatione quæ procedit de ore Dei. Et iterum: Vertite oculos ad uolatilia cœli, quia non serunt neq; conuehunt in horrea, & pater uester cœlestis alit illa. Nonne uos longe præcellitis illa? Et mox: Quòd si gramen agri, quod hodie cum sit, cras in clibanum mittitur, Deus sic uestit, ut ne Salomon

Miraculorũ Christi generalis utilitas.

Deus adest omnibus in ipsum confidentibus.

Salomon quidem in uniuersa gloria sua sic amictus fuerit, an non multo magis uobis id faciet? Quid multis opus? Cum Deus inquit: Ego sum Dominus Deus uester, certe hoc uerbo nō tantum promittit se seruatorem animæ, uerumetiam corporis, in uictu & amictu, & in omnibus necessitatibus eius. Iam, hic homo, cui arida manus integra restituitur, extrema necessitate in uocatione sua premebatur. Cum enim haberet manum aridam, nō potuit labore uictum sibi ac familiæ suæ parare. Itaq; tētabatur in conscientia sua, ne forte propter ariditatem manus necesse haberet, aut uictum magna nominis sui ignominia mēdicitate quærere, aut prorsus fame interire. Vocat igitur ipsum Christus ad se, & restituit ei omnipotenti uerbo suo manum integram, & reddit eam iterum ad capessendum laborem aptam, ut hoc miraculo publice testaretur, se citius rerum naturam inuertere, q̄ eum derelinquere, qui in uocatione diuina ambulans necessitate comprehenditur. Quæ ergo intemperies, quis furor exagitat te, q̄ dolis, nugis, imposturis, & peiuriis ad acquirendum uictum contendas? Sunt enim sunt, proh dolor, multi, qui cum adhuc firma ualetudine constent, uehementer timent, ne si quando arescant manus & langueſcant pedes, non queant sibi labore suo uictum parare, ac necesse habeāt inedia perire. Quare dum ualēt prospiciunt sibi, non quidem iusto labore, & sobria parsimonia, sed iniquis artibus, malis dolis, imposturis & rapinis, sperātes, se hac uia rebus suis ita consulturos, ut etiam si manus aridæ fiant, habeāt tamen unde uiuant. Hoc autem quid aliud est q̄ desperare, & Dominum Deum nostrum mendacii arguere? Promisit enim Deus, se nullum ambulātem in uocatione sua, & sperantem in ipsum, in necessitate derelicturum. Inuoca, inquit, me in die tribulationis, eruā te, & glorificabis me. Et iterū: Adiutor in opportunitatibus, in tribulatiōe. Et has promissiones confirmauit Deus, ueluti sigillis, magnis & stupendis miraculis, quorum & unum in præsentia nobis proponitur, de curatione manus aridæ. Accedit huc, q̄ Dominus haud obscuris uerbis significat, opes malis artibus paratas male dictas esse. Statera dolosa, inquit, abominatio est apud Deum. Et iterum: Non prosunt thesauri impio, iusticia uero liberat à morte. Ac mox: Non perdet Dominus fame animam iusti, improba consilia impiorum perdet. Quæ cum ita se habeant, profecto qui sperant se sibi imposturis consulturos, desperant potius, & si non uoce, tamen ipsa animi sententia & opere suo Deum mendacii arguunt. Qua impietate quid potest esse magis horribile? Proinde abiiciendus est impius timor, & concipiēda est fides, ex promissionibus Domini, quæ & miraculo hic commemorato confirmanda est, ut cum adhuc bene ualeas, uocationi tuæ iuste seruias, cum uero manus & pedes obstupescant, non despondeas animum, sed fide robustus factus, certissimā persuasionē cōcipias, q̄ is qui promisit auxilium in necessitate, nō possit solum, uerumetiam uelit illud præstare. Atq; hæ quidē sunt utilitates, quas nos è miraculo hic recitato habere possumus. Sed quāto hoc miraculum nobis ad discendam pietatem utilius est, tanto ad maiorem impietatem & furorē Pharisæi per ipsum prouocati sunt. Ait enim Lucas: Ipsi autem repleti sunt amentia, & colloquebantur ad inuicem, quidnam facerent Iesu. Hoc Marcus ita narrat: Egressi uero Pharisæi, statim unà cum Herodianis (hoc est, ut ego existimo, cū magistratibus ab Herode in Galilæa constitutis) consilium inibant aduersus eum, ut illum perderent. Quam ob causſam? Ob bonum opus, quod fecerat? nihil minus uideri uolebant, sed quòd sabbatum, ut somniabant, uiolauerat. Vnde aliàs apud Ioannem dicunt: Non potest hic homo à Deo esse, quia sabbatum non obseruat. Hic ergo uide mihi, q̄ malignus proximorum iudex sit, animus impius & à charitate alienus.

Opes malis artibus partæ, maledictæ sunt.

Impius malignus proximi iudex.

Etenim, Iesus multa ac maxima bona fecerat, & habebat ingentia dona Dei, quæ omnibus perspicua erant. Consolabatur afflictos, exhilarabat tristes, medebatur infirmis, sanabat ægroros, & hoc in loco docuerat de pietate diuinissime, & sanauerat arefactam manũ admirabiliter. Atq; hæc tanta, tamq; stupenda beneficia Christi Pharisæi haud quaq; considerant, sed sabbati tantum, ut ipsi sentiebant, uiolati onẽ sibi ob oculos reuocant, hanc solam ita exagitant, ut pronunciẽt eam ultimo supplicio digniſsimam. Habes in his Pharisæis exemplum ingenii impii & à charitate alieni. Qui em̃ tali ingenio præditi sunt, hi in proximo suo nullam prorsus habent rationẽ donorũ Dei & uirtutũ, sed tm̃ uitiorum, ac præ uno leui quodã uitio, (quod tamen interdum non est uitium) maximaq; uirtutum obliuiscuntur, ac quẽadmodum araneus malam tantũ humorem è flore exugit, & in uenenum uertit, ita impium ingenium colligit ea tantum è proximoq; dictis & factis, quæ ad calumniam torqueri possunt, reliqua innumera bona intacta relinquit. Sic Cham uidens parentem suum Noë ebrietate denudatum, cæcus est ad omnia beneficia, quæ per parentem acceperat, non meminit iam, quas sordes parens in ipso ab infantia tolerauerat, quos fœtores sustinuerat, nec considerat, q; per ipsum recẽs è diluuio seruatus fuerat, sed nuditatem tantum parẽtis sibi ob oculos ponit, & diuulgat eam, haud obscure significans, se parentem suũ stultum & delyrũ senem iudicare. Sic Israëlitæ, cũ accepissent per Salomonem maxima beneficia, pacem, tranquillitatẽ, gloriam, & reg; omnium abundantiam, his tamen oĩbus è memoria abiectis, duriusculas tantũ & paulo seueriores exactiones Salomonis cõmemorare sciunt, quas etiam in tantũ exaggerant, ut iudicent, dignum esse, ut propter ipsas à familia Dauidis, qui rex optimus fuerat, deficiant. Quid autem hac malicia sceleratius? quid hoc hominũ genere odiosius? Hoc enim scelus pugnat ex diametro cum ingenio Domini Dei nostri, & natura charitatis, quam debemus proximo nostro, ac plane conuenit cum ingenio Satanæ. Deus enim tantæ est clementiæ, ut hoc solum agat, quo per Christum filium suũ peccata & infirmitates nostras tegat. Hoies autẽ ista impietate affecti hoc solum agunt, ut peccata & infirmitates proximorũ diuulgent. Rursus natura charitatis est, ut in proximo dona Dei agnoscat eaq; magnifaciat. Hæc autem impietas, uicia tm̃ in proximo agnoscit, quæ etiã in immensum amplificat. Iam, ingenium Satanæ est, omnia hoĩm tum dicta tum facta corã Deo calumniari, interim tũ beneficii, per Christum hoĩbus in ipsum credentibus collati, ne uerbo quidem meminisse. Cum hoc ingenio prorsus conueniunt sycophantæ, qui aliorũ tantum uitia sciunt, beneficia autem nescIunt. Quare, si noluerimus unà cum Satana perpetuo damnari, fugiamus mores eius, sectemur autem ingeniũ Domini Dei nostri, ut ipsi similes effecti salutem consequamur, per Iesum Christũ Dñm nostrum, qui est unà cũ Patre & Spũ sancto Deus laudãdus in secula Amen.

Dei clemẽtia

Charitatis natura.

Satanæ ingenium.

HOMILIA XLIX.



Actenus Dñs noster Iesus Christus ministerio prædicandi Euangelii in Galilæa solus functus est. Nunc aũt cooptat sibi ex omni discipulorũ suoq; numero duodecim collegas, quorum opera in prædicando Euangelio adiuuaret. Videt enim negocium Euangelii fœliciter promouere, ac non Galilæã tantum, uerumetiã Iudæam & finitimas regiones Euangelii sitiẽtissimas esse. Quare elegit duodecim Apostolos, ut haberet, quos ad docendũ Euãgelion, primum quidẽ in Galilæã & Iudæã, deinde aũt in totum orbem terrarum emitteret.

emitteret. Sed priusq̃ Apostolos designaret: Factum est in illis diebus (inquit Euangelista) exiit in montem. Quam ob caussam? Sequit: Vt oraret. Et ut uideas, q̃ deuoto animo orauerit, addit: Et erat pernoctans in oratiõe Dei. Quid, inquies, accidit Christo, ꝙ per totam integram noctẽ in deprecatione Dei perseuerarit? Profecto magna est caussa, quæ ipsum ad tantam orationis uehementiam & pertinaciã impulit. Statuerat enim in animo suo, se suscepturũ negocium, ecclesiæ quidẽ utilissimũ, & maxime oĩm necessarium, sed idem longe omnium periculosissimũ. Volebat enim eligere Apostolos, quos suo nomine ablegaret primum inter Iudæos, deinde inter omnes gentes, ut prædicarent Euangelion de remissione peccatorum per Christum, & confirmarent prædicationem suam miraculis; & ut essent lux mundi & sal terræ, ac tantam haberent autoritatem, ut qui ipsos audirent, CHRISTVM audirent, qui ipsos contemnerent, Christũ contemnerent. Breuiter, ut essent hi, quorum ministerio ecclesiæ in toto orbe terrarũ fundarent & cõstituerent. Quæ profecto electio difficilima & sollicitudine plena fuit. Primum enim habebat speciẽ concitandæ sedicionis, deinde periculum erat ne tales eligerent, qui impuritate uitæ suæ cursum Euangelii magis impedirent, q̃ adiuuarẽt, uel qui aduersis deterriti, Euangelion primi abnegarent, & ab ipso deficerent, uel qui Pharisaica doctrina puritatem Euangelii cõtaminarent, & Euangelion humanis traditionibus uiciatum ad posteros transmitterent. In difficilibus aũt periculis, & magnis ac grauibus tentationibus, ad orationem, ueluti ad sacrã anchorã, festinandũ est, & quo molestior est sollicitudo, eo uehementius orationi insistendum est. Magna enim est uirtus orationis, quæ ad Dominum Deum nostrum habet. Si periculum adeundum est, oratio impetrat spiritum fortem & imperterritum. Si in aduersis perseuerandum est, oratio impetrat constantiam & potentiam, imo impetrat liberationem & salutem. Si faciendum est opus, quod sine benedictione & incremento Domini promouere non potest, oratio impetrat benedictionẽ & incremẽtum. Breuiter, siue quid periculose agendum, siue patiendum, oratio impetrat gratiam & auxilium Dei. Ecquomodo id, inquies, fieri potest, cum gratiam Dei impetremus tãtum per solam fidẽ propter Christum, non aũt per opera, inter quæ profecto & ipsa oratio cõtinet? Si rectam rationem orationis cognoueris, nihil scrupuli in hac re tibi relinquetur. Nam oratio non est per se & è sua dignitate tale opus, quod uerbis & gestibus operatũ reddat Deum propiciũ, & mereat gratiã eius. Qui enim ita de oratione sentit, is transfert maiestatẽ Christi in opus hoĩs, & facit ex operationis alienum Deum. Sed uera oratio hanc habet conditionem, ꝙ debeat cõstare ex promissionibus diuinis, & qui uere orat, is omnia uerba Dei diligenter excutit, scrutat, in memoriã reuocat, ut inueniat tales Dei promissiones, quæ ad præsentẽ suam afflictionẽ aptæ sunt, & quibus perspicue uideat, sibi in aduersis suis auxilium Dei promissum esse. His inuẽtis & cõprehensis, accendit & inflãmat fidẽ suã. Per fidẽ autem oĩa à Deo ꝓpter Christũ impetrant. Quare, cũ oratio ex ꝓmissionibus Dei cõstet, ac fidẽ excitet, accẽdat, & cõseruet, rectissime dictũ est, nos per orationẽ impetrare gratiã & auxiliũ Dei, in oĩbus periculis & afflictionibus nostris. Cũ igit Christus electurus erat Apostolos, quod est negociũ & difficilimum & periculosissimũ, ante oĩa ad orationẽ secedit, & per totã noctẽ in oratione perseuerat. In qua oratione scrutat scripturas, & reuocat sibi oboculos mentis suæ ꝓmissiones de Apostolis, siue illas, quæ in psalmis cõtinent: In omnẽ terrã exiuit sonus eorũ, & in fines orbis terræ uerba eorũ. Et iterũ: Pro patribus nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnẽ terrã, siue alias id genus ꝓmissiones. Reuocat aũt sibi has ideo in

Orationis Christi uehementia.

Apostolorum officium.

Orationis uirtus.

Orationis uerę conditio.

Promissiones de Apostolis.

memoriam, per orationē, ut his confirmet fidē suam, & excutiat timorē, quo tenebaē, ne ineptos ac impios ad Apostolatū eligeret, neue hac electione & se & Apostolos in præsentanea pericula coniiceret. Quid audio? Iesus Christus uerus est filius Dei, quem oēs creaturæ adorare debent, in quem oēs promissiones Dei respiciunt, per quem solū orationes hoīm Deo gratæ sunt, & qui est cordiū ac renū scrutator. Cur igit orat adorandus? quid eget fidei confirmatione, in quē est fides habenda, & qui est ipsa promissio Dei? quid timet electionis suæ pericula, qui est καρδιογνώστης & omniscius? Recte sentis de Christo. Est enim uere natura Deus, ac ipsum uerbum Dei, & cordiū scrutator, oīmq; rerū conscius. Sed hic obseruandū est, quod Paulus ad Philippēses scribens: Cum Christus Iesus, inquit, esset in forma Dei, nō rapinā arbitratus est, ut esset æqualis Deo, sed exinaniuit semetipsum, formā serui sumpta, in similitudine hoīm constitutus, & figura repertus ut homo, humilem præbuit semetipsum. His uerbis docet Paulus, q; & si Christus sit natura Deus, omniscius, ac cordium scrutator, nō tamē semper usurpauerit tpe carnis suæ usum huius maiestatis, sed coniecerit sese in humanas infirmitates, & factus sit (absq; tū peccato) sicut alii hoies, ignorans, timidus, formidolosus, & sollicitus. Cum igit assumpserit humanos affectus, assumit etiā orationē ad medendū affectibus suis, ac deprecatur Deū patrē suum, ut pericula, quæ in electiōe Apostolorū cōtingere possent, auertat, & benedictionē suā in hoc electionis opus effundat. Cæterū, Christus hac sua humilitate, qua in se humanas infirmitates assumpsit, & ad medendū ipsis ad Deum patrē suū orauit, id būficii nobis impetrauit, ut liceat nūc & nobis alacri cōscientia Dūm Deum nostrū accedere, oratione nostra ipsum ut patrem inuocare, omnes nostras afflictiones ob oculos eius ponere, & auxiliū ac salutē cōfidenter petere. Christus eñ, inquit Apostolus, cum in diebus carnis suæ precationes & supplicationes apud illū, qui poterat ipsum à morte seruare, cum clamore ualido & lachrymis obtulisset, & exauditus esset pro reuerētia, tametsi filius erat, tamē didicit ex his quæ passus est obedientiā, ac perfectus redditus, oībus qui sibi obedierūt fuit caussa salutis æternæ. Nō potuisset aūt nobis hoc beneficio maius & saluti nostræ cōmodius cōtigisse. Qui eñ audit cū fiducia ad thronū diuinæ maiestatis accedere & cū Deo familiare colloquiū miscere, quid huic deerit? Quicunq;, inquit, pphetā, inuocauerit nomen Dñi saluus erit. Si paupertas premit, habet diuitē Deum in cœlis, qui non patiet familiarē amicum suum egere. Si ægritudo corporis affligit, habet expertū medicū in cœlis, qui nō sinet afflictū ad se clamantē perire. Si pctā & mors exicium minantur, habet patrē in cœlis, qui citius ferret ut tota rerū natura interiret, q̄ ut filio suo pctā non remitteret, & ipsum in morte non seruaret. Vtamur igit hoc bñficio, per Christū nobis impetrato, & quicquid uel boni faciendū, uel mali patiendū, uel periculosi aggrediendū est, accedamus oratione nostra ad Dūm Deum nostrū, ut per orationē fide cōfirmati salutē cōsequamur. Sed nunc uideamus negociū, ppter quod Christus in oratione pernoctauerit. Sequit: Et cū dies factus esset, uocauit discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominauit, Simonem, quem nominauit Petrum, & Andream fratrem eius, Iacobum & Ioannem, Philippum & Bartholomæum, Matthæum & Thomā, Iacobum Alphæi, & Simonem qui uocatur Zelotes, Iudam Iacobi, & Iudam Ischarioten, qui fuit proditor. En hoc est negocium, cuius gratia Christus per totam noctem in oratione perseuerauit. Voluit enim eligere collegas administrandi Euangelii, & elegit ex omni discipulorum suorum numero duodecim, quos nominauit Apostolos, hoc est, emissos (uerbū eñ apud Græcos ἀποστέλλειν, unde nomē Apostoli

Christus cum sit Deus cur oret?

Humilitatis Christi affectus.

Apostoli descendit, emittere, & amandare significat) nuncios, aut legatos, ut emitteret eos, inquit Marcus, ad prædicandũ, utq; haberẽt potestatẽ sanandi morbos, eiiciendiq; dæmonia. Nomina aũt duodecim Apostolorũ, quæ in hoc loco & apud alios Euãgelistas cõmemorant, diligẽter obseruanda sunt. Ac recte fecerũt maiores nostri, q; certos quosdã festos dies his nominibus insignierunt, & liberis suis hæc nomina imposuerunt. Videlicet, nõ hoc sensẽrũt, q; Apostoli, ueluti dii auxiliares, in afflictionibus inuocãdi sint, sed ut nominibus Apostolorũ, in certos dies & homines tanq; in illustriorẽ locum positis, admoneamur doctrinæ Apostolicæ, su per quã fundata est ecclesia Christi, ut quotiescunq; nomẽ Apostoli, exempli gratia, siue Petri, siue Matthæi, siue Ioannis, siue aliorũ, nobis proponit, toties testimonium Euangelii de Iesu Christo habeamus, q; propter solũ Iesum Christũ per fidẽ accipiamus remissionem peccatorũ, & uitã æternã. Perstringamus igitur nomina Apostolorũ, ut eo altiori mẽte reponant. Primus, qui hoc loco recensẽt, est Simon. Is aliàs uocatur Bar Ioanna, hoc est, filius Ioannis, & à Christo nominatur Syriace כיפא Cepha, quod Græce & Latine petrã significat. Hinc Simoni nomen Petri uenit. Tu uocaberis, inquit Christus, Cephas, quod sonat, si interpretetis, lapis. Vocatur aũt Petrus, hoc est, lapideus aut saxeus, propterea q; Christus fundauerit ecclesiam suã super Petri, non dico personam, (sic enim solus Christus ecclesiæ fundamentũ est), sed super Petri ministeriũ, quod est prædicatio Euangelii. Hoc enim ministeriũ, firmum & tanq; saxeũ fundamentũ est, quod nulla humana potentia destrui potest. Vnde ad Petrũ dicitur: Tu es Petrus, & super hanc petrã, (quæ est ministeriũ Euangelii) ædificabo ecclesiam meã, & portæ inferorũ non ualebunt aduersus illam. Secundus Apostolus est Andreas, frater Simonis Petri. Tercius est Iacobus, non ille filius Alphæi, sed filius Zebedæi, frater Ioannis, quẽ occidit Herodes Agrippa, ut est in Actis Apostolicis capite duodecimo. Quartus est Ioannes & ipse filius Zebedæi ac frater Iacobi, qui conscripsit Euangelion, quod legitur secundũ Ioannem. Hi duo fratres, Ioannes & Iacobus, cognominant à Christo בניארגש Boanerges, hoc est, filii tumultus seu tonitrui, propterea q; doctrina Euangelii, ueluti magno & horrisono tonitru, totũ orbem concussuri essent, ac pietatis aduersarios ita exterrituri, ut nequaq; cõsistere possent. Quintus, Philippus. Sextus, Bartholomæus. Septimus, Matthæus, qui fuerat publicanus, & aliàs dicitur Leui, filius Alphæi, qui conscripsit Euangelion quo legitur, secũdum Matthæum. Octauus, Thomas, qui dicitur didymus. Hebræis enim תאם Thom, idem est quod Græcis ἀδύμος, Latinis gemellus. Nonus, Iacobus filius Alphæi, qui dictus est frater Domini. Decimus Simon, dictus Hebræis Cananites, Græcis Zelotes. Nam קנא Kana significat Zeloten seu æmulatorem. Sic autem dictus est, uel quia hoc familiæ suæ cognomen fuit. Vndecimus Iudas filius Iacobi, qui aliàs dicitur Lebbæus, cognomẽto Thaddæus. Duodecimus, Iudas Ischariotes, qui postea prodidit Iesum, in cuius locum post ascensum Christi in cœlum surrogatus est Matthias, quemadmodum in Actis Apostolicis capite primo scriptum est. Hæc sunt nomina duodecim Apostolorum, hoc est, eorum quorum ministerio ecclesia Christi in toto orbe terrarum fundata est, & qui sunt publice testes, quòd remissio peccatorum & uita æterna non contingat propter merita humanæ iusticiæ, sed tãtum propter Iesum Christũ per fidẽ. Acuide mihi q; abiecta, q; inhonesta sit cõgregatio eorũ corã mundo, si externã speciẽ cõsideres. Quidã sunt piscatores, quidam publicani, unus ex ipsis fur & proditor, oẽs cetre indocti, inglorii, & coram mũdo contempti. Quidq; nũ Iesus nõ potuit celebriores uiros inuenire, quos in Apostolos eligeret? & cum sit cordium

Apostolorum nomina.

Simon Petrus

Ministerium Apostolorum fundamẽtum ecclesiæ.

Andreas. Iacobus. Ioannes.

Philippus Bartholomæus Matthæus Thomas. Iacobus Simon Iudas. Thaddæus.

Apostoli indocti & contempti.

ſcrutator,cur Iudam furem & proditorem ad Apoſtolatũ uocauit? Profecto Chriſtus inueniſſet,ſi libuiſſet, multos ſapientes,celebres,principes & reges,quibus hoc miniſterium demandaſſet,ſed ita uiſum eſt ipſi, ut deligeret quæ ſtulta erant ſecundum mundũ. Quamobrẽ ut pudefaceret ſapientes. Et deligeret, quæ erant in mundo ignobilia & contempta,& ea quæ non erant. Quam ob cauſſam ut ea quæ ſunt obliteraret,& ut (quod maximum eſt) non gloriaretur ulla caro coram ipſo. Nã, ꝙ Iudam Iſcharioten furem & proditorem elegit, hinc adeo uenit, quia Chriſtus ſe poſuerat diuinam ſuam maieſtatem, qua cognoſcebat occulta cordium, & iudicabat in hac electione pro humani captus prudentia, qua is honeſtus & bonus pronũciatur, de quo nihil mali ſecundũ humanam experientiam ſcias. Iudas aũt Iſcharioteſ apparebat externa facie uir omnium probiſsimus,& in functione ſua diligentiſsimus. Eligitur ergo à Chriſto in Apoſtolum,& propter ſollicitam ipſius diligentiam præficitur etiam ærario, ac ſcribunt quidam ipſum multa quoq; miracula ædidiſſe. Sed qui fit, quòd Chriſtus duodecim tantum, nec plures nec pauciores Apoſtolos elegit? Curioſum fortaſsis iudicabitur, minuta iſta ſcrutari, attamen ſi rem probe conſideres, haud quaq; ſuperuacaneũ eſt, quic quid id ſit, cognoſcere. Multũ enim facit ad cõmendationem Apoſtolicæ autoritatis. Etenim, Chriſtus Ieſus Dominus noſter elegit Apoſtolos ſuos ad hoc miniſterium, ut eſſent pnblici teſtes doctrinæ Euungelii, non ſolũ in Iudæa, uerumetiam in toto orbe terrarum, & ut publico ſuo teſtimonio cõfirmarent reſurrectionẽ eius, ac nouum teſtamentũ per ipſum conditum, quaſi dicas ipſos teſtamentarios, Sic enim uocamus eos, qui uolũtatem teſtatoris publice teſtificant & exequũtur. Nam duo ſunt teſtamẽta, quæ Dñs Deus noſter in populo ſuo cõdidit: Alteꝛ uocatur uetus. Et hoc eſt pactum illud, quod Deus iniit cum Abraamo,& promiſit ſe ſemen Abraami multiplicatuꝛum, ſemini Abraami terrã Canaan daturum,& politian in ea inſtauratuꝛum, adeoq; ſemẽ ex Abraamo daturũ, in quo benedicantur omnes gentes terræ. Alteꝛ uocatur nouum teſtamentum. Et hoc illud eſt, quod condidit Deus per Ieſum Chriſtũ filium ſuum, in quo promiſit & recepit Deus, primũ, ſe omnibus in Ieſum Chriſtũ credentibus placatum patrẽfore,& remiſſuꝛum ipſis peccata propter Chriſtum, deinde, ſe omnes in Chriſtum credentes adoptare in filios ſuos,& hæredes bonorum ſuoꝛum, poſtremo, ſe omnes in Chriſtum credentes in afflictionibus & morte ſeruatuꝛos, atq; perpetua fœlicitate donatuꝛos. Hoc teſtamentum nouũ dicitur, non quia promiſſo de Chriſto antea non fuerit in mundo prædicata. Iam enim inde ab initio orbis terrarum Chriſtus in paradiſo, poſtq; Adã peccaſſet, promiſſus eſt. Sed dicitur nouũ, ꝙ nouiſsimis tẽporibus Chriſtus in carne uenerit,& Euangelion eius toti orbi terrarum reuelatũ ſit. Vnde epiſtola ad Hebræos uocat Chriſtũ, noui teſtamẽti ſponſorẽ, interceſſorem ſeu cõciliatorẽ, ꝓpterea ꝙ hoc teſtamẽtũ ſit per ipſum à Deo patre ſuo conditum, perfectũ & impletũ. Elegit igitur Chriſtus hac cauſſa Apoſtolos ſuos, ut per ipſos, ranq; per teſtamẽtarios, nouũ teſtamentũ toti orbi inuulgaret, ac publice teſtificaretur. Dicit enim Chriſtus ad ipſos: Eritis mihi teſtes, nõ ſolũ Hieroſolymis, uerumetiam in uniuerſa Iudæa, Samariaq;, deniq; uſq; ad extrema terræ. Et Petrus: Conſtituatur, inquit, unus quiſpiã in locũ Iudæ, qui ſit unà nobiſcum teſtis reſurrectionis Chriſti. Et iterum: Hunc Deus ſuſcitauit tertio die,& exhibuit eum, ut manifeſtus fieret non toti populo, ſed teſtibus prius ad hoc delectis à Deo, nimirum nobis, qui comedimus & bibimus unà cum illo, poſteaq; reſurrexit à mortuis. Et præcepit nobis, ut prædicaremus populo ac teſtificaremur, ꝙ ipſe ſit ille, qui conſtitutus erat à Deo iudex uiuorum & mortuoꝛum. Porro autem, quanq; lex dicat: In ore duum aut

Apoſtolos duodecim cur Chriſtus elegerit.

Teſtamentũ uetus.

Teſtamentũ nouum.

Chriſtus ſponſor noui teſtamenti.

duum aut trium ſtat omne teſtimonium, in iis tamen rebus, quæ certiſsimæ ac firmiſsimæ eſſe debent, ut ſunt publica pacta & teſtamenta, maior teſtium numerus requiritur. Ac Romano quidem iure ſeptenarius teſtium numerus publicam autoritatem habet. Ius, inquiunt iurisconſulti, ciuile exigit, ut ad teſtamenti factionem ſeptem teſtes adhibeantur. Iudaica autem conſuetudine duodenarius teſtium numerus ſacroſanctus eſt, qui proculdubio autoritatem ſuam inter Iſraelitas è numero duodecim patriarcharum, filiorum Iacob, accepit. Hinc in traiectu Iordanis eligun tur duodecim duriſsimi lapides è medio Iordanis, & ponũtur in publicum monumentum & teſtimonium, ꝙ aquæ Iordanis in tranſitu Iſraelitarũ exiccatæ fuerint. Cum igitur nouum teſtamentum, per Ieſum Chriſtum conſummatum, debeat eſſe res longe omniũ certiſsima ac firmiſsima, elegit Chriſtus Apoſtolos numero duodecim, ut emitteret eos tanq̃ publicos teſtes, in orbem terrarum, qui teſtificarentur reſurrectionem Chriſti ἀ mortuis, & prædicarent nomine eius pœnitentiam, & remiſsionem peccatorum in omnes gentes. Habes quam ob cauſſam Chriſtus duodecim tantum Apoſtolos elegerit. Nunc igitur perſtringamus ea quæ ſequuntur.

Teſtiũ numerus apud Romanos & Iudæos.

Et deſcendens cum illis, ſtetit in loco campeſtri, & turba diſcipulorum eius, & « multitudo copioſa plebis, ex omni Iudæa & Hieruſalem, & maritima Tyri & Sido « nis, qui uenerant, ut audirent eum, & ſanarentur ἀ languoribus ſuis. Et qui uexa- « bantur ἀ ſpiritibus immundis curabantur. Et omnis turba quærebat eum tangere, « quia uirtus de illo exibat, & ſanabat omnes. Marcus autem ita ait: Secuta eſt eũ « ingens multitudo ἀ Galilæa & ab Hieroſolymis, & ab Idumæa, & trans Iordanem, & qui circa Tyrum habitabant ac Sidonem, hominũ multitudo magna, qui cum audiſſent, quæ faciebat, uenerunt ad eum. Et reliqua quæ ſequuntur. Sed quo maior hominũ multitudo ad Ieſum cõfluebat, eo plura & magis ſtupenda ædebat Ieſus miracula. Multos enim ſanabat, ita ut irruerent in eum, quo illũ tangerent, quotquot affligebantur. Et ſpiritus immundi, cum illũ uidiſſent, procidebant ei, & clamabant dicentes: Tu es filius Dei. Inquiramus igitur quid ſibi uelit Chriſtus, ꝙ tam multa & magna miracula coram auditoribus ſuis ædat. Ac de hac quidẽ re antea nonnihil diximus, ſed nunc etiã pauca addere, minime ſuperuacaneum iudico. Etenim Chriſtus Ieſus Dominus noſter ædidit miracula ob hanc potiſsimũ cauſſam, ut his reuelet maieſtatẽ ſuam, & confirmet ueritatẽ Euangelii ſui, ac his tanq̃ publicis ſigillis cõprobet certitudinẽ cœleſtis ſuæ legationis, qua iuſſus fuit ἀ Deo patre ſuo inter homines fungi. Eſt enim è cœlo in terrã miſſus, tanq̃ legatus, ut adnũciaret orbi id quod res eſt, uidelicet, ꝙ ipſe ſit filius Dei, & uerus Meſsias, ꝙ ἀ patre ſuo ſit emiſſus, ut expiet peccata hominũ, reconciliet homines Deo, adoptet homines ſibi quidem in fratres, Deo aũt in filios, & hæredes bonorum Dei, ac reddat oẽs in ipſum credentes perpetuo fœlices. Hæc eſt legatio Chriſti, qua maior in terra nulla unq̃ emiſſa eſt. Etſi eiũ emittantur interdũ legati in hac terra, ut noui quidã & magni aliis adnunciẽt, tũ, ſi multũ, publicã tantũ pacẽ, aut hæreditates terrenas, aut delata publica imperia, aut uictoriã ex hoſtibus reportatã, aut id genus alia adnũciare poſſunt. Sed hæc Chriſti legatio lõge oĩm maxima eſt, qua adnunciat nobis, ꝙ iam pacẽ habeamus cũ Dño Deo noſtro, ꝙ ſimus adoptati in filios Dei, ꝙ hæreditas oĩm cœleſtiũ bonorũ, ac regnũ & imperiũ cœlorũ ad nos pertineat, denicq̃ ꝙ peccatũ, mors & Satan, hoſtes noſtri pniciоſiſsimi, ita diuicti ſint, ut remiſsis omnibus peccatis, per mortẽ non niſi in perpetuã fœlicitatem ingrediamur. Quid hoc nuncio iucũdius? quid afflictæ cõſcientiæ gratius? Porro aũt legato non facile adhibet fides, niſi proferat literas fidei, quas uulgo uocãt, literas credentiæ, ſigillo

Chriſtus cur tot ædiderit miracula.

Chriſti legatio.

principiis sui, à quo emissus est, confirmatas, & quanto legatio de maioribus rebus est, tanto diligentius requiruntur literæ & sigilla legationis. Proinde, cum Christus è cœlo in terram descenderet, ac legatione de rebus maximis & grauissimis inter homines fungeretur, haud quaq; uenit absq; testimoniis, sed attulit secũ literas fidei, seu credentiæ, sigillo non hominis, aut regis alicuius terreni, sed Dei patris sui, & creatoris ac regis cœli & terræ obsignatas, quo apud eos, ad quos missus erat, fidem haberet. Ac literæ quidem Christi, quas secum è cœlo in terram attulit, sunt cõciones eius quas habuit in Galilæa & Iudæa, quibus docuit Euangelion, q; ipse sit filius Dei ac Messias, patriarchis promissus, & per prophetas prædicatus, q; ipse sit expiatio peccatorum, uia, uita, ueritas, & resurrectio. Sigilla autem harum literarum sunt miracula à Christoædita, nimirum, q; sanauerit omnes male habentes, q; eiecerit spiritus immundos, q; qui tangebant ipsum consecuti sint sanitatem, q; cæcis uisum restituerit, q; leprosos mundauerit, deniq; quòd mortuos suscitauerit, adeoq; hæc omnia miracula fecerit suo ipsius uerbo ac potestate, id quod postea sua ipsius resurrectione à mortuis, ascensu in cœlum, & missione spiritus sancti in nomine suo manifestissime comprobauit. Nam, q; miracula ab ipsoædita sint cœlestia testimonia & sigilla, quibus legationem, doctrinam, & Euangelion suum obsignare & confirmare uoluerit, testatur ipse perspicue, dicens ad paralyticum per tectum ad se demissum: Vt sciatis, q; filius hominis habet potestatem in terra remittendi peccata, ait paralytico: Tibi dico, surge, tolle lectum tuum, & uade in domum tuam, isq; cõfestim surgens coram illis, tollebat lectum in quo iacuerat, abiitq; in domum suam glorficans Deum. Et iterum: Opera, inquit Christus, quæ dedit mihi pater, ut perficiam ea, ipsa, inquam, opera testificantur de me, q; pater miserit me. Et rursus: Opera, quæ ego facio in nomine patris mei, hæc testimonium reddunt de me. Idem etiam Ioannes Euangelista significat, dicens: Multa quidem & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. Hæc autẽ scripta sunt, ut credatis q; Iesus est Christus ille filius Dei, & ut credentes uitam habeatis per nomen eius. Agite igitur, amicissimi, quæcunq; miracula uel ab ipso Christo, uel ab Apostolis in nomine Christi ædita, in scriptura nobis proponuntur & commemorantur, ea non aliter excipiamus quàm sigilla de cœlo missa, & imagine cœlestis patris exsculpta, ut his in fide confirmati, in nullo alio salutem quæramus, præter quàm in Christo Domino nostro, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus laudandus in secula Amen.

Conciones Christi sunt literæ credentiæ eius.

Miracula sunt sigilla Euangelij.

HOMILIA: L.

EXplicuimus electionem duodecim Apostolorũ, quos Christus ex omni discipulorum suorum numero ad hoc ministerium segregauit, ut essent publici & legitimi testes noui testamenti, & legati ad prædicandum Euangelion in toto orbe terrarum, de resurrectione Christi, & remissione peccatorum, quæ propter Christum per fidem habetur. Audiamus nunc, quid Christus Apostolos suos docuerit, priusq; eos ad functionem ministerii Euangelici emitteret. Nam cum hi duodecim futuri essent publici doctores orbis, & ut Christus eos appellat, sal terræ, & lux mundi, qui potuissent alios in uera religione erudire, si ipsi eam non intelligerent? Si sal, aiet Christus, infatuatus fuerit, quo salietur? Ad nihil ualet ultra, nisi ut proiiciatur foras, & conculcetur ab hominibus. Et si lumen quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ

tenebræ quantæ erunt? Assumit igitur Christus ad se à postolos suos, & illuminat ipsos uera doctrina religionis, ut quod à doctore suo cœlesti audiunt, postea in toto orbe terrarum doceant. Ac principio docet eos recte intelligere legem Domini. Nam, quod ad legis explicationem attinebat, Iudæi, tam Pharisæi & legisperiti, quàm uulgus horrendis erroribus tenebantur, ac præcipue tripliciter peccabant. Primum, Mose dicit in lege: Si audire nolueris uocem Domini Dei tui, ut custodias & facias omnia mandata eius, uenient super te omnes maledictiones istæ, & apprehendent te. Maledictus eris in ciuitate, maledictus in agro. Et mox: Mittet Dominus super te famem & esuriem, & increpationē super omnia opera tua. Item, percutiet te Dominus egestate, febri, frigore, ardore & æstu, & reliqua quæ sequuntur. Ex his docebant Pharisæi, & sentiebat uulgus, quòd qui maledictione afficeretur, ac uel afflictionibus animi, uel ægritudinibus corporis premeretur, is esset in infœlici rerum statu, nihil recte ageret, nō uersaretur in iusta & legitima uocatione Dei, ac plane esset Deo abominabilis. Sic iudicabant etiam amici Hiob. Hi enim, quia uidebant amicum suum Hiob grauissimis afflictionibus obrutum, pronunciabant ipsum aduersus Deum peccasse, in iniquo genere uitæ uersatum, ac prorsus à Deo abiectum & condemnatum esse. Ad eundem modum iudicabant & discipuli Christi de cæco nato, dicentes: Quis peccauit, hic an parentes eius, ut cæcus nasceretur? Nam cum uiderent hunc à natiuitate cæcum, ipsi potius uulgari hominum errore excæcati, sentiebant eum uel propter sua, uel propter parentum suorum peccata maledictione cæcitatis afflictum, & Domino Deo nostro abominabilem esse. Atq; hic est primus error, quo Iudæi de maledictione seu aduersa fortuna pessime ex lege iudicabant, qui error uulgaris admodum est, in omnibus illis hominibus, qui carent spiritu Dei. Secundus error est, de benedictione seu prospera fortuna. Mose enim dicit: Si audieris uocem Domini Dei tui, ut facias & custodias omnia mandata eius, uenient super te uniuersæ benedictiones istæ, & apprehendent te. Benedictus tu in ciuitate, benedictus in agro. Et mox: Benedictus eris ingrediens & egrediens. Ex his iudicabant homines, q̄ qui haberet benedictiones Domini & prosperā fortunam, is esset in fœlici rerum statu, haberet Deum propicium, obediret uocationi Dei, & omnino beata esset uita, in qua ille ambularet. Prōptuaria, inquit psalmus, eorum plena, eructantia ex hoc in illud. Oues eorum fœtosæ, abundantes in egressibus suis, boues eorum craſſæ. Non est ruina maceriæ, neq; transitus, neq; clamor in plateis eorum. Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt. Sed hic error nō minus horribilis est, q̄ primus. Postremo accedit tertius error longe omnium perniciosissimus. Lex enim dicit: Non habebis alienos deos coram me. Item: Non occidas, Non fureris, Non committas adulterium, & multa id genus alia. Hæc ita intelligebant & interpretabantur Pharisæi, perinde ac si externa tantum peccata his legibus prohibita, & externa tantum honestas mandata esset, ac sentiebant externam iusticiam non tantum esse impletionem legis, sed etiam esse expiationem pro peccatis, & meritum uitæ æternæ. Hæc tria publica erant errata, quibus non solum Iudaismus, uerumetiam totus orbis terrarum ita excæcatus erat, ut iudicaret eius statum fœlicem, qui prosperum habebat rerum suarum euentum, eius autem statum infœlicem, qui in gerendis rebus suis nulla prospera fortuna uteretur, denique eum esse satis iustum, Deo charum, & perpetuo fœlicem, qui externis operibus honestus & coram mundo irreprehensibilis esset. Cum igitur uenisset Christus in hunc mundum, homines, non solum passione sua à peccatis, uerum etiam ministerio doctrinæ suæ à uanis opinionibus & erroribus liberaturus, &, quo commodius

Iudæi tripliciter peccant in explicanda lege.

Primus error de afflictionibus.

Secundus error de prospera fortuna.

Tertius error de impletione legis.

Euangelio ſuo locum pararet, ueram ſententiam legis doctus, prius optimo cõſilio Apoſtolos ſuos in uera cognitione legis erudit, q̃ ipſos in orbem terrarũ emitat, ut hi, diſcuſsis uulgaribus hominum erroribus, quibus lex Domini obſcurata erat, ſyncera doctrinam religionis in orbem terrarum perferrent. Ac primum omnium refellit eum errorem, qui habetur de maledictionibus ſeu aduerſa fortuna. Diximus enim homines uulgo ſentire, quod qui afflictionibus uexentur, hi ſint in infœlici rerum ſtatu, uiuant in impietate, habeant Deum iratum, & faſtidiantur ac reiiciantur à Deo. Vnde uulgari quodam prouerbio dicitur: Sanctum quidem eſſe aduerſa pati, ſed eum, qui aduerſa patitur, eſſe profanum & infœlicẽ. Chriſtus igitur hunc errorem confutaturus, & miſeros ac calamitoſos homines conſolaturus, aſcendit, quemadmodum Marthæus ait, in montem, & cum ſediſſet, & acceſſiſſent ad illum diſcipuli eius: Attollens oculos ſuos in diſcipulos dicebat: Beati pauperes, quia ueſtrum eſt regnum Dei. Quid hac doctrina admirabilius? quid inter ſe pugnantius? Pauperes enim beatos pronunciare, quid aliud eſt quàm affirmare infœlices eſſe fœlices? Et additur ratio multo admirabilior: Quia ueſtrum, inquit, eſt regnũ Dei. Hoc quid aliud eſt, quàm ſi quis dicat, pauperes ſunt beati, quia ſunt reges? At quis uel tantillam ſeu fœlicitatis ſeu regni portionem in pauperibus uidet? Profecto pauperibus nihil infœlicius, nihil abiectius apparet. Sed haudquaq̃ committendum eſt, ut hanc doctrinam aut omnino nouam, aut uanam ac falſam exiſtimes. Etſi enim ſit noua & inaudita in auribus Phariſæorum, ac uulgi hominũ, non tamen eſt noua ſacræ & diuinæ ſcripturæ. Et Chriſtus, qui eam docet, uenit de cœlo in terram, & eſt perfuſus ſpiritu ſancto. Quare ſenciendum eſt, eam eſſe doctrinam cœleſtem, & ſententiam ſpiritus ſancti. Excutiamus igitur, quid ſibi uelit Chriſtus, cum ait: Beati pauperes, quia ueſtrum eſt regnum Dei. Primum, quia Matthæus addit, pauperes ſpiritu, quidam putant Chriſtum loqui de iis pauperibus, qui opes ſuas ſponte abiiciunt, & fugiunt hunc mundum (ſic enim loquuntur) in deſertum, aut in monaſterium, ac uouent ibi paupertatem. Ac ex uocatiõe quidem Dei relinquere opes ſuas, neceſſaria eſt obedientia, relinquere autem opes, & ſe paupertati ac mendicitati tradere nulla Dei uocatione, ſed hac opinione q̃ uelis hoc opere ſatisfacere pro peccatis tuis, Deum placare, & uitam æternam mereri, tantum abeſt, ut ſit paupertas Deo grata, & uera obedientia Dei, ut nihil magis impium aduerſus Dominum & aduerſus Chriſtum eius, qui ſolus eſt propiciatoriũ pro peccatis & meritum uitæ æternæ, committere queas. Quare Chriſtus non loquitur de his pauperibus, qui ſine uocatione Dei opes ſuas derelinquunt. Sed quia ſpiritus more Hebræo nonnunq̃ ſumitur pro ſenſu cordis, & motu animorum, pauperes ſpiritu hi intelliguntur hoc loco, qui ſunt afflicti cordis, & turbatæ conſcientiæ, tum propter multas alias calamitates, tum præcipue propter iudicium peccatorum, quod ſibi imminere ſenciunt. Hanc paupertatem, ni fallor, Salomon in eccleſiaſte uocat, רעיון רוח hoc eſt, afflictionẽ ſpũs. Eſaias aũt ſic pauperẽ appellat, עני ונכה רוח hoc eſt, oppreſſum & percuſſum ſpiritu. Dauid uero in pſalmo quinquageſimo, ſpiritum contribulatum, cor contritum & humiliatum. Deinde, regnum Dei, ſeu ut Matthæus ait, regnum cœlorum hoc loco non intelligitur proprie pro perpetua beatitudine in futuro ſeculo, ſed pro prædicatione Euangelii de remiſsione peccatorum propter Chriſtum. Sic enim ſæpenumero uſurpat Chriſtus uocabulum regni Dei, ſeu regnum cœlorum. Quærite, inquit, primum, regnum Dei, & iuſticiam eius, & hæc omnia adiicientur uobis. Hic regnum Dei ſignificat prædicationẽ Euãgelii regni Dei, quod officium Apoſtolis commendatum erat. Iubet ergo eos ante omnia

Leyden iſt heilig, der aber ſein uill hatt, iſt unſelig.

Pauperes beati.

Spiritus quid ſigni ficet? Pauperes ſpiritu.

Regnũ Dei.

omnia operam dare, ut suam uocationem sectentur, & prædicent Euangelion regni Dei. Et iterum: Simile, inquit, est regnum cœlorum uerriculo iacto in mare, & ex omni genere contrahenti. Ibi certe regnum cœlorum nihil aliud est, q̃ prædicatio Euangelii. Sic & hoc loco, cum Christus ait pauperum spiritu esse regnum cœlorum, nõ de ea beatitudine, quæ habetur in futuro seculo, sed de Euangelio, quod auditur in præsenti seculo, loquitur. Est igitur sententia: Hi qui sunt pauperes spiritu, qui sentiunt peccata sua, & habent afflictam conscientiam propter peccata, ac timẽt mortem & infernum, uidentur tam sibi q̃ aliis longe omnium miserrimi, ac in infœlicissimo & damnatissimo statu uersari. Ego autem pronuncio eos, quantũ ad statum regni suarũ attinet, beatos. Nã, q̃ agnoscũt pctã, & sentiũt iudiciũ pctõrũ, non in tali statu uersantur, ut propter ipsum sint Domino abominabiles, & à Deo abiecti, sed in tali potius, per quẽ, si uolũt, possunt Deo acceptissimi esse, & summã salutem consequi. Nemo enim aptus est ad ingrediẽdum regnum cœlorum, hoc est, ad excipiendam per fidem prædicationem Euangelii de remissione peccatorũ propter Christum, nisi qui antea peccata sua agnoscat, & senciat grauissimum peccatorum iudicium. Agnitio enim peccatorum primus gradus est ad consequendã remissionem peccatorum & salutem. Pauperes autem spiritu in hoc gradu iam cõsistũt, propterea quòd iniquitatem suam agnoscant, & peccatum ipsorum coram ipsis semper sit. Quare longissime absit, ut existiment se ob paupertatem & afflictionem spiritus sui à Domino proiectos, sed potius certo sciant se in eo statu uersari, in quo apti sunt, ut audiant Euangelion de remissione peccatorum propter Christum, & credant in Christum, adeoq̃ per fidem iustificentur, ac ueram salutẽ & perpetuam fœlicitatẽ consequantur. Nam, q̃ Deus hos pauperes respiciat, fauore suo eos cõplectatur, ac per hoc ipsi in fœlici statu uersari dicantur, testatur etiam alibi Christus apud Esaiam, inquiẽs: Ad euangelizãdum pauperibus misit me. Et iterum: Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum & contritum spiritu, & trementẽ sermones meos? Et in Psalmo: Sacrificiũ Deo spũs cõtribulatus, cor cõtritũ & humiliatũ Deus nõ despicies. Ac in alio psalmo: Iuxta est Dñs his qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu saluabit. Vide enim mihi Dauidem: num in beatiori statu erat, cum securus & lætus regno suo fruebatur, & adulteriũ cum Bathsabea perpetrabat, an cum postea concutiebatur spiritu ex prædicatione Nathan, & contribulato corde dicebat: Peccaui Domino? Profecto tanto beatior erat concussus spiritu, quanto fœlicius est peccata agnoscere, q̃ peccata perpetrare. Quid dicam de muliere peccatrice, cuius fit mentio apud Lucam capite septimo? Hæc mulier erat spiritu pauperrima. Nam propter peccata intantum in conscientia sua affligebatur, ut præ dolore & timore mortis ac damnationis lachrymas funderet, ac se ipsam in conuiuio honestissimorum uirorum confunderet. Pharisæi autem interim securi conuiuabantur, & seipsos iustos reputabant. Quos igitur dicemus in beatiori statu uersatos esse? Mulierem ne peccatricem spiritu afflictam, an Pharisæos spiritu securos, & sibi propter iusticiam operum suorum, non unum tantũ, sed tres aut quatuor cœlos promittentes? Certe mulier peccatrix tanto fœlicior est Pharisæis, quanto propter agnitionem peccatorum suorum aptior est ad audiendum Euangelion, & credendum in Christum. Vnde Pharisæi discedunt è conuiuio multo q̃ antea peiores & à Dño abiectiores. Mulier autem discedit iusta & salua, postq̃ audiuisset: Remittunt tibi peccata tua. Vade cum pace, fides tua te saluã fecit. Quid ergo dicendum est de Cain, de Iuda proditore, & de multis aliis, qui fuerunt propter agnitionem peccatorum pauperes spiritu, & desperarunt? Num senciemus &

Pauperes respicit Deus:

Dauid pauper spiritu:

Paupertas spiritus Cain & Iudæ cessit ad perditionẽ

ipſos in fœlici rerum ſtatu uerſatos, q̃ agnouerint peccata ſua & fuerint pauperes ſpiritu? Certe agnitio peccati non fuit infœlicitas ipſorum. Nunq̃ enim fuerũt fœliciores, q̃ cum agnouerunt peccata, ſed hæc fuit infœlicitas ipſorum, q̃ fœlicitate ſua, nimirum agnitione peccatorum, non ſunt legitime uſi, ad credendum Euangelio, ſed abuſi ſunt illegitime ad deſperationem. Nulla tes tam bona, nullus ſta tus tam pius eſt, quin abuſu fiant mala, aut, ut ſignificantius loquar, abuſu male cedant. Quid ipſo Domino Deo noſtro melius eſt? attamen pſalmus ait: Cum peruerſo peruerteris. Quid legitimo coniugio ſanctius eſt? Sed quid eodem tibi turpius eſt, ſi abutaris? Porro autem ſenſus peccatorum & paupertas ſpiritus, ſanctum opus Domini eſt, quod operatur per legem (Dicit enim Paulus: Per legem agnitio peccati. Et: Non cognoui peccatum, niſi per legem) in hunc finem & uſum, nõ ut deſperemus, ſed ut præparemur ad audiendum & credendum Euangelion de remiſsione peccatorum propter Chriſtum. Dominus enim mortificat, ut uiuificet, deducit ad inferos, ut reducat, facit pauperem, ut ditet, humiliat, ut ſubleuet. Quare, ſi agnitio peccatorum & paupertas ſpiritus impiis ad perditionem cedat, nõ fit culpa paupertatis ſpiritus, ſed culpa ſuæ ipſorum impietatis, qua paupertate ſpiritus ad deſperationem abutuntur. Piis autem cedit paupertas ſpiritus in maximam ipſorum ſalutem. Hi enim ſciunt legitimum eius uſum, & cognoſcũt ipſam in hoc à Domino ordinatam eſſe, ut ſit paraſceue ad capeſſendum Euangelion. Afflicti ergo ſpiritu propter peccata non hoc agunt, ut animum deſpondeant, ſed ut Euãgelion regni Dei de remiſsione peccatorum audiant, & fidem concipientes, ad perpetuum regnum Dei in futuro ſeculo perueniant. Cum igitur iudicio peccatorũ & paupertate ſpiritus comprehenderis, quid clamas te miſerum? quid iuxta ſenſum uulgi iudicas te in infœlici rerum ſtatu uerſari? quid uociferaris alios hac afflictione carentes beatos, te autem damnatũ? Quin potius hi miſeri & infœlices ſunt, qui ſecuri uiuunt, & peccata ſua non agnoſcũt. Hi enim tam longe abſunt à regno cœlorum, quàm profunde in peccatis ſuis ſtertunt. Tu uero paupertate ſpiritus in tanta fœlicitate uerſaris, ut ſi alii uoluerint regnum cœlorum adſequi, neceſſe habeant prius tui ſimiles fieri, & ad eandem paupertatem ſpiritus peruenire. Sed pergit Chriſtus, & ait: Beati qui nunc eſuritis, quia ſaturabimini. Matthæus plura beatorum genera addit: Beati, inquiens, qui lugent, quoniam ipſi conſolationẽ accipient. Beati mites, quoniam ipſi hæreditatem accipient terræ. Sed hæc facile intelligentur, ſi quæ Lucas cõmemorat probe percipiamus. Quare ne iuſto longiores ſimus, ea tantum explicabimus, quæ hoc loco Lucas recẽſet. Porro, apud Lucam dicitur: Beati qui nũc eſuritis, quia ſaturabimini, hoc apud Matthæum ita habetur: Beati, qui eſuriunt & ſitiunt iuſticiam, quoniam ipſi ſaturabũtur. De qua ergo iuſticia Chriſtus hic loquitur? Diximus antea Chriſtum his ſententiis corrigere errores, quibus homines falſo de aduerſa fortuna in hoc ſeculo iudicant. Apparet igitur eum loqui de ciuili iuſticia, & de infœlicitate, quæ bonis uiris ciuilem iuſticiam toto deſiderio ſectantibus accidere ſolet. Sunt enim, qui noctes atq̃ dies hoc unum meditantur, deſiderant, & agunt, ut negocia ſua iuſte & recte adminiſtrẽt, ac in contractibus ſuis ciuilibus æquitatem ſeruent, adeoq̃, ut Chriſtus ait, eſuriunt & ſitiunt iuſticiam, ut non tanto deſiderio cibum ac potum in fame & ſiti appetant, quanto iuſticiam & æquitatem in omnibus negociis ſuis ſectantur, attamen ſi conſideres rerum ſuarum euentum, uideas ipſis omnia aduerſa, iniqua, & iniuſta accidere, & cum ipſi erga omnes iuſticiam ſeruent, uiciſsim tamen ab omnibus iniuſticiam pati coguntur. Si in controuerſiis ciuilibus iudicio ſiſtantur, & iuſtã cauſam habeant,

Agnitionis peccatorum uſus.

Iuſticia ciuilis.

habeaut,cadunt tamen cauſſa,& litem perdunt.Si bonas ſuas merces uenum iuſte exponant, tanta infœlicitas contingit ipſis, ut eos non merces iuſto labore paratas,ſed impoſturas, furta & rapinas uenum expoſuiſſe putares, deniq; quo maiorẽ dant operam iuſticiæ,eo maiores calamitates ipſis accidere ſolent.Hos exiſtimant homines prorſus infœlices & maledictos eſſe,& cum uideãt eos in omnibus negociis ſuis aduerſam fortunam habere, iudicãt ipſos in negociis aduerſus Deum peccare,in mala cauſſa uerſari,& à Deo abiectos eſſe.Sed Chriſtus longe aliter de ipſis pronunciat:Beati,inquiens,qui cum maxrme iuſticiam appetant,ſectentur & faciant,non tamen niſi iniuſticiam & iniquitatem patiantur. Hic rerum ſtatus iudicatur ab hominibus infœlix & damnatus, at ego pronuncio ipſum eſſe ſtatum fœlicem & benedictum. Ergo ne omnes qui in eo uerſantur,ſunt beati ac fœlices? Quid igitur dicemus de his,qui cum in iudicio ciuili iuſta ſua cauſſa cadant,aut in cõtra ſtibus infœlicitatem ſenciant,indignantur,Deum atq; homines execrantur, & nõ niſi uindictam in malefactores meditantur? Num & hos pronunciat Chriſtus beatos? Minime omnium. Chriſtus enim in his ſententiis,quibus beatorum genera explicat,magis in ſtatũ rerũ,q̃ in perſonas hoĩm reſpicit. Vnde,cũ hoc loco dicit:Beati,qui eſuriũt & ſitiunt iuſticiã,ſic uult intelligi:Qui ſectant iuſticiã, & ſufferũt uiciſſim iniuſticiã & aduerſam fortunã, hi iudicant ab hoĩbus huius ſeculi in maledicto & in infœlici rerũ ſtatu uerſari,ego aũt dico,hunc rerũ ſtatũ,quod ad ſe attinet, eſſe benedictũ & fœlicẽ.Quòd ſi quis in eo maledictus & infœlix reddit,nõ fit culpa boni ſtatus,ſed culpa mali hoĩs in bono ſtatu male uerſantis,& bono ſtatu male abutentis.Hic em̃ ſtatus per ſe diuina ordinatione ita bñdictus & fœlix eſt, ut qui ipſo recte utitur, & legitime ſe ipſi accommodat, poſsit per eum acquirere ſaturitatem omnis iuſticiæ,& abundantiam omnium bonorum. Reliquũ igitur eſt,ut hoc rerũ ſtatu recte utamur, & nos legitime ei accommodemus. Sic enim continget nobis quod Chriſtus addit,ſaturabimini. Ecquis,inquies, legitimus huius ſtatus uſus eſt? Profecto is non eſt,ſi iudicem,qui iniquam aduerſus te ſententiam pronunciat,excreris, & ſeditionem concites, aut ſi tam creatorem q̃ creaturas propter aduerſa diris deuoueas, & à uocatione Dei ad ſectandam iniuſticiam & impietatem deficias.His rebus maledictione potius & extrema perditione, q̃ benedictione aut bonorum ſaturitate in fame & ſiti iuſticiæ impleberis.Sed is eſt legitimus uſus, ſi credideris, Dominum Deum noſtrum tibi propter Chriſtum propicium eſſe, ac tibi prudenti ſuo conſilio, & magno tuo commodo aduerſa & infœlicitates immittere, ſi præterea perſeueraueris in uocatione Dei, nec ab ea propter aduerſa diſcedas. Nam ſi hoc modo te aduerſis,quæ tibi in iuſticia ambulanti contingunt,accõmodaueris,& hac ratione in ſtatu tuo uerſeris,fieri non poteſt, quin ſaturitatem omnis iuſticiæ conſequaris. Vnde Dauid:Expecta, inquit, Dominum, & cuſtodi uiã eius,exaltabit te,ut hæreditate capias terrã, & uidebis peccatores perire. Et mox: Cuſtodi innocentiam, & uide æquitatem, quia eiuſcemodi homini tandem bene erit. Et Eccleſiaſtes:Peccator,inquit, & ſi centies mala faciat, & diu uiuat, tamen cognoui quòd bene erit timentibus Deum,& his qui uerentur faciem eius. Et non bene erit impio, & dies eius, qui ſunt ſicut umbra, non differentur. Quibus uerbis quid ſcriptura aliud uult,q̃ quod Chriſtus hic dicit: Beatos eſſe,qui eſuriũt & ſitiũt iuſticiã, qui cũ in iuſticia ambulant & perſeuerant in ea, habent tñ aduerſam fortunam. His em̃ bene erit,& omnibus bonis ſaturabunt. Et quod uerbis dicit,hoc etiam exemplis ſcripturæ comprobatur. Iacob eſuriebat & ſitiebat iuſticiã erga ſocerũ

Iuſticiæ cuiuſlis legitimus uſus.

Iacob ſitiens & eſuriens iuſticiam.

ſuum Laban, ſeruiebat ſocero uiginti annos iuſtiſsime, noctu diuq́ æſtu urgebatur & gelu, fugiebatq́ ſomnus ab oculis eius, arietes gregis ſoceri nō comedebat, & dā num omne rependebat, adeoq́ nihil nec operis nec laboris nec ſumptus intermit tebat, tantum ut iuſtam ſeruitutem ſocero ſeruiret. Sed quid fit? quo iuſtius Iacob ſocero ſeruiebat, eo iniquius circumueniebat eum ſocer, & mutabat mercedem ei- us, ut ſcriptura ait, decem uicibus. Vides Iacobum in eo ſtatu eſſe, in quo hi ſunt, qui cum iuſticiam ſectentur, iniuſticiam tamen ab aliis patiūtur. Ergo ne dicemus Iacobum infœlicem eſſe? Nihil minus. Iacob enim Domino confiſus, hoc rerum euentu legitime utebatur, & quo magis à ſocero circumueniebatur, eo iuſtiorem ipſe ſeruitutem ſeruiebat. Effecit igitur Dominus, ut omni iuſticia ſaturaretur, & ſubſtantia ſoceri ſui ualde ditaretur. Verſatus eſt & Ioſeph in eorum numero, qui e- ſuriunt & ſiciunt iuſticiam. Nam cum adminiſtraret domum Putipharis in Aegy pto iuſtiſsime, & ageret continentiſsimam ac pudiciſsimam uitam, fuit tamen ac- cuſatus adulterii, & cum cauſa caderet, coniectus eſt tanq́ publicus adulter in carce rem. Quid? Hiccine ſtatus Ioſephi infœlix erat? Abſit. Cum enim Ioſephus ſe huic recte accōmodaret, promiſsionibus Dei crederet, ultionem Deo reſignaret, & in uocatione Dei perſeueraret, effectum eſt à Domino, ut Ioſeph omni iuſticia ſatu- raretur, hoc eſt, ut iniquitas adulteræ manifeſtaret, iuſticia & continentia Ioſephi reuelaretur, ac è carcere ad principatum Aegypti produceretur. Ecce ſic benedici tur homo, qui timet Dominum. Quid dicam de Dauide? Hic iuſtiſsime fungeba- tur officio ſuo in aula regis Saulis, ſed uide quāta interim iniuſticia ipſi accidebat. Saul meditatur mortem eius, eiicit ipſum è regno tanq́ ſedicioſum, & hoc unum agit, ut ipſum trucidet. Quid faceret Dauid? Erat in eorum catalogo, qui eſuriūt & ſiciunt iuſticiam, & iudicantur coram mundo infœlicem rerum ſuarum euentū habere. Num uiciſsim tenderet Sauli inſidias, & ultionem ab eo ſumeret? Nequa- quā̀m. Hoc enim planè eſſet abuti ſtatu eſurientium iuſticiam, ſed habebat fiduciā in promiſsiones Dei, tradebat Domino uindictam, ac etiā ſi habebat in manu ſua Saulem, & poterat eum interficere, noluit tamen uiolentes manus Chriſto Domi- ni iniicere. Vnde tanta iuſticia ſaturatus eſt, ut non ſolum tutus & incolumis ad re gnum Iſraelis rediret, ſed ipſe in regem eligeretur ac confirmaretur. Inter eſurien- tes iuſticiam ſupremum locum obtinet Dominus noſter Ieſus Chriſtus. Hic, cum omnia iuxta diuinum mandatum peregiſſet, rapitur tamē ad tribunal pontificum & præſidis in Iudæa, & condemnatur illic hæreſeos & ſedicionis, ac turpiſsimo mortis genere occidit. Quid hoc euentu infœlicius, ſi externam ſpeciem iudices? At quid eo fœlicius, ſi huius euentus finem conſideres? Quanq́ enim non potuit ullam iuſticiam in humano iudicio adſequi, tamen quia recte ſe huic aduerſitati ac commodauit, & cum maledictis inceſſeretur, maledicta non regeſsit, cum malis af ficeretur, non minatus eſt, ſed tradidit uindictam ei qui iuſte iudicat, & factus eſt obe diens patri ſuo uſq́ ad mortem crucis, ideo tanta iuſticia ſaturatus eſt, ut non ſolū innocētia eius in toto orbe terrarum diuulgata ſit, ſed etiam elatus ſit in ſummam ſublimitatem, ac donatus nomine, quod eſt ſupra omne nomen, ut in nomine Ie- ſu omne genu ſe flectat cœleſtium, terreſtrium, & infernorum. Habes igitur, beatos eſſe qui eſuriunt & ſitiunt, iuſticiam, quandoquidem ſi ſe fami & ſiti ſuæ recte accō- modauerint, ſatis abundanter iuſticia ſaturentur. Iam, ſi hoc dictum CHRISTI ſimpliciter, ut Lucas effert, intelligas, non de eſurientibus iuſticiam, ſed de eſu- rientibus panem, & de iis, qui adeo pauperes ſunt, ut præ paupertate neceſſe habeant aut inediam ferre, aut panem emendicare, non abſurda erit ſententia:

Ioſeph ſitiuit & eſuriuit iuſticiam.

Dauid ſiciens iuſticiam.

Chriſtus etiā ſitiuit & eſuriuit iuſticiā.

Eſurientes et emendicātes panem ſaturabuntur.

Nam & hi

Nam & hi iudicãtur ab hominibus huius ſeculi, in ſtatu prorſus infœlici, & tam coram Deo quàm coram mundo abominabili uerſari. Vulgo enim dicitur: Qui in hoc ſeculo eleemoſynam colligit, neceſſe habebit in futuro ſeculo panem mendicare. Quo prouerbio ſignificant, ſtatum pauperum adeo miſerum eſſe, ut tam coram Deo, q̃ corã mũdo abominabilis ſit. At Chriſtus longe aliter iudicat & docet: Beati, inquiens, qui eſuritis nunc. Quare? quia ſaturabimini. Sed quomodo cõtinget eſurientibus ſaturitas, aut pauperibus opum abũdantia? num ſi in fame & paupertate indignentur aduerſus iudicium Dei, promiſsiones Dei incredulitate faſtidiant, uocationem Dei derelinquant, impoſturis operam dent, furentur, & prædẽtur? Minime omnium. His impietatibus accerſitur potius fames & penuria quã depellitur, ſed ſi ſeſe ad eſuriem & paupertatem uerbo Domini ſanctificatam pie comparent, & ſancte accõmodent. Dominus enim Deus noſter ſanctificauit & conſecrauit uerbo ſuo famem & penuriam. Et ait in pſalmo: Pauperes eius ſaturabo panibus. Ac rurſus: Non cõfundentur in tempore malo, & in diebus famis ſaturabũtur. Et aliàs: Dat eſcam eſurientibus. Et iterum: Eſurientes implet bonis. His promiſsionibus, & multis aliis ſanctificauit Dominus paupertatem & famem, ut ſit ſacrum organon ad acquirendam abundantiam & ſaturitatem. Maxime autẽ omnium ſanctificauit ea, cum coniecit in ipſa filium ſuum unigenitum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Hic adeo pauper fuit, ut non habuerit ubi reclinaret caput ſuum, adeo famelicus, ut etiam à ſycomoro cibum pecierit, ſed quia fuit ſine peccato, ideo paupertatem & famem ita conſecrauit, ut non amplius ſint maledictiones ad perditionem, ſed benedictiones ad ſalutem. Quare qui uoluerit, ut & ſibi in benedictiones cedant, neceſſe habet ſeſe illis pie ac ſancte accommodare. Quid enim tam ſanctum eſt, quod abutenti & ſeſe non recte accommodanti bene cedat? Quid ſacramẽto cœnæ dominicæ ſanctius? quid ipſo uerbo Domini ſacratius? Sed ſi cœna dominica abutaris, reus eris corporis & ſanguinis Domini. Si uerbum Domini non exceperis ſancta fide, magis erit execæcatio q̃ illuminatio: ita niſi te recte ad paupertatem & famem comparaueris, plus maledictionis q̃ benedictionis tibi afferent. Sed quid faciam, inquies, ut paupertati me recte accommodem? Vno aut altero uerbo dicam: Reſipiſce, & ambula in uocatione Dei. Hæc ſi feceris, habebis in paupertate maximas diuitias, & in fame ſummam abundantiam. Tunc autem reſipiſces, cum agnoueris peccata tua, & credideris ea propter Chriſtum remiſſa, ac fiduciam habeas, q̃ cum pater tibi ſit propter Chriſtum placatus, non ſit te in anguſtia famis deſeruturus. Tunc uero ambulabis in uocatione Dei, cum dignos pœnitentiæ fructus feceris, & uerbo Domini obediueris. Atiterum dices: Hæc ſperarẽ me multo facilius facturum in diuitiis & opum abundantia, q̃ in paupertate & fame. Quare ſi Deus uoluerit pietati meæ conſulere, auferat confeſtim à me paupertatem, & largiatur mihi diuitias, ſic enim & ego mox ambulabo in uocatione eius. Hæ ſunt uanorum hominum cogitationes & uoces. Senciunt enim ſe multo honeſtius & iuſtius accomodaturos abundantiæ q̃ penuriæ, diuitiis q̃ paupertati, ac putant ſe maiorem operam pietati daturos, ſi contingerent ipſis multæ opes, quàm ſi fame & paupertate premant. Sed his cogitationibus nihil uanius, nihil mendacius eſt. Nam qui neſcit ſeſe penuriæ ac paupertati recte ac pie accõmodare, is profecto multo minus ſciet ſeſe diuitiis & abundantiæ recte accommodare. Vix uerſimile ac credibile apparet hoc dictum, ſed tamen uerſimum ac certiſsimum eſt. Opum enim abundantia & deliciæ hanc habent naturam, quòd ubi ſint, ibi erigant ſe in humano corde in locum Dei, alliciantq̃ mentem, ut totam ſuam fiduciam

Vuer hie behelt, der muſs dort nach krotgehn.

Saturitas quomodo contingat eſurientibus.

Paupertati quomodo recte nos accõmodemus.

Diuitiarũ natura.

in ipsa collocet. Vbi thesaurus tuus, inquit Christus, ibi cor tuum. Et Paulus auarum uocat idolorũ cultorẽ. Penuria aũt & fames nihil habent in se tam iucundum & delectabile, quod fiduciam humani cordis ad sese alliciat. Multo igitur maior spiritus potentia requiritur, ut pie uiuas in opum abũdantia quàm in paupertate.

In diuitijs difficulter obeditur uocationi Dei.

Quare si nescis uocationi Dei obedire in paupertate, certe multo magis nescies ei obedire in diuitiis. An si præ exiguitate prudentiæ tuæ nó potes administrare unius domus familiam, speres te probe administraturum imperium totius urbis aut regionis? An si præ infirmitate corporis non potes in humeris tuis ferre pondus unius talenti, confidas te laturum pondus duorum talentorum? Sic qui tam imbecillis fidei est, ut nequeat pietati operam dare in paupertate & fame, nunq̃ fiet ut in ea fidei imbecillitate operam det pietati in opum abundantia. Christus apud

Pericula in diuitijs,

Euangelistas uocat diuitias, spinas. Vt igitur multo tutius est ambulare in uia à spinis purgata, quàm inter spinas, ita multo securius est uiuere in paupertate quàm diuitiis. Et iterum ait: Facilius est camelum per foramen acus trãsire, quàm diuitem in regnũ Dei ingredi. Et tu confidis fore, ut facilius in diuitiis quàm in paupertate ueram pietatem capessas? Paulus quoq; ad Timotheum scribens: Qui uolunt, inquit, ditescere, incidunt in tentationem & laqueum, & cupiditates multas stultas ac noxias, quæ demergunt homines in exicium & interitum, siquidem radix omnium malorum est studium pecuniæ, quam quidam dum appetunt, aberrauerunt à fide, & se ipsos implicuerunt doloribus multis. Si tanta pericula diuitiis adhærẽt, quid hac opinione uanius, q̃ existimes te multo cõmodius posse pie uiuere in magnis opibus, quàm in dura egestate? Quare si tibi uera tua salus curæ est, & interim inopia & fame premeris, non hoc agas, ut multas diuitias impietate cõgreges, sperans fore, ut postquàm satis opum collegeris, facilius pietati operam daturus sis, sed ut te inopiæ & egestati tuæ probe accommodes, hoc est, ut in pœnitentia & uocatione Dei ambules. Sic enim multo maiorem abundantiam & opes in paupertate tua inuenies, quàm omnes impii in maximis suis diuitiis. Et quid est quod ad huc tantopere appetas abundantiam opum? Fateor: Diuitiæ per se bona sunt creatura Dei, & cui iuste ac legitime diuinitus contingunt, huic habendæ & iuxta uocationem Dei utendæ sunt. Sed si Dominus te in paupertatem ita coniicit, ut in toto orbe terrarum non uideas, quomodo tibi iuste, & legitime diuitiæ contingere possent, nihil tamen habes, quod conqueraris. Si enim te paupertati iuxta uocationem Dei recte accõmodaueris, profecto paupertas tua nihil tunc differet à diuitiis aliorum, & inuenies in paupertate tua tantam abundantiam & saturitatem, quantam alius in ditissimo quodam regno inuenit. De eiusce modi pauperibus audi mihi Paulum ad Corinthios ita scribentem: Quasi pauperes, multos tamen ditãtes. Vt nihil habentes, omnia tamen possidentes. Patriarcha Iacob fugiebat fratrem suum Esau, & tam pauper erat, ut nec haberet panem, quo uesceretur. Vnde & uotum uouebat dicens: Si fuerit DOMINVS mecum, & dederit mihi panem ad uescẽdum. Sed quid? nũquid in hac paupertate periit? Periisset, si maluisset impietatẽ sectari, q̃ sese paupertati suæ pie accõmodare. Nũc aũt, quia recte se ad paupertatẽ suã cõparauit, pertinet inter exẽpla horum, de quibus Christus dicit: Beati qui esuritis nunc, quia saturabimini. Inuenit em̃ in paupertate sua tantã opũ abũdantiam, ut cum in uno tantum baculo transiisset Iordanem, cum duabus postea turmis ad patriam suam regressus sit. Quid dicã de Elia? Hic habitabat in fame ad torrentem Carith, ubi nec panes nec frumẽta erant. Sed quia cõparauerat se iuxta uocationẽ Dei ad egestatem suã, ideo inueniebat satis ciborum etiam in deserto.

Iacob pauperati se recte accõmodauit.

Elias egestatẽ suam iuxta uocationem Dei instituit.

Coruus enim

Coruus enim mane & uesperi afferebat panes. Et cum torrens defeciſſet, uenit ad uiduam Sareptanam iam præ fame morituram, ſed quia & Elias & uidua accõmodabant ſeſe recta fide egeſtati ſuæ, inuenerunt in pauca farina & oleo ſatis abundantem uictum, & ſibi & familiæ toto famis tẽpore. Et Chriſtus ad Apoſtolos ait: Quãdo miſi uos ſine ſacculo & pera & calceamentis, nunquid defuit uobis? At illi dixerunt: Nihil. Vides Apoſtolos in magna paupertate, magnã omnium neceſſariarũ rerum abundantiam habuiſſe. Et quomodo id accidit? Certe nulla alia ratione, q̃ q̃ ſe paupertati ſuæ iuxta uerbum Chriſti accõmodauerint, & uocationi Dei obedierint. Quare, ſi & nos audiamus Chriſtum, Euangelio eius fidem adhibeamus, & uocationem diuinam ſectemur, etſi nunc algeamus, eſuriamus & ſitiamus, beati tamen ſumus, quia ſaturabimur per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui eſt unà cum Patre & Spiritu ſancto Deus laudandus in ſecula Amen.

HOMILIA. LI.

Ergit Chriſtus in refellendis erroribus, quos homines habẽt de aduerſa fortuna, pergamus & nos in explicandis illis apophthegmatibus, quibus errores hominũ refelluntur. Beati, inquit, qui nunc fletis, quia redebitis. In hoc mundo infœlices iudicantur hi, qui flent, lugent aut dolent. Nam fletus aut luctus argumentum eſt, aduerſa accidiſſe. Aut enim amicus periit, aut diuitiæ ablatæ ſunt, aut crus fractũ eſt, aut in exilium electi ſumus, aut aliud quoddam incommodum ſiue corporis ſiue animi accidit. Tot enim ſunt cauſſæ fletus & luctus, quot ſunt genera afflictionum. Hæc autem omnia iudicantur ab hominibus huius ſeculi infœliciſſima & pernicioſiſſima. Quare qui flent ac lugent, habentur miſerrimi & calamitoſiſſimi ominum hominum, ſed Chriſtus longe diuerſa concionatur. Dicit enim: Beati, qui nunc fletis, quia ridebitis. Quid ergo? Num dicemus etiam Eſau beatum, de quo ſcriptum eſt, q̃ poſt quàm reſciuit benedictionem patris ſui Iſaac à Iacob præreptam, magno eiulatu fleuerit? Similiter de impia Iſraelitarum turba ſcriptum eſt, q̃ uociferantes tota nocte fleuerint, propterea q̃ timuerint, ne à populo Canaan trucidarentur. Num turbam hanc dicemus beatam, q̃ fleuerit? Minime omnium. Fletus enim impiorum, qui in hoc ſeculo non agunt pœnitentiam, non eſt inicium riſus, ſed eſt iniciũ perpetui fletus. Coniicientur enim in tenebras exteriores, ubi non eſt niſi ſempiternus fletus & ſtridor dentiũ. Quomodo igitur Chriſtus pronunciat eos beatos, qui nunc flent? Oſtendimus ſupra, Chriſtũ in his ſententiis magis reſpicere ad ipſum ſtatum, & genus uitæ, q̃ ad perſonas miſerorũ. Vnde cum dicit: Beati qui nunc fletis, hunc habet ſenſum: Qui nunc flent, non ſunt in infœlici rerũ ſtatu, aut calamitoſo uitæ genere, quemadmodũ mũdus iudicat, ſed ſunt in ſtatu admodũ fœlici, & per uerbum Dñi benedicto. Verbũ enim Dñi teſtatur Deũ reſpicere calamitates, propter quas hoĩes flere & dolere ſolent, adhæc ſignificat quoq; Deũ numerare gemitus & lachrymas populi ſui. In pſalmo dicit: Tu laborẽ & doloré cõſyderas, ut tradas eos in manus tuas. Tibi derelictus eſt pauper, orphano tu eris adiutor. Et mox: Deſideriũ pauperũ exaudit Dñs, præparationẽ cordis eorũ audit auris tua. Acitẽ: Deus, poſuiſti lachrymas meas in cõſpectu tuo. Et de Ezechia dicit: Audiui orationẽ tuã, uidi lachrymã tuã & ſanaui te. Accedit huc, q̃ ipſe Chriſtus ſæpenumero lachrymas effudiſſe legit. Qua certe effuſiõe dedicauit & cõſecrauit ipſũ fletũ & lachrymationẽ,

Fletus & luctus aduerſitatũ indicia.

Impiorum fletus.

Flentes ſunt in ſtatu fœlici & beato.

ut non amplius sint maledictiones ad perditionem, sed benedictiones ad salutem. Porro autem, quicquid uerbo DOMINI benedictum & consecratum est, hoc fide & gratiarum actione accipiendum & tractandum est. Nisi enim fide accipiatur & tractetur, in malum potius, quàm in bonum, in perditionem magis quàm in salutem cedit. An non sanctificauit DOMINVS Deus noster creatione & uerbo suo cibum ad humanam salutem? De hoc tamen Paulus dicit: Pollutis & infidelibus nihil est purum, sed polluta est illorum & mens & cõscientia. Quid ipse Christus? Nonne est sapientia, sanctificatio, iusticia, & redemptio nostra? Attamen incredulis est stultitia, offendiculum, & odor mortis ad mortem, quemadmodum Paulus ait. Quare si quis uoluerit fletum suum benedictum ac beatum esse, & per fletum ad perpetuum risum peruenire, non potest id assequi incredulitate, uirulentiis, blasphemiis & desperatione, quod impii in fletu facere solent, sed necesse habet sese fletui & luctui iuxta diuinam uocationem accommodare. Id autem fiet, primum, si quis agnoscat se peccatorem, & DOMINVM Deum nostrum optimo iure posse multo maiora mala ipsi propter peccata sua inferre, quàm ea sunt, propter quæ nunc doleat & fleat. Deinde, si credat peccata sibi propter CHRISTVM remissa, & se habere placatum Deum in cœlis, qui non nisi in bonum immiserit ipsi has calamitates quas sustinet, & compensaturus sit eas magna clementia. Postremo, si non deficiat à uocatione Dei, sed in ea pergat & perseueret. Hæc qui fecerit, profecto beatissimus erit in ipso fletu, & longe maiora bona per fletum suum consequetur, quàm alii per risum suum, imo hic fletus coram mundo miserabilis, nihil aliud coram Deo erit, nisi iucundissimus risus, quem etiam risum Deus in flente, suo tempore, tam in hoc seculo quàm in futuro reuelabit. Vnde in psalmo dicitur: Qui seminant in lachrymis, in exultatione metent. Euntes ibant & flebant mittentes semina sua. Venientes autem uenient cum exultatione, portantes manipulos suos. Dauid eiectus à filio suo è regno, ascendebat cliuum oliuarum nudis pedibus & operto capite incedens, & flens. Sed per hunc fletum peruenit ad tantum gaudium, ut nunc perpetuo rideat. Nam in fletu suo agnoscebat peccatum suum, arripiebat promissiones Dei fide, inuocabat DOMINVM ex fide, non quærebat uindictã, sed perseuerabat in uocatione Dei. Quare iusto Dei iudicio accidit, ut ipse in fletu suo inuenerit fœlicitatem, filius autem eius Absolon & qui cum eo erant, inuenerint in gaudio & risu suo maximam infœlicitatem. Ezechias, postquàm audiuisset se moriturum, fleuit coram DOMINO fletu magno, sed quia comparauit se fide & oratione in hunc fletum, inuenit in ipso longitudinem uitæ quindecim annorũ. Ad Apostolos ait Christus: Amen dico uobis, plorabitis & lamentabimini uos, mundus contra gaudebit. Vos autem mœrore afficiemini, sed mœror uester uertetur in gaudium. Mulier cum parit dolorem habet, quia uenit hora eius. Cum autem pepererit puerum, iam non meminit anxietatis, propterea quòd gaudeat hominem esse natum in mundum. Et uos igitur nunc quidem mœrorem habetis, sed iterum uidebo uos, & gaudebit cor uestrum, & gaudium uestrum nemo tollit à uobis. Fleuit postea Petrus amare, sed quia accommodabat se huic fletui, agnitione peccati, fide, & perseuerantia in uocatione Dei, ideo accidit ei, iuxta illud quod CHRISTVS dicit: Beati qui nunc fletis, quia ridebitis. Sed addit Christus, & ait: Beati eritis, cum uos oderint homines, & dum separauerint uos, & exprobrauerint, & eiecerint nomen uestrum, tanquàm malum, propter filium hominis. Gaudete in illo die & exultate. Ecce enim merces uestra multa est in cœlo. Secundum hæc enim faciebant prophetis patres eorum. Hac peticope Christus non solum explicat,

Fletui & luctui quomodo nos iuxta diuinam uocationem accõmodare debeamus.

Dauid fleuit.

Ezechiæ fletus.

Petrus fleuit.

explicat, quæ sit recta ratio aduersæ fortunæ, quemadmodum in superioribus apophthegmatibus fecit, sed uaticinatur etiã, quid calamitatum Apostolis suis in hoc seculo euenturum sit, & ne in tantis afflictionibus desperent, consolatur quoque eos argumẽtis & promissionibus maxime omnium memorabilibus. Nam aliàs ait: Ecce ego mitto uos, uelut oues in medio luporum. Et mox: Tradent uos in concilia, & in conciliabulis suis flagris cædent uos. Ac iterum: Eritis odio habiti ab omnibus. Et: Alienos à synagogis facient uos. Ac ueniet tempus, ut quisquis interficiat uos, uideat se cultum præstare Deo. Atque hæc ita contigisse Apostolis, testatur Paulus ad Corinthios ita scribens: Veluti περικαθάρματα mũdi facti sumus, omnium περίψημα ad hunc usque diem. Quamobrem autem hæc accidetunt Apostolis? Propter filium, inquit, hominis, aut propter nomen meum. Dices ergo: Ecquomodo CHRISTVS uir tam abominabilis est, aut quid tam detestandæ turpitudinis nomini suo inest, quòd necesse habeant Apostoli & discipuli eius tantas calamitates propter ipsum ferre? Si consideraueris, quid sit uere prædicare & confiteri Euangelion Christi, non uidebitur mirum, quòd Apostoli & discipuli Christi tantis afflictionibus opprimantur, hoc potius mirum uidebitur, quòd uel unus aut alter eorum aliquot, non dicam annis, sed saltem diebus in columis in hoc mũdo uersetur, ac non magis omnes una eademque hora trucidentur. Primum enim, qui prædicant CHRISTVM, hi necesse habent prædicare, ipsum esse regem cœli & terræ, ac dominum omnis creaturæ. Hanc autem prædicationem non possunt ferre potentes huius seculi. Timent enim, ne exaltato Christo, ipsi è sua potentia deturbentur. Quare persequuntur prædicatores CHRISTI non aliter quàm sedicioſos, & publicæ pacis ac tranquillitatis turbatores. Deinde qui prædicant CHRISTVM, necesse habent docere, nullam aliam esse sapientiam, qua saluti nostræ consulatur, præter sapientiam Christi. Qui autem sunt sapientes huius mundi, hi audita hac concione timent, ne in sapientia sua pudefiant. Proinde nihil nõ agunt, ut hæc concio è medio hominum tollatur. Accedit huc, quòd qui prædicant CHRISTVM, his necessarium est, ut omnes homines peccati arguant, & omnium hominum opera iniusta esse declarent, sed nec principes nec uulgus ferre possunt, ut in peccatis suis arguantur, & opera ipsorum condemnentur. Quare unanimi omnes consensu persequuntur tam Euangelion, quàm eum qui prædicat Euangelion. Præterea qui prædicant CHRISTVM, necesse habent omnem humanam iusticiam iniusticiæ damnare, & docere, nullam aliam iusticiam in conspectu Dei ualere, præter iusticiam Christi, quam si quis habere uelit, oporteat ipsum in CHRISTVM credere, quòd habeat per eum remissionem peccatorum suorum. Nostram enim iusticiam non aliam esse, quàm remissionem iniusticiæ propter CHRISTVM per fidem. Hæc autem concio uidetur honestis & religiosis, aut si mauis, iusticiariis & supersticiosis, omnis religionis & honestatis exterminium esse. Quare non aliter persequuntur concionatores huius Euangelii, quàm hostes religionis, & publicas pestes omnis humanæ salutis. Deniq; qui prædicãt Christum, incursionem faciunt prædicatione sua in fines Satanæ, qui est princeps huius mundi, & Deus huius seculi. Iam Satan multo minus ferre potest hostilẽ incursionẽ in fines regni sui, quàm terrenus quispiã princeps in terminos sui imperii. Proinde nullũ non lapidẽ mouet, ut omnia mala ei accidant, qui Iesum Christũ prædicat, sperans fore, ut hoc sublato, ipsum quoq; Euangelion pereat, & ipse in regno suo securus dominetur. Ex his habes, multo magis mirum esse, quod uel unus saltem concionator Euãgelii Christi aliquãdiu saluus in hoc seculo permaneat, quàm q

Prædicatio Euangelij cur tot persecutiones adferat.

fere omnes magnis calamitatibus obruantur. Porro autem, qui in hoc seculo ita afflig̃untur, ut sint odiosi omnibus hominibus, proscribantur, excommunicentur, in exilium eiiciantur, & tanquam publicæ pestes humani generis trucidentur, hi profecto ab hominibus huius seculi longe omnium miserrimi, & calamitosissimi iudicantur. Christus autem multo aliter pronunciat, dicens: Beati, cum uos oderint homines, & probra iecerint in uos, & insectati fuerint, & dixerint omne malum uerbum aduersum uos mentientes propter me. Nec simpliciter affirmat ipsos beatos esse in his calamitatibus, sed monet quoq; eos, ut maximum inde gaudium concipiant. Gaudete, inquit, in illo die, & exultate. Fateor, ingentia sunt mala, quæ uobis in hoc seculo propter nomen meum impendent. Ea autem non sunt tanti incommodi, ut propter ipsa ab Euãgelio ad impietatem deficiatis. Qui enim defecerint, fidem abnegauerint, & uocationem Dei propter afflictiones dereliquerint, hos nõ nisi perpetuus luctus & interitus manet, tantum abest, ut ipsis gaudium & beatitudo contingat. Sed impendentes calamitates debent uos potius excitare, ut eo fortius Euangelio adhæreatis, & eo diligẽtius iuxta uocationem uestram Euangelion prædicetis. Id enim facietis maximo uestro commodo. Primum, ecce merces uestra multa est. Vbi? num in hoc seculo, inter homines? Nequaquam, sed in cœlo apud Deum patrem. Homines habebunt uos odio, sed Deus uos magna clementia diliget. Homines proscribent & excommunicabunt uos, sed Deus uos assumet. Mundus maledicit, cõuiciatur & execratur uos, sed Deus benedicit, laudat & cõmendat uos. Mundus expunget nomen uestrum è numero ciuium terrestrium, sed Deus inscribit nomina uestra in librum uitæ, & refert ipsum in catalogum ciuium cœlestiũ. Deniq; mundus occidit uos, sed Deus uiuificat uos, & reponit uos in æternam fœlicitatem. Quid hac mercede & recompensatione maius aut dici aut excogitari possit? Dices autem: Quid? Christus ait: Merces uestra magna est in cœlo. Ergo ne meremur aliquid laboribus & afflictionibus nostris? De hac re ita sentiẽdum est, quòd si respiciamus naturam & uirtutem humanæ iusticiæ, nihil profecto est, quod corã Deo mereri queamus. Aut enim operamur & patimur aliquid sine fide, tunc manifestum est, quòd nihil nostris seu operibus seu passionibus coram Deo mereamur. Quicquid enim non est ex fide, inquit Paulus, peccatum est, tantum abest, ut sit meritum beneficiorum Dei. Aut operamur & patimur aliquid ex fide, tunc placẽt quidem Deo opera & afflictiones nostræ, propterea quòd sint fructus fidei, sed hæc nõ sunt natura sua tam perfecta & absoluta, ut coram exacto iudicio Dei constare possint, & dignitate sua diuina beneficia mereantur. Cum enim omnia feceritis, inquit Christus, dicite, serui inutiles sumus. Et in Iobe: Ecce luna non splendet, & stellæ non sunt mũdæ in conspectu eius, quanto minus homo, putredo, & filius hominis, uermis. Ac Paulus: Video, inquit, aliam legem in membris meis, rebellantem legi mentis meæ, & captiuum reddentem me legi peccati, quæ est in membris meis. Quibus uerbis docet Paulus, quòd peccatum natura nobis intantũ adhæreat, ut etiãsi habeamus fidem & spiritum sanctum, non tamen possimus operibus nostris legem Dei perfecte implere, & legi plene satisfacere. Nemo enim etiam sanctissimorũ hominum tantum credidit, quantum debuit, nemo item tantũ dilexit Deum & proximum, quantum lex Domini requirit. Quare si dignitatem iusticiæ nostræ siue sine fide siue ex fide factæ consideraueris, non potes ei quicquam meriti adscribere. Solus autem Iesus Christus Dñs noster hanc habet maiestatem & dignitatem, q̃ legi, operibus suis, perfecte satisfecerit, & iusticia sua non solũ sibi, uerumetiã omnibus in ipsum credentibus diuina quæuis beneficia meruerit. Quid ergo toties promittitur nobis mer-

Merces afflictorum in cœlo.

Coram Deo nihil meremur.

Christus solus legi satisfecit.

nobis merces, si nos nihil meremur? Ad Abraamū ait Dominus: Ego merces tua magna nimis. Hoc loco ad Apostolos dicitur: Merces uestra copiosa erit in cœlis. Et iterum: Qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti recipiet, & quicunq; ad bibendum dederit uni ex pusillis his poculum aquæ frigidæ, tantum in nomine discipuli, amen dico uobis, non perditurus est mercedem suam. An non præcedit illic meritum, ubi merces promittitur? Vt hæc intelligamus, obseruandum est, Dominum Deum nostrum in scriptura nobiscum loqui, ut parens cum liberis suis solet. Nam cum DOMINVS proponat se nobis non solum ut Deum erga populum suum, uerum etiam ut patrem erga filios suos, ac plane assumat erga nos affectum paternum, cur non etiam usurparet consuetudinem linguæ paternæ? Hic autem solennis parentum mos est, quòd exhortaturi liberos suos ad pietatem & obedientiam, promittant ipsis magnas mercedes, non uictum solum & amictum, sed etiam totius substantiæ suæ hæreditatē. Quibus promissionibus nō intelligūt, liberos uirtute laboris & obedientiæ suæ mereri hæreditatem. Serui em̄ conducticii multo plus laborant, uix tamen merentur uestitum, nedum totam domini substantiam, sed significant tantum his uerbis, quid bonorum ad ipsos, iam per natiuitatem filios & hæredes factos, pertineat, & quid obedientiam ipsorum certo sequatur. Ita Dominus pater noster cœlestis exhortatur nos nomine mercedis ad opera & fructus fidei, non quòd quicquam possimus dignitate nostrorum operum mereri, sed ut reuocet nobis in mentem ueritatem, & certitudinem gratuitarum suarum promissionum, & ut ostendat, quid opera & fructus fidei sequatur. Vnde, cum Apostoli interrogarent Iesum, dicētes: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis? Respondit IESVS: Amen dico uobis, q̄ uos qui secuti estis me, in regeneratiōe, cū sedebit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & uos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. His uerbis non intelligit Christus meritum operis, sed ordinem rerum se inuicem consequentium. Et mox sequitur: Omnis qui reliquerit domos aut fratres aut sorores aut patrem aut matrem aut uxorem aut filios aut agros propter nomen meum, recipiet centupla nūc in tempore hoc, in seculo autem uenturo uitam æternam. Et aliàs: Venite, inquit, benedicti patris mei, possidete regnum paratum uobis ab exordio mundi. Esuriui enim & dedistis mihi edere. Sitiui & dedistis mihi bibere. Quid rnum putas hic meritum humanum prædicari? Minime omnium. Sed prædicatur certitudo fœlicitatis, quæ filiis Dei propter CHRISTVM promissa est, & quæ certo sequitur fidem ac opera fidei. Ergo ne, quando nullum est humanum meritum, omnes sancti filii Dei æqualis erunt sortis in futuro seculo? Et Paulus, tot afflictiones propter nomen CHRISTI passus, nihil amplius beneficiorum Dei habebit, quàm gregarius quispiam sanctus, qui tranquilla pace in CHRISTO obdormiuit? Hic iterum meminisse debemus paternæ consuetudinis. Parentū enim huius terræ mos est, quòd cum diuidunt hæreditatem inter liberos, ipsam quidem hæreditatis substantiam æqualiter distribuant, interim tamen certa quædam dona obedientiori filio ex indulgentia largiantur, quæ aliis minus obsequentibus non largiuntur. Sic, quod ad remissionem peccatorum, uitam æternā, & fœlicitatem perpetuam, quæ sunt substantia hæreditatis filiorū Dei, attinet, æqualis erunt sortis oēs sancti. Vnus em̄ est Christus, unū baptisma, una fides, unū cœlū, & una uita æterna. Attamē, quod ad alia beneficia Dei, uel in hoc seculo, uel in futuro, attinet, certe alius alio plura accipiet. Dñs em̄ Deus pater noster plura beneficia cōferet his, q̄ plura bona

Deus in scriptura nobiscū tanq̄ parens cum liberis loquitur.

Merces cur toties nobis à Deo promittatur.

Sancti nū omnes æqualis sortis futuri sint in uenturo seculo.

ex fide operati sunt, & maiores calamitates per fidem sustinuerunt, quàm illis qui frigidioris sunt fidei. Et quemadmodum in distributione terræ Canaan quiuis Israelita portionem terræ pro sorte sua accepit, Caleb tamen filio Iephunne data est præter communem sortem Hebron in possessionem, propterea q̃ in sedicione Israelitarum magna fide in uerbo Domini constiterat, quemadmodum in Numeris capite decimoquarto, & in Iosua eodem capite scriptum est. Et sicut in firmamẽto, omnes quidem stellæ cœlestis sunt naturæ, stella tamẽ à stella differt in gloria, & alia est gloria solis, alia lunæ, alia stellarum: ita in resurrectione mortuorum, omnes quidem filii Dei resurgent in uitam & fœlicitatem sempiternam, sed qui plus ex fide laborauerit, plura quoq; beneficia in uita æterna à Domino consequetur.

Beneficia quare consequamur à Deo.

Ac consequetur ea, non q̃ opera credentium per se tam sancta & perfecta sint, ut mereantur beneficia Dei, quemadmodum supra demonstrauimus, sed consequẽt ea, q̃ Deus sit tam clemens & misericors, ut etsi nihil debeat, multam tamen mercedẽ multa ex fide operantibus & sufferẽtibus promittat, ac tam uerax sit, ut quod promittit, idem quoq; fidelissime præstet. Vnde in psalmo dicitur: Reddes unicuiq; iuxta opera sua. Et Paulus ad Corinthios scribens: Vnusquisq; inquit, suam mercedem accipiet, iuxta suum laborem. Et rursus, ad Ephesios: Vnusquisq; quod fecerit boni, hoc reportabit à Deo. Hæc de mercede uoluimus addere, ne quis è uerbis Christi attollat cristas suas, & existimet se tanta dignitate præditum, ut possit aliquid beneficiorum Dei merito suæ iusticiæ consequi. Quicquid enim à Deo accipimus, non ideo accipimus, quia nos meremur, sed quia Deus placatus est nobis propter Christum, & promittit nobis beneficia sua ex mera gratia & clemẽtia, quæ & postea liberaliter confert. Deinde Christus ob aliam causſam pronunciat Apostolos suos beatos & fœlices in afflictionibus suis. Secundum hæc, inquit, faciebant prophetis patres eorum. Quod hanc habet sententiam: Magnæ sunt afflictiones, quas uobis inferent Iudæi propter nomen meum, sed in his gaudendum uobis potius est, q̃ dolendũ. Nam in his sufferendis similes estis prophetis illis sanctissimis, per quos Dominus Deus noster quondam locutus est. Quas enim afflictiones uobis inferent Iudæi, qui nunc uiuunt, easdem intulerunt patres & maiores eorũ prophetis, qui uerbum Domini prædicauerunt. Eliam eiecerunt in exiliũ, & persecuti sunt ad mortem. Esaiam in duas partes sectum interemerunt. Amos uecte per tempora transfixerũt, Ieremiam in lacum deiecerunt, ut inedia periret, postea lapidibus ipsum obruerunt. Et quem prophetarum non sunt persecuti? Quare si & uos persecuturi sunt, similes eritis prophetis. Quantam autem existimas fœlicitatem, quãtam beatitudinem, quantum donum Dei, prophetis similem esse? Si enim quis similia cum prophetis paciatur, certe similem quoq; mercedem cum ipsis accipiet. Habuerunt illi placatum & clementem Deum, eundem habebitis & uos. Seruati sunt in omnibus aduersis, seruabimini & uos. Consecuti sunt uitam & fœlicitatem sempiternam, eandem & uos consequemini. Breuiter, nihil diuinorum beneficiorum contigit prophetis, quod idem non & uobis continget. Proinde, quo maiores uobis calamitates imminent, eo beatiores & fœliciores uos ipsos iudicate, tantum abest, ut propter afflictiones, quas propter nomen meum sustinebitis, uos infœlices pronũcietis. Sed quid? inquies, si odium, persecutio & mors acciderit mihi, non propter filium hominis, non propter nomen Christi, sed propter mea flagicia, propter mea furta, adulteria, latrocinia, & id genus alia scelera, quid faciam? num & tunc ponendus sum in eorum catalogum, qui beati pronunciantur? Respondeo. Quòd peccaueris, infœlicissimũ est. Qui enim facit peccatum, inquit Christus, seruus est peccati.

Apostoli quare beati in afflictionibus.

Prophetis esse similẽ magna fœlicitas.

Flagicioſi qui propter flagicia paciuntur, nũ sint beati.

Qui autem

Qui autem seruus est peccati, hic subiectus est tyrānidi Satanæ, & obnoxius est perpetuæ damnationi, quibus rebus quid potest esse infœlicius? Quòd autem propter peccata sustineas supplicia in hoc seculo, non est infœlicitas, sed fœlicitas, si modo te his suppliciis recte accommodaueris. Nam, quod nunc est meritum supplicium peccati, hoc, si uoles, potes mutare in beatam & benedictam passionem. Ecquomodo id fiet? Primum, agnitione peccati, & confessione iusticiæ Dei, uidelicet ut confitearis te propter peccata iuste plecti, deinde fide in Christum, nimirum, ut credas peccata tibi propter Christum remissa, & Deum tibi ptopter Christum propicium esse, postremo, fructibus fidei & obsequio uocatiōis diuinæ, uidelicet, ut peccata fugias, iusticiam sectetis, aduersa æquo animo toleres, non conuicieris, non indigneris Deo affligenti, non desperes, nec, si quid aliud est, aduersus uerbū Dei petres. Hæc si feceris, profecto his uere adnumeraberis, de quibus Christus dicit: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorū. Sic Manasse propter peccata sua captiuus abductus, & in uincula coniectus, resipiscentia mutauit uincula sua in sanctam benedictionē, & liberatus est. Sic latro in cruce ad latus Christi pendens mutauit supplicium suum pœnitentia in sanctum martyrium, & intrauit per illud in paradisum. Quare siue iniuste propter nomen Christi, siue iuste propter scelera tua affligaris, sancta erit afflictio, si te ad ipsam ferendam fide compararis. Habes nunc ex his apophthegmatibus Christi, longe aliter de aduersa fortuna iudicandum esse, quàm homines huius seculi iudicant. Et sunt hæ sententiæ alta mente reponendæ, primum ob eam causſam, ut cum lex dicit, afflictiones esse maledictiōes, recte intelligamus, nimirum, ꝙ propter peccata quidem maledicantur impii afflictionibus, ipsæ tamen afflictiones non semper immittātur à Deo propter peccata, & si propter peccata immittūtur, uertantur tamen in benedictionem & beatitudinem propter remissionē peccatorū, quæ habetur in Christo Iesu per fidem. Deinde obseruandæ sunt hæ sententiæ Christi, ut in omnibus aduersis habeamus consolationem, & quia Christus prædicat afflictos beatos esse, certam fiduciā concipiamus, nos per afflictiones ad ueram beatitudinem penetraturos in Christo Iesu Dño nostro, qui est unà cū Patre & Spū sancto Deus laudādus in secula Amen.

Supplicium peccati quo modo in beatam passionē mutetur.

HOMILIA LII.



IN principio concionis huius, quam Christus ad discipulos suos in monte habuit, & quam in hoc capite Lucas describit, diximus hunc præcipuum concionis eius statum esse, ꝙ Christus confutet tres potissimum errores, quibus Iudæi in intelligenda & explicanda lege tenebātur. Horum primus est de aduersa fortuna. Senciūt eñ, eum esse infœlicē, qui aduersa patiatur. Secūdus est de prospera fortuna. Existimant eñ, eum esse fœlicem, qui prosperum rerum suarum euentum habeat. Tercius de obseruatione legis. Putant enim hūc legem perfecte implere, & coram Deo iustum esse, qui externis operibus legem sectatur. Ac in superioribus quidem homiliis explicuimus, pro nostra mediocritate, eam concionis Christi partem, qua cōfutat errorem de aduersa fortuna. Audiamus igitur nunc confutationem secūdi erroris, qui est de benedictione seu prospera in hoc seculo fortuna. Nam qui de hac secundum humanam rationē sine spiritu sancto iudicant, hi senciunt eos beatos ac fœlices, quibus omnia in hoc mundo ex animi sententia cedūt, & qui magnis tum animi tum corporis tum fortunæ, ut uocant, dotibus in hoc seculo abundant. Filii eorum, inquit psalmus, sicut

Concionis Christi in mōte status.

Fœlices et beati iuxta rationis humanæ iudicium.

nouellæ plantationes in iuuentute ſua. Filiæ eorum compoſitæ, circumornatæ ut ſimilitudo templi. Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud. Oues eorum fœtoſæ, abundantes in egreſsibus ſuis, boues eorum craſſæ. Non eſt ruina maceriæ, neq; tranſitus, neq; clamor in plateis eorum. Beatum dixerũt populum, cui hæc ſunt. Sed & uulgo de amici fortuna quærentibus reſpondere ſolemus: Optime agit, fœliciſsime uiuit. Quam ob cauſſam? quia duxit prædiuitem uxorem, adeptus eſt clariſsimum magiſtratum, contigit ipſi hæreditas admodum opima, congregauit ingentem auri uim ex negociatione ſua, & multa alia, quibus hic mundus fœlicitatem metiẽ. Nec ducunt has res terrenam tantũ fœlicitatẽ eſſe, ſed iudicant eam quoq; cœleſtem. Eum enim, qui hac præditus eſt, ſentiunt habere Deum propicium, uerſari in uocatione Dei, ac omnino coram Deo ſanctum & beatum eſſe. Sed Chriſtus reprehendit has uanas hominum opiniones, & docet longe aliter de
» fœlicitate huius ſeculi ſenciendum eſſe. Ait enim: Veruntamen, uæ uobis diui-
» tibus, qui habetis conſolationem ueſtram. Hoc apophthegma opponitur exantitheſi ei, quod ſupra dictum eſt. Beati pauperes, quia ueſtrũ eſt regnũ Dei. Quanq̃ autem Chriſtus uideatur in his ſententiis prima facie loqui de pauperibus & diuitibus terrenarum opum, tamen quia propter additionem huius uocabuli, ſpiritus (Apud Matthæũ enim dicitur: Beati pauperes ſpiritu) expoſuimus pauperes, pro omnibus afflictis animo, cum propter multas alias calamitates, tum præcipue propter peccata, quorum agnitione animus affligitur, & timet mortem ac infernum, exponemus & hoc loco diuites, nõ proprie opibus (de his enim poſtea audiemus) ſed ſpiritu, ut ſint diuites ſpiritu, qui habent ſecuram, lætam, aut, ut uulgo aiunt, tam latam conſcientiam, ut plauſtrum fœno onuſtum per ipſam pertranſire queat, qui nõ agnoſcũt peccata ſua, qui nec morte, nec Satanam, nec infernũ timent, qui ducunt uitam iucundiſsimam, & ab omni omnium periculorũ metu alienam, qui ſecuritate cõſcientiæ ridẽt grauitatẽ iudicii Dei ſuper pctã, & palam dicunt, Satanã nõ tam terribilẽ eſſe q̃ pingi, nec inferni ignẽ tam calidũ aut feruidum eſſe, q̃ uerbis dici & amplificari ſoleat. Hi dicunt hoc loco diuites ſpiritu, & iudicant adeo fœlices, ut multi, qui mortẽ & infernum timent, ſibi hanc unam fœlicitatẽ optẽt, ut tam ſecuri & tranquilli eſſent, q̃ hi diuites ſpiritu uidẽtur. Chriſtus aũt intonat illis horrendũ illud Væ, quo demõſtrat ipſos longe omnium infœliciſsimos eſſe. Et addit cauſſam: Quia, inquit, habetis conſolationẽ ueſtram, hoc eſt, habetis cœlum ueſtrũ in hoc ſeculo, & fœlicitatẽ ueſtram in iſto mundo. Quare i nuenturo ſeculo nihil aliud uos manet q̃ infernus, & perpetua infœlicitas. Sic enim cõparatum eſt à Dño, ut qui in hoc ſeculo habet cœlũ, in uẽturo habeat infernũ. Et qui in hoc ſeculo habet infernũ, in uẽturo habeat cœlũ. Iam qui ſunt diuites ſpiritu, & habẽt ſecurũ animum, nec mortẽ nec infernũ timentẽ, hi parte quadam cœleſtis gaudii fruuntur. Cum igitur diuites ſpiritu fruantur cœlo ſuo in hoc ſeculo, conſequitur, q̃ maneat ipſos in uenturo ſeculo infernus. Quid audio, inquies? An qui in hoc ſeculo conſolationẽ ſuam habent, in futuro nullã habebũt? an qui ſecuram habent in hoc mundo conſcientiam, in altero mundo damnabuntur? Quid ergo Paulus ad Romanos ſcribens: Iuſtificati, inquit, ex fide, pacẽ habemus erga Deum per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum? His uerbis docet Paulus fructum fidei eſſe, ſecuram & lætã conſcientiam, per Chriſtũ coram Deo pacificatã habere. Et tota prædicatio Euangelii de Ieſu Chriſto huc p̃cipue reſpicit, ut habeamus tranquillã conſcientiam coram Deo, & non timeamus nec mortẽ nec infernũ, ſed certã fiduciã cõcipiamus, nos remiſsis pctis per Chriſtũ, in cœlũ ac perpetuã fœlicitatẽ uenturos.

Diuites ſpiritu qui ſint.

Diuites ſpiritu infœliciſsimi.

Prædicationis Euangelij ſcopus.

Cur igitur

Cur igit hoc loco reiiciunt hi, qui habent lætam & ſecuram conſcientiam? Hic obſerua mihi, duplicem eſſe conſcientiæ ſecuritatem: Altera eſt, quæ, poſtq peccatũ eſt agnitum & territa conſcientia timore mortis ac inferni, concipitur per fidem ex Euangelio de Ieſu Chriſto. Hæc eſt ſancta ſecuritas & guſtus cœleſtis gaudii, ſed habet interim hãc conditionẽ, ꝙ ſollicite ambulet corã Deo, ne aduerſus Deũ peccet, ne relabat in peccata, & ꝓpter pcta in mortẽ ac infernũ, ſed ut diligenter uocati onẽ Dei ſequat. De hac ſecuritate Chriſtus hic nõ loquit. Qui enim habẽt ex Euangelio per fidem ſecuram & trãquillam conſcientiam, hi magnam partem ueræ & perpetuæ beatitudinis in hoc etiã ſeculo poſsident. Altera eſt, quæ non ex Euangelio per fidem cõcipitur, ſed quæ oritur ex incredulitate, & præſumptione carnali, adeoq; ex contemptu uerbi Dei. Hæc autem ſecuritas ſuas habet conditiones. Non agnoſcit peccatum ſuum, nõ credit grauitatem iudiciorum Dei, ridet quicquid de ira Dei dicitur, contemnit minas Dei, affirmat ignem inferni non ita calere, ut fingitur, nec Satanam tam terribilẽ eſſe, ut pingitur. Non reſipiſcit à peccatis, ſed in ipſis mediis peccatis ꝓmittit ſibi, neſcio quas, fœlicitates. Huius generis ſunt, qui apud Eſaiã dicũt: Percuſsimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum. Flagellum inundans cum tranſierit, non ueniet ſuper nos. Et iterum: Vocabit, inquit propheta, in illa die ad fletũ, & ad planctum & ad caluicium, & ad cingulum ſacci, & ecce gaudium & lætitia, occidere uitulos, & iugulare arietes, comedere carnes, & bibere uinum. Comedamus & bibamus, cras enim moriemur. Et apud Ieremiã: Negauerũt Dominũ & dixerũt: Nõ eſt ipſe, neq; ueniet ſuper nos malũ, gladium & famem non uidebimus. Hæc eſt ſecuritas impiiſsima, & quanquam iudicetur ab hominibus maxima fœlicitas, nobis tamen obſeruandũ eſt uerbum Chriſti dicentis: Væ uobis diuitibus, tranquillis & ſecuris ſpiritu, quia cum nunc habeatis conſolationem ueſtram, ſubitaneo & perpetuo interitu peribitis. Sic ſecuri erãt homines ante diluuium. Edebant, inquit Chriſtus, bibebant, uxores ducebant, & dabantur nuptum ad eum uſq; diem, quo intrauit Noë in arcam. Sed audi quid hanc ſecuritatem mox conſequatur: Venit diluuium & perdit omnes. Sic ſecuri erãt homines ante incendium Sodomæ. Edebant, bibebant, emebant, uendebant, plantabant, ædificabant. Hæc, etſi per ſe non ſint mala, in impiis tamen indicant impiã ſecuritatẽ. Quid ergo ſequitur? Quo die exiit Loth è Sodomis, pluit igni & ſulphure de cœlo & omnes perdidit: Sic etiam erunt homines in aduentu filii hominis. Dies enim ille Domini, ut fur in nocte, ita ueturus eſt, cum dixerint pax & tuta omnia, tunc repentinus eis imminet interitus, ſicuti dolor partus mulieri prægnanti, nec effugiẽt. Quare, qui ueram ſalutem deſiderant, fugiant has impias diuitias ſpiritus, & ſectentur potius paupertatem ſpiritus, agnoſcant peccata ſua, & quærant tranquillitatem conſcientiæ & diuitias ſpiritus in Chriſto per fidem. Sic enim habebunt, & in hoc ſeculo conſolationem, & in uenturo perpetuam fœlicitatem. Secundum apophthegma eſt: Væ uobis, qui ſaturati eſtis, quia eſurietis. Hanc ſententiam opponit Chriſtus ei, quam ſupra dixit: Beati, qui nunc eſuritis, quia ſaturabimini. Et quia ante interpretati ſumus hanc ſententiã, primum de eſurientibus iuſticiam, hoc eſt, iis, qui cum habeant iuſtas cauſſas, non tamen poſſunt iuſtas iudicum ſententias adipiſci: deinde, de eſurientibus cibum, & iis qui carẽt diuitiis terrenæ opum, intelligemus etiã nunc antitheſim eius, primum de ſaturis iuſticia, nimirum de his qui in omnibus ciuilibus ſuis controuerſiis iudicem fauentẽ, & cauſam ſuam iuſtam pronunciantem conſequuntur: deinde de ſaturis in externis diuitiis, & iis qui habent multam abundantiam opum terrenarum. Hi iudicantur

Securitas cõſcientiæ duplex.

Securitas ſancta piorum.

Securitas impia.

Saturi iuſticia.

Saturi diuitijs.

propter abundantiam diuitiarũ ſuarũ ab hominibus huius ſeculi fœlices, & coram Deo beati. Chriſtus aũt diuerſum pronunciat. Væ uobis, inquit, qui ſaturati eſtis quia eſurietis. Ergo ne omnes, qui habent ſaturitatem & abundantiã opum, eſurient, & damnabuntur? Abraam, Iob, & Dauid fuerunt ditiſsimi, & poſſederunt magnas opes. Dicemus igitur nunc ipſos eſurire? Abſit. Chriſtus enim non dánat hoc loco ipſas diuitias, ſunt eñ donum Dei, nec damnat oẽs diuites. Multi enim diuitũ adminiſtrant diuitias ſuas in fide, ſed damnat falſam uulgi perſuaſionẽ de diuitiis. Exiſtimant eñ diuitias ſummam eſſe fœlicitatẽ, & eum protinus in fœlici ſtatu uerſari, qui multam abundantiam opum poſsidet, ac ſanctiorem eſſe, qui ditior ſit, ſed explicemus ueram diuitiarum rationem, ut uideamus num pars aliqua fœlicitatis in ipſas collocanda ſit. Nam ſi diuitiæ contingunt pio ac bono uiro, quid aliud ſunt, q̃ grauiſsima ſarcina? Primum enim pius uir neceſſe habet cauere, ne diuitiis ſuis confidat. Diuitiæ, inquit pſalmus, ſi affluant, nolite cor apponere. Et Paulus: His, inquit, qui diuites ſunt in præſenti ſeculo, præcipe, ne elato ſint animo, neq; ſpem ponant in diuitiis incertis. Vt autem maxima ſiti excruciato difficillimum eſt abſtinere ab aqua præterfluentis & iucunde ſuſurrantis fontis, ita grauiſsimum eſt humanæ naturæ non apponere cor ſuum ad blandientes diuitiarum iucunditates. Quare, quẽadmodum fons ob oculos poſitus moleſtior eſt ſitibũdo, non audẽti bibere, q̃ fons longe remotus, ita homo pius, non audens propter mandatũ Domini diuitiis confidere, multo maiori onere grauatur, ſi habet diuitias, q̃ ſi illis careat. Deinde, cauẽdum eſt pio, ne propter diuitias incidat in tentationẽ, ut Paulus ait, & laqueum, & cupiditates multas, ſtultas ac noxias, quæ demergunt hoĩes in exicium & interitum. Et Chriſtus uocat diuitias, ſpinas. Iam, quanta moleſtia is afficeretur, qui cogeretur inter medios laqueos & ſpinas ambulare, tanta certe afficitur is, qui magnis diuitiis obruitur. Quare multas habere diuitias infœlicitas potius eſt, q̃ fœlicitas, Poſtremo neceſſe habet pius homo diuitias ſuas iuxta uocationem Dei adminiſtrare, & copia ſua aliorum inopiæ ſuccurrere. Hoc niſi quis fecerit, efficitur fur & prædator in ſuis ipſius diuitiis. Quicquid enim uere egenti de abundãtia bonorum tuorũ denegaueris, hoc furto & rapina, nõ quidem coram mundo, ſed coram Deo ſubtrahis. Nihil autem difficilius eſt, q̃ diuitias iuxta uocationem Dei adminiſtrare, & non committere in ipſis furtum coram Deo. Proinde diuitiæ pio homini magis ſunt grauis in hoc ſeculo ſarcina, q̃ iucũda fœlicitas. Et quia pius non eſt in diuitiis ſuis elato animo, neq; ponit ſpẽ ſuã in diuitiis incertis, neq; aliũ ſe reputat, q̃ alienæ opũ diſpẽſatorẽ, neq; aliter emit, q̃ ſi nõ emat, neq; aliter hoc mũdo utit, q̃ ſi nõ utatur, quẽadmodũ Paulus ait, ideoq; paupere coram Deo nihil differt. Quate ſicut pii pauperes & eſurientes beati pronunciantur, ita pii quoq; diuites (quales fuerunt Abraam, Iob, & Dauid, qualis etiam ſunt, quotquot ſpem ſuam ponunt in Deo uiuente, & operam dant, ut benefaciant, ac diuites ſint bonis operibus) beati ſunt, nec unquam eſurient. Quod ſi uero diuitiæ contingant homini impio, quid obſecro, aliud ſunt, quàm extremæ internicionis & perpetuæ damnationis occaſio? Primum enim impius confidit opibus ſuis, & cum potius à uero Deo & uerbo eius deficiat, quàm ut opes relinquat, profecto adorat opes ſuas pro Deo. Hinc & Paulus auariciã uocat cultũ idoloꝝ. Idololatria aũt nõ alio, quàm ad ſempiternũ interitũ ducit. Deinde impius abutit diuitiis ſuis, & aut p̃digalitate exponit, ubi retinendũ eſſet, aut tenacitate retinet, ubi exponendũ eſſet, Chriſtianam autem liberalitatẽ, quæ media eſt, nec habere nec ſectari nouit. Talis diues erat Nabal, qui

Diuitias Chriſtus non damnat.

Diuitiæ ſunt pijs grauiſsima ſarcina.

Diuites pij beati.

Diuitiæ impijs occaſio perpetuæ damnationis.

bal, qui benefactori suo Dauidi ne carunculam quidē dare uolebat, cū ipse interim cum amicis suis inebriaretur, quemadmodum in priori libro Samuelis capite uicesimo quinto scriptum est. Talis diues erat is, de quo aliàs fit mentio apud Lucam, qui induebatur purpura & byssо, & epulabatur quotidie splendide, Lazarum autē iacentē ad ianuam eius ulcerosum, ne de micis quidem suis, quæ de mēsa cadebāt, saturabat. Talis etiam diues est, cuius agri cum uberes fructus attulissent, dicebat ipse animæ suæ: Anima, habes multa bona reposita in annos multos, requiesce, comede, bibe, gaude. Sed quid audit? Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te. Quæ uero parasti, cui cedent? De talibus ergo diuitibus Christus nunc loquit, cum ait: Væ qui saturati estis, quia esurietis. Cui cōuenit illud, quod Hāna mater Samuelis in psalmo suo canit: Repleti prius, pro panibus se locaueruut, & famelici saturati sunt. Et Dauid: Diuites, inquit, eguerunt & esurierunt, inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono. Virgo quoq; Maria ita canit: Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes. Quare non est, quòd sentiamus saturos ideo beatos ac fœlices, quia possident abundantiam opum, & fruuntur diuitiis, sed potius infœlices, propterea q; cum saturitate sua impie abutant, perpetuæ fami obnoxiantur. Tertium apophthegma est: Væ uobis qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis. Hæc sententia opponitur superiori: Beati qui nunc fletis, quia ridebitis. Quid ē fletus ne tanta est iusticia, ut mereatur risum, & risus tantum est peccatū, ut mereatur luctū & fletū? Abraam, cum audiret centenarius pmissionem de Isaac, risit, ergone flebit nunc? Et Ecclesiastes dicit: Agnoui, quòd nō est in eis melius, q̄ lætari & oblectare uitā suam, & comedere & bibere, & exhilarari labore suo omni homini. Hoc donum Dei est. Vix autem est lætitia & oblectatio absq; risu. Quare ergo damnatur risus, si non damnatur lætitia? Sunt quidem hypocritæ, qui cum durum, obscurum, & tetricum uultum iudicēt esse iusticiam coram Deo, cōputent quoq; lætitiam ac risum peccatum. Christus autem hoc loco, nec quemuis risum, nec quosuis ridentes damnat, sed reiicit tātum uanam uulgi persuasionem de risu. Vulgus enim hominum putat eum benedictum, fœlicem, ac beatum, qui tam prosperos rerum suarum successus habet, ut nunquam desit ipsi occasio lætandi & ridendi. Et qui hac opinione imbuti sunt, hi summam fœlicitatem ponunt uoluptatem & lætitiam, quos uocant Epicureos. Vnde ad hanc fœlicitatem consequendā diuersis uiis contēdunt. Alius, propter corporales ægritudines tristis, conquirit sibi sanitatē, quam si nō potest à Deo per legitimam & ordinariam medicinam consequi, hoc unum agit, ut uel ab ipso Satana per maleficas aut phytonissas cōsequatur. Existimat enim sanitatem rectam esse uiam ad uoluptatem & lætitiam, quam summum iudicat bonum. Alius paupertate afflictus hoc unum quærit, ut diuitias sibi comparet, si non iusto labore, at certe nugis & imposturis. Arbitratur enim se diuitiis, summum, quod putat, bonum, uidelicet gaudium & lætitiam adepturū. Alius penetrat ad honores ambitione, quia sperat se honoribus ad summam suā fœlicitatem, quæ est lætitia huius seculi, peruenturum. Breuiter, quisibi uoluptatē & lætitiā huius mundi pro summo bono statuerunt, hi aut abiicīt pietatem, ut suo bono fruantur, ut tantisper duntaxat pietatem sectantur, dum ex ea uoluptatē quādam & lætitiam capiunt. Horum igitur & opinionem & studia condemnat Christus dicens: Væ uobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis. Habet quidem pius homo suum gaudium & risum, quem concipit ex fide in Iesum Christum, quòd propter hunc Christū habeat propicīū Deū, siue prospera siue aduersa cōtingant.

Risum non dānat Christus.

Gaudium & risus piorum.

De quo in Esaia dicitur: Non erunt in memoria priora, & non ascendẽt super cor, sed gaudebitis & exultabitis usq; in sempiternum, in his quæ ego creo. Quia ecce ego creo Hierusalé exultationé, & populũ eius gaudium, & exultabo in Hierusalé, & gaudebo in populo meo, & nõ audiet in ea ultra uox fletus, & uox clamoris. Huc uocat Paulus cũ ad Philippenses scribit: Gaudete in Dño semper, & iterũ dico gaudete. Huc quoq; uocat Ecclesiastes, quoties iubet nos lætari in labore nostro. Sed qui sunt impii, & qui contẽnunt Christũ, abiiciuntq; Euãgelion eius, hi, quoniam nullum gaudiũ ex fide hauriunt, sectant uoluptates huius seculi, ut ex his sua gaudia & suos risus consequant. De his ergo loquit Christus, & palàm affirmat, q; etsi fiant uoti sui compotes, ac maxime oĩm gaudeant & rideant, risus tamen ipsorũ uertet in magnũ luctum & ingentẽ fletũ. Vnde & Esaias ait: Cithara & lyra & tympanũ & tibia & uinum in conuiuiis uestris, & opus Dñi nõ respicitis, nec opera manuum eius consideratis. Audis gaudiũ & risum; audi nunc luctũ & fletum: Propterea captiuus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam, & nobiles eius interiũt fame, & multitudo eius siti exaruit. Et Amos: Qui comeditis, inquit, agnum de grege, & uitulos de medio armenti, qui canitis ad uocẽ psalterii, sicut Dauid putauerũt se habere uasa cantici, bibentes uinũ in phialis, & optimo unguẽto delibuti, & nihil patiebantur super contritione Ioseph. Habes lætitiam & risum. Nunc uide luctũ & fletum: Quapropter nunc migrabunt in capite transmigrantiũ & auferet factio lasciuientiũ. Quæ cum ita se habeant, profecto non hoc agendũ est, ut cõparemus nobis impietatibus & contemptu uerbi Dei gaudia & risus seculi. Hæc enim nõ sunt nisi luctus & fletus proœmia, sed hoc potius agendum est, ut habeamus ex fide in Christũ lætam conscientiam coram Deo, qua nos deinceps omnibus casibus siue prosperis siue aduersis accõmodemus. Sic enim neq; ridebimus, ut lugeamus, neq; lugebimus, ut in luctu permaneamus, sed perpetuo in Domino lætabimur. Vltimũ apophthegma est: Væ uobis, cum benedixerint uobis omnes homines. Secundũ hæc eĩ faciebant pseudoprophetis patres eorum. Hoc opponitur ei, quod supra dictũ est: Beati eritis cũ uos oderint homines, & separauerint uos. Cæterum, Christus hac sententia non condemnat bonam hominũ famam. Est eĩ bona fama, donum Dei. Et tota scriptura hortatur nos, ut uirtutibus & bonis operibus studeamus bonum inter homines nomen adipisci. Proinde, inquit Paulus, parantes honesta in conspectu oĩm hoĩm. Et iterum: Quæcunq; sunt uera, quæcunq; honesta, quæcunq; iusta, quæcunq; pura, quæcunq; accõmoda, quæcunq; boni nominis, si qua uirtus, & si qua laus, hæc cogitate. Vnde non uult Paulus eligi episcopum, nisi sit irreprehensibilis, & habeat etiam ab exteris bonũ testimonium. Iam & ipsi Apostoli, apud suos certe omnes magnã habuerunt laudem. Et Paulus de hoc Luca nostro, opinor, scribit: Cuius laus est, inquiens, in Euangelio, per omnes ecclesias. Quare Christus non damnat hoc loco bonam famam, sed condemnat uanam hominum persuasionem de laude & bona fama. Vulgus enim non iudicat de rebus secundum ueritatem, & ipsarum rerum naturam, sed secundum publicam famam. Si quis ab omnibus commendatur, sentiũt eum habere iustam causam, & uersari in pio negocio. Si quis uero ab omnibus fere abiicitur & fastiditur, eum iudicant iniustum & impium negocium tractare. Vnde uulgus non hoc quærit, ut iustam habeat causam, & in pio uersetur negocio, sed tantum ut ab hominum multitudine commendetur, & bonam famam habeat, existimans ideo recte agere, quia maiori hominum multitudini placeat, sed Christus hanc persuasionem & hoc studium damnat: Væ, inquiens, cum laudauerint uos omnes homines

Gaudia & risus impiorũ.

Gaudia & risus quomodo paranda.

Bona fama nõ damnatur.

Vulgi iudiciũ falsum.

homines. Potest quidē accidere, ut & is recte agat, quē multi laudant, sed existimare iusticiā negocii, aut ueritatē doctrinæ, pēdere ex hoim fauore & cōmendatiōe, atq; hoc tantū agere, non ut recta agas, aut uera doceas, sed ut habeas gratiā hominū, hoc demum magna est infœlicitas. Primū enim, nunquam tam bene cum rebus humanis actū est, ut optima plurimis placuerint, & ita fere cōtingere solet, ut maior pars uincat meliorē. Nec mirū: Satan enim princeps est mundi huius, &, ut Paulus ait, Deus huius seculi. Is omnē, quod dicitur, lapidē mouet, ut homines suæ potestati subiectos in cæcitate, erroribus, & uanitatibus detineat. Quare quod cibus placet, eo ipso suspectum nobis esse debet, q̄ multitudini placeat. Aut enim omnino falsum est, aut à multitudine falso intellectū. Deinde, ipsa rerum gestarū exempla declarant, multitudinis iudiciū esse uanissimum. Maxima enim pars maiorū & patrum Iudæorū multo plus cōmendarunt pseudoprophetas, q̄ ueros prophetas. Hos persecuti sunt & trucidarunt, illos aūt omnibus honoribus affecerunt, & maximis opibus locupletarunt. Prophetæ Baal sub Ahab ducebant in publica fame uitam iucundissimā, & audiebāt ab omnibus, uenerabiles & religiosi, sed interim Elias propheta Domini, incertis uagabatur sedibus, omnibus pene rebus indigens, quem etiam rex tanquàm turbatorem Israeliticæ salutis ad necem quærebat. Alii quidam prophetæ Domini necesse habebant in speluncis delitescere, & pane atq; aqua pasci. Sub eodem rege Ahab, erat propheta Domini, nomine Micha, Is, quia uerbum Dei intrepide annunciabat, nullius erat inter Israelitas neque nominis neque gloriæ. Rex dicebat: Ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, sed malum, & postea iubet eum mitti in carcerem, & sustentari pane tribulationis & aqua angustiæ. Interim pseudoprophetæ, qui uno ore bona regi prædicabant, uno quoque omnium ore commendabantur, & magna reuerentia colebantur. Sub rege Zidekia prophetabant quidam pseudoprophetæ, Phassur, Ananias, & multi alii, hos uenerabatur omnis populus. Ieremias autem uerus propheta Domini tam cō temptus erat, ut cōiiceretur in lacū & cœnum. Quid ad hæc dicemus? num sentiendum est pseudoprophetas ideo uera prædicasse, quòd multitudini placuerint, & honoribus affecti fuerint? num dicemus eos beatos ac fœlices, quòd bonū nomē inter homines habuerint? Nihil profecto minus. Quanto eīm plus placuerūt multitudini hominū, tanto magis displicuerūt Deo, & quanto honestius nomē inter homines habuerūt, tanto sordidius & abominabilius habuerunt in cōspectu Dei. Vnde etiā accidit eis, quod Ieremias prædixit: In gladio & fame cōsumentur prophetæ illi, & populi quibus prophetauerunt erunt proiecti in uiis Hierusalem, præ fame & gladio, & nō erit qui sepeliat eos, ipsi & uxores eorū, filii & filiæ eorū, & effundam super eos malū suū. Quod cum ita se habeat, non hoc agendū est, ut neglecta aut uera doctrina aut recta uitæ institutiōe, cōparemus nos ad iudiciū multitudinis & ad captandā aurā populare, sed hoc agendū est, ut siue hoīes laudent siue uituperent, uocationem Dei sectemur, ueritatem uerbi Dei prædicemus, & in uitæ iusticia ambulemus. Satis bonæ famæ habet, qui ab optimis, etsi paucissimis, cōmendatur. Et quanq̄ nullius hominis gratiā habeas, quid tamē maius tibi cōtingere posset, q̄ q̄ habeas gratiam Dei? Non celebrant in terra nomen tuum filii Adam, sed tanto celebriorē te iudicant in cœlo filii Dei. Quare, quo amplior est gloria, quæ coram Deo, q̄ quæ corā hominibus habetur, eo maior est dāda opera, ut ea sectemur, quæ Dño Deo nostro placeant. Habes apophthegmata, gnomas, seu sentēcias, quibus Christus errorem de prospero rerum successu confutauit, & ostēdit, eos qui fruunt

Optima non semper placēt omnibus.

Prophetæ ueri contempti, & pseudoprophetæ in honore habiti à Iudæis.

Popularis aura nō est captanda, neglecta uera doctrina.

fœlici huius seculi fortuna, magis infœlices, q̃ fœlices & beatos esse. Reliquũ nunc est, ut has gnomas alta mente reponamus, primum, ut cum lex dicat, fœlicitates huius mundi esse benedictiones, sentiamus piis quidem promissas esse fœlicitates, & interdum ipsis in hoc quoq; seculo contingere, ex fœlicitatibus tamen huius seculi non esse iudicandã iusticiam aut pietatem causse, sed potius, iuxta prouerbiũ, sceleratiores esse fortunatiores, ac propter hoc infœliciores. Deinde, ut in prosperis non efferamur animo, sed ambulemus in timore Domini nostri Iesu Christi, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus laudandus in secula Amen.

Scelerati sunt fortunatiores.

HOMILIA. LIII.

HActenus confutauit Dominus noster Iesus Christus duos errores, quibus non Pharisæi tantũ Judæorum, sed etiam omnes omniũ gentium homines spiritu sancto destituti, de aduersa & prospera fortuna prophanissime iudicant. Nunc, quod est in hac cõcione præcipuum, accedit ad confutationẽ tercii erroris, qui est de legis seu diuinorũ mandatorum interpretatione. Nam in exponenda diuina lege interpretes uarie hallucinabant. Alius docebat, legẽ externa tantũ opera requirere, & externa iusticia ipsam ita impleri, ut qui eam fecerit, expiet peccata sua, & mereatur gratiam Dei, & uitam æternã. Alius eas leges, quæ pro officio magistratus latæ sunt accõmodabat ad uulgũ & homines priuatos, & quæ uulgo ac priuatis latæ sunt, eas accõmodabat magistratui. Hi aũt errores longe omnium pernicioſissimi sunt. Primũ enim, qui in ea est persuasione, q̃ lex impleatur externis operibus, & quòd hæc opera sint satisfactiones pro peccatis, ac meritã gratiæ Dei, & uitæ æternæ, is confidit sua ipsius iusticia, & fastidit Christum. Quid aũt hoc aliud est, quàm alienos deos adorare, & suam ipsius salutẽ abiicere? Deinde, si leges ita cõmisceantur, ut quæ ad magistratũ pertinẽt, ad priuatos accõmodentur, & quæ ad priuatos pertinent, ad magistratũ accõmodentur, quid in ea rep. aliud reliquum erit, quàm turba, sedicio, cædes, & latrocinia? Christus igitur, ut tam ciuili quàm spirituali nostræ saluti consulat, cõfutat nunc hos errores, & docet uerã diuinæ legis sententiam, quam concionem tanto diligentius obseruare debemus, quãto charior nobis esse debet, tum publica tum priuata nostra salus. Ac primum omniũ, admoneo uos, ne horũ tantum explicationem expectetis, quæ hoc loco Lucas scribit. Addemus enim hic ea, quæ Matthæus capite quinto de legis expositione recenset. Lucas enim satis quidem perspicue, breuiter tamen hanc rem percurrit. Matthæus aũt explicat eam copiosè. Necessarium autem est, ut recta legis sententia nobis probe ac multis inculcetur. Quare uisum est haud quaquam importunũ, ut quæ de hac re apud Matthæum habentur, in hoc loco, quantum argumento nostro satis est, explicemus. Deinde, priusq̃ ipsam legis interpretatiõem tractemus, obseruandum est, q̃ quantos errores apud imperitos peperit lex ipsa, tantos etiam peperit apud rerum diuinarum rudes hæc concio, qua Christus legem interpretatur. Sunt enim, qui, quoniam Christus toties in hac concione inculcat: Audiuistis, q̃ dictum sit ueteribus, & reliqua. Ego aũt dico uobis, & cætera, existimant Christum, ob hanc præcipue causſam in hunc mundũ uenisse, ut ueterem legẽ in compendiũ redigeret, si quid deesset, adderet, si quid uicii inesset, mutaret, adeoq; nouã legẽ, eamq; ueteri longe duriorẽ & seueriorẽ institueret, quam etiã primus ita perfectè impleret, ut esset omnibus aliis absolutũ rectè uiuendi exemplar. Acuerũ quidẽ est,

Errores in exponenda leges.

quidem est, Christū & legis præcepta docuisse, & legem perfecte impleuisse, & absolutum iusticiæ exemplar esse. Sed nequaq; sentiendū est, q; uenerit in hunc mundū, ut legislator tantū, & exemplū uitæ. Nam quicquid ad legem, & cognitionē honesti ac inhonesti, æqui & iniqui pertinet, hoc plenissime in mundo fuit, priusq; Christus homo factus est. Primū enim Dominus Deus noster cognitionē recti humanæ rationi naturaliter insculpsit. Quod de Deo, inquit Paulus, cognosci potest, manifestum est in gentibus. Deus enim patefecit illis. Et rursus: Cum gentes, quæ legem nō habent, naturaq; legis sunt fecerint (hoc est) quid rectū, quid secus cognouerint, & conscientiā boni ac mali habuerint, hæ legē non habentes sibi ipsis sunt lex, qui ostendunt opus legis, (hoc est) cognitionē iusti & iniusti, ac conscientiam boni & mali, scriptū in cordibus suis, simul attestante cōscientia illorū, & cogitationibus inter se accusantibus, aut etiā excusantibus. Deinde, quia hæc naturalis cognitio recti per peccatū originis ualde obscurata est, ideo dedit Dñs legē per Mosen in mōte Sinai, ut quod naturaliter humanæ mēti insculptū erat, scriptis quoq; extaret, & cœlestibus testimoniis confirmatū esset. Hæc lex, quod ad se attinet, perfectissima est, nec quicq; boni est, quod in ea nō mandat, nec quicq; mali est, quod in ea non prohibeat, quam etiā prophetæ perfectissime explicarūt, & interpretationibus suis clarissime illustrarūt. Vnde Mose legē suam grauissime cōmendat: Non declinabitis, inquiēs, neq; ad dextrā neq; ad sinistrā, sed per uiam quam præcepit uobis Dñs Deus uester ambulabitis. Et iterū: Quod ego præcipio, hoc tantum facias Dño, nec addas quicq; nec minuas. Ac rursus: Testes inuoco hodie cœlū & terrā, q; proposuerim uobis uitā & bonū, benedictionē & maledictionem. Hæc profecto omnia testantur, legi Mosi, quod ad doctrinā recti attinet, prorsus nihil deesse. Postremo philosophi etiam gentiū docuerunt legē, hoc est, cognitionē iusti & iniusti, uirtutes & uitia. Quid eñ diuinius doceri potest, q; Deū pura mente colendū esse, &, ut proximo prosis, ne tuo quidem ipsius sanguini parcendū esse? At hæc & his similia multa in literis philosophoꝝ gentiliū extant. Quanq; enim philosophi Deū, non ut Deū, quemadmodū Paulus ait, glorificauerūt, neq; grati fuerūt, sed frustrati sunt per cogitationes suas, & obtenebratū est insciens cor eorū, tamen, ut idē Paulus addit, cognouerūt Deū, & habuerunt naturalē quandam noticiā diuinæ legis. Christus igit frustra uenisset in hunc mundū, si ad hoc tm officiū uenisset, ut perfectam legem instituret. Nec uenit, ut tantū sit exemplū uitæ. Hac enim sola parte, parū nobis utilitatis è cœlo in terrā attulisset. Sumus enim natura filii iræ, & caremus ea spiritus sancti uirtute, qua lex impleri posset. Nā affectus carnis, inquit Paulus, inimicicia est aduersus Deum, & legi Dei non subdit, siquidē ne potest quidem. Quid aūt prodest aut uerbis aut exemplis ad capessendā uiam hortari hominē, qui imbecillior sit, q; ut, non dicā, ambulare, sed saltē pedibus insistere queat? Quare si Christus ad nihil aliud uenisset, quā ut esset absolutū uitæ exemplar, perpemodū frustraneus uideret Christus. Venit aūt præcipue ob hanc causam, & ad hoc officium, ut quia legē antea perfecte traditam, spiritu sancto destituti uiolauimus, Dominum Deum nostrum ad iracundiam prouocauimus, & æternam damnationem meriti sumus, expiaret peccata nostra, placaret nobis Deum patrem, & obedientia sua mereretur nobis, ut propter ipsum reputaremur coram Deo per fidem iusti, ac nihil minus in ipso haberemus, quam si legem perfecte impleuissemus, & ut adoptaremur propter ipsum in filios Dei, donaremurque spiritu sancto, cuius uirtute sectaremur uocationem Dei, si non usquequaque perfecte, at saltem, quantum ad testificandam fidem satis esset, adeoq; perpetuam fœlicitatem propter ipsum consequeremur.

Christus non uenit in mundū ut legislator.

Recti cognitio homini naturaliter insculpta.

Lex per Mosen cur lata.

Lex Mosi perfectissima.

Legem philosophi docuerunt.

Christus non tantū uenit, ut sit exemplum uitæ.

Christus cur in hunc mundum uenerit.

Hoc est officium, ad quod Christus in hunc mundum missus est. Hæc est maiestas, quæ maxime omniũ in Messia requirenda est. Certus sermo, inquit Paulus, & dignus, quem modis omnibus amplectamur, quòd Christus Iesus uenit in mundum (Ob quam causam? Vt nouã legem ferret? Minime, sed) ut peccatores saluos faceret. Et iterum: Quod lex præstare non poterat, ea parte, qua imbecillis erat per carnem, hoc Deus, proprio filio misso sub specie carnis peccato obnoxiæ præstitit, ac de peccato cõdemnauit peccatum per carnẽ, ut iustificatio legis impleretur in nobis, hoc est, ut eam iusticiam & salutem, quam non potuimus habere per legẽ, propterea quòd ipsam nunquã perfecte seruauimus, haberemus in Christo Iesu per fidẽ, nec aliter propter Christum corã Deo iusti reputaremur, quàm si totam absolute perfeciſſemus. Quid ergo sibi uult Christus, cum toties in hac concione inculcat: Audiuistis quòd dictũ sit antiquis. Ego autem dico uobis? Hæc certe uerba uidentẽ esse uerba noui legislatoris. Respondeo: Christus nõ fert nouam legem, nec quicquam ueteri tanq̃ imperfectæ addit, sed ueterem legem à Mose perfecte quidẽ latã, & per prophetas absolute expositam, humanis aũt & pharisaicis traditionibus hactenus mirum in modum obscuratã, perspicue exponit, dilucide interpretatur, & ad genuinam Mosi & prophetarum intelligentiã reuocat. Id autem hoc cõsilio facit, ut expositione ueteris legis ostendat nobis peccata nostra, & significet, quàm necessarius nobis sit ipse Christus, propter quẽ habeamus remissionem peccatorum, & iusticiã per fidem, quemadmodũ postea pluribus demonstrabitur. Sunt alii, qui leges in hac concione partiuntur in duo membra: Et alia quidem uocant præcepta omnibus mandata, alia aũt consilia, quæ sanctũ quidem sit suscipere, non tamen sit ad salutem necessariũ. Sic diligere inimicum, item dexteram maxillam percutienti obuertere, item, beneprecari deuouentibus, & alia id genus multa, uocant consilia, quæ citra salutis iacturam negligi possint. Sed Christus in hac concione suis ipsius uerbis haud obscure significat, quòd quæ hic docentur, nequaquam sint consilia arbitraria, sed præcepta Dei grauissime mandata, & seueriſsime exacta. Christus enim non fert, ut diximus, nouam legẽ, sed ueterem interpretatur. De lege autẽ & recta eius sententia dictum est: Maledictus qui non permanet in sermonibus legis huius, nec eos opere perficit. Et in hac concione Christus ait: Amen dico uobis, donec prætereat cœlum & terra, iota unũ aut unus apex non præterierit ex lege, quoad omnia facta fuerint, hoc est, tanta seueritate requirit Deus obseruationem legis suæ, ut citius pateretur interitum cœli & terræ, quàm ut uel minimum apicẽ aut iota legis suæ non grauissime exigeret. Et mox: Quisquis dixerit fratri suo, fatue, obnoxius erit gehennæ incendio. Non minaretur certe perpetuam gehennæ pœnam præuaricatoribus, si non esset præceptum, sed consilium tantum arbitrarium. Adhæc comprehendit in hac concione omnes, quas docet, leges, in hac epitoma: Omnia quæcunq̃ uolueritis, ut faciant uobis homines, sic & uos facite illis. Hæc autem epitome non est consilium arbitrarium, sed est lex naturæ obseruatu necessaria. Et in fine concionis ait: Omnis qui audit à me sermones hos & non facit eos, assimilabitur uiro fatuo, qui ædificauit domum suam super arenam, & descẽdit imber, & uenerunt flumina, & flauerunt uenti, & impegerunt in domum illam & decidit & fuit ruina illius magna. Si is, qui interpretationem legis in hac concione non obseruat, ædificat super arenam, & amittit ædificium suum tempestatibus uentorum & fluminũ, quomodo ea, quæ hic docentur, citra iacturam salutis omitti aut negligi possunt? Quare certissime sentiendum est, omnia, quæ in hac Christi concione docentur, non esse arbitraria consilia, sed præcepta Dei seueriſsima. Nunc ergo, quod

Legem Mosi Christus perspicue exponit.

Leges à Christo explicatæ non sunt consilia arbitraria.

etgo, quod fœlix fauſtumq; ſit, ad explicandã legẽ accedamus. In Matthæo Chriſtus ita ait: Audiſtis quòd dictum ſit ueteribus: Non occides, quiſquis aũt occiderit, obnoxius erit iudicio. At ego dico uobis, q̃ quiſquis iraſcitur fratri ſuo, obnoxius erit iudicio. Quicunq; uero dixerit fratri ſuo, raha, obnoxius erit cõcilio: quiſquis aũt dixerit, fatue, obnoxius erit gehẽnæ incẽdio. His uerbis, Chriſtus nõ cõdidit nouam legẽ, quemadmodũ ſupra oſtendimus, ſed interpretatur ueterẽ. Audiſtis, inquit, q̃ dictum ſit ueteribus: Non occides, quiſquis aũt occiderit, obnoxius erit iudicio, hoc eſt, uetus lex eſt, nõ occides. Hanc uulgus Phariſæoꝝ interpretatur tantũ de externo manus homicidio, & ſentit eum tantũ, qui manu homicidium perpetrauit, capitali pœna dignũ eſſe. Iram aũt ſeu inuidiam cordis, item conuicia, cõtumelias, & ludibria oris, non eſſe tanti momẽti peccata. Ego uero hanc legẽ, Non occides, rectius uobis interpretabor, & perſpicue oſtendã, quid Dominus Deus noſter in ea tum uetuerit, tum præceperit. Ac primũ, uetuit quidẽ in hac lege homicidium manus, & pronunciauit iudicio, hoc eſt, pœna capitali dignũ. Vnde in lege dicitur: Quicunq; effuderit humanũ ſanguinem, fundetur ſanguis illius per hominem. Et iteꝝ: Qui percuſſerit & occiderit hominẽ, morte moriat. Lex autẽ illa non de ſolo manus homicidio, ſed etiã de homicidio cordis, quod eſt, inuida iracũdia, & iracunda inuidia in corde aduerſus proximũ, intelligenda eſt. Non enim is ſolũ, qui manu alteꝝ occidit, uerumetiã is qui alteri inuidet in corde iraſcitur obnoxius eſt iudicio, ſeu extremo ſupplicio, ſi non corã hoĩbus, attamen corã Dño Deo noſtro. Vnde, erſi Cain nondũ deſignauerat manu ſua homicidiũ, tamen quia iraſcebatur fratri ſuo, & cõcidebat uultus eius, iudicatur in cõſpectu Dei homicida, quemadmodum in Geneſi capite quarto ſcribitur. Et in epiſtola Ioannis dicitur: Omnis qui odit fratrẽ ſuum homicida eſt, & ſcitis, q̃ omnis homicida non habet uitã æternam inſe manentẽ. Deinde hæc lex de homicidio quoq; oris intelligenda eſt. Et hoc homicidiũ deſignatur, aut maledicentia, aut conuiciis & ludibriis. De maledicentia ait Chriſtus: Qui dixerit fratri ſuo, Raha, obnoxius erit concilio. Raha Hebræa dictio eſt, quæ ita ſcribitur רעה, & ſignificat malũ, ſeu afflictionẽ. Eſt igitur ſenſus: Non is tantũ homicida eſt, qui alteꝝ manu trucidat, uerumetiam is, qui alteri malum aut afflictionem quandam imprecatur, obnoxius erit concilio. Antea dixit, iudicium, nunc concilium, poſtea dicet gehennæ incendium, quæ ita inter ſe differre uidentur, ut iudicium intelligatur pro pœna illa capitali, quæ in uulgaribus iudiciis iis infligitur, qui perpetrarunt externa & manifeſta ſcelera, ut ſunt latrones, homicidæ, incendiarii, fures, adulteri, & id genus alii. Concilium autem pro eo ſupplicio, quod in ſummis ac præcipuis iudiciis iis inferri ſolet, qui hæreſeos, blaſphemiæ in Deum, aut alterius cuiuſdã grauiſsimi ſceleris conuicti ſunt. Poſt concilium ſequitur incendiũ gehẽnæ, quã de igne infernali interpretant. Fuerunt emi excelſa Tophet in ualle filioꝝ Hinnom, ubi Iſraelitæ conſecrauerunt filios & filias ſuas Moloch per ignẽ, quemadmodũ in quarto libro Regũ capite uiceſimo tercio, & in Ieremia capite ſeptimo ſcribit. Vnde & nomẽ gehennæ deſcendit. גיא enim ſignificat uallẽ, & הנם nomẽ uiri propriũ. Cũ igitur in ea ualle liberi incenderent Moloch, nõ uero Deo, ut impii iudicabãt, ſed ficticio potius Deo, & Satanæ, factũ eſt, ut ignis infernalis, Satanæ & angelis eius paratus, diceret incendiũ gehẽnæ, & qui dignus eſſet perpetuo unà cũ Satana cruciari, appellaret obnoxius incendio gehennæ. Quare, ut Chriſtus legẽ de homicidio explicaret, ac oſtenderet, homicidia cordis & oris non minus horrenda eſſe peccata, q̃ externa manus homicidia, ut partes legis, ita & genera ſupplicioꝝ inter ſe diſtinguit, ac per gradus quoſdam ad ſummũ genus

Vera huius legis, Non occides, expoſitio.

Homicidium cordis.

Homicidium oris.

Raha.

Iudicium.

Concilium.

Gehennæ incendium.

supplicii ascendit. Quisquis, inquiens, occiderit hominẽ gladio, aut alio instrumento, obnoxius est iudicio, hoc est, eam debet capitalem pœnam, quam lex homicidæ infligit. Sed non est, ut existimes, hunc solum esse homicidam pœnæ legis obnoxium. Sunt alii homicidæ in conspectu Dei multo sceleratiores. Primum enim quisquis ceciderit fratrem suum in corde, is tantus est peccator in iudicio Dei, ut non minus mereatur supplicium, quàm externus homicida. Deinde, quisquis dixerit fratri suo Raha, hoc est, malum aliquod, aut morbum aut afflictionem imprecatus fuerit, is tam graue peccatum designat, ut multo maiori pœna, q̃ externus homicida, afflici dignus esset, nimirum ea, qua afficiuntur hæretici, aut blasphemi in Deũ. Nihil noui docet Christus, sed ueterem tantum legis sententiam explicat & renouat. Nam in Leuitico, uir qui per nomen Domini maledixisset Israelitæ, educit extra castra, & opprimitur tanq̃ catharma & peripsema lapidibus ab omni populi multitudine. Et Paulus: Maledici, inquit, hæreditatem regni Dei non accipient.

Fatuus.

Adhæc, quisquis dixerit fratri suo, fatue, hoc est, quisquis proximum suum conuiciis & ludibriis prosciderit, tantum homicidium coram Deo committit, ut incendio gehennæ, & perpetuo supplicio dignissimus iudicandus sit. Nec hæc est noua huius legis interpretatio, sed ea est, cuius sensum Dominus Deus noster humanæ rationi naturaliter impressit. Natura enim rerum ita fert, q̃ honestum uirum multo peius afficiat & conficiat ludibrium aut conuicium, quàm uulnus gladii corporalis. Et scriptura dat huic naturali sensui testimonium. In psalmo quinquagesimo sexto ait Dauid: Filii hominum, dentes eorum arma & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus. Et inter gentes, honestissimi quiq̃ maluerunt ferro aut seipsos trucidare, aut ab aliis trucidari, quàm ludibria & conuicia ferre. Quanq̃ autem impotentis & impii animi sit, seipsum propter aliena conuicia & ludibria interficere, ingens tamen argumentum est, naturalem rationem conuicia & ludibria plusq̃ externa homicidia horrere. Iam & scriptura multis exemplis ostendit, conuicia & ludibria in ipso homicidii genere cõtineri, & grauissimis homicidii supplicijs obnoxia esse.

Ludibria & conuicia non minus lædũt q̃ gladius.

Conuicia & ludibria sunt homicidia, et habẽt pœnas homicidij.

Cham ludibrio habet parentem suum Noha, & reputat ipsum senem fatuum, propterea q̃ forte ex ebrietate nudus iaceret. Sed quid fit? Cham tanta maledictione, à patre suo, diuino spiritu affligitur, propter ludibrium, quanta uix alius in parricidam animaduertisset. Maledictus, inquit Noha, Canaan, seruus seruorum erit fratribus suis. Non contentus est illusori tantum maledicere, sed maledicit etiam omnibus posteris, & toti prosapiæ eius. Samson pro stulto habetur à Philistinis, sed mauult mori, q̃ ut ludibrium inultum sinat. Moriatur, inquiens, anima mea cum Philistinis. Michol filia Saulis despiciebat Dauidem ludentem coram arca Domini, & reputabat eum tanq̃ scurram, sed sterilitate ita maledicitur, ut non nascatur ei filius, usq̃ in diem mortis suæ. Est autem hæc maledictio in lege reputatum grauissimũ supplicium, & quod seuerissimã Dei iram declaret. Quid dicã de ea cõtumelia, qua rex Ammonitarũ affecit legatos Dauidis? Nam cum Dauid misisset legatos suos ad regem Ammonitarum, ut consolarẽtur eum super morte patris sui, rex tractauit legatos contumeliosissime, abrasit dimidiã partem barbæ eorum, & præscidit uestes eorũ medias usq̃ ad nates, atq̃ ita cõtumelia affectos è regno suo expulit. Quod quid aliud fuit, q̃ dicere proximo suo, fatue, stulte, insane? Sed Dauid hoc ludibrium tanta seueritate in Ammonitis uindicat, ut multa millia eorum trucidet, & quemadmodum in secundo libro Regum capite decimo scribitur, regionẽ eorum in seruitutem redegerit. Qua uindictæ grauitate palàm ostenditur, ludibria ad genus atrocissimorum homicidiorum pertinere. In quarto Regũ libro capite

secundo,

secundo, pueri derident prophetam Elizam, & uocant ipsum, senem caluum, hoc est, ueteratorem stultum & fatuum, sed ut Dominus ostenderet, irrisionem nō minus peccatum esse homicidio, misit duos ursos è sylua, qui lacerauerūt quadraginta duos pueros. His & multis aliis sacræ scripturæ exēplis manifeste ostendit, q̄ cōuicia, irrisiones, ludibria, & id genus alia, ad catalogum homicidiorum pertineant, & q̄ Christus non condat nouam legem, sed ueterem tantum interpretetur. Quid ergo, inquies, sentiendum est, de magistratu, qui occidit ex officio suo latrones & alios sceleratos? quid de patrefamilias, qui sæpenumero irascitur familiæ suæ, propter scelera & iniquitates familiæ? quid de Stephano, qui uocat Iudæos proditores & homicidas? quid item de Paulo, qui Galatas suos manifeste appellat stultos? Num & hi commemorandi sunt in numero homicidarum, & iudicandi sunt in officiis suis peccatores? De hac re postea plurībus dicemus, cum eam partē legis, quæ est, dentem pro dēte, oculum pro oculo, &, noli resistere malo, explicabimus. Nūc paucis obseruādum est, aliud esse personales uocationes, aliud generales. Nā personales uocationes sunt, quæ nec in exemplum trahuntur, nec personā transgrediuntur. Generales autem sunt, quæ ad omnes pertinent, & omnes tenēt. Hæc igitur lex de homicidio, cum sua interpretatione, generalis est uocatio, ad omnes priuatos homines generaliter pertinens. Sed interim multæ sunt personales uocationes, quibus certi homines è generali uocatione eximuntur, & ad aliud officium diuinitus uocantur. Sic legitimus magistratus uocatur ad puniendos homines sceleratos. Quare, etsi magistratus, ut homo in peccatis conceptus & natus, nullum faciat perfecte & absolute bonum opus, quod in iudicio Dei iustificet, tamen, quod attinet ad personalem suam uocationem, si occidat sontem legitime, non peccat cōtra hanc legem: Non occidas, sed potius diuinæ uocationi seruit. Sic paterfamilias ordinatus est diuinitus, ut iuxta modum suæ uocationis errata familiæ corrigat. Sic & Apostolus, Euangelista, & Ecclesiastes ordinati sunt à Deo, ut iuxta suæ uocationis rationē auditoribus & ecclesiæ suæ peccata ostendāt, & arguant, quod certe non potest fieri absq; seueritate, tum animi tum uerborum. Quare, etiamsi ex officio suo irascātur aduersus peccata, & seueris uerbis scelera arguant, tamen nec sunt contumelioſi nec homicidæ, sed ministri Dei, ultores ad iram ei, qui quod malum est fecerit. Vnde manifestum est, nec Stephanū, nec Paulū aduersus legem de homicidio peccasse, q̄ ille Iudæos proditores & homicidas, hic Galatas stultos uocauerit. Quod enim fecerūt, ex personali uocatione fecerūt, & Domino Deo seruierunt. Sed hæc lex: Non occidas, nondum satis perfecte explicata est. Hactenus. n. dūtaxat ea audiuimus, quæ in ipsa, phibita sunt. Audiamus igitur nunc ea, quæ in ipsa mandata & præcepta sunt. Sequitur eīm: Itaq; si obtuleris munus tuum ad aram, & illic recordatus fueris, q̄ frater tuus habeat aliquid aduersum te, relinque hic munus tuum coram altari, & abi prius reconcilieris fratri tuo, & tum ueniens offer munus tuum. Quæ uerba hanc habent sententiam: Hæc lex, non occidas, non uetat tantum homicidia manuum, inuidiam cordis, & maledicentiam, conuicia ac ludibria oris, sed mandat etiam perfectam in animo concordiam & beneuolentiam cum proximo, siue amico siue inimico, & præcipit comitatem, māsuetudinem, & omnem uerborum humanitatem, ac requirit quoq; omnia externa beneficia, quæ quoquo modo præstari proximo queant. Atq; hæc tanta seueritate requirit, ut nisi ista perfecte feceris & impleueris, non possis Deo, nec in operibus alioqui sanctissimis, placere, nec quicq̄ operum tuorum, quamuis optimorum, Domino Deo nostro, gratū & acceptum sit. Nam quis cultus in lege

Vocationes personales: Vocationes generales.

Magistratui licet occidere legitime.

Apostoli & cōcionatores debent irasci & arguere peccata.

" "
" "
" "
" "

Quintū præceptū concordiam & beneuolentiam erga omnes homines præcipit.

sanctior est sacrificiis? Attamen mauult Deus, ut sacrificia, quàm ut cõcordia, beneuolentia & bñficentia erga proximum, omittantur. Ac ne existimes, Christũ nouam legem condere, aut saltem nouam legis expositionem afferre, audi quid in prophetis scriptum sit. Esaias dicit: Quo mihi multitudinem uictimarum uestrarum, dixit Dominus? Plenus sum. Holocausta arietum & adipẽ pinguium, & sanguinem uitulorum & agnorum & hircorum nolui. Et mox: Cum extenderitis manus uestras, auertam oculos meos à uobis, & cum multiplicaueritis orationẽ, non exaudiam. Manus enim uestræ sanguine plenæ sunt. Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum uestrarum ab oculis meis. Quiescite agere peruerse, discite benefacere. Quærite iudicium, subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite uiduam, & uenite & arguite me, dicit Dominus. Quid hoc aliud est, quàm quod Christus affirmat, sacrificia Deo haud quaq̃ placere, nisi prius beneuolentiã habeas cum proximo tuo, & benefeceris ei? Esaiæ subscribit Micheas: Nunquid placari, inquiens, potest Dominus in millibus arietum, aut in multis millibus hircorũ pinguium? Indicabo tibi ò homo quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te. Vtique facere iudicium, diligere misericordiam, & sollicitum ambulare cum Deo tuo. Accedit huc Oseas: Misericordiam, inquiens, uolui & non sacrificium, & scientiam Dei plus quàm holocausta. Quid potest apertius dici? Non placent Deo sacrificia, nisi diligas proximũ, & habeas sciẽtiam, hoc est, fidẽ in Deum? Idem quoq̃ uidit naturalis ratio in ethnicis, qui dixerũt, Deo magis placere sacrificia, quæ puris, q̃ quæ plenis manibus offerantur. Quare Christus non condit hoc loco nouã legem, sed ueterem humanis traditionibus & impietatibus obscuratam interpretatur. Postremo hæc lex: Non occidas, non præcipit tantum concordiam in iis leuioribus controuersiis, quæ non ueniunt in publicum magistratus iudicium, sed etiam in iis grauioribus, quæ in iudicium magistratus ueniunt. Addit enim Christus: Habeto beneuolentiam cum aduersario tuo cito, dum es in uia cum illo, ne quando te tradat aduersarius iudici, & iudex te tradat ministro, & in carcerem coniiciaris. Amen dico tibi, non exibis illinc, donec persolueris extremũ quadrantem. Principio, obseruandum est, ꝙ Christus his uerbis non condemnet publica & ordinaria iudicia, aut contentiones forenses, quemadmodum postea ostendemus. Deinde, ualde ridiculum est, ꝙ quidam hunc locum ad confirmandum purgatorium animarum torserint. Non enim fit hoc in loco sermo de aduersario Satana, & carcere animarum, sed de aduersario forẽsi, & de carcere corporali, quẽ uocamus turrim, in quam homines inobedientes aut scelerati à magistratibus ciuilibus recludunt. Docet eñ Christus, ꝙ hæc lex, nõ occidas, iubeat etiam unicuiq̃ beneuolenter reddere, quod debetur, ne si quis debitum suum dare detrectauerit, à magistratu suo puniatur. Hæc additio non est importuna aut ociosa, sed necessaria. Prophetæ enim scribunt, ꝙ regnaturo Messia, omnis populus eius futurus sit iustus, & hæreditaturus terrã. Adhæc, nullos fore captiuos. Vt prædicarẽ, inquit, captiuis indulgentiã, & clausis apertionem. Adeoq̃ omnes fore sacerdotes Domini, & ministros Dei nostri, quẽadmodum scriptum est in Esaia capite sexagesimo, & sexagesimo primo. Ex his prophetarũ uaticiniis de regno Christi, existimabant multi imperiti homines, ꝙ qui Christum agnosceret, liber esset à soluendis debitis, & magistratus non haberet ius iniiciendi in ipsum manus, ac recludendi in carcerem, aut turrim. Quòd si autem forte recluderetur, confestim liberaretur, propterea ꝙ agnosceret Messiam. Ac eiuscemodi hoies etiam hæc nostra ætas fert, qui ꝙ Euangelici sunt, putãt se nihil cuiq̃ debere, nec cuiq̃ hoim licere ab ipsis aliquid exigere.

Beneuolentia erga proximum Deo gratior q̃ sacrificia.

Christus non damnat publica & ordinaria iudicia.

Debitum unicuique beneuolenter reddendum.

exigere. Christus igitur refurat uanam illam opinionē de regno suo, & ex hac lege, non occidas, monet, ut unusquisq; alteri beneuolenter reddat, quod debet, & se cū aduersario, priusquam ad publicum iudiciū citetur, amice componat, ne quando, inquit, aduersarius tradat te iudici, & iudex te tradat ministro, & in carcerē cōiicia ris. Amen dico tibi, non exibis illinc, donec persolueris extremū quadrantē, hoc est, redde unicuiq;, quod debes. Quòd si autē propter hanc causſam, q; Messiā agno scas, & in regno Messiæ uiuas, reddere detrectaueris, profecto Messias nō soluet pro te ciuile tuum debitum, nec eripiet te externa potentia è carcere, si in eum ꝓpter debita tua coniectus fueris, sed sinet te in squalore carceris tantisper iacere, dum aduersario tuo probe satisfeceris. Regnum em̄ Messiæ non est de hoc mundo, nec cō stat externa humanarū uirium potentia aut maiestate, sed donec ueniat extremus orbis dies, constat tantū ministerio Euangelii & fide. Etsi em̄ Messias, qui est Iesus Christus, uenerit, ac per resurrectionē intrauerit in regnū patris sui, & regnet tam in cœlo q̄ in terra, in hoc tamen externo seculo, non habet aliam regni maiestatē, quàm q; uerbo Euangelii de regno, & conditionibus regni eius publice prædicet, non aūt manu tangat, aut externo sensu percipiat. Et quæ ꝓphetæ de fœlicitate regni Messiæ uaticinati sunt, ea uerissima sunt, sed ita intelligēda, ut sciamus ea in hoc seculo p̄dicari tantum uerbo, & percipi fide oportere. Nam externa eius fœlicitatis maiestas non ante reuelabit, quàm aduenerit tempus, quē admodum Petrus ait, restitutionis omniū, quo oīa ea, quæ de regno Messiæ uerbis prædicata, & fide credita sunt, manifesto sensu exhibebunt, & perpetuo durabūt. Proinde, cum nondū dies ille aduenerit, necesse habebis interea temporis, aut omnibus creditoribus tuis numerata pecunia iuste & beneuolenter satisfacere, aut in corpore, iuxta leges ciuiles, luere, quod uel nolis uel non possis in ære soluere. Habes nunc exactam huius legis, non occidas, interpretationē. Primū em̄ prohibet in ea homicidium manus, deinde, inuidia & ira cordis, adhæc, maledicentia, conuiciū, ludibriū, & id genus alia. Præterea, mandat in ea omnis perfecta beneuolentia, candor, amor, humanitas, mansuetudo & benignitas erga proximū, siue amicū, siue inimicum. Postremo mandat etiam in ea omnis reconciliatio cū aduersariis nostris, siue uulgaribus siue forensibus, adeoq; mandat in ea, ut ꝓximum siue bñfactorem siue malefactorē nō aliter q̄ teipsum diligas. Et quia nec diuina lex, nec quæ in ea continent, sunt arbitraria cōsilia, sed seueriſsima præcepta Dei, quemadmodū supra demōstrauimus, ideo requirit Deus ab oībus hoībus, ut hæc oīa perfectissime & absolutissime impleant. Et si non impleuerint, cōdemnat eos perpetua maledictiōe, morte & inferno. Scriptū est em̄: Maledictus omnis, qui nō manserit in oībus, quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea. Quid ergo ad hæc dicemus? Si ita se res habet, quis saluus erit? Nemo em̄ unq̄ etiam sanctissimorū hoīm ita perfecte & absolute hāc legē obseruauit & impleuit, ut exigit. Etsi em̄ multi fuerunt, qui nullū hominē manu occiderint, tamen nullus unq̄ repertus est, qui tanto candore & bñuolentia aduersariū suū cōplexus est, quantam lex Dei requirit. Ergo ne omnes hoīes maledicti & dānati sunt? Recte sentis, si humanam naturā & iusticiam consideraueris. Et ob hanc præcipue causſam ꝓponit nobis lex & expositio eius, uidelicet, ut ex ipsa discamus agnoscere p̄tā, maledictionē nostrā & dānationē. Nos.n. natura nostra ita excæcati sumus, ut nō uideamus grauitatē maliciæ nostræ, & seueritatē iræ Dei aduersus peccata, quin potius iudicamus Satanā non tam terribilē, ut pingit, nec ignē inferni tam feruidū ut fingit. Itaq; ꝓponitur nobis lex diuina, tanq̄ speculū, ut in ea contēplemur fœdissimā turpitudinē nostram, & ut ex ea cognoscat, quāta sit ira Dei sup

Regnum Messiæ non est de hoc mundo.

Promissiones prophetarū de fœlicitate regni Messiæ in futuro seculo reuelandæ.

Legem nemo sanctissimus perfecte impleuit.

Omnes hoīes maledicti & damnati.

Legis usus.

ir ad a mẽ pec ũ ducat.

nos,& quanta maneat nos maledictio,ppter peccata. Dicit enim Paulus: Per legẽ agnitio peccati. Et iterũ: Lex iram operaẽ. Et rursus: Peccatũ non cognoui nisi per legem. Quo ergo nos uertemus? num ideo ducimur per legẽ in agnitionẽ peccatorũ & damnationis, ut in peccatis & dãnatione pereamus? Minime oĩm. Sed ut adigamur,alienam ac mutuaticiã iusticiam quærere, quando quidẽ non habemus

Iusticia perfecta tantum in Christo

propriam. Non possumus aũt ullam perfectam iusticiã inuenire,præterq̃ in Christo Iesu Dño nostro. Is eñ peccatum nõ fecit, nec est inuentus dolus in ore eius, ac tantũ abest,ut peccatũ aliquod aduersus Deum designauerit,ut potius peccata nostra sanguine suo corã Deo expiauerit,& legẽ Dei tam perfecta & absoluta obedientia impleuerit,ut nõ solũ iram Dei patris placauerit,uerũetiam meruerit, ut quotquot in ipsum credunt, reputentẽ propter ipsum coram Deo iusti, & non aliter in cõspectu Dei iudicentẽ,q̃ si ipsi suis operibus legẽ Dei absolute impleuissent. Vnde Christus ait: Sic Deus dilexit mundũ,ut filiũ suũ unigenitũ daret,ut omnis qui credit in eum,non pereat,sed habeat uitã æternã. Habere aũt uitam æternam per fidẽ in Christum,an non est etiam habere Deum propiciũ,& iusticiam,& legis impletionẽ? Qui proprio filio,inquit Paulus,non pepercit, sed pro nobis oĩbus tradidit illũ,qui fieri potest,ut non & cum eodẽ oĩa nobis donet? Et rursus: Quod lex præstare non poterat, ea parte qua imbecillis erat per carnẽ, hoc Deus, proprio filio

Vitam æternam habere quidẽ

missso sub specie carnis peccato obnoxiæ,præstitit, ac de peccato condẽnauit peccatũ per carnẽ,ut iustificatio legis impleretẽ in nobis,hoc est, ut non aliter reputaremur, quàm si nos ipsi legẽ impleuissemus, & omnẽ iusticiam eius perfeciſſemus. Aciterum: Perfectio legis est Christus,ad iustificationẽ omni credẽti,hoc est, hoc beneficiũ per fidem habemus,q̃ iudicemur propter Christũ ita iusti,& sancti, perinde ac si nos ipsi absolute satisfeciſſemus legi Dei. Porro aũt,non hoc tantũ beneficium conferẽ nobis propter Christũ, q̃ reputemur iusti & impletores legis per fidẽ, sed donaẽ etiam nobis per fidẽ spiritus sanctus,cuius uirtute incipimus re ipsa legẽ Dei sectari,non quidẽ perfecte, (hoc eñ carni in hac uita impossibile est) sed quantum ad testificandam fidẽ satis est. Proinde, si uolumus ueram & perpetuam salutẽ

Vera & perpetua salus quomodo paranda.

consequi,primum ponamus nobis ob oculos hãc legẽ,non occidas,de qua hactenus differuimus, & discamus ex ea peccata nostra, & irã Dei aduersus peccata. Deinde conuertamus nos ad Christũ, & credamus, q̃ ipse satisfecerit pro peccatis nostris, & placauerit iram Dei, adeoq̃ meruerit nobis, ut propter ipsum iudicemur iusti,sancti,& perfecti impletores legis. Postremo, quando fides in Christum nõ sit ociosa,sed afferat secum spiritũ sanctũ, non sinamus spiritum sanctũ in nobis torpescere,sed capessamus legẽ Dei,& uirtutes in ipsa propositas,ut eas ad testificandam fidẽ nostram,& ad agẽdas Deo gratias pro beneficiis suis sectemur. Sic enim fiet,ut in uocatione Dei ambulantes, ad ueram & perpetuam salutẽ perueniamus, per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus laudandus in secula Amen.

HOMILIA LIIII.

EXplicuimus legẽ de homicidio, explicemus nunc legẽ de adulterio. Audistis,inqt Christus,q̃ dictũ fuerit antiquis: Non cõmittes adulteriũ. At ego dico uobis, q̃ quicunq̃ aspexerit uxorẽ alterius ad cõcupiscendũ eã,iam adulteriũ cõmisit cũ ea in corde suo. Quod antea sæpenumero diximus, hoc & nunc repetendũ est, quòd Christus hoc dicto nec ueterem

nec ueterem legem abrogat, nec nouam condit, sed ueterem legem confirmat, & iuxta ueram eius sententiam exponit. Nam legem de adulterio uulgo apud Iudæos ita intelligebant, perinde ac si is tantũ adulter, & morte dignus iudicandus esset, qui externum adulterium cum alia uxore designaret. Ac uerum quidem est, quòd talis adulter grauissime peccet, & morte non tantum corporali, sed etiam æterna dignus sit. Neq; enim ulla fuit honesta respub. etiam inter ethnicos, quæ nõ sua quædam supplicia huic adulterio legibus decreuerit. Mose autem dicit: Si dormierit uir cum uxore alterius, uterq; morietur, adulter & adultera, & auferes malum de Israel. De supplicio autem mortis æternæ, Paulus ait: Neq; molles, neque adulteri, hæreditatem regni Dei accipient. At hoc externum adulterium, non solum adulterium est, nec solum in hac lege: Non committes adulterium, prohibitum, sed hoc quoq; in cõspectu Dei adulterium est, si quis alienam uxorem, aut mulierem non suam in corde concupiscat. Quicunq;, inquit Christus, aspexerit uxorẽ alterius ad concupiscendũ eam, iam adulterium cõmisit cum ea in corde suo. Hæc interpretatio non est noua, nec à Christo recens legi adiecta, sed iam ante in ipso decalogo à Mose tradita. Sic enim Mose in decalogo ait: Non concupiscas uxorẽ proximi tui. Iam, in hac lege, etiam hoc obseruandum est, quòd nomen alienæ uxoris generalissime intelligendum sit, non tantum pro legitima alterius uxore, sed etiam pro quauis aliena, & nõ sua legitima muliere, uidelicet, uirgine, uidua, & scorto. In politica quidem & iudiciali lege, ubi agitur de externo supplicio adulteris inferendo, ibi nomen uxoris alienæ proprie intelligendum est pro ea, quæ est alterius legitime nupta. Iudicialis enim lex in politeia ei tantũ adultero extremum supplicium infert, qui committit adulterium nõ cum scorto, sed cum uxore proximi sui. In morali aũt lege, ubi agitur de peccato coram Deo, & de supplicio perpetuo, nomen uxoris alienæ latissime patet. Aliena enim uxor uocatur, quæcunq; mulier non est sua, siue sit libera, siue alterius coniunx. Quare in hac lege: Non cõmittes adulterium, non tantum prohibitum est adulterium iudiciale, sed etiam adulterium morale, hoc est, stuprum cum uirgine aut uidua, & fornicatio cum scorto. Vnde & Paulus ad Corinthios scribens, æquat inter se scortatores & adulteros, ac dicit: Neq; scortatores neq; adulteri, regni Dei hæreditatem accipiẽt. Et mox: Fugite scortationẽ. Omne peccatũ, quodcunq; fecerit homo, extra corpus est, sed qui scortatur, in proprium corpus peccat. Et ad Ephesios. Hoc scitis, inquit, q̃ omnis scortator aut immundus non habet hæreditatẽ in regno Christi & Dei. Ne quis q̃ uos decipiat inanibus sermonibus. Propter hæc enim uenire solet ira Dei in filios inobedientes. Iam externis quoque suppliciis declaratũ est, stupra & scortationes cum adulteriis conuenire. Sichem unà cum ciuibus suis propter stuprum Dinæ filiæ Iacob illatum trucidatur, quemadmodum in Genesi capite triceſimo quarto scriptum est. Thamar uidua ad mortem postulatur à Iuda, propterea q̃ putaretur cum alieno uiro scortata, ut est in Genesi capite triceſimo octauo. Simri quoq; Israelita, unà cum Casbi scorto suo Midianitico, à Pinehas occiditur, & placatur ira Dei, ut scriptũ est in Numeris capite uiceſimo quinto. His suppliciis manifeste declaratur, stuprum & fornicationem, in ordinem adulteriorum, quãtum attinet ad grauitatem peccati, referenda esse, nec is tantum peccat adulterio, qui alienam uxorem, sed etiam qui uirginem, uiduam, aut etiam scortum aspicit, ad concupiscẽdum eam illegitime. Sed heus tu, nondum est finis peccatorum, quæ in hac lege: Non cõmittas adulterium, prohibita sunt. Si enim oculorum concupiscentia reputatur pro adulterio, profecto reputabitur etiã pro adulterio concupiscentia oris

Lex de adulterio quomodo à Iudæis intellecta.

Vxorem alienam concupiscere, adulterium est coram Deo.

Vxor aliena quid significet.

Adulterium morale.

Scortatio æqualis adulterio.

Impudicitiæ omnis est adulterium coram Deo.

seu uerborum, ad hæc cõcupiscentia manuum, præterea concupiscentia uestitus, adeoq; totius corporis gestuum. Habes hic adulteriorum examen. Adulteria esse coram Deo sunt, spurcicies, turpiloquentia, scurrilitas, & quicquid est impudicoꝝ sermonum. Iam & ipse manuum tactus ad concupiscendam alienam mulierẽ, adulterium est. Sicut fieri, inquit Salomon, nequit, quin adurat uestem, quisquis ignem in sinu fouerit, & pedes haud dubie læserit, quisquis supra carbones incesserit, ita quisquis ad alterius uxorem accesserit, quisquis attigerit, feret infortunium. Vestitus quoq; cultior, & incessus mollior, ac gestus corporis fractior, quæ è concupiscentia cordis oriuntur, & ad concupiscendum componuntur, ad genera adulteriorũ pertinent. Porro non tantum ipsa adulteriorum mala, uerumetiam ipsæ malorum occasiones in hac lege prohibitæ sunt. Sic eñ sequitur: Quòd si oculus tuus dexter obstaculo tibi fuerit, eiue eum & abiice abs te. Expedit enim tibi, ut pereat unũ membrorũ tuorum, ac non totũ corpus tuũ coniiciat in gehennam. Et si dextera tua manus obstiterit tibi, amputa eam & proice abs te. Expedit eñ tibi, ut pereat unũ membrorũ tuorum, ac non totũ corpus tuũ coniiciat in gehennam. His uerbis indicat Christus, q; lex de non cõmittendo adulterio, non tantũ iubeat ipsa adulteriorũ genera cauere, sed etiam oẽm adulteriorũ & impudicitiæ occasionẽ uitare.

Impudicitiæ occasiones uitandæ

Quid oculis, præsertim dextro oculo, charius? at si præbet nobis occasionẽ impudicitiæ, effodiendus est. Quid dextra manu nobis cõmodius? at si huius occasione malum impudicitiæ designamus, amputãda est. Quid pedibus, quid lingua, quid gula, nobis magis utile & necessarium? at si pedes incessu, lingua sermone, gula crapula & ebrietate, subministrant nobis occasionem perpetrandi mali, abscindẽda & abiicienda sunt. Hoc iubet lex facere, cum dicit: Non cõmittas adulterium. Arbitrat enim saluti nostræ consultius esse, ut pereat unũ membrorũ nostrorũ, q̃ ut toti coniiciamur in gehennam. Quid ad hæc dicemus? Num iubet lex nostro ipsoꝝ corpori iniuriam inferre, & nos ipsos occidere? Sed ut peccatum est, proximũ interficere, ita etiam peccatum est seipsum interficere. Quare, cum interprete Christo, lex iubet ad uitanda adulteria, & quæ adulterii nomine continentur, membra corporis amputare & abiicere, intelligit quidem corporalia membra, sed amputationem & abiectionem non intelligit corporaliter. Etsi eñ oculos effodias, & manus amputes corporaliter, nondũ tamen effodisti, nec amputasti malam cõcupiscentiam cordis, in qua ceu fonte omne malum oculorum & manuũ emanat. Ex corde, inquit Christus, exeunt cogitationes malæ, cædes, adulteria, stupra, furta, falsa testimonia, conuicia. Hæc sunt quæ impurant hominem. Proinde, qui uoluerit huic legi obedire, & ad uitanda adulteria oculos effodere, ac manus amputare, necesse habet cõcupiscentiã cordis effodere, & abiicere. Hac abiecta, nec oculus mulierẽ ad cõcupiscendũ aspicit, nec manus mulierẽ impudice attingit. Concupiscẽtia aũt cordis effodit & abiicit, nõ gladio corporali, sed gladio, uirtute, & potẽtia spũs sancti. Cũ eñ lex sit spiritualis, quẽadmodũ Paulus ait, requirit etiã, ut spũs sanctus ita cor expurget, ut nihil amplius sordidarũ & immundarũ cogitationum ne sentiat quidẽ, sed quicq d cõcipiat aut cogitet, hoc sit absolute & pfecte purũ, mundũ, castũ, pudicũ, sanctũ & cœleste, ac transmittat eam castitatẽ & sanctitatẽ in oia mẽbra corporis, oculos, aures, linguã, manus & pedes, ut quicq d oculi uideãt, purum sit, quicquid aures audiant, mundum sit, quicquid lingua loquatur, castum sit, quicquid manus tetigerint, pudicum sit, denique quicquid & uestitus præ se ferat, & totius corporis motus ac gestus ostendet, hoc sanctum sit & cœleste. Habes, quæ uitia hæc lex: Non committas adulterium, prohibeat, quas item uirtutes mandet. Prohibet enim non solum adulterium externum, sed etiam stuprum,

Membra corporis amputare & abiicere quid sit.

Concupiscentia cordis quomodo effodienda & abijcienda.

Sexti præcepti uera sententia.

scortationem, concupiscentiam cordis, turpiloquentiam, obscœnitatem, spurcicitem, impudicum usum, impudicum tactum, impudicum uestitum, impudicũ corporis motum, item crapulam, ebrietatem, & omnia, quæ his malis occasionẽ præbent. Mandat aũt non solum sanctum coniugiũ, sed etiam sanctum cœlibatũ, mundam uiduitatẽ, pudicam uirginitatem, omnium item membrorum castitatem, sobrietatem, & quicquid est id genus uirtutum. Et hæc tanta seueritate exiguntur, ut qui ex his unum apicem aut iota præterierit, is sit obnoxius æterno gehennæ incendio. Maledictus, inquit lex, omnis, qui non manserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea. Quo ergo nos uertemus? Si tanta est diuinæ legis seueritas, quis saluus erit? quis æternam fœlicitatem habebit? Da enim hominem, etiam spiritu sancto præditum, is tamen non nisi aliqua ex parte diuinæ legi obsequitur, ac præ imbecillitate carnis repugnantis spiritui, ne potest quidem legẽ perfecte suis ipsius uirtutibus implere. Reperio, inquit Paulus, per legem uolenti mihi facere bonum, q̃ mihi malum adiunctum sit. Delectat enim me lex Dei secundum internũ hominem. Sed uideo aliam legem in membris meis, rebellantẽ legi mentis meæ, & captiuum reddentem me legi peccati, quæ est in membris meis. Et itetũ: Affectus carnis inimicicia est aduersus Deum, nam legi Dei non subditur, siquidem ne potest quidem. Si autem non potest diuinæ legi subdi, quid reliquum est, nisi q̃ nec pius homo possit æternam salutem & fœlicitatem consequi? Quid igitur faciemus? num manebimus in peccatis & damnatione? Absit. Sed conuertamus nos ad agẽdam pœnitentiam, qua damnationem effugiemus. Agemus autem pœnitẽtiam, primum, si ex hac lege, agnoscamus peccata nostra, & sentiamus nos propter peccata, iram Dei, & perpetuũ supplicium iuste meritos. In hoc enim tradita est nobis lex, nõ ut significet impletionẽ ipsius, nostrarum esse uirium, sed ut habeamus speculum, in quo contemplaremur nostram turpitudinẽ, & per quod ostenderetur nobis ira Dei, & meritum damnationis nostræ. Deinde, si amplectamur per fidẽ Dominum nostrũ Iesum Christũ, & credamus, q̃ ipse expiauerit peccata nostra, & placauerit nobis patrem in cœlis, ac meruerit nobis uitam æternã. Quid ergo ex hac fide cõsequemur? Quanq̃ & ipsa fidei uirtus per se imperfectior sit, q̃ ut satisfaciat seueritati Dei, tamẽ tanta est clementia Dei patris erga nos, ut quia credimus in filiũ ipsius Iesum Christũ, remittat nobis omnia peccata propter Christum, ac reputet nos corã se ita iustos & sanctos, perinde ac si totã legẽ exactissime, & secundũ omnẽ uoluntatẽ suam obseruassemus. Vnus enim solus Iesus Christus est, qui legem Dñi perfecte absq̃ ullo peccato aut uitio impleuit. Qui autem credit in Iesum Christũ, huic Christus à Deo Patre suo donatur. Cui autem donatus est Christus, qui fieri posset, ut non & cum eodem omnia sint donata? Iam, inter innumera bona, quæ possidet Christus, hoc non est minimũ, q̃ sit totus sanctus & iustus, & quòd legi diuinæ absolutissime satisfecerit. Proinde, qui credit in Christum, accipit hoc beneficiũ in Christo, quòd propter ipsum iudicẽ corã Deo ita iustus & sanctus, perinde ac si totam legẽ perfectissime impleuisset. Sed nondũ est finis beneficiorũ, quæ nobis per fidem in Christũ conferunt. Donat enim etiã per fidẽ spiritus sanctus, qui etsi non omnino expurget in hac uita reliquias carnis nostræ, tamen organo uerbi Dei efficit, ut peccatum in nobis non dominẽt, ut non secundum carnẽ sed secundum spiritum ambulemus. Et quod ad hanc legem, quam nunc tractamus, attinet, operat in nobis, ut si habeamus donum continentiæ, pudice iuxta donum nostrum uiuamus. Si autem non habeamus donum continentiæ, monet nos, ut ducamus legitimam uxorem, & seruemus sanctũ & castum cubile. Denicq̃ docet honestũ & pudicũ

Pœnitentiæ, agẽdæ ratio.

Fidei uirtus & efficatia.

Fide donatur spiritus sanctus.

sermonem, seruat nobis pudicos oculos, ducit nos ad sobrietatē, adeoq; ad omnes eas uirtutes sectandas, quæ in lege præcipiuntur, quibus etsi adhuc magna uitia insint, nec possit his lex Dei perfecte impleri, tamen quia habemus in Christo iusticiā & impletionē legis per fidem, tam grato animo Dñs Deus noster has uirtutes agnoscit, ut subinde nobis magis ac magis benefacere uelit. Demus igitur operam, ut ad consequendam salutē, peccata nostra ex lege agnoscamus, & ex Euangelio credamus, q; Iesus Christus peccata nostra expiauerit, ut per fidē spiritu sancto donati, uirtutes castitatis nobis diuinitus mandatas sectemur. Est & aliud genus adulterii, quod tamen à Iudæis legitimum opus iudicabatur. Addit ergo Christus: Dictum est aūt: Quicunq; repudiauerit uxorē suam, det illi libellū diuorcii. At ego dico uobis, q; quisquis repudiauerit uxorē suam, nisi caussa stupri, efficit ut illa sit adultera, & quicunq; repudiatam duxerit, adulteriū cōmittit. Hæc lex de repudio habetur in Deuteronomio, capite uicesimo quarto. Et exponit à Christo, non solū in hoc loco apud Matthæū capite quinto, uerumetiā, capite decimo nono. Moses, inquit, ad duriciē cordis uestri permisit uobis repudiare uxores uestras, cæteq; ab initio non fuit sic. Ergo in hac lege, non cōmittas adulteriū, prohibitum etiam est repudium ac diuorciū, præter caussam stupri, quod tamē repudiū in ciuili lege Mosi impune fiebat. Sed quia huius legis de diuorcio mētio fit in Luca, capite decimo sexto, & nos interpretamur nunc Lucā, non Matthæū, reiiciemus etiam in eum locum Lucæ copiosiorem huius legis expositionē. Nunc aūt precabimur Dominū Deum nostrum, ut reddat cor nostrū spiritu sancto suo purum, castum & sanctum, quo in uocatione Dei pudici & immaculati ambulemus, per Iesum Christum Dominū nostrū, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus laudādus in secula Amē.

Lex de repudio.

HOMILIA LV.



Egem de adulterio sequitur lex de peiurio. Rursum, inquit Christus, audistis, quòd dictū fuerit antiquis: Non peiurabis, sed persolues Domino ea quæ iuraueris. At ego dico uobis: Ne iuretis omnino, neq; per cœlū, quia thronus Dei est, neq; per terram, quia subsellium est pedū illius, neq; per Hierosolymā, quoniam ciuitas est magni regis, neq; per caput tuum iurabis, proprerea q; non potes unum pilum albū aut nigrum facere, sed erit sermo uester, est, est, non, non. Porro, quod ultra adiungitur, ex malo proficiscitur. Vt quemadmodū Christus legem, ita nos Christi uerba, quantum nobis nostra mediocritate licet, perspicue interpretemur, principio obseruandū est, q; prior pars huius legis, quam Christus hoc loco exponit, scripta est in Leuitico, capite decimo nono: Non peiurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui. Posterior pars uidetur sumpta è tricesimo capite Numeri q: Si quis se constrinxerit iuramento, non faciet irritum uerbum suum, sed omne quod promisit, implebit. Deinde iterū in memoriam reuocandū est, q; Christus his uerbis neq; ueterem legē abroget, neq; nouam legem ferat, sed ueram & genuinam ueteris legis sententiam doceat, atq; explicet. Et hoc tanto diligentius obseruandū est, quanto fœdius multi hoc tempore rudes homines, in his uerbis Chtisti: Neiuretis omnino, à ueritate aberrant. Sunt eñ qui sentiunt, Christū his uerbis nouam legē Christianis suis tuliſſe, & iudicant impiū esse, non solū priuatim & illegitimè, sed etiam publice, corā magistratu, legitime iurare. Sed ostendimus antea pluribus, q; Christus

q̄ Christus in hac cõcione non ferat nouã legem, non enim uenit in hunc mundũ ut legislator, sed q̄ ueterẽ legem iuxta uerũ eius sensum exponat. Videamus igitur, quæ sit sententia legis de peiurio, & quid sibi uelit Christus, cum dicit: Ne omnino iuretis. In Mose habentur aliquot leges, quæ non solũ concedunt, sed etiã iubent in nomine Dei iurare. Nam lex in Deuteronomio, capite sexto & capite decimo, ita dicit: Dñm Deum tuũ timebis, & seruies ei, adhærebis ei, atq̄ in nomine eius iurabis. His deinde accedũt aliæ leges, quæ uetant peiuriũ, & iuramentũ, quod fit in nomine alienoꝝ deorum. In Leuitico capite decimo nono scribitur: Non iurabitis per nomen meũ mendaciter seu in uanũ, neq̄ prophanabis nomẽ Dei tui. In Iosua capite uicesimo tercio dicitur: Non cõmemoretis, aut iuretis per nomẽ deoꝝ gentium. Has leges ita intelligebãt Iudæi, perinde ac si cõcederent unicuiq̄, non solum legitima & publica uocatione, sed etiã priuato arbitrio iurare, tantũmodo ut cauerent, ne uel falsum, uel in nomine alienoꝝ deorũ iurarent. Erant alii, paulo quidẽ reuerentius nomẽ Dñi tractantes, q̃ ut frequenter ad quæuis uulgaria dicta sua confirmanda usurparẽt, sed tamen rerũ diuinarꝝ non minus imperiti, qui in iuramẽtis suis uulgaribus abstinebant à nomine Dei, iurabant aũt uel per cœlũ, uel per terrã, uel per rẽplum (quale quid est, quod apud nos iuratur uel per animã meam, uel per omnes sanctos Dei, uel per sacramẽta) existimantes nullũ peccatum iuramẽto designari, si tantũmodo nomen Dei non usurpetur. Has igit̃ uanas opiniones & errores de iuramento damnat Christus, & docet leges de iuramẽto diserte intelligendas esse. Aliud enim est, hominẽ priuatũ esse, ad præstandũ iuramentum nondũ legitime ordinatũ, aliud est, hominẽ publicũ esse, diuina & legitima ordinatiõe ad exhibendũ iuramẽtum uocatum. Hæc lõgissime inter se ita differunt, ut quod in altero est pium officiũ, in altero est impiũ flagicium. Quæ igitur leges iubẽt in nomine Dei iurare, hæ ad priuatũ hominẽ nondum ad iurandũ legitime uocatum nihil pertinent, sed ad eum hominẽ pertinẽt, qui diuina & legitima ordinatiõe uocatus est, ut nomẽ Dei usurpet, & in nomine Dei iuret. Nam, quẽadmodũ in lege sæpenumero dicitur: Non misereberis impii, sed auferes noxium sanguinem de Israel. Item: Adulter & adultera, moriẽtur ambo, & auferes malum de Israel. Item: Puella quæ fornicata est in domo patris sui, morietur, & auferes malum de medio tui. Item: Abscindes manum mulieris illius, quæ apprehẽdit in iurgio uerenda alterius uiri, nec flecteris super eam ulla misericordia. Hæc certe & similia loca legis, ad hominem priuatum haud quaquam pertinent, cui præceptum est: Non occidas, sed pertinent ad hominem in legitima rep. ad hoc diuina uocatione ordinatum, ut sceleratos publica pœna afficiat. Quæ einm hæc esset turba, imo quod latrocinium, si cuiuis priuatim liceret hominem sceleratum, quamuis adulterum aut homicidam, interficere? Ita cum in lege dicitur: Per nomen Dei iurabis, non fit sermo ad hominẽ priuatum, sed ad eum, qui diuinitus & legitime ad hoc uocatus est, ut nomen Dei iuramento usurpet. Et qui ita uocatus iurat in nomine Dei, is tantum abest, ut prophanet nomen Domini (si modo non falsum iurauerit) ut potius nomen Domini ueneretur, & diuinum officium faciat. Vnde Abraam iurat regi Sodomorum: Leuo, in quiẽs, manũ meã ad Dñm Deum excelsum, possessorẽ cœli & terræ, q̄ à fi lo subtegminis usq̄ ad corrigiã caligæ non accipiã &c. Iurauit etiã regi Abimeleco in Bersabe, cũ inirẽt inter se publicũ fœdus. Exegit p̃terea iuramentũ in noĩe Dei cœli & terræ à seruo suo, quẽ missurus erat ad accipiendã filio suo Isaac uxorẽ, quẽ admodũ in Genesi capite uicesimo quarto scriptũ est. Iã & Isaac iurauit Abimeleco regi Palæstinoꝝ. Iurauit & Iacob socero suo Laban, iurauit etiã Dauid in noĩe Dñi

Leges Mosi de iuramẽto.

Leges quæ iubent in nomine Dei iurare non pertinẽt ad priuatum.

Iurare in nomine Dei iusta uocationẽ legitimam est diuinum officium.

Ionathæ, quemadmodũ scriptum est in primo libro Regũ capite uicesimo. Sed dices: His ideo licuit iurare, q̃ fuerint sub ueteri, non sub noua lege. At sæpenumero nunc ostensum est, Christũ non tulisse nobis nouam legẽ, sed ueterem exposuisse, & ex ea docuisse, quid homines facere debeant, aut si non faciãt, quid peccatoꝝ & dãnationis intra sese gestent. Igitur, quod Christianis præceptũ est (loquor autẽ de præceptis moralibus) hoc idem eadẽ seueritate præceptũ fuit patriarchis, & aliis qui in politia ueteris legis uixerũt? Adhæc patriarchæ & alii pii in lege, crediderũt in semen Abraæ promissum, qui est Iesus Christus Dñs noster. Qui autem credit in Christũ, is certe iudicandus est Christianus, siue uixerit ante natũ Christum sub lege, siue uiuat post natum Christũ sub reuelato Euangelio. Quare etiã patrriarchæ & alii pii ante natum Christũ dicendi & habendi sunt Christiani. Si ergo Christianis nullo pacto, nec etiam legitime uocatis, in nomine Dei iurare licet, quẽadmodum Anabaptistæ & id genus alii quidã è uerbis Christi male intellectis sentiunt, profecto nec patriarchis iurare licuit. Scriptura aũt cõmendat iuramenta eorum, propterea q̃ non priuato arbitrio & temeritate, sed diuina & publica uocatione iurauerint. Non est igitur impiũ, ex legitima uocatione in nomine Dei iurare. Nam & Paulus iurat: Veritatẽ, inquiens, dico in Christo, non mentior, attestante mihi simul cõscientia, per spiritũ sanctũ. Hoc certe est in nomine Dei iurare. Iurat & Christus: Amẽ, inquiẽs, amẽ dico uobis, quod quid aliud est, q̃ per ueritatẽ, quæ Dei est, iurare? Quin & Deus ipse iurans dicit: Viuo ego, & per memetipsum iuraui. Cũ igitẽ iurare non sit peccatũ in Domino Deo nostro, profecto nec peccatũ erit in eo homine, quẽ Deus legitima sua ordinatiõe ad iurandũ uocat. Quid ergo est, quod Christus hoc loco ait: Ne iuretis omnino? Christus non loquitẽ de his, qui legitime ad præstanda in nomine Dei iuramenta uocãtur. Hos enim remittit ad eas leges, quas supra cõmemorauimus, uidelicet, ut si quidẽ necesse habeant ex legitima uocatiõe iurare, in nomine Dei, non in nomine alienoꝝ deorum iurent, & non peierent. Sed concionatur hominibus priuatis, qui non legitime ad iurandũ & nomen Dei usurpandum uocantur. Et interpretatur hanc legẽ: Non peierabis, pro quo Hebræus ita legit: Non iurabitis per nomen meum in uanũ, neq; prophanabis nomen Dei tui. Hanc legem uulgus ita intelligebat, quasi liceret non tantum publica & legitima uocatione, sed etiam in familiaribus & priuatis colloquiis per nomen Dei iurare, tantummodo ut caueatur, ne mẽdaciter iuretur. Ac uerum quidem est, q̃ in legitima uocatione mendaciter per nomen Dei iurare, sit peierare, & nomen Domini prophanare, at si quis in priuatis colloquiis & illegitime per nomen Dei iurauerit, non solum peierat, & nomen Domini prophanat, mendaciter iurando, sed etiam ueraciter iurando. Ipsum, inquam, iuramentum sine legitima & diuina uocatione usurpatum, peiurium est coram Deo, & prophanatio ac contumelia nominis Dei, etiamsi id uerum est, quod iuramento confirmas. Nam, quemadmodum priuatus homo designat homicidium supplicio dignum, si nulla legitima uocatione, & legibus non porrigentibus gladium, alium hominem, quamuis furem aut latronem, aut homicidam, aut adulterum, scelere suo mortem optime meritum, interfecerit, quod tamen in legitimo magistratu non est peccatum, nisi occidat hominẽ insontem & innocentem, ita priuatus homo designat peiurium, si nomine Dei nulla legitima uocatione usurpato iuret, etiamsi id quod iuramento affeuerat, non sit mendacium. Cum enim lex dicit: Non assumes nomen Domini Dei tui in uanum. Et iterum: Non iurabitis per nomen meum in uanum, ipso uocabulo (in uanum) satis perspicue significat, nõ tantum iuramentũ mendax & falsum, sed etiam iuramentũ importunũ,

Patriarchis idem quod Christianis præceptum.

Iurare ueraciter illegitime est nomẽ Dei prophanare.

importunum, frustraneũ, illegitimum, & sine diuina uocatione per nomen Dei factum, quamuis alio qui uerũ, prohiberi. Quid enim est sanctius Domino Deo nostro? quid sanctius nomine Dei? Confiteant, inquit psalmus, nomini tuo magno, quoniam terribile & sanctũ est. Et Mox: Exaltate Dominũ Deum nostrum, & adorate in monte sancto eius, quoniam sanctus Dominus Deus noster. Quanto aũt res aliqua sanctior est, tanto maius peccatum designatur, si ad uulgarẽ usum transfertur, illegitime usurpetur, & prophanetur. Nonne sanctissimũ in lege opus fuit, adolere incensum? at quo sanctius fuit, eo grauius peccabant reges Ierobeam, & Vsia, qui non uocati opus illud temere & illegitime usurpabant. Vnde alter continuo arida manu, alter lepra punitus est. Quid arca testamenti in lege sacratius habitũ fuit? Sed cum Vsa nõ uocatus tangeret ipsam temere, iratus est Dñs magna cõtra ipsum indignatione, & ita percussit eũ, ut iuxta arcam moreret, quemadmodũ in secundo libro Regũ capite sexto scriptum est. Erant & uasa templi in usum Leuitici cultus cõsecrata & sanctificata. Cum igit Balthasar rex Babylonius prophanaret ea temulentia sua, & prostitueret ea in cõuiuio suo, mox uidit seueriss imã sententiã Dei contra se in pariete scribi, quemadmodũ apud Danielẽ capite quinto scribit. Proinde, si Dñs tanta grauitate prophanationẽ eorum sanctorũ, quæ non nisi sanctitatem quandã adumbrarunt, puniuit, quanta putas grauitate puniturus est prophanationem nominis sui, quod est longe omnium sanctissimũ. Prophanatur aũt, cum nulla legitima uocatione, sed mera temeritate & animi leuitate ad iuramenta usurpatur. Quare non solũ falsum iuramentum, sed etiam uerum iuramentũ, quod fit per nomen Dei, sine uocatione Dei, prohibitũ est, quanq̃ is, qui per nomen Dei iurat, uerũ iurat, tamẽ quia temere & non uocatus nomẽ Dei usurpat, non minus sordidat nomẽ Dei, q̃ si falsum iuraret: Cæterũ, quod de iuramẽto, quod fit per nomẽ Dei dicitur, hoc idem intelligendũ est etiam de iuramento, quod fit per cœlũ, per terram, per Hierosolyma, per caput tuum, per templum, per animam tuã, per omnes sanctos, per sacramenta, aut id genus alia. Nam qui iurat per cœlum, iurat per thronum Dei, & per eum qui sedet super illum, quemadmodum docet Christus & hoc loco & apud Matthæum, capite uicesimo tercio. Et qui iurat per templum, iurat per illud & per eum qui habitat in illo. Sic qui iurat per animam suam, iurat etiam per creatorem animæ, per Dominũ Deum nostrum. Sic qui iurat per sanctos, aut sacramenta, is iurat etiam per eum, qui facit sanctos, & instituit sacramẽta. Siue igitur per Deum ipsum, siue per nomen Dei, siue per alia quæ Dei sunt, illegitime & priuata temeritate iuraueris, nomen Dei prophanas & peiurium designas. Quid ergo dicendum? quid loquendum est, cum auditor noluerit nostris uerbis statim fidem adhibere, & repugnando urget nos ad confirmanda dicta nostra? Animaduertendum est, q̃ uulgaris ille & priuatus auditor, nec sit Deus, nec magistratus noster. Quare non habet autoritatem uocandi nos, ad præstandum iuramẽtum per nomen Dei, aut alia quæ Dei sunt. Si autem nõ habet talem autoritatem, non etiam licebit nobis iurare, sed obsequendum est Christo dicenti: Erit sermo uester, est, est, non, non. Si quis quærat quod uerum sit, simpliciter respondendum & affirmandum est. Si autem quærat quod non est uerum, simpliciter negandũ est. Porro, quod ultra hæc adiungitur, ex malo, inquit Christus, proficiscitur. Si enim præter simplicem affirmationem & negationẽ addideris etiam iuramentũ, uel per nomen Dei, uel per animam tuam, non iam proficiscitur sermo tuus è corde Deũ timenti, & ad nomen Dei trementi, sed è corde prophano, & maiestatem nominis

Nominẽ Dei nihil sanctius

Sancta non sine graui peccato prophanantur.

Nomen Dei quomodo prophanetur.

Dicta nostra quomodo confirmanda.

Vita nostra coram Deo peiurijs plenissima.

Dei prorsus contemnenti. Quis ergo, inquies, à prophanatione & contumelia nominis Dei ac peiurio aberit? Et si hæc ita se habent, quis negare potest, uitã nostrã coram Deo peiuriis plenissimam esse? Et si de quocunq; ocioso uerbo, quod locuti fuerint homines, reddituri sunt rationem in die iudicii, quæ ratio à nobis exiget tot ac tantorum peiuriorum, & contumeliarum in nomen Dei? Quis det nobis, ut ab his peccatis, & à reddenda hac ratione liberemur? Profecto non est alia liberatio nis uia, nisi ea, ad quam primum per legem, deinde per Euangelion de Iesu Christo ducimur: Nam, quemadmodum aliæ leges, ita & hæc lex de peiuriis proponit nobis, ut, siquidem non agnoscimus nostra mala, habeamus speculum, in quo impietatem cordis nostri, & impuritatem ac turpitudinem sermonis nostri cõtemplemur, & ex his damnationem nostram agnoscamus, non ut desperemus, sed ut ad inquirendam liberationem è peccatis & damnatione adigamur. Non possumus autem liberari à peccatis & damnatione, nisi per Iesum Christum Dominum nostrum, & per fidem quæ est in ipsum. Proinde qui desiderat à peiuriis suis, & suppliciis propter peiuria meritis, liberari, credat in Iesum Christum, quòd is satisfecerit pro peccatis suis, & placauerit ipsi Deum patrem in cœlis. Ex hac fide ingentia consequeris beneficia. Primum enim reputaberis iustus coram Deo per fidem propter Christũ, deinde donaberis etiam spiritu sancto, qui efficiet, ut cor magna ueneratione nomen Dei reuereatur, & colat. Quòd si cor nomen Dei sanctum cõseruet, nunquam permittet, ut sermo, qui ex corde proficiscitur, nomẽ Dei prophanet, & illegitime usurpet, sed efficiet, ut ueritatem simpliciter, candide, & sine omni nominis diuini contumelia loquaris, quo in uocatione Dei ambulando, ad æternam fœlicitatem peruenias, per Iesum Christum Dominum nostrum qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus laudandus in secula Amen.

Lex de peiurijs cur proposita.

A peccatis et damnatiõe liberamur per fidem in Christu

HOMILIA LVI.



Priusquam redeamus ad interpretanda uerba Euãgelistæ Lucæ, recitabimus adhuc unam legem, & expositionem eius ex Matthæo, & tractabimus eam pro mediocritate nostra. Ait ergo Christus: Audistis, quòd dictum fuerit: Oculum pro oculo, & dentem pro dente. At ego dico uobis: Ne resistatis malo, sed quisquis impegerit alapam in dextram tuam maxillam, obuerte illi & alteram. Et ei qui te uelit in ius trahere, ac tunicam tuam tollere, permitte illi & pallium. Et qui te adegerit ad milliarium unum, abito cum illo duo. Hic est ille locus, quem imperiti homines uel legentes uel audientes, uarie afficiuntur, & in quo partim suam impietatem, partim insciam & ignorantiam suam declarant. Alii enim excipiunt hæc uerba magno risu & cachinno, existimantes nihil uanius, nihil stultius præcipi posse, quàm quod hoc loco scribitur. Alii sumunt hinc occasionem piis & Christianis, qui hæc uerba agnoscunt, mala inferendi, maxillas percutiendi, tunicam & pallium auferendi, & ad grauissima quæq; onera cogendi, id quod Ecclesiasticæ historiæ de Iuliano testantur. Fuit is Iulianus imperator Romanus, post Constantiũ filium Constantini magni. Ac priusquam eligeretur in Romanum imperatorem, professus est in adolescẽtia Christianismum, & egit publicum sacræ scripturæ lectorem in ecclesia Nicomediensi. Postquam autem creatus est imperator, defecit à Christianismo, ad impietates & idololatrias gentiũ, ac persecutus est Christianismum, non quidem gladio, sed scriptis,

Iulianus Apõstata, imperator Romanus

sed scriptis, dolis, & quibus cũque astutis artibus potuit. Ac præter alia, subornabat ut Christianis bona sua auferrentur, & iniquissime ab idololatris tractarẽtur. Cum igitur Christiani iniurias sibi illatas coram Iuliano imperatore conquererent, repellebat eos à se, & respondebat, nullam ipsis posse iniuriam fieri, quandoquidem lex ipsorum iubeat eos, malo non resistere, sed percutienti in dextram maxillam, alteram præbere, & auferenti tunicam etiam pallium dimittere. Hinc uides, impium apostatam occasionẽ ex his uerbis Christi sumpsisse, omnia mala bonis & piis inferendi. Alii, cum hæc uerba legunt, iudicant ea non esse præcepta, sed consilia, sentiunt, quod rectum quidem sit hæc seruare, sed non sit necessarium ad salutem. Alii tanta superstitione his uerbis inhærent, ut nec uermibus aut pediculis ac culicibus mordentibus resistant, dicentes, præceptum esse, ne malo resistamus. Eremitarum legendæ (quas uocant) de Simeone quodam Eremita narrant, ꝙ cum in femore uulnus haberet, & uermibus scateret, non solum noluerit uermes è uulnere abiicere, sed etiam eos, qui sua sponte decidebant, in uulnus reposuerit, hãc uocem adiiciens: Manducate, quod uobis Dominus dedit, nimirum sentiens ex Domini præcepto, non esse malo resistendum. Sed hi omnes pessime de uerbis Christi iudicant. Nam qui risu ea excipiunt, hi non literas, non syllabas, sed Deum ipsum creatorem nostrum, & unigenitum Dei filium, saluatorem nostrum, cõtemptui habent, ac derident. Hæc enim uerba, sunt uerba filii Dei, Domini nostri Iesu Christi, quibus interpretatur non humanum quoddam somnium, sed sanctissimam legẽ Dei. Quare tanto grauius peccant derisores, quanto maior est Christus, & sanctior lex Dei. Quid uero de his dicam, qui ex istis uerbis sumunt occasionem & licentiã quiduis mali proximis suis inferendi? Profecto, ut dicam quod res est, nebulones sunt longe omnium iniquissimi. Si enim prohibetur malum inferenti referre, quãto magis prohibetur malum inferre? Et cum Dominus prohibeat malum referre, & iubeat sibi uindictam relinquere, significat se ideo sibi uindictam reseruare, ꝙ iniuria illata tantum sit peccatum, ut homo iniuria affectus non satis supplicii pro ea inferre queat, sed ad tantam peccati grauitatem puniendam necessarium sit diuinum supplicium. Vnde cum Dominus dicit: Mihi uindictam, addit, & ego repẽdam. Quare qui uel saltem sensu cõmuni præditus est, is perspicue uidet, hæc uerba Christi deterrere potius ab iniuria inferenda, q̃ occasionem inferendæ iniuriæ dare. Iam, qui iudicant esse, nõ p̃cepta obseruatu necessaria, sed consilia arbitraria, hi non intelligunt, quid Christus in hac sua concione agat. Non enim fert nouam legẽ, sed ueterẽ interpretatur, & quid in ueteri lege præceptum sit, explicat. Quod igitur de ipsa lege scriptum est: Maledictus omnis, qui non manserit in oibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea, hoc idem de uerbis Christi, legem uere & perspicue interpretantibus, intelligẽdum est. De qua re etiam supra auditorem admonuimus. Sed quanto longius, hi qui ex his uerbis Christi consilia faciunt, ad dextrã declinant, tanto longius ad sinistram declinant hi, qui ne morsibus quidem pediculorum aut culicum resistunt. Sic enim uerba Christi intelligere, non est pie sed superstitiose sentire, & sic facere, non est diuinam legem, sed uanissimam cordis phãtasiam sectari. Proinde, ut reiectis his erroribus, ueram sententiam uerborum Christi percipiamus, obseruãdum est, ꝙ quam legem Christus hoc loco interpretatur, scripta est in Exodo, capite uicesimo optimo, & in Leuitico capite uicesimo quarto: Qui læserit proximum suum, sicut fecit, sic fiet ei. Fracturam pro fractura, oculũ pro oculo, dentem pro dente. Sicut læsit, sic lædatur. Et in Deuteronomio, capite decimo nono: Cum iudices inuenerint falsum testem dixisse contra frarrem suum

Nazianzenus ἐν τῷ πρὸ τῷ συλλειτουργικῷ καὶ τὰ ἰδλια τοῦ βασιλέως. Et Tripar. histo. li. 6 ca. 39.

Simeon Eremita.

Derisores grauissime peccant in Deum.

Vindicta eorum soli Deo reseruata.

mendacium,facient ei ſicut fratri ſuo facere cogitauit,& auferes malum de medio tui,ut audientes cæteri timorẽ habeant,& nequaq̃ talia facere audeant. Non miſereberis eius,ſed animam pro anima,oculum pro oculo,dentem pro dente,manũ pro manu,pedem pro pede exiges. Porro autem Iudæi has leges ita intelligebant, perinde ac concederent unicuiq; priuato homini malum malo referre,& quia lex dicit: Dentem pro dente,oculum pro oculo,ſicut læſit,ſic lædatur,exiſtimabãt omnibus indiſcriminatim licere,iniuriam ſibi illatam æquali menſura cõpenſare,nec eſſe peccatum,ſed legitimum,par pari in iniuriis referre,& ſuo ſe arbitrio uindicare. Chriſtus igitur corrigit hunc errorem interpretatione ſua,ac primum,cum ait: Audiſtis q̃ dictum fuerit: Oculum pro oculo,dentem pro dente,& addit: At ego dico uobis, ne reſiſtatis malo,nõ eſt ſentiendum,q̃ ueterem legem abroget,ſed differre diſtinguit inter leges & officia, quæ ad publicũ magiſtratum ciuilẽ,& quæ ad priuatos homines pertinent. Nam,quod lex dicit: Oculum pro oculo,dentẽ pro dente,ſicut læſit,ita lædatur,nõ ad homines priuatos,ſed ad publicum magiſtratum loquitur. Et non eſt lex priuatis hominibus ad referendam ſuo ipſorum arbitrio iniuriam,poſita,ſed eſt magiſtratui ciuili præſcripta,ut habeat canonẽ,iuxta quem debeat illatas iniurias legitime punire. Chriſtus autem non abrogat magiſtratum & leges eius ciuiles,ſed uerbis haud obſcuris ſæpenumero ſignificat,ſe uelle, ut autoritas magiſtratus & leges eius ciuiles ſacroſancta habeantur. Ne exiſtimetis, inquit,quòd uenerim ad deſtruendam legem aut propheras, imo non ueni ut deſtruam,ſed ut compleam. In lege autem non tantum præcipiuntur moralia,ſed etiam publica & iudicialia, & autoriias magiſtratus commẽdatur in lege ſeueriſsime. Quare non uenit Chriſtus ut deſtruat magiſtratum, ſed potius ut autoritatem eius conſeruet. Et aliàs iubet Cæſari dare,quæ ſunt Cæſaris,aliàs ſoluit & ipſe didrachma,ut hoc argumento ſignificet,ſe autoritatem magiſtratus ſui agnoſcere. Ad Petrum quoq; percutientem ſeruum principis ſacerdotum ait: Omnes, qui acceperint gladium,gladio peribunt, quod quid aliud eſt, ſi penitius introſpicias, quàm quod lex dicit: Oculum pro oculo,dentem pro dente,animam pro anima? Paulus etiam,è ſpiritu Chriſti,de magiſtratu ita ſcribit: Quæ ſunt poteſtates, à Deo ordinatæ ſunt. Et mox: Dei miniſter eſt, ultor ad iram, ei qui quod malum eſt fecerit. Non igitur ſentiendum eſt,quòd Chriſtus hoc loco abroget magiſtratum,& legem,magiſtratui ad iniurias legitime puniendas datam,ſed cum aliàs autoritatẽ magiſtratus toties confirmet,ſentiendum eſt,quòd intantum nõ abroget hoc loco legem magiſtratui poſitam,ut potius uindicet eam à temeraria priuatorum hominum uſurpatione, & reſtituat eam autoritati magiſtratus,ut quod dicat,hanc habeat ſententiam: Audiſtis quod dictum fuerit: Oculum pro oculo, dẽtem pro dente,& hoc bene ac iuſte dictum eſt. Lex enim præſcribit his uerbis magiſtratui canonem,iuxta quem debeat iniurias alteri illatas legitime punire. Non eſt autem recte intellectum ab his, qui occaſione huius legis uſurpant ſibi priuata temeritate licentiam,ſuas iniurias illegitime uindicandi. Aliud enim eſt officium magiſtratus, aliud officium hominis priuati. Magiſtratus neceſſe habet ex uocatione ſua, oculum pro oculo,dentem pro dente exigere. Eſt enim miniſter Dei, ultor ad iram ei, qui quod malum eſt fecerit. Vobis autem priuatis, nullo magiſtratu fungentibus,dico,ne reſiſtatis malo. Quod in magiſtratu officiũ eſt, hoc in uobis priuatis eſt uitiũ. Relinquite ergo magiſtratui ſuam uocationẽ. Vos aũt hoïes priuati ſectamini ea, quæ ſunt ueſtræ uocationis. Et quæ ſunt illa, inquies? Ne reſiſtatis malo, ſed quiſquis impegerit alapam in dexteram tuam maxillã, obuerte illi & alterã.

Lex de uindicanda iniuria ad magiſtratum pertinet

Chriſtus uenit ad implendam legem.

Magiſtratus & leges non abrogat Chriſtus.

Magiſtratus officium.

Priuatorum officia.

Et ei,qui te-

Et el, qui te uelit in ius trahere, ac tunicam tuam tollere, permitte illi & pallium. Et qui te adegerit ad milliarium unum, abito cum illo duo. Hæ sunt leges tibi homini priuato positæ, hæc est tua priuati hominis uocatio. Quid ergo, inquies? num hoc exigit Deus, ut pugnis & colaphis contundar, pedibus cõculcer, tunicis & palliis spolier, nec audeam contra uel mutire? Si res ad istum modũ sese habet, quis ab iniuriis malorum tutus erit? quis non direptionibus & rapinis ad mendicitatem, imo ad totius corporis nuditatem redigetur? aut quis incolumis in uita aliquandiu perdurabit? Et ut aliud addam, si omnino non est malo resistendum, nõ licebit parenti peccantem suum puerum uirga castigare, nec licebit in rabidum canem aut seuientem lupum grassari, & malum à nobis arcere. Sinamus igitur pueros libere peccare, & abiiciamus nos canibus & lupis dilaniandos. Hæc dixerit quispiam, qui nondum probe uerba Christi intelligit. Obseruemus igitur, quod Christus his uerbis, quemadmodum sæpenumero demonstrauimus, nihil noui doceat, sed interpretetur tantum, quid in lege Domini nobis præcipiatur. Manifestum autem est, quod lex Domini nihil, quod iustũ & æquum, sed tantum id quod in iustũ & iniquum est, prohibeat. Lex enim, inquit Paulus, est sancta, & præceptum sanctũ, ac iustum & bonum. Quare minime sentiendum est, quòd hæc pars legis: Ne resistatis malo, &, quisquis impegerit alapam in dextram tuam maxillam, obuerte illi & alteram, prohibeat id quod iustum, bonum & sanctum est. Percurramus igitur aliquot genera bonorum operum, ut perspicue uideamus, quo hæc pars legis respiciat, quidue prohibeat, aut non prohibeat. Primum, iustum & bonũ opus est, ut magistratus puniat sontes. Si autem est iustum opus, quis diceret, quòd in hac legis parte: Ne resistatis malo, prohibitum esset, quemadmodum etiam supra indicauimus? Deinde iustum & legitimum est, ciũ in ecclesiaste & patre familias est, ut pro ratiõe suæ uocationis resistant malis ecclesiæ & familiæ suæ. Ad ecclesiasten dicit: Si dicente me ad impium, morte morieris, non adnunciaueris ei, neq; locutus fueris, ut auertatur à uia sua impia, & uiuat, ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram. Et aliàs: Prædica sermonẽ, insta oportune, importune, argue, increpa, exhortare cum omni lenitate & doctrina. Ac itez: Peccantes coram omnibus argue, ut & cæteri timorem habeant. Ad patresfamilias dicitur: Qui parcit uirgæ, odit filiũ suũ. Qui aũt diligit illũ, instãter erudit: Et aliàs: Patres, educetis liberos uestros, per eruditionẽ & correptionẽ Domini. Si ergo Dominus ecclesiasten & patremfamilias huc uocat, ut hic malis familiæ, ille malis ecclesiæ correptionibus suis resistant, profecto haudquaq; existimandum est, q̃ hæ iustæ & diuinæ uocationes in hac lege: Ne resistatis malo, prohibeantur. Adhæc, præcepit Dñs oĩbus hoĩbus, ut inuocẽt ipsum in afflictiõibus, & oratione sua aduersis resistant. Inuoca me, inqt, in die tribulationis, & eruã te, & honorificabis me. Et Christus iubet nos ita orare: Libera nos à malo. Adeoq; succẽsset nobis Dñs Deus noster, si nõ orationibus nostris resistamus afflictionibus. Non ascẽdistis, inqt, ex aduerso, neq; opposuistis murum pro domo Israel, ut staretis in prælio, in die Dñi. Et iterum: Quæsiui de eis uirum, qui interponeret sepem, & staret oppositus cõtra me pro terra, ne dissiparem eam, & non inueni. Cum igitur præceptum Domini sit, ut oratione malis resistamus, perspicuum est, q̃ hæc uerba: Ne resistatis malo, orationem minime prohibeant. Qui enim possent præcepta Dei sibi inuicem contraria esse? Præterea, ut resistamus lupis, aliisq; bestiis, nobis damnum, nocumentũ aut molestiam inferẽtibus, habemus ex autoritate eius maiestatis, in qua Deus hominem creauit. Dominamini, inquit Deus, piscibus maris, & uolatilibus cœli, &

Lex iusta & æqua non prohibet.

Magistratus puniẽs sontes bonum opus facit.

Ecclesiastes debet resistere malis.

Oratione debent oẽs homines resistere malis.

uniuersis animamtibus, quæ mouentur super terram. Quare ualde ridiculum est quòd quidam Eremitæ, hæc uerba: Ne resistatis malo, adeo superstitiosè interpretati sint, ut ne culicibus quidem & pediculis restiterint, & à corpore suo abiecerint. His accedit, q̃ ex diuina ordinatione liceat morbis naturali medicina resistere ac expellere. Nam, quem admodum Dominus creauit cibum & potum, ad medendum fami & siti, ita creauit etiam & ordinauit medicinam ad sanandos morbos, & ad restituendam ægroto sanitatem. Honora, inquit Ecclesiasticus, medicũ propter necessitatem. Etenim creauit illum altissimus. A Deo enim est omnis medela, & à rege accipiet donationem. Et mox: Altissimus creauit de terra medicinam, & uir prudens non abhorrebit illam. Nonne à ligno indulcata est aqua amara? Magnum quoq; medicinæ encomium, & commendatio est, q̃ propheta Esaias iussit tollere massam de ficis, & cataplasmare super uulnus regis Ezechiæ, ut sanaretur. Cum igitur Dominus ordinauerit medicinam, ut per hanc morbis resistatur, reipsa manifestum est, q̃ nec ordinarius medicinæ usus, in his uerbis: Ne resistatis malo, prohibitus sit. Quod de morbis aut uitandis aut depellendis per medicinã, dictũ est, hoc idem intelligendum est de depellẽdis per ciuiles ordinatiões iniuriis, aut contumeliis à proximo illatis. Dominus enim Deus noster ordinauit magistratum & leges eius, ut horum præsidio alter ab altero tutus sit. Dei, inquit Paulus, minister est, tibi in bonum, & ultor ad iram ei, qui quod malum est, fecerit. Et Petrus: Subditi, inquit, estote cuiuis humanæ creaturæ proprer Dominum, siue regi tanq̃ præcellenti, siue præsidibus, ut qui per eum mittantur, ad uindictam quidẽ nocentium, laudem uero recte agentium. Quod autem Deus in bonum & laudem piorum ordinauit, eo possunt etiam pii bona conscientia uti. Vnde & ipse Christus à seruo pontificis percussus, prouocat ad publicum ius: Si male, inquiens, locutus sum, testificare de malo. Et Paulus raptus ad carceres & mortem, nunc prouocat ad prærogatiuam ciuium Romanorum, nunc inuocat auxilium tribuni, nunc appellat Cæsarem, quemadmodum testantur Acta Apostolica. Proinde, si quis fuerit iniuria à proximo suo affectus, potest bona conscientia legum præsidio uti, & à magistratu auxilium iuxta leges & ciuiles ordinatiões (absit tantum modo inuidia, calumnia, uirulentia, mendacium, peiurium, & id genus alia) petere, ut quantum fieri potest, ab alienis iniuriis tutus, sub ficu & uite sua habitet. Si autem hoc bona conscientia licebit, quemadmodum sæpe aliàs etiam demonstrauimus, profecto consectaneum est, q̃ his uerbis: (Ne resistas malo, sed ei qui te uelit in ius trahere, & tunicam tuam tollere, permitte illi & pallium) non prohibeatur usus publici iuris & ciuilium ordinationum, quibus alienæ iniuriæ legitime resisti potest. Enumerauimus nunc aliquot genera operum, quibus ex uocatione & ordinatione Dei malis resistere licet, quid ergo illud est, quod hoc loco prohibetur? qui fit, q̃ tot modis liceat malo resistere, cum tamen hic dicat: Ne resistatis malo? Diximus antea, q̃ cum lex Dei prohibeat tantum iniusta & iniqua, & hæc uerba sint diuinæ legis interpretatio, necesse est, in his nihil nisi quod iniustum & iniquum est prohiberi. Quod ergo est iniustum illud & iniquũ, quod hoc loco prohibetur? Certe non est, malo legitime & ex uocatione diuina resistere. Ostendimus enim supra, hoc esse iustum & æquũ, sed est malo contra legẽ Dei, illegitime & nulla diuina uocatione, & ordinatione resistere. Neq; eñ iniustũ est, malis bono resistere, & malũ bono uincere, sed hoc demũ iniustum est, malis malo resistere, & mala malis rependere. Primum autem, malum & lege Domini prohibitum est, proximum odisse. Lex enim dicit: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Cum ergo in expositione legis dicit: Ne resistatis

Morbis licet naturali medicina resistere

Iniurias nobis illatas licet perciuiles ordinationes depellere.

Odisse proximum malum est & in lege prohibitum.

Ne resistatis malo, docemur his uerbis, iniuriam à proximo nobis illatam nõ esse cõpensandam odio proximi, ut, ne resistatis malo, perinde sit ac si diceretur, ne odio habeatis proximum, propter iniuriam ab ipso uobis illatam. Deinde, malum & lege Domini prohibitum est, priuatam & illegitimam ultionem appetere. Dicit enim Dominus: Mea est ultio, & ego rependam. Et in Leuitico capite decimo nono: Non quæras ultionem, nec memor sis iniuriæ ciuium tuorum. Proinde cum dicitur: Ne resistas malo, idem est, ac si diceretur: Ne appetas priuatam uindictam aduersus iniuriam proximi. Postremo, mala etiam & lege Domini prohibita sunt, externa priuatæ & illegitimæ uindictæ opera. Qualia sunt, si audias à proximo maledictum, tu uicissim regeras maledictum, si audias, Nebulo, tu respondeas, Nebulo, si proximus auferat tunicam, tu uicissim auferas ipsi pallium. Si percusserit te alapa in dextram, tu ad uindicandum te, repercutias ipsum pugno in totam faciẽ. Si gladio abscident tibi pedem, tu uicissim, si potes, ambos pedes eius gladio tuo abrumpas, ut iniuriam tibi illatam uindices. Hæc & alia id genus priuatæ uindictæ opera, mala sunt, & lege Domini prohibita. Lex enim dicit: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Intantum uero teipsum diligis, ut nolis ab alio audire: Nebulo, Quadruplator, Veterator, nec uelis ab alio uel opibus uel facie, uel aliis membris corporis tui lædi. Lex igit̃ in tuo ipsius animo scripta iubet te, nec maledicta regere re, nec malefacta referre. Vides nũc pspicue, q̃ Christus hoc loco nullã nouã legẽ ferat, sed tantum id exponat, quod uetus lex in se continet. A cuerborum quidem phrasis aliquantum noua uidetur, sententia autem uerborum planè uetus est, non tam scripta lege comprehensa, q̃ naturali rationi diuinitus insculpta. Et Dominus Deus noster non exigit tantum obseruationem huius legis à Christianis, uerumetiam exegit eam iam inde ab initio orbis terrarum ab omnibus hominibus. Nam, cum dicitur, quisquis inpegerit alapam in dextram tuam maxillam, obuerte illi & alteram, recte quidem dicitur, sed danda est opera, ut etiam recte intelligatur. Tametsi enim percussus mox absq̃ mora offerat extrinsecus alteram maxillã percutienti, tamen fieri potest, ut interim odio habeat percutientem, & meditetur post alteram percussionem uindictam, arq̃ ita nihil minus præstet, q̃ quod lex iubet. Quare alteram maxillam percutienti obuertere, hoc loco nihil aliud est, q̃ intantũ non referre malum malo, ut potius debeas percussori alteram quoq̃ maxillam offerre, & plures alapas sustinere q̃ repercutere, adeoq̃ alteram maxillam obuertere nihil aliud est, q̃ nec odisse percussorem, nec uindictam quærere, nec repercutere. Nam qui hæc facit, is uerius obuertit alteram maxillam percutiendã, q̃ qui eam extrinsecus offert, & meditatur interim odium ac ultionem. Ad eũdem modũ etiam id quod sequitur, intelligendum est: Ei qui te uelit in ius trahere, ac tunicã tuam tollere, permitte illi & pallium. Ergo ne non respondebo coram iudice, & nudus incedam? Non hoc uult lex, sed permittere pallium est intantum non referre malum auferenti tunicam, ut potius debeas ei & pallium permittere, & maiorem iniuriam sufferre, q̃ malum malo rependere. Igitur tunc diceris pallium permittere, cum non prosequeris odio auferentem tunicam, nec meditaris aduersus ipsum priuatam uindictam, nec uicissim auferas ab eo suam tunicam. Hæc em̃ mala sunt, & lege Dñi prohibita. Interim autem licet ablatam tunicam iudicio repetere, & ciuilibus ordinationibus in hoc institutis uti. Hæc enim non sunt mala, sed sunt diuinæ ordinationes, in usum nostrum propositæ, quemadmodum supra demõstratum est. Sic & de illo sentiendum est: Qui te adegerit ad milliarium unum, abito cum illo duo. Hic uidendum est, quid sit duo milliaria cum exactore ire. Nihil em̃

Vindicta priuata eius q̃; externa opera, lege prohibita.

Alterã maxillam percutienti obuertere.

Permittere pallium auferenti tunicam

Milliaria duo cum exactore ire.

aliud est,q̃ usq; adeo non referre malum exactori unius milliarii,ut potius abeas cũ ipso duo milliaria,ac maiorem tyrannidẽ sufferas,q̃ ut malum malo referas. Breuiter,omnia hæc uerba Christi nihil aliud sibi uolunt, q̃ quod Paulus ad Romanos scribens,ait: Non uosmetipsos ulciscentes,dilecti, quin potius date locum iræ. Scriptum est enim: Mihi ultio,ego rependam,dicit Dñs. Si igitur esurit inimicus tuus,pasce illum. Si sitit,da illi potum. Hoc enim si feceris, carbones ignis coacernabis in caput illius. Ne uincaris à malo,imo uince bono malum. Sed hic obstrepes mihi,audio quidem,inquiens,in his uerbis non prohiberi diuinas uocationes, & legitimas ordinationes ad resistendum malo propositas,nihilominus tamen ui deo in ipsis tanta exigi, quanta nullus hominũ præstare potest. Exigitur em̃ ut nõ prosequaris odio proximum,qui te iniuria afficit, ut non appetas aduersus ipsum uindictam, & in tantum non referas malum iniuriæ eius, ut potius maiorem uelis iniuriam sustinere,q̃ iniuriam iniuria compensare. Quis aũt iniuria lacessitus æquo animo ista præstare potest? In quo læso nõ exurgit appetitus uindictæ? Quem nõ saltem delectat referre iniurias? Etiam in iis, qui habẽt spiritum sanctum, animus non omnino ab hoc uitio liber est. Ergo ne dicemus omnes homines tam pios q̃ impios esse maledictos, propterea q̃ nullus ipsorum possit hanc legis partem perfecte implere? Certe,si iniquitates obseruaueris Dñe, Dñe quis sustinebit? Omnis enim homo mendax. Ex operibus legis nõ iustificaẽ omnis homo, & nõ iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuẽs. Sed magna & copiosa est apud te propiciatio per Iesum Christum Dominum nostrũ. Is enim,ut alias leges, ita hãc etiam legem perfectissime & absolutissime absq; omni uitio & peccato impleuit, & in tantum non uindicauit seipsum,ut non solum non regesserit maledicta,cum maledictis incesseretur,nec minatus sit,cum malis afficeret,sed obedierit etiam patri suo usq; ad mortem crucis,& peccata nostra in corpore suo super lignũ pertulerit, ac pro eis satisfecerit. Qua obedientia de Deo patre ita meritus est, ut quotquot in ipsum credunt, primum,reputentẽ coram Deo tam sancti & iusti,per fidem,q̃ si reipsa legem impleuissent, deinde donentur spiritu sancto, cuius uirtute queant & ipsi non quidẽ hãc legem operibus suis in hac carne perfecte implere,at tamen fidẽ & obedientiam suã coram Deo & hominibus testari,ac iniurias ita remittere, ut etiam pro malefactis benefacta reponant. Qui em̃ fieri posset, ut cuius peccatum crucifixũ & mortuũ est cum Christo,per fidẽ,in eo non etiam crucifigeret & subinde magis ac magis mortificaret affectus uindictæ? Si uiuit & regnat in nobis Christus per fidẽ, quomodo non etiã uiuerent ac regnarent in nobis uirtutes Christi, benignitas,bonitas, mansuetudo,lenitas,condonatio uindictæ,tolerantia, & quicquid est id genus uirtutũ? Vocat & huc nos exemplum Christi,qui,ut Petrus ait,afflictus est pro nobis, relinquẽs nobis exẽplũ, ut insequeremur uestigia ipsius, qui etsi peccatũ nõ fecerat, nec inuẽtus erat dolus in ore eius,tñ cũ maledictis incesseret, non regesit maledicta,cũ malis afficeret,nõ minabat,sed tradidit uindictã ei,qui iuste iudicat. Nos ne innocẽtiores Christo? nobis ne maior iniuria inferri potest, quàm Christo? Profecto nos tantis malis obnoxii sumus,ut si pctã nostra obseruemus,nihil aduersi nobis iniuste accidat. Cur igit̃,tanq̃ innocentes,ultionẽ meditamur? Cur iniuriã iniuria cõpensamus? Ingẽs temeritas est, si quis conat̃ Dño Deo nostro maiestatẽ suã diuinã surripere. Veteres uocant id Gigantomachiã,nos,blasphemũ sacrilegiũ. At qui uindictã meditat̃,is nihil aliud agit,quàm q̃ irruat in thronũ diuinæ maiestatis, & usurpet sibi sceptrum summæ potestatis. Mea em̃,inquit Dñs,est ultio, & ego rependã.

Omnes homines maledicti

Vindictæ affectus in nobis mortificatur per fidem in Christum.

Vindictã meditari est Dei maiestatem sibi usurpare

Et in psalmo

Et in psalmo Deus ultionũ dicitur. Quis aũt tam temerarium sacrilegium impune ferret? Non potuit Deus tolerare, ut Achan aliquid de anathemate Ieriho auferret, & ut Balthasar Babylonius uasa tẽpli prophanaret, & tu putas Deum toleraturum, ut id quod est summæ ipsius maiestatis auferas, & impia tua usurpatione prophanes? Iam, qua frõte audemus nos remissionẽ peccatorũ nostrorũ à Deo petere, si nos non remittimus iniurias proximis nostris? Agite, ergo, amicissimi, obediamus uocationi diuinæ, sufferamus nos inuicẽ in charitate, cõdonemus nobis mutuo, si quis aduersus aliquẽ querelã habuerit, remittamus hominibus errata sua, ut & pater noster cœlestis remittat nobis nostra errata, per Iesum Christũ Dominũ nostrum, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus laudandus in secula Amen.

HOMILIA LVII.

HActenus, quæ in Euangelista Luca, ad interpreterationem legis cognitu necessaria, defuerũt, è Matthæo compleuimus, & pro mediocritate nostra explicuimus. Nunc aũt, quia ea, quæ post legẽ de non referenda iniuria in Matthæo sequunt, etiam ab ipso Luca describunt, reuertemur ad enarrandũ Lucam, apud quẽ Christus in cõcione sua ita pergit: Sed uobis dico, qui auditis. Diligite inimicos uestros. Benefacite his qui uos oderunt. Benedicite male dicentibus uobis. Et orate pro calũniantibus uos. Hæc uerba multi sic intelligunt, perinde ac si Christus nouã ferret legẽ. Vnde ualde conquerunt de grauitate nouæ legis, & putant ueterẽ legẽ multo tolerabiliorẽ esse, quippe q̃ in ea pro ipsorũ opinione licuerit inimicũ odisse, & iniuriã referre. Sed quod toties supra inculcatũ est, hoc etiã nunc necessario repetendũ est, nimirũ, q̃ Christus his uerbis non ferat nouã legẽ, sed tantum ueterẽ legem explicet. Vetus enim lex est, in Leuitico, capite decimo nono scripta: Diliges proximũ tuũ sicut teipsum. In qua lege, quia ponit nomen proximi, interpretabant Iudæi proximũ pro amico tantũ, & benefactore, ac sentiebãt in hac lege præceptũ quidẽ esse, ut diligas amicũ & benefactorẽ, non aũt esse necessariũ, ut diligas inimicum, & benefacias malefactori, sed licere illum odisse, & huic malefacere. Occasionẽ aũt huius sententiæ sumebãt ex eo præcepto, quod datũ erat de hostibus & inimicis Cananæis: Percuties, inquit lex, gẽtes Cananæas usq; ad internicionẽ. Non inibis cum eis fœdus, nec misereberis earũ, nec sociabis cũ eis cõiugia. Ex eo quoq; præcepto, quod in Deuteronomio capite xxiii. de Moabitis & Ammonitis scribit: Ammonites, inquit, & Moabites etiã post decimã generationẽ non intrabunt ecclesiã Dñi in æternũ. Et mox: Nõ facies cum eis pacẽ, nec quæras eis bona cunctis diebus uitæ tuæ in sempiternũ. Ex istis & multis aliis legibus colligebant, licere inimicũ odisse, & malefactori malefacere. Hic error, nõ Iudæis tantũ, uerumetiã nobis familiaris est. Nam cũ uideamus, q̃ approbet publica uindicta magistratus, qua is publicũ hostẽ gladiis, lãceis, tormẽtis, & quoquo instrumẽto potest, persequit, existimamus nobis quoq; licere, inimicũ nostrũ priuatũ odisse, & priuato nostro hosti malefacere. Sed supra sæpenumero ostendimus, q̃ aliud sit, ex publica, legitima & diuina uocatiõe, aut inimico resistere, ut magistratus, aut aduersariũ maledicere, ut Noë maledixit filiũ suũ Chã, & Eliza maledixit pueros derisores, aut malefactori malefacere, ut Israelitæ iussi fuerũt malefacere Cananæis, & nõ quærere bona Moabitis. Et Samson iussus est mala inferre Philistinis: aliud, è priuata temeritate seipsum uindicare, & malũ malo repẽdere. Vnde uehementer errat, qui sentit, hoc ideo priuato licere, q̃ idem liceat legitime ad hoc uocato.

Proximũ Iudæi pro amico interpretabanturi

Quare,ut Christus hunc errorem corrigat,suscipit legē de dilectiōe proximi tractā dam,quā legē tanto diligētius explicat,quāto obseruatu magis necessaria est. Hæc eñ lex una est ex illis,quæ cōprehendunt in se totā totius legis summā. Et est epitome ac cōpendium oīm earū legū,quæ de charitate erga proximū,& operibus charitatis præcipiunt. In Matthæo eñ cap.xxii. Christus ita ait: Diliges Dñm Deum tuum ex toto corde tuo,& in tota anima tua,& in tota mente tua. Hoc est primum & magnū mandatū. Secundū aūt simile est huic: Diliges proximū tuū perinde atq; te ipsum. In his duobus mādatis tota lex & prophetæ pendent. Et Paulus ad Romanos scribēs: Qui diligit (inquit) alterū,legē expleuit. Siquidē illa: Nō adulterabis, non occides,nō furaberis,non falsum testimoniū dices,non cōcupisces,& si quod aliud præceptū,in hoc sermōe summatim cōprehenditur, nēpe,diliges proximū tuū sicut teipsum. Cum igit Christus hoc loco alterā è duabus præcipuis legibus explicet,diligēter,quæso,interpretationē eius obseruemus. Principio, exponit Christus nomē proximi,& docet quis sit proximus noster. Nos eñ existimamus eū tantum proximū nostrū esse,qui nobis benefacit, eum aūt noīe proximi non cōtineri, qui nobis malefacit. Sed Christus nomē proximi lōge aliter interpretat, uidelicet, non tantū pro amico & benefactore,sed etiā pro inimico & malefactore. Diligite,inquiēs,inimicos uestros,quasi diceret: Etiā inimici proximi uestri sunt. Quare lex iubens proximū diligere,iubet quoq; inimicū diligere. Ad eundē modū exponit etiam Christus nomē proximi in ea parabola,quæ est de Judæo incidente in latrones, & Samaritano obligante uulnera eius. Iudæi eñ & Samaritani erant inter se capitales inimici,attamē Samaritanus, cū uideret inimicū suū uulneribus ita affectū,ut iā morti propinquus esset, non addidit uulnera uulneribus, & misericordia motus, quoquo modo potuit,benefecit ei. Etsi eñ Samaritanus nō cognouerat è doctrina suorum sacrificulorū, non tantū amicū,sed etiā inimicū proximū esse,tamē ipse naturalis rationis sensus,affectu iræ & inimicitiæ nō oppressus,huc eum uocabat,ut iudicaret etiā inimicū,operā sua indigentē,proximū esse. Vnde Christus in fine parabolæ addit: Vade & tu fac similiter,hoc est,exerce misericordiā in eū qui opera tua indiget, etiāsi inimicus sit, & iudica non amicū tantū, sed etiam inimicū, proximū tuū esse. Porro aūt,hanc proximi interpretationē nō esse nouā,sed iamdudū in lege significatā,uerba ipsa legis perspicue declarāt. In Leuitico.n.cap.xix.ita scribit: Nō quæras ultionē,nec memor sis iniuriæ ciuiū tuorū,sed diliges proximū tuū sicut teipsum. Hic lex manifeste iubet eū diligere,q affecit nos iuiuria, & proximū exponit,non tantū amicū,sed etiā eum,qui ultiōe digna in nos perpetrauit,hoc est,inimicum,& aduersariū. Iam & hoc,quod addit: Sicut te ipsum,perspicue indicat,etiā inimicū noīe proximi cōtineri. Nos.n.naturaliter nos ipsos ita diligimus, ut etiāsi iniurii in quēpiam fuerimns,tamē, si opera eius indigemus, cupiamus ut nobis benefaciat,& nobis in miseria nostra succurrat. Relinquit ergo, q teste nostro ipsorū ingenio, etiā inimicus sub noīe proximi cōprehendatur. Sed & aliās in lege nomē proximi pro inimico quoq; exponit. In Exodo cap.xxiii: Si occurreris,inquit Mose,boui inimici tui,aut asino erranti,reduc eū. Si uideris asinū odientis te iacere sub onere,nō petransibis, sed subleuabis cū eo. Hic iubet lex aperte,ut inimico benefaciamus. Quare teste quoq; lege,inimicus noīe proximi continet. In Prouerbiis cap. 25. ait Salomon: Si esurierit inimicus tuus, ciba illum. Si sitierit, da ei potum. Prunas.n.cōgregabis super caput eius,& Dñs reddet tibi. Quid manifestius de diligendo & benefaciēdo inimico dici posset? Cum igit lex iubet proximū diligere,non iubet tantū amicū & benefactorē,sed etiā inimicū & malefactorē,adeoq; quēuis opera nostra

Proximus quis uere sit.

Proximi nomen etiam inimicum cōprehendit.

nostra indigentē, diligere & adiuuare. Habes quid noīe proximi intelligatur. Nunc accipe tibi etiā expositionē uerbi huius, diligere. Vt enīm in noīe proximi, ita etiā in nomine dilectiōis erratur. Sunt.n. multi, qui cum audiant, inimicos diligēdos esse, existimant se huic legi satisfacere, si diligant eos uerbo & lingua, aut si nihil externi mali ipsis inferāt, & sinant ipsos res suas agere. Atq; id quidē lex requirit, uidelicet, ut inimicis nihil mali inferas, & sinas eos suas res agere, sed his moribus nondū satis fit legi. Christus igit̄ interpretatur etiam nomē dilectiōis, & docet, q; dilectio cōplectatur in se, primū, affectū cordis, deinde uerba oris corā Deo & hominibus, postremo, opera & benefacta externa. Diligite, inquit, inimicos uestros, hoc est, lex requirit, non simplicē tantum & neglectū amoris affectum erga inimicos, sed plenū, perfectum, & ardentē, qualis is est, quo unusquisq; seipsum diligit, nec affectū tātum syncerum & candidū postulat, uerumetiā postulat orationē puram & sanctam pro inimicis corā Deo, & amicissima uerba de inimicis corā ptoximo. Orate, inquit, pro calumniantibus uos, & benedicite maledicētibus uobis. Præterhæc requirit etiam externa operæ beneficia erga inimicos. Benefacite, inquit, his qui uos oderunt. Quam dilectionis sententiā, ipsum uerbum legis (sicut teipsum) manifestissime indicat. Sed & aliās Christus & Apostoli eius perspicue explicant, quid noīe dilectiōis à nobis requiratur, & quod sit ueræ delectionis ingeniū. Ioannes in prima epistola cap. iii. Filioli, inquit, nō diligamus nos uerbo tantū & lingua, sed etiā opere & ueritate. Et Paulus: Charitas, inquit, nō quærit, quæ sua sunt, non irritat̄, non cogitat malū, nō gaudet de iniusticia. Acitē: Finis præcepti est, charitas ex puro corde & cōscientia bona, & fide nō simulata. Vide, quantā charitatis syncritatē lex à nobis requirat. Nō est perfecta charitas in proximū, nisi proficiscat̄ è corde ab oībus peccatis puro, è cōscientia nihil prorsus mali sibi conscia, & è fide nulla plane dubitatiōe uiciata, hoc est, ut charitas sit perfecta & absoluta, tequirit̄ tota totius hoīs integitas & sanctitas. Audiamus & ipsum Christū, de mutua charitate concionantē: Hoc est (inquit) præceptū meū, ut diligatis uos inuicē. Quomodo? Sicut ego dilexi uos. Quomodo ergo dilexisti nos Christe? addit̄: Maiorē hac dilectionē nemo habet, ut quis animā suam ponat pro amicis suis. Pro quibus? Non his, qui ipsum priores dilexerunt. Nos enim non dileximus Deū, sed ipse prior nos dilexit, & misit filium suum propiciationem pro peccatis nostris. Pro quibus ergo amicis ponit animā suam? Respondeo: Pro his, quos ipse amicos agnoscit, etiamsi hi, quod ad se pertinet, inimici fuerint. Christus, inquit Paulus, cum adhuc essemus infirmi iuxta temporis rationem, pro impiis mortuus est. Nam uix pro iusto quisquam morietur, fiquidē pro bono forsitan aliquis etiam mori sustinet. Commendat autem suam charitatē erga nos Deus, q; cū adhuc essemus peccatores & inimici, Christus pro nobis mortuus est, & recōciliati sumus Deo per mortē filii eius. Cum igit̄ Christus præcipit, ut diligamus nos inuicē, sicut ipse dilexit nos, profecto iubet nos nō amicū tantū, sed etiā inimicū, tanta dilectionis uehementia cōplecti, ut & sanguinē nostr̄ pro salute eius effundamus. Quid hoc, inquies? Quis est, qui tā graue mandatū unq̄ impleuit, aut implere possit? Etsi n. faueamus nōnunq̄ ex corde amicis, nō tamē ita fauemus eis, ut oēs facultates nostras, p ipsis exponamus. Ac fortasis fieri potest, ut pro amicis facultates nostras expendamus, attamē nō tanto feruore diligimus eos, ut pro ipsoꝝ salute etiam sanguinē nostrū effundamus. Iam finge & hoc fieri posse, quid dicemus de inimicis? num & hos tanta amoris uehemētia quisq̄ complecti potest, ut absque omni cordis tergiuersatione & repugnantia sanguinem suum pro ipsis effundere non dubitet? Certe, si homo, quantumcunque alioqui sanctus, sese

Diligere quid sit.

Dilectiōis uerę ingenium.

Charitas perfecta.

Dilectio inimici cōtranaturam nostrā est.

excutiat, inueniet hoc esse naturale suum ingenium, ab Adamo hæreditate acceptum, q̃ in discrimine multo magis cupiat inimici sanguinẽ, uel sua ipsius manu, q̃ suum sanguinẽ pro inimico, effundere. Quid igitur dicemus? Si dilectio est consummatio legis, & nemo tantũ diligit proximum suũ, quantum ab eo requiritur, nemo etiam salutẽ consequetur? Maledictus. n. qui non manserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea. Et Christus ait: Si uis ad uitã ingredi, serua mandata Dei. Nemo aũt potest ea perfecte seruare. Nemo igitur potest in uitã ingredi. Quo nos uertemus, ut non tam misere pereamus? Bono animo simus. Est adhuc reliqua uia, qua saluti nostræ consuli potest. Ac uerum quidẽ est, q̃ nec legem Dñi perfecte obseruauerimus, nec iusticia nostra salutẽ consequi, & ad uitam ingredi possimus, adhæc, recte in conscientia agitur, q̃ primũ omnium per legem & iram eius terreatur, ac de suis ipsius uiribus & iusticia desperet, sed non est in his terroribus & desperatione perdurandũ, ne ita de iusticia nostra desperemus, ut etiam de salute nostra desperemus. Tametsi. n. nos non impleuimus legem Dñi, nec possimus nostra iusticia salutẽ consequi, propositus tamẽ nobis est Iesus Christus Dominus noster, is charitate sua satis fecit huic legi absolutissime & perfectissime. Vsq; adeo. n. dilexit inimicos suos, ut coniecerit sese propter ipsos in humanas sordes, & turpissimã mortẽ, ac expiauerit peccata ipsorũ suo ipsius sanguine. Quare impetrauit nobis à Deo patre suo ingentia & nullo precio æstimanda beneficia. Primũ. n. impetrauit, ut quot quot in ipsum credunt, non solũ habeant remissionẽ peccatorum suorum, sed etiã reputentur propter ipsum ita iusti & sancti, perinde ac si ipsi suis operibus hanc legẽ de charitate perfecte impleuissent. Quod. n. inquit Paulus, lex præstare nõ poterat, eã parte qua imbecillis erat per carnẽ, hoc Deus, proprio filio misso sub specie carnis peccato obnoxiæ, præstitit, ac de peccato cõdemnauit peccatũ per carnem, ut iustificatio legis impletetur in nobis. Et iterũ: Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illũ, qui fieri potest, ut nõ & cum eodẽ omnia nobis donet? Deinde impetrauit nobis spiritũ sanctũ, ut hoc donati possimus odium inimici è corde nostro expurgare, & exemplũ Christi sectari, nõ quidẽ absq; omni uitio: Lex enim illa, quæ in mẽbris nostris, quemadmodũ Paulus ait, rebellat legi mentis nostræ, non permittit, ut in hac carne bonũ perfecte operemur, sed ut saltẽ aliqua ex parte, tũ affectu tum operibus declaremus animi nostri gratitudinẽ erga Deũ, & in uocatione Dei ambulemus. Sic Mose uoluit propopulo suo deleri de libro uitæ. Quanq̃. n. populus Israel maximis sæpe iniuriis Mosen affecerat, & nõnunq̃ ad mortẽ ipsi inferendã quæsierit, tanta tamẽ charitate eos cõplectitur, ut oret ad Deum: Aut dimitte eis hanc noxã, aut si non facis, dele me de libro tuo, quẽ scripsisti. Sic Paulus optat fieri anathema pro Israelitis. Etsi. n. Israelitæ persequebant Paulũ capitaliter, & insidiabant uitæ eius diu noctuq;, tamẽ optarim ego ipse, inquit, anathema esse à Christo, pro fratribus meis, cognatis meis secundũ carnẽ, qui sunt Israelitæ. Quid ergo, inquies? Num & hi, Mose uidelicet ac Paulus, legẽ de charitate proximi perfecte impleuerũt? Non igit solus Christus erit perfectus impletor legis? Respõdeo. Mose quidẽ & Paulus maxima charitate erga proximos suos uirtute spiritus sancti affecti fuerũt, attamẽ si hanc charitatẽ exigas ad seueritatẽ legis Domini, inuenies eã adhuc multa uitia & infirmitates habere, & legẽ Dei nequaq̃ perfecte implere. Lex. n. Dñi est spiritualis, & requirit omnes & totos hominis affectus puros, synceros, iustos & sanctos. Quid aũt illud Mosi est, quod ait à Deũ: Cur imposuisti põdus uniuersi populi huius super me? Nunquid ego concepi omnẽ hanc multitudinẽ, uel genui eã, ut dicas mihi, porta eos in sinu tuo, sicut portare solet nutrix infantulum

Christus inimicos suos perfecte dilexit.

Mosi dilectio erga populũ suum.

Pauli charitas erga Israelitas.

Charitas Mosi & Pauli imperfecta.

sanctulum,& defer in terrã,pro qua iurasti patribus eo? ¶ Quid item illud Pauli est? Noui, q̃ non habitet in me,hoc est, in carne mea,bonum. Namuelle adest mihi, at ut faciã bonũ,non reperio. Non enĩ quod uolo,facio bonum,sed quod nõ uolo malũ,hoc ago. Hæc manifeste declarant, quod etsi Mose & Paulus habuerint maximam charitatẽ erga proximos suos,si ipsi cõferantur aliis hominibus,non tamẽ habuerint perfectã charitatẽ, si conferantur legi Dei. Solus Iesus Christus Dñs noster, habet perfectã & ex omni parte absolutã iusticiã & charitatẽ, quã ita liberaliter possidet,ut si in ipsum credamus, prõptissime nobis eã cõmunicare uelit,ut non solũ habeamus in ipso iusticiã per fidẽ, sed etiam sentiamus in nobis uirtutẽ spiritus sancti, qua inflammemur ad sectanda uestigia Christi in dilectione proximi,& in uocatiõe Dei ambulantes,ad æternam salutem perueniamus,per Iesum Christũ Dominum nostrum, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus laudandus in secula Amen.

HOMILIA LVIII.



Væ in cõcione Christi apud Lucã sequunt, nũc uestris adiuti precibus tractabimus. Percutiẽti te (inquit) in maxillã, « præbe & alterã. Hæc uerba, etsi supra explicuimus, tamen « quia frequenter nobis, cũ fit mentio de grauitate legum, in ore sunt, nõ superuacaneũ uidetur, si etiam nunc pauca de ipsis dicamus. Quod igit usq; ad fastidiũ fere inculcauimus, hoc etiã nunc repetendum uenit, nimirũ, q̃ Christus his uerbis nullã nouam legẽ ferat, sed q̃ ueterem legẽ interpretetur, & id per partes explicet, quod in ueteri lege generaliter proponit. Lex.n. in Leuitico cap.xix. ita ait: Ne quæras ultionẽ, nec memor sis iniuriæ ciuiũ tuorũ, sed diligas proximum sicut teipsum. Et in Deut. cap.xxxii. Mea est ultio, & ego rependã, dicit Dominus. Et in Prouer. cap.xx: Nõ dicas, reddam malũ, sed expecta Dñm & liberabit te. Et cap.xxiiii: Non dicas, quemadmodũ fecit mihi, sic faciã ei, reddam unicuiq; secundũ factum suum. Hæc uerba prohibent generaliter omnẽ priuatã ultionem, & exigunt generaliter oim iniuriarum tolerantiã. Si aũt lex ultionem prohibet, & tolerantiã exigit, profecto manifestum est, q̃ etiam exigat, ut quod Christus hoc loco dicit, percutienti præbeamus alterã maxillam. Nec aliud sunt ista uerba, percuciẽti te in maxillam, præbe & alterã, q̃ pars, aut, si mauis, exemplũ huius legis, de non inferẽda ultione & de toleranda iniuria. Alterã.n. maxillã percutienti obuertere, hoc loco nõ est proprie iubere percutientẽ mox post priorẽ percussionẽ etiã alterã percussionẽ inferre. Nam permissum est unicuiuis à Dño, ut si recte & legitime queat, etiã priorẽ percussionẽ effugiat, quomodo igit lex exigeret, ut post priorẽ percussionẽ, iubeam percutientẽ alteram percussionẽ mihi inferre? Christus enĩ alibi ad discipulos ait: Cũ persecuti uos fuerint in ciuitate hac, fugite in aliã. Cur fugere permitteret, si omnino exigeret, ut iuberẽ mihi percussionẽ percussioni addere? Et rursus: Si peccauerit in te frater tuus, uade & argue eũ inter te & ipsum solũ. Si arguẽdus est frater in nos peccãs, quomodo præciperet, ut iuberemus, percutientẽ amplius in nos peccare? & Christus ipse, percussus alapa à ministro põtificis, nõ iussit seruũ alterã maxillã pcutere, sed appellauit ius: Si male, inquiẽs, locutus sum, testificare de malo, sin bene, cur me cædis? Et Paulus, cũ Tribunus iuberet, ipsũ flagris examinari, & astrinxisset eũ loris, nõ dixit Centurioni: Percute flagris & dextrũ & siniſtrũ latus, sed dixit: Nũ hoiem Romanũ & indemnatũ licet uobis flagellare? Cũ igit hoc loco præcipiat, ut pcutienti alterã maxillã obuertamus, nõ hoc uult lex, ut à percutiẽte alterã pcussionẽ exigamus, sed alterã maxillã obuertere, est percussorẽ nullo odio pſequi,

Vltio priuata generaliter prohibita

Iniuriam legitime effugere licet.

Alterã maxillam obuertere.

nullam priuatam uindictam aduersus ipsum meditari, & non repercutere, adeoq; malle alterius etiam maxillæ percussionem sufferre, q̃ illegitima uindicta legem Domini uiolare. Porro auté, quid uetus lex grauius & seuerius mandat, q̃ ut non odio habeamus fratrem in corde nostro, ut non quæramus ultionem, sed ut Domino ultionem relinquamus, & proximum nostrum sicut nos ipsos diligamus? Quare hæc uerba, percutienti te in maxillam præbe & altetam, non sunt nisi ueteris legis expositio, aut si mauis exemplum, cui non solum nos, qui Christiano nomine censemur, uerumetiam omnes, quotquot unq̃ fuerunt aut erunt homines, obedientiam debemus. Cæterum, quod de percussione in maxillam dicitur, hoc idem de cõuiciis dici posset: Si quis te appellauerit nebulonem, uoceris & nequam. Sunt enim uariæ iniuriæ & contumeliæ, quibus alter alterum afficere solet. Aut enim corpus uostrũ afficitur uerberibus, & percussuris, aut fama & honor nominis nostri lædit uerbis & conuiciis, aut facultates nostræ auferuntur à nobis. Quomodo igitur nos gerere debeamus, cum corpus afficitur uerberibus, hoc dicto, percutienti te in maxillam præbe & alteram, explicatum est, sub quo etiam docemur, quomodo nos in tolerãdis conuiciis gerere debeamus. Nunc autem docet Christus ex lege, quomodo debeamus nos in ablatione facultatũ nostrarũ gerere. Solent auté facultates nostræ à nobis auferri, partim priuata iniuria, id quod fit uel rapina, uel furto, uel impostura, partim publica iniuria, id quod fit illegitimo bello, uel iniquo magistratus iudicio, & uiolentia, partim petitionibus & obsecrationibus egenorum. Primum ergo, docet Christus quomodo debeamus nos gerere, cum auferuntur à nobis facultates priuata iniuria, & dicit: „ Ab eo qui aufert, quæ tua sunt, ne reposcas. Hoc est, si quis tua prædatur, furatur, aut impostoris à te aufert, ne repetas ea. Quid? putas nec hoc præceptum nouum esse? Minime omnium. Sicut enim, id quod supra dictum est, de percussione maxillæ, ita & hoc quod nunc de ablatione facultatum dicitur, sentiendum est cõprehendi in his uerbis legis: Ne quæras ultionem. Et: Mea est ultio, ego rependam, dicit Dominus: Ergo, ne amica quidem petitione, aut publico iudicio repetendum est ablatum aut furtum? Nihilminus. Lex enim non exigit à nobis, ut faciamus, quod Eremita quidam, nomine Macarius, feciſſe scribitur. Hic enim cum deprehenderet furem in tugurio suo compilantem supellectilem, tantum abfuit ut prohiberet à furto, ut etiam, perinde ac si & ipse fur & peregrinus esset, adiuuaret eum, & sarcinas colligeret, & quo fur tutior esset, aliquousq; comitaretur. Lex Dei exigit quidem, ut hoc potius faciamus, quod Macarius fecit, q̃ ut compilatori male faciamus, sed non exigit hoc, si à male faciendo nos cõtineamus. Mala enim uetat & illegitima, nõ uetat bona, & legitima. Porro autem, reposcere sua, uel amica repetitione, uel publico iudicio, legitimum est. Magistratus enim in hũc usum à Deo positus est, ut defendat bonos, & adiuuet iusticiam iusti. Raptoré auté & furem odio prosequi, raptori & furi maledicere, raptori rapere, furi furari, & id genus alia, hæc demum mala sunt. Proinde, cum hoc loco dicit: Ab eo qui aufert quæ tua sunt, ne reposcas, non intelligendum est, q̃ non liceat ablatum & furtum amica repetitione aut publico iudicio reposcere, sed quòd non liceat raptori & furi mala referre, & priuata ultione seipsum uindicare. Deinde docet Christus ex lege, quomodo debeamus nos gerere, cum auferuntur nobis facultates nostræ publica iniuria, uel per illegitimum bellum, uel per iniquum iudicium & uiolentiam magistratus, & dicit: „ Ab eo qui aufert tibi pallium, etiam tunicam noli prohibere. Hoc dictum intelligendum esse de ablatione facultatum, quæ nobis fit publica iniuria, apud Matthæum satis perspicue animaduertitur, apud quem Christus ita dicit: Ei q̃

Conuicia ferenda.

Facultatũ ablatio triplex.

Facultatũ ablatio quæ fit priuata iniuria quatenus ferenda.

Macarius Eremita.

Reposcere sua legitime est licitum.

dicit: Ei qui te uelit in ius trahere, ac tunicam tuam tollere, permitte illi & pallium. Ergo, non licebit mihi pro facultatibus meis iudicio contendere? Quod paulo ante diximus, hoc & nunc obseruandum est, uidelicet, ꝙ lex non prohibeat legitima sed illegitima, nec ꝙhibeat licita sed illicita. Quæ igit̃ sunt illegitima & illicita? num ad defensionem publici iuris confugere, & iudicio cont̃dere? Nequaq̃. Cũ em̃ publica iudicia sint diuinæ ordinationes, bonis in bonũ instit̃tæ, licebit etiã piis bona conscientia subsidio harũ ordinationũ uti, quemadmodum Paulus, electum organon Dei, his sæpenumero usus est, ut testantur Acta Apostolica, sed illegitimum & illicitum est, aduersarium calumniari, sicut aduersarius nos calumniatur, iudicem corrumpere, sicut aduersarius fortasis iudicem pecunia corrupit, peierare, sicut fortasis aduersarius peierauit, magistratum uiolenter opprimere, sicut magistratus nos interdum uiolenter opprimit. Hæc & id genus multa alia in lege Domini prohibita sunt. Non facies, inquit lex, calumniam proximo tuo, nec diri pies eum. Et iterum: Non peierabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui. Ac rursus: Quisquis resistit potestati, ordinatiõi Dei resistit. Proinde cum lex iubet auferenti pallium etiam tunicam permittere, non exigit, ut non utamur diuinis publicorum iudiciorum ordinationibus, sed exigit ut in usu harum ordinationũ non peccemus, non malum aduersario referamus, non iniuriam iniuriæ aduersarii compensemus, ac potius secũdam iniuriam patienter feramus, q̃ ut malum malo uindicemus. Postremo, conant interdũ ꝓximi nostri facultates nostras à nobis auferre petitionibus & obseruationibus. Quomodo ergo in hac nos gerere debemus? Audi Christum ita dicent̃: Omni exigenti (aut petenti) abs te tribue,

Iudicio cont̃dere pro facultatibus nõ est prohibitũ

Petẽtibus est largiendum.

Quid hic noui audio? Si necesse habeo omnibus petentibus meas opes ac facultates tribuere, q̃d mihi tandẽ relinquet̃r? Quid certius mihi eueniet, q̃ egestas, mẽdicitas, & fames? Sed ut hoc dictum Christi recte intelligamus, principio obseruandum est, ꝙ cum alia dicta Christi in hac concione non sint nouæ leges, sed tantum ueteris legis interpretatio, ac explicatio eorum, quæ debent, non solum Christiani, sed omnes homines, qui aut nunc sunt aut olim fuerunt, aut postea crũt, perspicue apparet, ꝙ & hoc dictum: Omni exigenti abs te tribue, non sit noua lex, sed ueteris legis expositio. Nam si hanc ueterem legem explices: Dilige proximum sicut teipsum, inuenies in ea præceptum, ut omni petẽti abs te tribuas. Vnusquisq; em̃ seipsum ita diligit, ut si quã habeat indigentiam & necessitatem, ac inuocet ex ea opem proximi sui, profecto optet sibi à proximo subueniri. Habet igitur secum quisq; legem, quæ iubet ipsum quoq; necessitati & indigentiæ cuiusuis petentis subuenire. Deinde nequaq̃ sentiendum est, ꝙ ex hoc loco statuatur facultatum cõmunio, qualem fingunt Anabaptistæ, sed est diserte de his uerbis loquendum, ne quis imperitus existimet, hic omnem retum statum & ordinem turbari. Primum enim, cum dicitur: Da omni petentite, non mandatur, ut iniusta, iniqua & impia petenti tribuamus. Ethnicorum literæ tradunt, Hortensium petiisse à Catone uxorem ipsius, quo maiorem familiaritatem cum ipso contraheret, ac Catonem non solum non denegasse, sed etiam interfuisse sponsalibus. Quid hac petitione inhonestius? quid & exhibitione turpius? Neq; enim sancta tantum lex Dei, uerumetiam communis sensus hominum turpe lenocinium esse pronunciat, si alter alteri uxorem suam ad stuprum cõmunicet. Deinde, hæc uerba non præcipiunt ea, quæ factu impossibilia sunt, ut si quis petat mille aureos nummos ab eo qui uix decem haberet, aut si quis petat ab alio sibi tribui partem cœlestis firmamenti. Vt petitiones harum rerum sunt impudentes & stultæ, ita impossibile est, ut quod petitur,

Facultatũ cõmunio hic nõ sancitur.

Iniusta non sunt tribuẽda

Impossibilia non sunt petẽda.

De alieno nõ est largiendũ

præstari queat. Adhæc, non præcipiunt, ut aliena tribuas, ut si quis habeat centum aureos nummos, debeat tamen interim creditoribus suis ducentos, aut habeat uxorem & liberos, quibus debet uictum & amictum, huic non mãdatur, ut de alieno liberalis sit, sed ut soluat, quod debet. Præterea, nõ præcipiunt, ut des petenti noxia, pernicioſa & mortifera, ut si quis insanus petat gladium, quo se iugulet, aut infirmus exigat uenenum, quo se cõpendio quodam à dolore uindicet. Postremo nõ præcipiunt, ut des exigẽti non ad necessitatem sed ad uoluptatem, ad sectandum ocium, ad potandum & ludendum. Paulus enim dicit: Si uoluntas prompta est, secundum id quod habet, accepta est, non secundum id quod nõ habet. Non enim ut aliis sit remissio, uobis autem tribulatio, sed ex æqualitate in præsenti tempore, uestra abundantia illorum inopiam suppleat. Habes nũc plura genera petitionũ, quibus non est tribuendũ aut satisfaciendum. Quid ergo sibi uolũt hæc uerba: Omni exigenti abs te tribue, & quid his uerbis mandatur? Vt q̃ breuissime respondeã, corrigitur his uerbis opinio & error uulgi, & præcipue hypocritarum, ac mandat candida & syncera dilectio proximi, ut egentem proximum q̃ liberalissime adiuuemus. Vulgus eñ & hypocritæ existimant se dilectioni proximi egentis satisfacere, si pauperibus partes quasdam panis, aut pauculos aliquot obolos in eleemosynam distribuant. Et cum lex iubeat manipulos quosdam in agro, oliuas in arboribus, & racemos in uineis relinquere aduenæ, pupillo & uiduæ, putabant illi, se egẽtibus omne debitum soluisse, si paucas quasdam reliquias in agris, hortis & uineis ad usum pauperum reponerent. Proinde Christus, ut hanc uanam opinionem ex animis hominum eximat, docet ex hac lege: Diliges proximum tuũ sicut te ipsum, q̃ non satisfactum sit diuinæ uoluntati, si pauca quædam proximo egenti in eleemosynam distribuas, sed quòd requiratur, ut necessitati proximi semper, quoquo modo potes, subuenias, & egentẽ nunquã nõ liberaliter adiuues. Non exigit quidem lex Domini, ut omnes tuas facultates cuiuis obuio exponas. Bibe, inquit Salomon, è fontibus tuis, & tui fontis riuulos bibe, fontes tui foras deriuẽtur, & riui promanent in plateas, at tu Dominus esto horum solus, & non alieni tecũ, hoc est, rem tuam familiarem ita administres, ut tuearis parta, interim tamẽ cum aliis cõmunices. Et Paulus: Non ut aliis, inquit, remissio sit, uobis autẽ tribulatio. Ac mox: Vnusquisq; largiatur secundum propositum cordis, non ex molestia aut ex necessitate. Sed hoc exigit, ut necessitati egentis opem liberalissime & largissime feras. Dices autem: Quæ est illa necessitas, cui subuenire debeo, & quem iudicabo egentem mea ope? Facile animaduerti potest, unde hæc quæstio oriatur, nimirum è corde non admodum spontaneo ad succurrẽdum egenis. Siue enim uerbum Dei iubeat egenis liberaliter dare, siue promittat dantibus multa beneficia, siue minetur negantibus opem egeno magna supplicia, non tamen potest à nobis impetrare, ut candide & simpliciter pauperes adiuuemus. Et quanq̃ interdum extorqueat externum opus, cor tamen semper subtriste est, ac timet ne pauperibus ad uocationem Dei dando, in egestatem coniiciatur. Lex autem Domini non exigit tantum externum opus, uerumetiam exigit cor præditum perfecta fide in Deũ, & absoluta charitate erga proximum. Finis præcepti, inquit Paulus, est charitas ex puro corde & conscientia bona, & fide non simulata. Et iterum: Si insumam in alimoniam (pauperum) omnes facultates meas, charitatem autem non habeam, nihil utilitatis capio. Quid igitur dicemus? Quandoquidem hãc partem legis: Omni exigenti abs te tribue, nunq̃ perfecte impleamus, quid aliud reliquum est, q̃ ut simus obnoxii perpetuæ damnationi? Certe hoc ipsum reliquum est, si nostram iu-

Noxia petenti non præstãda.

Ocioſis & uoluptati deditis non eſt dandum.

Liberalitas in proximum.

Facultates noſtræ non cuiuis exponendæ.

Egenis non libenter largimur.

ſticiam ad

ſticiã ad ipſam legẽ exigamus. Sed Domino Deo noſtro ſint immortales gratiæ, qui donauit nobis unigenitum filium ſuum Ieſum Chriſtũ, quo cum ingentia bene ficia nobis contulit. Primum eñ, quia Chriſtus paſſus eſt pro peccatis noſtris, con donat nobis Deus omnia peccata noſtra, ꝓpter Chriſtũ, ſi credimus in ipſum. Deinde, quia Chriſtus impleuit hãc legem perfectiſsime, donauit nobis Deus in Chriſto impletionem huius legis, ut ſi credimus in Chriſtum, reputemur per fidem coram Deo ita iuſti, perinde ac ſi nos impleuiſsimus eam. Poſtremo donat etiam nobis ſpiritũ ſanctũ ſuum, cuius uirtute queamus eam legis impletionẽ, quam per fidẽ habemus, etiã operibus noſtris inchoare. Spiritus ſanctus aũt docet nos, primũ, ꝙ minime conueniat, ut alienas neceſsitates ſumma curioſitate expendamus, & hoc tantũ iudicemus neceſsitatẽ & indigentiam, ſi anima egeni mox egreſſura, quẽadmodum uulgus loquitur, in dentibus ſedeat, aut frigus nudi corpus cõtrahere incipiat. Hæ ſunt extremæ neceſsitates, quibus etiã impii, ſi poſſunt, ſubueniunt. Sed neceſsitates iudicandæ ſunt ciuiliter, & q̃ poteſt fieri latiſsime. Si eñ nos nimis curioſe perſcrutamur & inquirimus in neceſsitates proximi, quid aliud agimus, q̃ ut præſcribamus Deo, quo & ipſe non ſuccurrat nobis, niſi extrema patiẽtibus? Qui obſtruit, inquit Salomon, aurẽ pauperũ clamori, clamabit ipſe uiciſsim, nec audiet. Deinde adiuuat nos ſpiritus ſanctus, ut ex corde noſtro excutiamus impiam ſollicitudinẽ, qua timemus, ne ſi neceſsitati proximorũ liberaliter ſubueniamus, ad egeſtatẽ & famem redigamur. Excutitur aũt impia ſollicitudo, ꝓmiſsionibus diuinis, ſi fide accipiant. Sunt eñ maximæ promiſsiones, quibus Dñs Deus noſter recepit, ſe liberales in egenos abundantiſsime benedicturũ. In lege dicitur: Quando meſſu eris in agro tuo, & oblitus manipulum reliqueris, non reuerteris ut tollas eum, ſed aduenam & pupillum & uiduam auferre patieris. Quid hinc cõſequetur? nũ illud, ut aliquid opum tuarum tibi pereat? Nequaq̃, ſed ut pro uno aut altero manipulo benedicat tibi Dñs Deus tuus in omni opere manuũ tuarum. Et in pſalmo: Iunior fui, & ſenui, & non uidi iuſtũ derelictum, nec ſemẽ eius quærens panẽ. Tota die miſeret & cõmodat, & ſemen illius in benedictione erit. Et iterũ: Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperẽ, in die mala liberabit eum Dñs. Ac rurſus: Iocundus homo qui miſeretur & commodat, diſponit ſermones ſuos in iudicio, quia in æternũ non cõmouebit. Et mox: Diſperſit dedit pauperibus, iuſticia eius manet in ſeculum ſeculi. Et in prouerbiis Salomonis: Qui liberaliter benedicit, impinguat. Qui inebriat, inebriat. Et iterũ: Fœnerat Dño, qui miſeretur pauperis, & uiciſsitudinẽ ſuam reddet ei. Paulus quoq; ait: Qui ſementẽ facit libenter ac benigne largiẽdo, copioſe meſſurus eſt. Has & alias id genus promiſsiones Dei ponit nobis ſpiritus ſanctus ob oculos, ut in nobis fidem adaugeat, & excutiat impium timorem egeſtatis & famis. Obſequamur ergo, amiciſsimi, uocationi ſpiritus ſancti, & acceptis per fidẽ promiſsionibus Dei, pauperes liberaliter adiuuemus, ut cum defecerimus, recipiant nos in æterna tabernacula, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui eſt unà cum Patre & Spiritu ſancto Deus laudandus in ſecula Amen.

Neceſsitates proximi non curioſe expendendæ.

Sollicitudo impia & metus egeſtatis excutiendus.

HOMILIA LIX.

HActenus explicuit Chriſtus aliquot leges, quibus docemur, quãtum debemus proximo noſtro, & mox explicabit eas copioſius. Sed prius q̃ pergat, interponit breuem ſententiolam, qua comprehendit ſummã oĩm legũ & expoſitionũ eaꝝ. Omnino eñ hoc agit, tã pluribus q̃ breuibus uerbis, ut cognoſca

mus uim legis,& cognitione legis ad agnitionẽ peccatorũ neſtrorũ ducamur,quo maiori deſiderio ad gratiã Euangelii adſpiremus. Quare hæc uerba Chriſti tanto diligentius nobis obſeruanda ſunt, quanto ardentius uiam ad ueram noſtram ſalutem ſcire deſideramus. Prout,inquit,uultis ut faciant uobis hoïes,uos quoq; facite illis ſimiliter. Hæc ſententiola,etſi breuiſsima ſit,cõprehendit tamen in ſe, quicquid unq̃ uel lex Moſi,uel prophetæ,uel Chriſtus,uel Apoſtoli,uel iuris cõſulti,uel philoſophi de mutuis hoïm inter ſe officiis docuerunt & ſcripſerunt. Effertur aũt hæc aliàs aliter. Moſe ſic effert: Dilige proximũ tuũ ſicut teipſum, quod certe nihil aliud eſt,q̃ quod hic dicit: Prout uultis ut faciãt uobis hoïes, uos quoq; facite illis ſimiliter. Apud Matthæũ Chriſtus ita ait: Omnia quæcunq; uolueritis ut faciant uobis hoïes,ſic & uos facite illis. Hæc eñ eſt lex & pphetæ. Paulus uero ad Romanos ſcribens ſic dicit: Qui diligit alterũ,legẽ expleuit. Et: Cõſummatio legis eſt dilectio. Hæc omnia idem ſignificant, ac breuiſsime docent, quicquid officiorum proximo noſtro debeamus. Cæterum,hæc γνώμη: pro ut uultis ut faciãt uobis homines, uos quoq; facite illis ſimiliter, magna animi gratitudine excipienda & conſeruanda eſt. Primum eñ,ſunt nõnulli memoriæ tam fluxæ,ut in lege Dñi nõ poſſint magnum ueſtuũ numerũ retinere. Alii tot negociis occupati ſunt, ut nõ uacet ipſis multos libros euoluere. Horũ igit oïm utilitati in hoc conſulit, ꝙ proponit ipſis tale cõpendium,in quo,tanq̃ in paruo quodam faſciculo,breuiſsimis & optime memorabilibus uerbis ſumma oïm legum,quæ de mutuis hoïm inter ſe officiis docent,comprehendit. Deinde ſunt alii,qui prorſus ignorant literas, alii aut ſunt certis officiis ita addicti,ut non liceat ipſis ad conquirendos doctores legum & uirtutum ad exteras nationes peregrinari, & ut Moſe dicit, transfretare mare, aut uiribus ita deſtituti ſunt,ut etiamſi uelint, non poſsint peregrinos legum magiſtros & præceptores ſectari, id quod multi gentium philoſophi fecerunt. His ergo in hac breui epitoma probe conſulit, propterea ꝙ in ea cõſtituuntur nobis in doctores & præceptores uirtutum,non numeroſa legũ uolumina, non philoſophi quidã aut Rabini ultramirini,ſed cõſtituit nobis doctor & cõcionator planè domeſticus,qui nobis ſemꝑ indiuiduus comes eſt,nimirũ,noſter animus & uolũtas. Prout VVLTIS (inquit) ut uobis faciant hoïes. Et: Omnia quæcunq; uolueritis,ut faciãt uobis hoïes. Audin' non extraneũ quendã doctorẽ aut iureconſultũ,ſed internũ & domeſticũ nobis ꝓponi,uidelicet,uoluntatẽ noſtrã,quæ nobis eſt doctrina & exẽplar, è quo oïa genera officiorũ,quæ ꝓximo debemus,diſcere poſſumus. Hæc igit breuis ſentẽcia,magna gratiarũ actione excipienda,& altiſsima mẽte reponẽda eſt. Quid ergo? nihil ne aliud officiorũ aut uirtutũ in lege diuina & ꝓphetis nobis præcipit, q̃ ut quæcunq; uoluerimus,ut faciant nobis hoïes,ſic & nos faciamus illis? Vbi ergo relinquit,id quod in prima tebula Moſi de fide in unũ Deũ, de ueneratione nõminis Dei, deq; aliis id genus officiis, quæ Deo ꝓſtare debemus,præcipitur? Vbi manet Euangelion de Ieſu Chriſto, quòd credendum ſit nos propter ſolum Chriſtum per fidẽ habere peccatorũ remiſsionem? Vt reſpondeam,obſeruandũ eſt,ꝙ duplex ſit prædicatio,altera legis,altera Euangelii de Ieſu Chriſto, quorum unaquæq; ſua habet compendia. Ac Euangelii quidẽ cõpendium eſt: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Prædicatio autem legis continetur in duabus tabulis Moſi tanq̃ in epitoma. Harum prior præcipit de officiis, quæ debemus Deo. Et ſunt illa: Non habebis alienos deos coram me, Non aſſumes nomẽ Dei tui in uanum. Et, Sabbata ſanctifices. Habet & hæc tabula ſuum compendium, uidelicet: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Poſterior tabula præcipit de officiis, quæ debemus proximo, & ſunt illa,quæ in decalogo poſt præceptum de ſanctificatiõe ſabbati ſequũtur. Hæc

Legum omnium de mutuis hominum officijs ſumma.

Voluntas noſtra eſt nobis præceptor uirtutum.

Euangelij cõpendium.

Legis epitome.

ergo ſententia, prout uultis ut faciant uobis homines, ſic & uos facite illis, non eſt epitome uel Euangelii de Chriſto, uel prioris tabulæ Moſi, ſed tantum poſterioris tabulæ, quæ præcipit de charitate proximi. Et cum Chriſtus dicit, hanc ſententiam eſſe legem & prophetas, nõ ſentit ipſam continere omnia quæ in lege & prophetis ſimpliciter docent, ſed ea tantum, quæ in his de charitate proximi & de mutuis inter nos homines officiis docentur. Sic & Paulus cum ait, dilectionem eſſe conſummationem legis, intelligit eam legem quæ de charitate proximi præcipit, in quo ſolo argumẽto & Chriſtus in hoc ſuæ cõcionis loco, & Paulus in decimo tertio capite ad Roma. uerſantur. Nam ꝙ hæc ſententia tantum ſit compendium eatum legum, quæ de charitate erga proximum præcipiunt, teſtatur & interpretatur ipſe Paulus, ita dicens: Qui diligit alterum, legem expleuit. Siquidẽ illa: Non adulterabis, non occides, non furaberis, non falſum teſtimonium dices, non concupiſces, & ſi quod aliud præceptum in hoc ſermone ſummatim cõprehenditur, nempe: diliges proximum tuum ſicut teipſum. Iam & ipſa huius ſententiæ uerba ſatis perſpicue indicant, ꝙ hic tantum mentio fiat de iis officiis, non quæ homines debent Domino Deo noſtro, ſed quæ hoïes debent hoïbus, proximis ſuis. Vos, inquit, facite hoïbus, prout uultis ut homines faciant uobis. Quid ergo uolunt hoïes ut ſibi fiat? Primum, ſi quis neceſsitate egeſtatis laborat, & fame, ſiti, ac frigore cruciatur, profecto ipſo naturæ ductu uult & optat, ut ſibi petenti ſubueniatur, ſiue ab amico, ſiue ab inimico. Hæc ergo uolũtas & optio, lex & regula eſt, quæ monet, ut ipſe, pximo ſuo ſiue amico ſiue inimico, egeſtate aut fame laboranti, bñuolenter & humaniter ſubueniat, & omnem cordis ſui amaritudinẽ abiiciat. Deinde nemo eſt, qui uelit iniuria ab altero affici, aut ſi quis alterum iniuria afficiat, certe nec uult nec optat, ut iniuria ipſi ab altero referatur. Habet igitur unusquisque ſecum concionatorem, qui docet, quòd ipſe nec alteri iniuriam inferre, nec illatam iniuriam referre debeat. Ex his duo ueniunt obſeruatu digniſsima. Alterum, quòd his paucis uerbis: Prout uultis ut faciant uobis homines, uos quoq; facite illis ſimiliter, comprehenduntur oĩa ea quæ Chriſtus in hac concione de officiis mutuæ charitatis, de diligendis inimicis, de non referendis iniuriis, & de id genus aliis rebus docuit, ac mox copioſius docturus eſt. Nam quod dicit: Diligite inimicos ueſtros, benefacite his qui uos oderunt, percutienti te in maxillam præbe & alteram. Omni exigẽti abs te tribue. Ab eo qui aufert quæ tua ſunt, ne repoſcas, & ſi quod aliud ꝑceptũ his ſimile eſt, ſi recte intelligas, quemadmodum ante interpretati ſumus, nihil aliud eſt, q̃ quod paucis his uerbis effert: Prout uultis ut faciant uobis homines, uos quoq; facite illis. Alterum obſeruatu dignũ eſt, ꝙ cum hæc ſentẽcia non ſit noua lex aut doctrina, quæ tẽpore primũ Chriſti excogitata ſit, ſed lex ſit naturæ, ac naturali rationi iam inde ab initio humanæ cõditionis diuinitus inſculpta, manifeſtũ etiam eſt, ꝙ nec illa noua lex ſunt, quæ Chriſtus hactenus de officiis charitatis docuit, & in hac ſentẽcia ſummatim comprehenduntur, uidelicet, diligendũ eſſe inimicũ, bñfaciendũ malefactori, omni petenti dandũ, auferenti palliũ etiã tunicã relinquẽdam, & multa alia his ſimilia. Quare ita ſentiendũ eſt, ꝙ Chriſtus in hac concione nõ agat nouũ legiſlatorẽ, quẽadmodũ multi errant, ſed agat ueteris legis interpretẽ, ut oſtendat nobis magnitudinẽ debitoꝝ noſtrorũ, quo, ſi non ſimus ſoluẽdo, ab ipſo remiſsionẽ debitorũ petamus. Sed ut ad κανόνα noſtram, quã nunc tractamus, reuertar, obſtrepet hic mihi quiſpiam: Quid? Si lex exigit, ut quod nobis fieri uolumus, alteri faciamus, quæ turba erit in rebus humanis, ſi huic legi obſequamur? Nullus iudex pnunciabit aduerſus furẽ, latronem aut alium ſceleratũ ſenten

Secundæ tabulæ decalogi compendium

Voluntas & optio omniũ hominum.

Chriſtus ueteris legis interpres.

elã. Cogitabit eñ ſecũ: Si ego ipſe eſſem huic ſceleri obnoxius, & ſtarem in iudicio, optaré, ut iudex me liberũ dimitteret, dimittã igiť & ego alterũ. Nullus ꝓterea princeps manebit in ſua uocatione & principatus adminiſtratione. Nullus ciuis retinebit domũ & agros ſuos. Vnusquiſq; eñ, ſi uult huic legi obſequi, cogitabit ſecũ, ego optarim, ut alius mihi è ſuo principatu, aut agris cederet, quare & ego neceſſe habeo alteri cedere. Quæ hæc erit reꝑ & oĩm legitimarũ uocationũ ac functionũ confuſio, ſi quod cogitatione uolutať, & uerbis efferť, ipſis operibus perficiaťr? Reſpõdeo Cum diciť: Omnia quæcunq; uolueritis, ut faciant uobis hoĩes, nõ intelligendũ eſt de uoluntate noſtra corrupta, iniqua, iniuſta, illegitima, & de concupiſcẽtia mala, ſed de uoluntate recta, legitima, & neceſſitati naturæ ac uerbo Dñi conſentiente. Nam cum iudex uult, ut ſi ipſe in furto deprehendatur, liber & impunis dimittať, non habet uoluntaté legi Dei conuenienté, quare nec ſecundũ hanc uoluntaté de altero fure iudicare & ꝓnũciare debet. Et princeps aut ciuis, ſi cupiat alterius principatũ aut agros, eos nimirum, ad quos nullũ legitimũ ius habet, nõ habet uolũtatẽ iuſtã, ſed habet malã concupiſcentiã, cõtra hanc legem Dei: Non concupiſcesrem alterus. Proinde non requiriť ab ipſo, ut ſine legitima & diuina cauſſa alteri è principatu aut agris ſuis cedat, & uocationem ſuã relinquat, ſed hoc requiriť, ut malam & illegitimam alienæ rei cõcupiſcentiã abiiciat, & uocationi ſuæ diligenter ſeruiat. Recta aũt & legitima, ac neceſsitati naturæ & uerbo Dñi cõueniẽs uolũtas eſt, ſi quis egeſtate & fame oppreſſus cupiat opẽ & auxiliũ, ſi quis nolit ab altero lædi, ſi uelit ſibi in neceſsitate benefieri, ſiue ab amico ſiue ab inimico. Verbum eñ Dñi præcipit, ut egeſtate oppreſſo ſubueniať, ut nullus alterũ lædat, ut alter alteri bene faciat. Quæcunq; igiť iuxta hanc rectã, iuſtã & legitimã uoluntatẽ uoluerimus ut faciant nobis hoĩes, ea naturæ lex requirit, ut & nos faciamus hoĩbus. Sed hic mihi uide, quã peruerſum ſit ingeniũ humanũ, & quàm inique in malũ eo abutať, quod ipſi in bonũ propoſitũ eſt. Nam cũ hæc breuis ſentẽcia: Pro ut uultis ut faciant uobis hoĩes, uos quoq; facite illis, tractať, & doceť ꝙ in ipſa cõprehendantur oẽs leges, & quòd ipſa ſit domeſtica noſtra biblia, & cõcionator, è quo diſcere queamus, quid officiorũ hoĩes ſibi mutuo præſtare debeant, continuo inepti quidã hoĩes faſtidiũt tam bonarũ literarũ quã ſacrarũ concionũ cõcipiunt. Quid, inquiũt, ꝓſunt mihi literæ? qd cõciones? En pauciſsimis uerbis cõprehenſum teneo, quicqd uſpiã literæ tradũt, & mecũ ipſe habeo cõcionatoré, qui me qd rectũ, quid ſecus ſit doceat. Quid ergo neceſſe habeo multã operã literis dare, & ſacras conciones audire? Sed audi tu uiciſsim & agnoſce, quòd etſi hoc cõpendium tibi probe notũ ſit, multa tñ adhuc deſint, quæ in literis & cõcionibus diſcẽda ſunt. Primũ eñ, hæc ſententia cõpendiũ tñ eſt poſterioris tabulæ Moſi, quæ ꝓcipit de officiis mutuæ charitatis inter hoĩes, quemadmodũ ſupra oſtẽdimus. Non ſolũ aũt ea ſciẽda ſunt, quæ homo homini debet, ſed maxime oĩm ea, quæ homo Dño Deo ſuo debet, de qbus prior tabula Moſi ꝓcipit. Quare hæc tũ è diuinis literis tũ è ſacris concionibus cognoſcẽda ſunt. Deinde etiãſi hæc uerba: Prout uultis ut faciant uobis hoĩes, uos quoq; facite illis, numerare ſcias, ingenii tñ tarditate fieri poteſt, ut uim eorũ non pfecte aſequaris. Nam cũ tot excellentes uiri tã in populo Dei, ut Moſe, ꝓphetæ, Chriſtus, Apoſtoli, & alii doctores in eccleſia, quàm in populo à Deo alieno, ut ſunt ueteres gentilium poetæ & philoſophi, in explicanda hac naturæ lege ſudauerint, ingens argumentum eſt, ſenſum huius legis non cuiuis obuium eſſe. Iam finge hominem tam ſapientem inueniri, qui perfectam habeat huius legis cognitionem, num quia ingenio cognoſcit, quid rectũ, quid ſecus, ideo re ipſa etiam præſtabit & opere com

Voluntas noſtra ſit recta & iuſta.

Contẽptus ſacrarũ literarũ & concionũ.

Legem naturæ nemo ſatis intellexit, nedum obſeruauit.

opere complebit? At si rem probe perpenderis, profecto inuenies, q̃ quanto maiorem quis & excellentiorem cognitionem huius legis naturæ habuerit, tanto plura & maiora peccata se habere agnoscat, & quo perfectius sciat, quid hac lege continea tur, eo imperfectiotem se sentiat, ad perficienda ea quæ ab ipso exiguntur. Quis enim unquã alteri perfecta in omnibus rebus charitate præstitit, quod sibi ab altero præstari uoluit? Quis unquam proximum suũ tanto charitatis feruore complexus est, quanto seipsum? Imo, cui tantæ sunt uires naturæ suæ, ut, si maxime uellet, ea amoris uehemẽtia & synceritate proximum diligere posset, qua seipsum diligit? Profecto id in natura nostra hæret, quod ille ait, proximus egomet sum mihi. Maledictus autem omnis, qui non manserit in omnibus, quæ in hac lege cõtinentur, ut faciat ea. Quare, quo quis certius sentẽciam huius legis intelligit, eo perspicatius sua ipsius peccata, maledictionem & damnationem uidet. Dabo ergo (inquies) operam, ut de hac lege nihil intelligam, ne meam ipsius miseriã sentiam? Indigna res. Ante nimis declinabas ad dextram, nunc nimis declinas ad sinistrã. Prius iactabas te ex hac sententia omnia scire, & nec literarũ nec concionum egere, nunc prorsus nihil uis scire. Quid tibi faciam? At non hoc agitur, ut stupidus has, & uim legis nõ diligenter perscruteris. Etsi enim tu cessaueris, non tamen cessabit iudiciũ Domini Dei nostri, uim legis & sensum peccatorũ ac damnationis suo tibi tẽpore incutere: sed hoc agitur, ut intelligas, tantum abesse, ut cognitio breuis huius sentẽciolæ ab audienda cõcione Euangelii te abducat, ut potius inuitet, hortetur, & cogat ad se standã Euangelii cõcionem, in qua discas, quomodo à peccatis hac lege cognitis liberearis, & ueram salutem adipiscaris. Euangelion enim de Iesu Christo docet, q̃ Christus expiauerit sanguine suo peccata nostra, & placauerit nobis patrẽ cœlestẽ, ut quotquot in Christũ credunt, reputentur coram Deo iusti per fidem, & donent spiritu sancto, cuius uirtute possint fidem suam operibus huius legis utcunq; testari, & se gratos erga Dominum Deum suum ac obedientes ostendere. Audiendũ igitur est Euangelion de Iesu Christo, ut ex auditu fidem cõcipias, ex fide, iusticiam & spiritum sanctũ accipias, & ex spiritu sancto, Deo iuxta legem suã obedias. Sed quid? Si omnia ad salutẽ necessaria cognoueris, primum quidem, compendiũ prioris tabulæ Mosi, quod est: Diliges Dñm Deum tuũ ex toto corde tuo, deinde compendium posterioris tabulæ: Diliges proximũ tuum sicut teipsum, aut hoc: Pro ut uultis ut uobis faciant homines, uos quoq; facite illis, postremo etiam compendium Euangelii de Iesu Christo: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi, & intelligas hæc omnia exactissime & perfectissime, num propterea existimabis tibi impune esse, sacras conciones fastidire & negligere? Aduersarius noster diabolus obambulat tanquam leo rugiens, quærens quem deuoret, & tu securus sternes? Et Paulus: Caro, inquit, concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem. Hæ autem inter se mutuo aduersantur, ut non quæcunque uolueritis, eadem faciatis. Et iterum: Non est nobis lucta aduersus sanguinem & carnem, sed aduersus principatus, aduersus potestates, aduersus mundi dominos, rectores tenebrarum seculi huius, aduersus spirituales astucias in cœlestibus. Et in hac lucta ut alius aliter affectus est, ita alius alio genere auxilii spiritus sancti indiget. Hic cessator est, & indiget exhortatione, ille infirmus est, & indiget confirmatione, hic mœstus est & anxius, & eget consolatione, ille dubius est & desperabundus, & eget certificatione, hic ἐμφάσεως est, & opus habet renocatione, ille firmus est, & opus habet cõseruatione. Breuiter, nullus est, qui in hac spirituali pugna non indigeat aliquo genere auxilii

Concionis Euangelij usus.

Conciones sacræ non negligendæ.

Spiritus sanctus efficax per uerbũ.

spiritus sancti. Est autem spiritus sanctus efficax per prædicationẽ uerbi Dei, & Euangelii de Iesu Christo. Quare, etsi habeas exactam legis & Euangelii cognitionem, tamen si saluti tuæ probe consulere uolueris, necesse habebis sacras cõciones, quantum potes, consectari, ut spiritus sanctus porrigat tibi per eas arma, quibus Satanæ resistere, & in uera fide consistere queas, per Dominum nostrum Iesum Christum, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus laudandus in secula Amen.

HOMILIA. LX.



T si Christus antea satis perspicue interpretatus sit hanc legem: Diliges proximũ tuũ sicut teipsum, uidelicet, q̃ hæc lex non iubeat tantũ amicum diligere, & amico benefacere, sed etiam inimicũ diligere & inimico benefacere, attamẽ repetit nunc interpretationẽ eius, & confert inter se eas dilectiones, quæ in hac lege mandatæ sunt, ut ex collatiõe uera huius legis sentẽcia nobis certius inculcet. Et ait: Si diligitis eos, qui uos diligunt, quæ uobis est gratia? Nam & peccatores eos, à quibus diligunt, diligunt. Et si benefeceritis his qui uobis faciunt, quæ uobis est gratia? Siquidẽ & peccatores hoc faciunt. Et si mutuũ dederitis his, à quibus speratis uos recepturos, quæ gratia est uobis? Nam & peccatores peccatoribus dant mutuũ, ut recipiant paria. Quinimo diligite inimicos uestros, & benefacite, & mutuũ date, nihil indesperãtes. Et erit merces uestra multa, & eritis filii altissimi, quia ipse benignus est erga ingratos & malos. Estote ergo misericordes, sicut & pater uester misericors est. Principio, obseruandũ est, q̃ in expositiõe huius legis: Diliges proximũ tuũ sicut teipsum, uarie errari soleat. Sunt emm̃, qui existimant huic legi satis factũ, si amico benefaciamus, nec aliã iusticiam hac lege requiri, quemadmodũ etiã supra ostendimus. Sunt alii, qui negligunt externã & ciuilẽ iusticiam, ac exuunt omnes humanos affectus, quos amicus amico debet, somniantes interim se spiritualẽ iusticiam

Anachoritarum stulticia

sectari, quales fuerunt quondam Anachoritæ quidã, quorũ alii suos ipsorũ parẽtes, ne aspicere quidẽ, etiã lachrymis rogati uolebãt, alii ut declararẽt, se nullo propinquorũ suorũ affectu teneri, sed iam in spiritu absorptos esse, proiiciebãt suos ipsorũ

Anabaptistarũ impietas.

liberos in flumina. Quales etiã sunt hoc nostro tẽpore Anabaptistæ quidã, qui uxorem & liberos deserunt, & amicos, qui pro salute ipsorũ fidem fecerunt, in discrimen capitis perfida sua fuga cõiiciunt, interim tamen gloriantẽ se perfectã iusticiam sectari, & pro inimicis etiã ac persecutoribus suis orare. Itaq; alii in expositiõe legis de dilectione proximi nimis ad dextrã, alii nimis ad sinistrã aberrãt. Christus aũt concionatẽ hoc loco de duplici iusticia, & docet utramq; à lege requiri. Altera est ciuilis, altera spiritualis. Ciuilis est, q̃ cõstat inter amicos, ut diligere amicũ, bene facere amico, mutuũ dare ei, qui potest restituere. Quam iusticiã ueteres sic explicarũt. Manus manũ lauat. Par pari refert. De hac Christus ita ait: Si diligitis eos qui uos diligũt, q̃ uobis est gratia? Nã & peccatores eos à quibus diliguntẽ, diligũt. Et si benefeceritis his, q̃ uobis benefaciũt q̃ uobis est gratia, aut quod præmiũ habetis? Siquidẽ & pãõres hoc faciunt. Et si mutuũ dederitis his, à quibus speratis uos recepturos, quid eximiũ facitis? Nõne & publicani sic faciũt? Quid? dãnat ne Christus & reiicit iusticiã ciuilẽ, qua benefit amico & benemerẽti? Nulla ne est gratia aut præmiũ his, qui amicis & benefactoribus benefaciũt? Et si opera peccatorũ ac publicanorũ fugiẽda sunt, peccatores autem & publicani hanc ciuilẽ iusticiam sectãtur, significat ne Christus his uerbis

Iusticia duplex.

Guatter uberdenzaun, Guatter uuider heruber.

his uerbis iusticiam hanc fugiendam esse? Nequaq̃ damnat eam, nec docet fugiendam, sed cõfert eam cum altera profectiori iusticia, & ostendit, q̃ ciuilis iusticia nõ sola à lege exigatur, sed q̃ etiam alia iusticia multo præstantior & perfectior à lege requiratur. Ac ciuilis quidem iusticia collata cum altera & perfectiori iusticia, non magnam habet præ ea dignitatem, aut ut Christus ait, gratiam & præmium, per se tamen considerata, tantum abest ut reiicienda ueniat, ut potius sit illustris uirtus, necessario sectanda. Etenim, quemadmodum, si stannum conferatur argento, aut æs auro, præponitur quidem argentum stanno, & aurum æri, nihilominus tamen stannum & æs per se non sunt uilia & contemnenda metalla, ita in comparatione ciuilis & spiritualis (sic enim uocare libet) iusticiæ, longe superat ciuilem spiritualis, attamen iusticia ciuilis per se magna est uirtus, & non mediocri cõmẽdatione digna. In lege dicitur: Honora patrem & matrem, ut longe uiuas tempore. Hic præcipitur iusticia ciuilis. Honorare. n. parentes, quid aliud est q̃ benefacere benefactoribus? quod etsi cõmune sit cum peccatoribus & publicanis, habet tamen suam gratiã & præmiũ. Vt longo, inquit lex, tempore uiuas. Et ueteres dixerunt, gratitudinem erga benefactores uirtutem esse honestissimam, ac conseruare concordiam humani generis, contra, ingratitudinem uicium esse turpissimum. Vnde & Paulus, inter eos, qui traditi sunt à Deo in reprobam mentem, numerat etiam ἀστόργους, in quo genere continentur etiam ingrati, qui humanos affectus adeo exuerunt, ut ne benefactoribus quidem benefaciant. Quare etsi iusticia ciuilis, ad præstantiorem iusticiã comparata, non magnam habeat dignitatem, propterea q̃ sit uulgaris & communis cum peccatoribus & publicanis, attamen per se est egregia uirtus, & exigitur à lege, ac necessario præstanda est, & qui eam negligit, is est infidelibus, peccatoribus, publicanis & ethnicis deterior. In hac autem lege: Diliges proximum tuum, sicut teipsum, non solũ requiritur ciuilis iusticia, quæ est diligere amicũ, benefacere benefactori, & mutuũ dare, ut recipias paria, uerum etiã requiritur longe excellentior iusticia, quam uocamus spiritualẽ, uidelicet, diligere inimicũ, benefacere malefactori, & mutuũ dare, ac nihil inde sperare. Vnde Christus addit: Quinimo diligite inimicos uestros, & benefacite, & mutuũ date, nihil inde sperantes. Supra enim ostendimus, noĩe proximi non tantũ amicum, sed etiam inimicũ intelligendũ esse. Et cũ lex naturalis requirat, ut omnia quæcunq̃ uolumus ut nobis faciant hoies, sic & nos faciamus illis, necessario consequit̃, ut proximũ nostrum egenum & pauperem ita diligamus, ut pro uirili nostra indigãtiæ eius subueniamus, & nulla spe recipiẽdi mutuũ demus. Siquidẽ nos egeni & pauperes idẽ ab ipso, oĩm rege abundãti, expectaremus. Cæterũ, hic charitatis affectus erga proximũ nostrũ seu amicũ seu inimicũ, nõ frigidus, nõ tepidus, sed omnino feruidissimus, ac perfectissimus, & planè talis requirit̃, qualis est affectus Dei patris erga nos homines. Vnde addit Christus: Estote, inquians, misericordes, sicut & pater uester misericors est. Et aliàs: Estote perfecti, quẽadmodũ pater uester, qui est in cœlis, perfectus est. Quomodo ergo Deus est misericors? Ioãnes Apostolus in prima epistola sua, cap. 4. ita ait: Deus, charitas est. Non dicit: Deus diligit nos, aut habet nos homioes charos, sed, Deus est ipsa dilectio seu charitas. Qua uoce significat, diligere hoies & benefacere eis, nõ esse accidentariũ ac ignauũ quendã affectũ in Deo, sed ipsissimã esse naturã Dei, uidelicet, q̃ Dñs Deus noster, natura sua hoc unũ agat, ut diligat hoies & benefaciat ipsis. Tã etsi. n. interdum puniat & affligat hoies, & uideat̃ hoĩbus malefacere, hoc tñ est alienum ab ipso opus, interim assumptũ, quo ceu organo ad naturale & propriũ suũ opus, quod est benefacere, pueniat. Sic. n. Esaias dicit: Sicut in ualde Gibeon irascetur

Iusticiam ciuilem non damnat Christus.

Iusticia ciuilis per se eximia uirtus & necessaria.

Iusticia spiritualis.

Charitatis affectus erga proximũ debet esse feruidissimus.

Misericordia Dei erga nos

Dei opus primum benefacere.

Dominus, ut faciat opus suum, alienum est opus eius, ut operetur opus suum, peregrinum est opus eius ab eo. Benefacere autem, hoc demum est proprium & naturale opus Domini. Ira, inquit psalmus, in indignatione eius, & uita in uoluntate eius. Et apud Ezechielem: Numquid uoluntatis meæ est, mors impii, dicit Dominus, & non ut conuertatur à uiis suis & uiuat? Et Micheas: Non immittet, inquit, ultra furorem suum, quoniam uolens misericordiam est. Nec uerbis tantum scripturæ, sed etiam reipsa declarat Deus charitatem & beneficentiam erga homines esse naturã suam. Primum, quia, ut Christus ait, benignus est erga ingratos & malos, uel, ut in Matthæo dicitur, finit solem suum oriri super malos ac bonos, & pluuiam mittit super iustos & iniustos. Hoc est argumentum maximæ in Deo charitatis & beneficentiæ erga homines. Vt enim nihil dicam de auaris, maledicis, scortatoribus, adulteris, & id genus aliis, qui quouis momento legem Dei uiolant, quot putas esse homines, qui nullo non tempore aduersus Deum murmurant, Deũ blasphemant, Deum iniustum & iniquum iudicant, imo nullum omnino Deum esse putant? Dixit enim insipiens in corde suo, non est Deus. Et hos homines sexcentis fulminibus & infernis dignos tam patienter tolerat Dominus Deus noster, ut etiam ingẽtibus beneficiis eos afficiat. Tribuit eis uitam, & omnia ad uitam necessaria. Filii eorũ sicut nouellæ plantationes in iuuentute sua. Filiæ eorum compositæ, circumornatæ ut similitudo templi. Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud. Oues eorum fœtosæ abundantes in egressibus suis, boues eorum crassæ. Non est ruina maceriæ, neq; transitus, neq; clamor in plateis eorum. Qui possibile esset, ut impii homines tantis beneficiis afficerentur à Deo, nisi Deus natura sua misericors & benignus esset? Deinde, in hoc potissimum apparuit charitas Dei in nobis, quemadmodum Ioannes ait, non q̃ nos dilexerimus Deum, sed q̃ ipse dilexerit nos, & miserit filium suum propiciationẽ pro peccatis nostris. Et, ut Paulus scribit, in hoc commendat Deus charitatem suam erga nos, q̃ cum adhuc essemus impii, peccatores, & inimici, Christus pro nobis mortuus est. Vnigenitum autem & innocentem filiũ suum pro inimicis & impiis tradere in mortem, ut seruentur, profecto non est simpliciter diligere, sed est ipsam dilectionem & charitatem esse. Cum igitur præcipit nobis, ut simus misericordes & benefici erga proximos nostros, sicut & pater noster misericors est, perspicue requiritur, ut plane diuinum charitatis affectũ erga proximum nostrum habeamus, & tanto dilectionis ardore ipsum complectamur, ut noctes atq; dies nihil aliud cogitemus & agamus, q̃ ut siue amico siue inimico benefaciamus. Nec nouum est, quod hoc loco exigitur. Nam cum in lege dicitur: Sancti estote, quia ego sanctus sum Dominus Deus uester. Et iterum: Filii estote Domini Dei uestri, certe eadem plane puritas, synceritas, iusticia, & sanctitas à nobis in lege exigitur, quæ est in Domino Deo nostro. Quid autẽ gratiæ ex hac dilectione proximi consequemur? quid mercedis ex tanto opere reportabimus? Erit (inquit Christus) merces uestra multa, & eritis filii altissimi. Si autem filii, ergo & hæredes omnium diuinorum bonorum. Quid hic noui audio? meremur ne bonis nostris operibus mercedem cœlestem, ut simus filii & hæredes Dei? Quomodo ergo Paulus dicit: Ex operibus legis non iustificatur omnis caro in conspectu eius? Et iterũ: Quot quot sunt ex operibus legis, execrationi sunt obnoxii. Ac Christus: Cum omnia, inquit, feceritis, dicite serui inutiles sumus? Si ex operibus legis non iustificamur, & sumus serui inutiles, etiamsi omnia fecerimus, quomodo possumus bonis operibus mereri hæreditatem cœlestem, & uitam æternam? Vt in hoc negocio recte sentiamus, probe nobis animaduertendum est, quod Paulus ad Romanos scribit: Lex ipsa quidẽ

Charitatis Dei in nos testimonia.

Dilectionis merces.

Bonorum operum meritũ.

ipſa quidem, inquiens, ſancta, & præceptũ ſanctum ac iuſtum & bonũ, inſtitutumq; ad uitam, ſed peccatũ occaſione accepta per præceptum decepit me, & per illud occidit. Ac lex ſpiritualis eſt, ego aũt carnalis ſum, uenditus ſub peccatũ. Ex his uerbis Pauli diſcendum eſt, de operibus legis diſerte loqui. Aliud enim eſt, ſi loquamur de operibus legis, quatenus ab ipſa lege præcipiunt. Aliud eſt, ſi loquamur de operibus legis, quatenus ab hoĩbus fiunt. Nam ſi ipſa legis opera conſideres, prout in lege præcipiuntur, manifeſtũ eſt, q̃ quemadmodũ ipſa lex Dei tota ſancta eſt & perfecta, ita non niſi tota ſancta & perfecta opera præcipit, quæ, ſi ita fierent, mererentur profecto dignitate ſua præmiũ æternæ uitæ & fœlicitatis. Quod enim maius, ſanctius, diuinius, & perfectius opus eſt, q̃ quod in hac legis epitoma præcipitur: Diliges Dñm Deum tuũ ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua, & diliges proximũ tuum ſicut teipſum: Hoc certe opus, quantũ ab ipſa lege exigit, tantũ eſt, ut ſit dignũ mercede ſempiternæ fœlicitatis. Vnde & lex in Leuitico dicit: Cuſtodite leges meas atq; iudicia, quæ faciens homo uiuet in eis. Et in Deuteronomio: Teſtes inuoco hodie cœlũ & terram, q̃ propoſuerim uobis uitã & bonum, benedictionem & maledictionẽ. Benedictionẽ, ſi obedieritis mandatis Dñi Dei ueſtri, maledictionẽ, ſi non obedieritis. Et in Euangelio, cum interrogaretur Chriſtus à legisperito, quid faciendo cõſequeretur uitam æternam, reſpondit: Si uis ad uitã ingredi, ſerua mandata Dei. Et Paulus: Gloria, & honor & pax omni operanti bonum. Ac mox: Non qui audiunt legẽ, iuſti ſunt apud Deum, ſed qui legem factis exprimunt, iuſti habebunt. Et iterum: Pietas ad omnia utilis eſt, ut quæ promiſsiões habeat uitæ præſentis ac futuræ. Ex his & multis aliis locis ſcripturæ perſpicuũ eſt, q̃ opera legis, quatenus à lege præcipiunt, tã ſancta & perfecta ſunt, ut ſi ita fiant, mereantur uitam æternã. Quare Chriſtus recte ait, q̃ merces noſtra multa ſit, ſi inimicos diligamus, & eis benefaciamus, hoc eſt, ſi legẽ Dei perfecte, & abſolute prout præcepta eſt, impleamus. Sed ſi cõſideras opera legis, quatenus ab hominibus fiunt, perſpicuum eſt, q̃ nulla ſint opera hominum tam bona & iuſta, ut mereantur dignitate ſua gratiam Dei & uitam æternam. Omnes enim homines ſunt in peccatis concepti & nati, ac ſub peccatum ita uenditi, ut etiam poſtea ſpiritu renati, non quæcunq; uelint faciant. Lex, inquit Paulus, ſpiritualis eſt, at ego carnalis ſum, uenditus ſub peccatum. Quod enim ago non probo. Non enim quod uolo, hoc facio, ſed quod odi, hoc ago. Hoc igitur peccatum, quod in carne noſtra habitat, non ſinit bona noſtra opera ex omni parte perfecta & ſancta eſſe. Si autem non ſunt perfecte ſancta, & habent in ſe aliquid uicii, certe tantum abeſt ut impleant legem, & mereantur uitam æternam, ut potius, ſi ſeuere de ipſorum ratione è lege iudicetur, maledictione digna reputentur. Quare, quod Paulus dicit: Ex operibus legis non iuſtificatur ulla caro, &, quotquot ſunt ex operibus legis, execrationi obnoxii ſunt, non reſpicit ad opera legis, quatenus à lege præcepta ſunt. Hæc enim, quia perfecta præcipiuntur, ſunt iuſticia & benedictio, ſed reſpicit ad opera legis, quatenus ea ab hominibus in peccato conceptis & natis fiunt. Hæc, quia ſunt uicio peccati ſordidata, non poſſunt pro iuſticia coram Deo reputari, & qui tantum ex his operibus eſt, maledictioni & perpetuæ damnationi obnoxius eſt. Ac lex exigit quidem ab omnibus hominibus perfecta ſua opera, quæ & homines facere poſſent, ſi haberent natura ſpiritum ſanctum, ſicut habuiſſent, ſi Adam non peccaſſet. Nunc autem, quia propter unum hominem peccatum introiuit in mundum, nihil perfecte boni ab hominibus fieri, nec lex perfecte ab ipſis impleri poteſt.

Lex ſancta & perfecta opera præcipit.

Opera hominum non mererentur gratiã Dei.

Quare maledicuntur à lege,& traduntur Satanæ. Quid ergo? num quia operibus legis, quæ à nobis fiunt, non potest nobis cõsuli, nulla alia uia reliqua est, qua à maledictione & Satana liberemur, & saluti restituamur? Nulla certe salutis uia reliqua est, si prudentiam carnis nostræ audiamus. At si audiamus spiritum sanctum, & consulamus clementissimã misericordiã Dei, cognoscemus aliam, eamq; cõmodissimam salutis uiam nobis propositam esse, qua non solum effugiamus Satanam, uerumetiam adoptemur in filios Dei, & recipiamur in hæredes omnium cœlestium bonorũ. Quæ igitur est illa uia salutis? Audi Paulũ, ad Roma. ita scribẽtem: Quod impossibile erat legi, eo q; infirmabatur per carnẽ, Deus misit filium suũ in similitudinẽ carnis peccati, & per peccatũ damnauit peccatũ in carne, ut iustificatio legis impleretur in nobis. Hic Pauli locus sæpenumero à nobis, præsertim in hac legis expositione, quam nunc in explicatione cõcionis Christi tractamus, inculcat. Est enim locus ualde memorabilis, & explicat nobis, quæ reliqua salutis nostræ uia sit, posteaq; non possumus per opera, quæ nos facimus, nec legem implere, nec iusticiã & uitam æternã consequi. Impossibile, inquit, erat legi. Quid erat impossibile? tollere peccatũ, iustificare nos & saluare. Vnde autẽ erat id legi impossiblie? num lex Dei in se tam imperfecta est, ut non satis iusta & sancta opera præcipiat, quibus iustificemur & sanctificemur? Minime omnium: Lex enim Dei est perfectissima, & præcipit opera sanctissima, quibus non possunt ulla sanctiora inueniri. Non igitur ex ipsa lege accidit, q; non iustificemur operibus legis, sed accidit ex carne. Infirmabat, inquit, per carnem. Homines enim natura sua imbecilliores sunt, q; ut possint legi perfecte satisfacere. Impossibile igitur est, ut ex operibus legis iustificemur & saluemur. Quid ergo? num Deus ob hanc causam nos abiecit? Digniss imi quidem fuimus abiici, & multis infernis condẽnari, sed Dñs Deus noster, qui est ipsa charitas, tanta clementia nos cõplexus est, ut quod lex præstare non potuit, hoc præstitit ipse ex misericordia, & misit proprium filium suũ, sub specie carnis peccato obnoxiæ, qui primum quidem satisfecit legi perfectissime, & non solũ amicos, uerumetiam inimicos suos candidissime, ac plane iuxta exactam sententiã legis, dilexit, & omnibus, etiam aduersariis suis, longe omnium optime benefecit. Deinde factus est pro peccatis nostris expiatio, & aboleuit in nobis peccata, per hoc q; ipse factus est hostia pro peccatis nostris. Hunc filium suum Iesum Christum donauit nobis Deus, primum ob hanc causam, ut iustificatio legis in nobis impleret, hoc est, ut in Christo haberemus remissionem peccatorum, & iusticiam, & impletionem legis, nec aliter propter Christum, si in ipsum credimus, coram Deo iudicaremur, q; si nos ipsi nostris operibus legi Dei perfecte satisfeciss emus, adeoq; ut propter Christum in filios Dei adoptaremur, & in ius cœlestis hæreditatis collocaremur. Deinde donauit nobis Iesum Christum, non ut amplius peccato obediamus, & inimicos odio habeamus, sed potius ut per Christum accipiamus spiritum sanctum, cuius uirtute reliquias carnis expurgemus, & remissione peccatorũ ac iusticia per fidem accepta bene utamur, & eã operibus nostris exprimamus, quod etsi in hac carne perfecte fieri nequit, uirtute tamẽ spiritus sancti fieri & potest & necesse est, ut odiũ inimici in corde nostro non dominet, ut nõ obediamus cõ cupiscentiis iræ & inuidiæ, sed ut præbeamus mẽbra nostra serua charitati erga amicos & inimicos. Sic spũs sanctus regnauit in Mose, qui etsi male afficiebat ab Israelitis, quos ex Aegypto suæ ipsius uitæ periculo eduxerat, & habebat multas occasiões referẽdi mala ingratis, tamẽ nõ ambulabat iuxta carnẽ, sed facta carnis spũ mortificabat, & malebat de libro uitæ deleri, q; ingratis mala referre. Sic spiritus sanctus regnauit in Dauide, qui etsi sollicitabat à carne

Salutis uia cõmodissima.

Christus cur nobis à Deo donatus.

ut regẽ Saulem inimicum ſuum occideret, concupiſcentiam tñ carnis ſpiritu uince bat: Propicius, inquiens, ſit mihi Dominus, ne faciam hanc rem dño meo Chriſto Dñi, ut mittam manum meam in eum, quia Chriſtus Dñi eſt. Sic regnauit ſpiritus ſanctus in Paulo, qui etſi non habebat tantam dilectionis puritatem erga perſecutores ſuos Iſraelitas, quantam lex Dei exigit, tamen ſpiritu ſancto dominante, optat anathema eſſe à Chriſto pro fratribus ſuis cognatis ſecundũ carnẽ. Sic regnauit ſpiritus ſanctus in Stephano, qui etſi adhuc geſtabat intra ſe reliquias carnis, & ad uindictam perſecutorũ ſuorũ ſollicitabat, ſpiritu ſancto tñ concupiſcentiam carnis uincente, magna uoce poſitis genibus clamabat: Domine, ne ſtatuas illis peccatũ hoc. Atq; adeo neceſſe eſt, ut quotquot in Chriſtũ credunt, non uerſentur iuxta affectũ carnis, qui eſt mors, ſed iuxta affectum ſpiritus, qui eſt pax & uita. Quanq; eiũ hæc opera, quæ per ſpiritũ ex fide fiunt, per ſe non perfecte ſatisfaciant legi Dei, tñ quia habemus in Chriſto remiſsionem peccatorũ & impletionẽ legis, ſunt cultus Deo gratiſsimi, & ſacrificia Deo acceptiſsima, quibus etiam Deus ſuas quadã mercedes clementer largitur, non propter ipſorum operum perfectionẽ & dignitatẽ, ſed propter Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Agite ergo, amiciſsimi, demus operam, ne regnet peccatum in mortali noſtro corpore, ut obediamus illi per cupiditates eius, neq; accommodemus mẽbra noſtra arma iniuſticiæ peccato, ſed accõmodemus noſmetipſos Deo, uelut ex mortuis uiuentes, & mẽbra noſtra arma iuſticiæ Deo, ut habeamus uitam æternam per Ieſum Chriſtum Dñm noſtrum qui eſt unà cum Patre & Spiritu ſancto Deus laudandus in ſecula Amen.

HOMILIA. LXI.



IN expoſitione huius legis: Diliges proximum tuum ſicut teipſum, præter alia, addit Chriſtus & hæc uerba: Si mutuum dederitis his, à quibus ſperatis uos recepturos, quæ gratia eſt uobis? nam & peccatores peccatoribus dant mutuũ, ut recipiant paria. Quinimo mutuũ date, nihil inde ſperantes. Dilectio enim proximi, ſi uera eſt, non hanc ciuilem tantum iuſticiam ſecum affert, ut mutuum des ei, à quo ſperes uiciſsitudinem, ſed etiam ut mutuum des ei, nimirum, egeno & pauperi, à quo nullam ſperes uiciſsitudinem. Nam unus quiſq; ſeipſum in tãtum diligit, ut neceſsitate & egeſtate oppreſſus cupiat ſibi ſubueniri largitione mutui, etiamſi non ſit uiciſsim ſoluendo. Hic ergo domeſticus præceptor docet & monet ipſum, ut & ipſe neceſsitate & egeſtate oppreſſo ſubueniat largitione mutui, etiamſi is, cui mutuo datur, non poſsit reddere uiciſsitudinẽ. Cæterum, hoc in loco, in quo dicit, mutuũ date, nihil inde ſperãtes, queri ſolet, num liceat Chriſtiano uti ciuilibus contractibus emptionũ & uenditionum, in quibus paria reddunt paribus, præſertim aũt quærit, num Chriſtiano liceat emere & habere annuos redditus, uidelicet, accipere unũ annuum florinũ in certo fundo aut bonis alicuius ciuitatis, emptũ uiginti florinis, ut quinq; florinos in certo fundo aut bonis ciuitatis emptos centum florinis, & ſic conſequenter, qui cõtractus hoc tempore frequẽtiſsimus eſt. Sunt autem, qui ex hoc loco: Mutuũ date, nihil inde ſperantes, pronuncient hunc contractũ eſſe illicitum & uſurariũ, & iudicant eos, qui hoc contractu utunt, peccare. Dicemus igit nunc paulo copioſius de hoc cõtractu. Ac primũ explicabimus ueram ſententiã horum uerborũ: Mutuum date, nihil inde ſperantes. Deinde indicabimus, ubi requirenda ſit æquitas aut iniquitas contractuũ ciuiliũ. Poſtremo oſtẽdemus, quid leges ciuiles de hoc annuo

redditum contractu sentiat. Hæc si diligẽter excutiamus, manifestissimum nobis erit, num Christianus possit bona conscientia hoc contractu uti. Principio igitur, quod attinet ad sentẽciam horum uerborum: mutuum date, nihil inde sperantes, obseruandum est, q̃ sicut in diligendo, ita & in mutuo dando, duo nobis hominũ ordines proponunt. Nam in diligendo proponit nobis ex altera parte ordo amicorũ, ex altera aũt ordo inimicorũ. Et si quidẽ uertero me ad partẽ inimicorum, tũc præcipit mihi, ut diligam inimicos. Ergone, quia præcipitur, ut diligam inimicos, nõ licet mihi diligere etiam amicũ? Certe non licebit tantum, sed etiã necesse habeo amicum diligere, nõ quidẽ in ordine inimicorum, in quo nullum amicum reperio, sed in ordine amicorum. Et unaquæq; dilectio, tam erga inimicos quàm erga amicos, suas cõditiones habere debet. In dilectione enim inimici requirit idem candor, idẽ ardor, & eadem puritas, quæ erga amicum haberi debet. In dilectione aũt amici requirit, ne amicũ præponamus Dño Deo nostro. Qui amauerit, inquit Christus, patrem aut matrem supra me, non est me dignus. Et qui amauerit filium aut filiam supra me, non est me dignus. Sic & in mutuo dando, duo ordines hominum proponuntur nobis: alter ordo est pauperum, nihil possidentium, alter est diuitum, aut eorum qui possidẽt agros, & alia bona terrena. Et si quidem uertero me ad ordinem pauperum & nihil possidentium, ac uidero illic necessitatem, ibi tum præceptum est, ut dem mutuo, nihil inde sperans. Hoc enim est, quod toties lex Mosi, Prophetæ, Christus, & Apostoli inculcant, imo hoc ipsum est, ad quod ipsa humanæ rationis natura nos ducit & hortatur, uidelicet, ut necessitati & egestati proximi nostri, quo quomodo possumus, subueniamus, & nostra copia, quemadmodum Paulus ait, aliorum inopiæ succurramus. De qua re, quoniam supra sæpe locuti sumus, non est opus nunc plura dicere. Nũ ergo, quia præceptũ est ut pauperi subueniam, & gratis mutuo dem, non licebit erga diuitẽ & possidentẽ agros ciuilibus contractibus, in quibus paria dantur paribus, uti, & necesse habeo etiam diuitibus & possidentibus agros sine spe recipiendi mutuo dare? Minime omniũ. Sicut enim in diligendo, ut paulo ante diximus, necesse quidem habeo inimicos diligere, si me uertero ad ordinem inimicorum, interim tamen debeo & amicos, quos ab altera parte habeo, diligere, ita & in mutuo dãdo, necesse quidem habeo pauperibus pro uirili mea succurrere, interim tamen licebit mihi cum diuitibus, & possidentibus agros & alia bona, ciuilibus contractibus uti. Et cum in hoc ordine uersor, ibi tum nõ exigitur, ut mutuo dem nihil inde sperans, sicut nec exigitur, ut inimicos diligam, cum uersor apud ordinẽ amicorum, quippe q̃ inter amicos nullum habeam inimicum, sed id exigitur, quod Paulus scribit, ne quis opprimat aut fraudet in negocio fratrẽ suũ. Nam si non liceret pio homini negociari ciuiliter, emere, uendere, & paria pro paribus recipere, Paulus non fraudem tantum negocii, sed ipsum negocium damnasset. Et aliàs: Qui emunt, inquit, tanq̃ non possideant, & qui utuntur mundo hoc, tanq̃ non utantur. Si mutuus emptionis & uenditionis cõtractus, quo hi, qui agros & alia possident, inter se utunt, per se impius esset, Paulus nõ corrigeret tantũ animũ emptoris, sed ipsam quoq; emptionẽ reiecisset. Et si nõ liceret à possidẽtibus paria pro paribus recipere, cur in Actis Apostolicis Christiani possidẽtes agros aut ædes uẽdiderunt ea, & attulerũt precia ad pedes Apostolorũ? Cur nõ gratis exposuerũt agros aut ædes suas emptoribus? Sed id est, q̃d diximus, cum ad pauperes uentũ fuerit, necessitati ipsorum gratis succurrendũ est, sine spe uicissitudinis, cum uero ad possessores pecuniarum, agrorum, & aliorum bonorum uentum fuerit, ibi tum non est necesse, bona sua gratis exponere, sed licet

Hominũ duo ordines qui diligẽdi sunt:

Dilectio inimici.

Dilectio amici.

Pauperibus mutuo dandũ

Cõtractibus ciuilibus licet uti erga diuites.

sed licet publicis contractibus, in quibus paria reddantur paribus, uti. Proinde cū dicitur: Mutuum date, nihil inde sperantes, non prohibentur contractus ciuiles, sed tantum mandatur, ut necessitati proximi subueniamus. Cæterum, cum uersamur inter possessores agroꝝ, & aliorum bonoꝝ in cōtractibus ciuilibus, ibi demū quæritur, num liceat bona conscientia in certo aliquo fundo aut bonis ciuitatis annuos redditus emere? nū hic cōtractus annuorū reddituū sit illicitus & usurarius? Ac si manifestū & certū esset, hūcce contractū esse illegitimā usurā, nullū relinqueret dubiū, quin Christiano homini minime liceret. Nam usura pecuniaria & illegitima in lege grauissime prohibita est. In Exodo capite uicesimo secundo scribitur: Si pecuniā mutuā dederis populo meo pauperi, qui habitat tecū, nō urgebis eū quasi exactor, nec usuris opprimes. Et in Deuteronomio capite uicesimo tercio: Nō fœnerabis fratri tuo ad usurā pecuniā, nec fruges, nec quālibet aliā rem, sed alieno, fratri autem tuo absq; usura id quod indiget cōmodabis, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere tuo. Nec mirū, quòd usura pecuniaria prohibita sit scripta lege, quando sit contra ipsam rei numariæ naturam. Numus enī, nō potest natura sua gignere numum, sicut granum iniectum agro. In usura autē numus gignit numum. Quare usura est præter naturam. Vnde, quia usura nec cum natura nec cum scripta lege conuenit, dicitur in psalmo: Qui pecuniam suam non dedit ad usurā, habitabit in tabernaculo tuo. Et apud Ezechielem: Qui usuram & superabundantiam non acceperit, non morietur sed uita uiuet. Ergo qui acceperit, is nec habitabit in tabernaculo Dei, nec uita uiuet, sed morietur. Hoc enim supplicium usurariorum tolerabile esset, quòd quas opes iniustis usuris & iniquo incremēto coacerūāt, maledictæ sint, & nunquam profuturæ, sed istud supplicium intollerabile est, quòd iniusticia sua amittant perpetuam salutem suam, & tradant seipsos in sempiternam internicionem. Proinde si certum esset, annuos redditus esse illegitimam usuram, pio homini prorsus fugiendi essent. Inquirendum igitur, & diligenter perscrutandum est, num emptio annuorum reddituum sit cōtractus usurarius. Vnde ergo requiremus illud? num ex sacris literis? Sacræ literæ docent quidem illegitimos contractus, & illicitam usuram fugienda & uitanda esse, nequaq; autem docēt, qui contractus sint illegitimi & usurarii, sed reiiciunt hoc iudicium ad leges humanas, & ad ordinationes atq; constitutiones magistratus ciuilis. Nam, quemadmodum in re medica sacræ literæ docent quidem, pium hominem posse bona conscientia naturalibus & ordinariis pharmacis uti, non autem docent, quæ pharmaca cui morbo admouenda sint, sed reiiciunt hoc ad iudiciū Galeni, Hippocratis, & aliorum medicorum: ita in contractibus ciuilibus sacræ literæ docent quidem, pio homini licere legitimis contractibus uti, non autem explicant, qui contractus sint legitimi, sed reiiciunt hoc ad leges & iudicia magistratuum. In Genesi enim dicit Dominus ad hominem: Crescite & multiplicamini, & repleti terram, & subiicite eam. Cum iubet terram subiicere, pfecto iubet omnia ea ordinare, quæ ad administrationem terræ ac ciuilis uitæ pertinent. Ad conseruandam autem ciuilem uitam & humanā societatē pertinent magistratus & cōtractus ciuiles. Quare uerbo subiici ciēdi dedit Dominus Deus noster potestatem hominibus, ac præcipue magistratibus, ad conseruandam ciuilem uitam ordinatis, iudicandi & pronunciandi de ciuilibus contractibus. Et in psalmo: Cœlum cœli DOMINO, terram autem dedit filiis hominum. Quanquam enim DOMINVS cœlum & terram impleat, & in cœlo ac terra dominetur, tamē quod ad externam terræ administrationem

Cōtractus annuorum redditū num sit licitus.

Vsura in lege prohibita.

Vsura est contra naturā & scriptam legē

Contractuum ciuiliū ratio è legibus & constitutionibus magistratus petenda.

atrinet, commendauit filiis hominum, ut ipſa iuxta humanam ſuam rationem diuinitus daram de ciuilibus ordinationibus iudicent, ac decernant. Inter homines autē uſus humanæ rationis magis in magiſtratu quàm inuulgo emicat. Igitur ad magiſtratum pertinet, de ciuilibus centractibus, qui ad conſeruandam humanam ſocietatem ualent, iudicare. Paulus quoq; ait: Omnis anima poteſtatibus ſuperemi nentibus ſubdita ſit. Spiritus ſanctus autem in Paulo nō ſubiiceret nos magiſtratui, in rebus ciuilibus, niſi magiſtratus haberet pnteſtatem de his rebus iudicandi, ordi nandi & ſtatuēdi. Proinde qui rationem legitimorum cōtractuum in rep. noſſe uelit, neceſſe habet eam non è ſacris literis, ſed è legibus, conſtitutionibus & ordinationibus magiſtratus ciuilis requirere, & quos contractus in iis legitimos & licitos inuenerit, ſentiat ſe his bona conſcientia uti poſſe. Ergo ne, inquies, ſi magiſtratus decerneret in negociis ciuilibus, manifeſte turpia aut iniqua, eſſe honeſta & æqua, liceret bono uiro ea ſectari? Nihil minus. Loquimur enim de magiſtratu non inſano, aut furiis agitato, qualis fortaſsis fuit quondam apud Indos, quorum legibus licuit prorſus nude incedere, & parentes ſenio appropinquantes uelut hoſtias cædere, ac carnibus eorum ueſci. Hæc ſunt contra naturam, ſed loquimur de magiſtratu iudicante iuxta rectam rationem, ſi non omnino exactam, attamen non improbabilem, & à natura rerum non procul diſcedentem. Quæ enim ita in ciuilibus cōtractibus iudicat legitima, & ſocietati humanæ utilia, ea uir bonus tuto ſectari poteſt. Habes, ueram ciuilium contractuum rationem è legibus & conſtitutionibus ciuilis magiſtratus petendam eſſe. Videamus igitur nunc, quid magiſtratus Romanus, quem nos agnoſcimus, de contractu annuorum reddituum ſentiat & decernat. Quanquàm autem non eſt noſtri inſtituti aut profeſsionis, ciuilia negocia excutere, quippe quæ ad magiſtratū & iuris conſultos pertineant, tamē quia nunc uerſamur in argumento annuorum reddituum, non erit fortaſsis ineptum, pauca quædam de hoc contractu è conſtitutionibus magiſtratus, & è rationibus iuris conſultorum hoc in loco commemorare. Primum igitur audiamus publicum decretum, quod de hoc contractu in comiciis Auguſtanis, maxima Cæſaris & omnium Romani Imperii principum autoritate, conditū & approbatum eſt. Recita. Carolus Romanorum Imperator &c. Nos conſilio, cognitione, & cōſenſu noſtrorum & ſacri imperii principum electorum, & aliorum principum ac ſtatuum hanc ordinationem renouamus & confirmatus &c. Ac mox: Poſtq̄ redditus, quos uocant, redemptionis, ubiq; in regionibus uſitati ſunt, ſtatuimus, ordinamus, & uolumus, q; poſthac de centum, non niſi quinq;, iuxta conſuetudinem dari & accipi, ac literæ de redemptione, ſecundum ius redemptionis cōſcribi debeant. Quicquid ultra hæc datum, acceptum uel actum fuerit, hoc uolumus ut uſurarium æſtimetur & iudicetur, ac quēadmodum prius meminimus puniatur &c. Audiuiſtis, amiciſsimi, ſtatutum, & ordinationem ſummi noſtri magiſtratus, de annuis redditibus. In qua ordinatione uidetis primum, quanta autoritate & maieſtate de hoc contractu conſtituatur. Nihil enim hic agitur temeraria unius tantum hominis, uel priuati uel principis, uoluntate, ſed quod agitur & decernitur, hoc maxima ipſius imperatoris maieſtate, ac conſilio, cognitione & conſenſu ſummorum principum, denique autoritate totius eiuſdemque prudentiſsimi & grauiſsimi ſenatus ſacri Romani imperii decernit. Si unus tm̄ unius regionis princeps cōſilio ſui unius ſenatus de negocio quodā ciuili cognoſceret, nō eſſet temere cōtemnendū, quid igitur

Decreta magiſtratus iniqua non ſectāda.

Decretum de contractu annuorum reddituum.

quid igitur sentiendum putas, de cognitione tot ac tantorum principum, & senatus longe omnium sapientissimi? Deinde manifestum est, quòd in hac constitutione cõtractus annuorũ reddituum, quo in fundo aliquo certo; aut bonis alicuius ciuitatis emuntur quinq; annui florini, centum florinis, non solum toleretur, tanquàm aliqua ex parte iniquus, & reip. pernicios⁹, qualia multa à magistratu ciuili tolerantur, uerumetiam tanquam iustus & legitimus contractus approbetur & confirmetur. Renouamus, inquit, hanc ordinationem & confirmamus. Ac iterum: Statuimus, ordinamus & uolumus. Hæc certe nõ sunt uerba tolerantiæ iniqui, sed approbationis & cõfirmationis iusti & æqui. Et cum hoc tantũ, quod ultra quinq; de cẽtum datum, acceptum uel actum fuerit, usuratium iudicetur, perspicuum est, quòd si quinq; de centum iuxta legitimas suas conditiones dentur & accipiantur, æquum, iustum, & legitimum iudicandum sit. Accedit huc, quòd in hac constituti one cõtractus annuorum reddituum haud obscure emptionis contractus iudicet. Non enim possent dici redditus redemptionis, nisi ipse cõtractus esset species emptionis, nec possent literæ de redemptione conscribi, nisi ante facta esset legitima emptio. Habet enim hic contractus omnia ea, quæ ad legitimam emptionẽ requiruntur. Horum autem sunt præcipue tria, uidelicet: Certa merx, certum precium, & cõsensus. Et quanquã in hoc cõtractu fiat pactũ ex una parte de nõ alienãdo, ex altera de redimẽdo, tñ Iuris consulti tradũt, nec pactũ de nõ alienando repugnare naturæ dominii, nec pactũ de redimẽdo uiciare emptionẽ. Iam, cũ hic contractus iudicetur legitima emptio, & uir bonus possit legitimas ordinationes sectari, quid impediret, quo minus & hoc contractu uiro bono uti liceret? Quòd si æquitatis rationem cõsulueris, uidebis hunc contractum haud mediocrẽ æquitatẽ in se cõtinere. Quæ enim hæc esset æquitas, ꝙ cũ alter possideret agros & alia bona, alter uero haberet pecuniam, & ille nollet nec sua uendere, nec fructum suorum bonorum cum altero communicare, sed suis simul & alienis bonis frui, alteri autem non nisi incommoda relinquere? Ab industriis igitur & consultis uiris inuenta est ratio annuorum reddituũ, qua possidẽs agros retineat agros, interim tamen nõ utatur alterius pecunia gratis, sed tribuat ipsi ex agris partem aliquam fructus, aut precium eius, secundum æquam & iustam compensationem. Quod si consideraueris, quid hoc tempore humani societati utile sit, profecto inuenies, cõtractum annuorũ reddituum usq; adeo non esse illegitimam usuram, ut potius aboleat & tollat illegitimas usuras. Nisi enim hic contractus inuentus esset, hi qui agros aut alia bona possident, magis acciperent mutuo in necessitate sua pecuniam ad usuram, quo bona sua retinerent, q̃ ut ea uenderent. Accedit huc, ꝙ hic contractus, sit liberatio uulgi è durissimis seruitutibus. Nam si hic cõtractus annuorum reddituum nõ liceret, hi qui multam uim pecuniarũ possident, corraderẽt ad se quantouis precio omnes agros & bona sibi uicina, interim pauperiores necesse haberent horum serui esse, & quicquid laborarent, in horum horrea conuehere. Nunc autem, quia hic cõtractus legitimus iudicatur, diuites è redditibus suis uiuunt, pauperiores autem & uilius agros coemunt, & liberius ipsis utuntur. Quare tantũ abest, ut hic contractus sit reip. intolerabilis, ut potius seruitutem tollat, & libertatem secum afferat. Sed quid ago? Etiamsi æquitas & utilitas huius contractus non tam manifeste appareret nobis, tamen quia magistratus noster, Romanus imperator, unà cum augustissimo & prudentissimo Romani imperii senatu, decreuit & pronũciauit hunc contractũ

Cõtractus annuorũ reddituum est emptio.

Emptionis substantialia.

Cõtractus annuorũ redditũ est æquissimus.

Cõtractus annuorũ redditũ tollit seruitutem uulgi

legitimum esse, plus debet apud quemuis bonum uirum ualere autoritas magistratus, quàm priuata sua prudẽtia. Iussit enim spiritus sanctus nos obedire iudicio magistratus, & ornauit ordinationes magistratus honestissimo epitheto. Vocantur enim, quemadmodum Paulus scribit, ordinationes diuinæ, quibus qui restitetit, Deo ipsi resistit. Sed si agnoscis, inquies, decretũ Augustanũ in hac parte, qua approbat & confirmat contractum annuorum reddituum, cur non agnoscis illud in ea parte, qua damnat nouam uestram prædicationem Euangelii, & restaurat missas, & omnia sacra Papisticæ religionis? Hic facile respondeti potest, si animaduertas, ciuiles contractus & religionem res inter se diuersissimas esse. Non damnat quidem uera religio contractus ciuiles, qui sunt legitimi, attamen si ipsa inter se conferantur, longe aliud sunt ciuiles contractus quàm religio. Nam ciuiles contractus pertinent ad communem societatem & tranquillitatem huius seculi. Religio autem pertinet ad tranquillitatem conscientiæ coram Deo, & ad societatem ciuium in cœlis. Rursus, ciuiles contractus subiecti sunt iudicio ciuilis magistratus, religio autem subiecta est iudicio sacræ scripturæ. Quare si ciuilis magistratus iudicauerit de religione contra sacram scripturam, ibi spiritui sancto, qui per scripturam loquitur, magis obediẽdum est, quàm hominibus. Nam quemadmodum, si principes huius seculi & iurisconsulti decernerent, contra Galenum & Hippocratem, fabricanti uenenum pro pharmaco exhibendum esse, ibi certe reclamarent filii medicorum, & dicerent, se agnoscere quidem autoritatem magistratus ciuilis, si maneat intra terminos suæ uocationis, & decernat iuxta suas probabiles rationes de contractibus & negociis ciuilibus. Quòd si uero extra sepia transiliat, & decernat de rebus medicis, contra Galenum & Hippocratem, ibi magis obedieudum esse Galeno & Hippocrati, q̃ principibus & iurisconsultis: ita si magistratus ciuilis iudicauerit de religione, iuxta ueterem tãtum consuetudinem, & iuxta humanam prudentiam, contra sacram scripturam, profecto magis audienda est scriptura, quàm magistratus ciuilis. Sed si magistratus maneat intra terminos suæ functionis, & pronunciet de negociis ciuilibus iuxta humanam prudentiam, & iuxta rationes reip. utiles, ibi autoritas magistratus modis omnibus agnoscenda, & decretis eius, tanq̃ diuinis ordinationibus, obediendum est. Cum igitur demonstratum sit, primum, ꝙ Dominus Deus noster subiecerit iudicio magistratus ciuilis cognitionem de negociis ciuilibus, ꝙque bonus uir possit bona conscientia ciuilibus ordinationibus uti, deinde, ꝙ magistratus pronunciauerit magna totius senatus Romani imperii autoritate, contractum annuorum reddituum, iuxta suas conditiones, esse emptionem legitimam, manifestũ & perspicuum est, ꝙ Christianus possit bona conscientia annuos redditus emere & possidere. Hic mihi nunc uide, quanta conuicia, & quantas contumelias efflent hi, qui passim contractum annuorum reddituum uocant usurarium, & declamant in eos, qui hoc contractu utuntur, tanquàm in publicos fœneratores, &, ut uocant, Iudæos. Nam illegitimus usurarius nihil aliud est, q̃ impostor, fur, prædo, peculator, & humanæ societatis ac reipublicæ deuastator. Proinde, qui proximum suum uocat usurarium & fœneratorem, propterea quòd utatur contractu annuorum reddituum, uno fœneratoris nomine contumelioſus est, primum, in maiestatem imperatoris & totius senatus Romani imperii, qui hunc contractum approbauerunt, deinde in magistratum suum inferiorem, cui iuramento addictus est, qui hoc contractu publice utitur, adhæc in ministros ecclesiæ, qui in auditoribus suis hunc contractum nõ damnat, postremo

Cõtractus ciuilis & religio res diuersæ.

Religionis causse ex sacra scriptura iudicandæ.

Cõtractus annuorum reddituũ num sit usurarius.

postremo in tot optimos ciues priuatos, qui in hoc contractu uersantur. Hos omnes rabula ille, quisquis fuerit, uno fœneratoris nomine palàm traducit, tanq̃ publicos impostores, fures, prædones, peculatores, ac reip. deuastatores. Quis ad tanta conuicia non expauescat? quis tantam contumeliam non iudicet maximo suppliçio dignam? Disce igitur honestius de magistratu & proximis tuis loqui, ne in te cõpetat, quod aliis impingis, & ne effundas uoces per iugulum tuũ redituras. Hæc de cõtractu annuoꝝ reddituum hoc loco dicere uolui, non ut ansam præberẽ auaris opes undiq; imposturis corradẽdi, & emendi annuos redditus, quo ignauã uitã ducant. Auaricia enim & impostura & ignauia semper Deo abominabilia sunt, sed ut consulerem conscientiæ eorum, quorum uitæ rationes ita cõparatæ sunt, ut necesse habeant hoc cõtractu uti. Hi agnoscant hunc conrractũ esse legitimum, & discãt in eo legitime uersari, nõ elato sint animo, nec ponãt spẽ suam in diuitiis incertis, sed in Deo uiuẽte, qui præbet nobis omnia affatim ad fruendũ, per Christũ Iesum Dñm nostr̃, qui est unà cũ Patre & Spiritu sancto Deus laudãdus in secula Amen.

HOMILIA LXII.



EXplicuit Christus ex hac lege: Diliges proximũ tuũ sicut te ipsum, quomodo nos gerere debeamus erga amicos & inimicos, erga diuites & pauperes, nũc aũt explicat. quomodo nos debeamus gerere erga eos, qui delinquunt quidẽ & inique agunt, sed nullo nostro incõmodo. Et ait: Nolite iudicare & non iudicabimini. Iudicare aũt Hebræa phrasi est condẽnare. Vnde interpretatio huius dicti mox sequitur Nolite condẽnare & non condẽnabimini. His uerbis nihil noui docet Christus, sed exponit, quid contineat in hac ueteri lege: Diliges proximũ tuũ sicut teipsum. Vnusquisq; n. naturaliter seipsum ita diligit (si modo sana mente præditus fuerit) ut cũ peccauerit nullo proximi incõmodo, ægro animo ferat, q̃ peccatũ ipsius ubique in oĩbus plateis, tonstrinis, & cõuiuiis traducat, & ipse ad cruces, nescio quas, à susurronibus & obtrectatoribus condẽnetur. Hoc aũt modis oĩbus optat & cupit, ut peccatũ ipsius cæleat, ut ipse si cõmode fieri potest, clam & remotis arbitris de eo admoneat & arguat, atq; ut pro remissiõe peccati corã Dño Deo nostro oret. Hæc est naturaliter uolũtas eius, qui errore quodã aut imprudentia aut alio quouis modo deliquit. Monet igit & docet te natura ipsa, ut idẽ quoq; præstes alteri, nullũ hominem iudices, nullius peccatũ publice traducas, nullum propter peccatum diris deuoueas ac condemnes. Quid igitur dicemus de magistratibus, qui reos criminis conuictos iudicant, & ad gladium, rotam, aut laqueum condemnant? Quid de ecclesiastis, qui necesse habent in peccata populi declamare, ad quos dicitur: Si me dicente ad impium, morte morieris, non adnunciaueris ei, neque locutus fueris, ut auertatur à uia sua impia & uiuat, ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram? Nihil hic scrupuli relinquetur, si obseruaueris, aliud esse uocationem Dei sectari, aliud sine uocatione Dei opus aliquod priuata temeritate sibi usurpare. Nam quod magistratus in uere sontes legitime agit, officium est, & obedientia diuinæ uocationis. Dei enim minister est, ultor ad iram, ei qui, quod malum est, fecerit. Similiter quòd Ecclesiastes in peccatores pro ratione sui ministerii agit, non est temeritas, sed debita seruitus DEI, & necessaria officii functio. Prædica, inquit Paulus, sermonem, insta opportune,

Iudicare q̃d?

Magistratui licet iudicare & condemnare sontes.

Ecclesiastis licet arguere peccata populi.

importune, argue, increpa, exhortare cum omni lenitate & doctrina. Et iterũ: Peccantes coram omnibus argue, ut & cæteri timorem habeant. Cum ergo dicit: Nolite condemnare, & non condẽnabimini, non dãnantur legitima officia magistratuum & ecclesiastarum, sed damnantur susurrones & obtrectatores, qui nulla Dei uocatione, sed tantum priuata sua seu temeritate seu odio & inuidia peccata, proximi sui palàm traducunt, & horribiles sententias in proximum pronunciant. Dignus est, inquiunt, ut ex arbore suspendatur, aut ut sexcentis fulminibus traiiciatur, & si quid est his atrocius. Traducere autem peccata proximi, & cõdemnare ipsum priuata temeritate, est horribile peccatum. Primum enim, qui hoc agit, sedicioſus & blasphemus est in Dominũ Deum suum. Ad maiestatem enim Dei pertinet, peccatores iudicare & damnare. Qui ergo ipsos sine uocatiõe & iussione Dei damnat, is arrogat sibi diuinam maiestatem, quod quid aliud est, q̃ sedicionẽ aduersus Deũ concitare, & quantum in obtrectatore est, Deum è sede maiestatis suæ proturbare? Deinde contumelioſus & sedicioſus est in legitimum suum magistratum, & ordinarium ecclesiasten. Quod enim horũ officii est, hoc obtrectator sibi temere usurpat, & traductione sua significat, magistratum quidem & ecclesiasten ignauos esse officii sui neglectores, se autem longe prudentius & diligentius ea officia administraturum. Præterea peccat contra maiestatem & officium Domini nostri Iesu Christi. Hic enim expiauit peccata hominum, & passione sua ita coram Deo abscondit ac tegit, ut qui in ipsum credunt, non amplius peccatores sed iusti reputentur. Obtrectator autem peccata proximi reuelat, & quantum in ipso est, maiestatem, & officium Christi damnat. Adhæc peccat contra hanc naturalẽ legem: Diliges proximum tuum sicut teipsum, quemadmodum Christus hanc legẽ hoc in loco exponit, & nos paulo ante ostendimus. Postremo peccat etiam contra hanc legẽ: Non occidas. Nam sine uocatione Dei, proximum etiam sontem condemnare, homicidii species est. Homicidium enim non manu tantum, uerumetiam lingua & corde perpetratur, quemadmodum in expositione huius legis supra demõstrauimus. Ac ut grauitatem huius peccati magis perspicue uideas, cõsidera, obsecro, mihi, quanta maiestate Dominus Deus noster proximum nostrum uenerabilem fecerit. Nam principio condidit eum ad imaginem & similitudinem suam. Deinde misit in salutem ipsius unigenitum filium suum Iesum Christum, per quem adoptauit ipsum in filium suum, ac hæredem omnium cœlestium bonorũ. Hac profecto maiestate Deus proximum nostrum tam sacrosanctũ & inuiolatum reddidit, ut quicquid uel boni uel mali proximo intuleris, Deus sibiipsi illatũ deputet. Proinde si peccata proximi palam traducis & amplificas, ac proximũ anathemate deuoueas, non simpliciter homini, sed Domino Deo nostro id mali infers. Quis autem tantam in Deum contumeliã & blasphemiam impune ferat? Quod ergo supplicium tanto peccato dignũ est? Nolite, inquit Christus, iudicare, & non iudicabimini. Nolite condemnare & non condẽnabimini. Ergo qui iudicat & condẽnat proximum, meretur ut & ipse uicissim iudicet & condemnet, tam à Deo q̃ ab hominibus. Manum pro manu, inquit lex, oculũ pro oculo, dentẽ pro dente, pedẽ pro pede. Et sicut fecit, ita fiet ipsi. Tu traducis peccata proximi, & condemnas ipsum ad horrẽda supplicia, iustum igit & legitimum est, ut tua peccata uicissim toti mundo ostendent, & Christus peccatorũ expiator à te auferatur, quo peccata tua nuda & conspicua fiant in conspectu Dei & hominum, & una cum peccatis tuis ad perpetuum ignem gehennæ abiiciaris. Ergo nerecte agit, qui de obtrectatore suo uicissim male loquitur, & sicut quidã

Obtrectatores dãnantur

Traducere peccata proximi, ingens peccatum.

Condemnare proximum est species homicidij.

Proximus noster uenerabilis & sacrosanctus.

Obtrectatorum pœna.

ſicut quidã dicunt: Traducamus alioꝝ peccata, quia & alii noſtra peccata traducunt? Minime omniũ. Nã cum dicit: Qui alterꝝ cõdemnat, uiciſsim & ipſe condẽnabitur, explicat, quod ſit meritũ ſuppliciũ condẽnatoris, nõ aũt tribuit unicuiuis priuato homini poteſtas uiciſsim condẽnandi. Aliud em̃ eſt iuſte condẽnari, aliud iuſte condẽnare, aliud merito affligi, aliud merito affligere. Qui male agit, iuſte affligitur, undecunq; ea afflictio accidat. Nõ aũt quiuis male agentẽ iuſte affligit. Alius aliam habet uocationẽ. Qui nõ eſt legitime uocatus ad inferenda ſontibus ſupplicia, is illatione ſupplicii peccat, etiamſi latronẽ aut homicidã ſupplicio afficiat. Ac quemadmodũ homicida fit, qui non uocatus homicidã interficit, ut maxime homicida hac pœna dignus ſit, ita peccator fit, qui peccatorẽ priuata ſua temeritate traducit, etiãſi peccator hoc ſupplicium meruerit. Quare etſi iudiceris & condemneris ab aliis hominibus, non tamen licet tibi uiciſsim ipſos iudicare & condemnare. Cæterum, ſi traducere peccata proximi, & ipſum propter peccata cõdemnare, tantum peccatum eſt, ut mereatur ſupplicium perpetuæ condẽnationis, quemadmodum paulo ante indicauimus, quid dicemus de calumniatoribus & mẽdacibus, qui non peccata, ſed aut ipſa benefacta peſsime interpretant̃, aut falſa, excogitata & emẽtita de proximo ſuo ſpargunt? Hi profecto non amplius humaniter, ſed prorſus Satanice & diabolice peccant. Ingeniũ enim Satanæ eſt, mentiri, & bona in peiorem partẽ interpretari. Quare qui hoc uitio laborant, nõ filii Dei, ſed filii Satanæ, nõ hæredes cœli, ſed hæredes inferni cenſendi ſunt. Dices ergo: Si res ad hunc modum ſe habet, quid faciemus? His enim duobus uerbis: Nolite condemnare & non condemnabimini, perſpicue tanq̃ in ſpeculo uidemus, omnes cogitatus, omnes ſermones, omnia conuiuia, omnia conuenticula, omnia colloquia noſtra plena eſſe homicidiorum & Satanicorum criminum. Vnde uidemus etiam, nos optimo iure ad perpetuum inferni ignem pertinere. Quo igitur nos uertemus, ut liberemur tã à peccatis, q̃ à ſuppliciis peccatoꝝ? In tanto rerum diſcrimine alius quidem alió ſe uertit. Hic confugit ad merita ſuæ iuſticiæ, ille ad merita alienæ iuſticiæ, hoc eſt, ad patrocinia uel monachorum, uel ſanctorum in domino quieſcentium. Eſt alius, qui non requirat iudicium Dei, eſt item, qui de ſalute ſua prorſus deſperat. Nos autem uertemus nos ad Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum per fidem. Solus em̃ Ieſus Chriſtus eſt ſalus & redemptio noſtra. Nam is expiauit peccata noſtra, ac emeruit nobis, ut placatum Deum habeamus. Et quia pater fauet nobis propter Chriſtum, ſi credimus in ipſum, donat etiam nobis in Chriſto omnem iuſticiam & impletionem legis, quam Chriſtus in ſe habet, ut in conſpectu ipſius tam iuſti reputemur propter Chriſtum, quàm reputaremur, ſi nos noſtris ipſorum operibus legem impleuiſsemus. Quid ergo? num quia donati ſumus iuſticia Chriſti, ideo licebit nobis uiuere pro noſtra libidine, & contra legem, quam nunc tractamus, proximos noſtros iudicare, male de ipſis loqui & condemnare? Abſit. Chriſtus enim non expiauit peccata noſtra, ut nos in peccatis uiuamus, non impetrauit nobis ſuam iuſticiã, ut nos iniuſticiam ſectemur, ſed potius ideo ſatisfecit pro peccatis, ut nos peccata fugiamus, & iuſticiam ſectemur, & in nouitate uitæ ambulemus. Qui enim, inquit Paulus, mortui ſumus pcto, quomodo poſthac uiuemus in eo? Quare, quoquomodo fieri poteſt, cauendũ eſt, ne cõtra legẽ Dei proximũ noſtrꝝ priuata temeritate iudicemus & cõdẽnemus, ſed ponamus nobis ob oculos primũ, ſuppliciũ quod obtrectatoribus & temerariis condẽnatoribus imminet, deinde maieſtatẽ proximi, qua

Obtrectator non eſt uiciſsim traducendus.

Calumniatores & mẽdaces diabolice peccant.

Chriſtus qua re pro peccatis ſatisfecerit.

Deus ipsum uenerabilem fecit, postremo exemplum Iesu Christi, qui etsi omnium hominum peccata manifestissime nouerat, tamen noluerit ea traducere & homines condemnare, sed obtexit ea passione sua, & interpellauit pro hominibus. Non nim uenit in mundum ut condemnet mundum, sed ut seruetur mũdus per eum. Oremus igitur & nos pro peccatis proximorum nostrorum, & abscondamus ea, quantum fieri potest, ut simus filii Dei nostri, per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus laudandus in secula Amen.

HOMILIA LXIII.



Audiuimus, quomodo nos gerere debeamus erga eos, qui nullo nostro incõmodo peccant, audiamus nunc, quomodo nos debeamus gerere erga eos, qui in nos nostro damno & incõmodo peccant. Remittite, inquit Christus, & remittetur uobis. Principio obseruandũ est, ꝙ uariis modis in nos nostro incõmodo peccetur. Nunc enim nomen nostrũ conuiciis, oblocutionibus & detractionibus sordidatur, nunc corpori nostro infligitur dolor plagis aut percussuris, nunc opes nostræ auferuntur à nobis, uel furtis uel rapinis uel impostoris, nunc quod debet ex pacto, aut cõmodato, non redditur, adeoq; multis aliis id genus modis incõmodo afficimur. Quid ergo in his rerum casibus agendũ est: Remittite, inquit Christus. Quo uerbo præcipit primũ, ut condonemus proximo nostro, non solũ omnes iniurias & cõtumelias nobis illatas, uerũetiam si necessitas egentis postulet, omnia debita, siue ea sint uiolenter ablata, siue mutuo data, siue alio nomine debita. Deinde mandatur, ut cõdonemus ista non solũ amico, uerumetiã inimico, quemadmodũ è superioribus manifestũ est. Adhæc exigitur, ut remittamus ista non uerbo tantũ, sed ipso opere, ac plane ex animo. Postremo iubet, ut ita remittamus, ut potius alias iniurias ac cõtumelias feramus, q̃ ut referamus, aut nos ipsos ulciscamur, præterea, ut debita ita cõdonemus, ut potius egentẽ pluribus opibus nostris adiuuemus, q̃ ut ab ipso prius debita exigamus. Nam ꝙ hæc sit huius uerbi: Remittite, sententia, manifeste indicãt ipsa uerba legis, quam Christus hoc loco interpretat. Lex enim in Leuitico ita ait: Non oderis fratrem tuũ in corde tuo. Non ulciscaris, neq; obserues iniuriã filioꝝ populi tui, sed diliges proximũ tuum sicut teipsum. Nam q̃ late patet nomẽ dilectionis, nomẽ item proximi, & hoc quod dicitur, sicut teipsum, supra demonstrauimus. Et in Deuteto. cap. uicesimo quarto lex ait: Non accipies loco pignoris inferiorẽ & superiorẽ molam, quia animã suam apposuit tibi. Ac mox: Cum repetes à proximo tuo rem aliquã, quam debet tibi, non ingredieris domum eius, ut pignus auferas, sed stabis foris, & ille tibi proferet quod habuerit. Sin autem pauper est, non pernoctabit apud te pignus, sed statim reddes ei ante solis occasũ, ut dormiens in uestimento suo benedicat tibi, & habeas iusticiam corã Domino Deo tuo. Et iterum: Non auferes pignoris loco uiduæ uestimentum. Quid his uerbis lex aliud significat, q̃ ꝙ debita indigenti intantum remittenda sunt, ut etiamsi quicq̃ pignoris loco ablatum fuerit, continuo reddendum sit? Et cum aliàs lex dicat: Si unus de fratribus tuis, qui morantur intra portas ciuitatis tuæ, in terra quam Dominus Deus daturus est tibi, ad paupertatem uenerit, non obdurabis cor tuũ, nec contrahes manum, sed aperies eam pauperi, & dabis mutuũ, quo eũ indigere perspexeris, manifestum est, ꝙ non tantum exigatur, ut debita indigenti remittantur, & pignora restituantur, sed etiam ut indigentem nouo mutuo adiuues. Huc accedit,

Peccatur in nos nostro incommodo uarijsmodis.

Remittere quid significet.

accidit, quod Esaias scribit: Dissolue, inquiens, colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes, dimitte eos, qui confracti sunt, liberos, & omne onus dirumpe. Frange esurienti panem tuum, & egenos uagosq; induc in domũ tuam. Hæc perspicue indicant, legem exigere, ut pauperi non tantum debita remittas, uerumetiã, ut nouis beneficiorum generibus paupertati ipsius subuenias. Et cum Paulus dicat, legem esse spiritualem, ac finem præcepti esse charitatem ex puro corde, conscientia bona & fide non simulata, haud obscurum est, q̃ uerbo remittendi requirantur in homine omnia sancta & immaculata. Habes quid hac legis parte: Remittite, à nobis exigatur. Quid igitur dicemus? Si omnino omnibus sua delicta & debita remittenda aut condonanda sunt, an non turbabitur omnis prope status huius seculi? nonne abrogabitur magistratus? nulla delicta arguet ecclesiastes? nulla familiæ errata corriget pater familias? & omnino frater non arguet fratrem? Quid, q̃ & nulli licebit de iniuriis proximi coram magistratu conqueri, aut debita sua repetere? Vt ad hæc respondeamus, obseruandum est, quod sæpenumero inculcauimus, generalia præcepta Dei nõ tollere speciales uocationes Dei, & prærogatiuas personales. Est autem generale præceptum: Remittite, & hoc ad omnes homines generaliter pertinet. Interim tamen si quis habet specialem uocationem Dei, is necesse habet hoc generale præceptum ita obseruare, ut non negligat specialem suam uocationem. Vnde magistratus, quia in hominum genere continetur, necesse quoq; habet, hominibus errata & debita sua remittere. Sed quia, præterq̃ q̃ homo est, etiã magistratus officium gerit, necesse etiam habet sub ipso remissionis opere, delicta punire, & ut alter alteri soluat quod debet, legitime extorquere. Nec mirum tibi uideatur, quòd magistratus simul & remittat delicta, ut homo, & puniat delicta, ut magistratus, quando & ipse pater inobedientem filium uirga corrigens, dilectionẽ paternam sub ipsa uirga retinere queat. Qui parcit uirgæ, inquit Salomon, odit filium suum. Qui autem diligit illum, instanter erudit. Quid alienius à dilectione uidetur, quàm asperitas uirgæ? at nisi pater, teste Salomone, filium diligat, nõ utitur uirga. Iam ipse quoq; Dominus Deus noster in ira clementiam seruare solet. Sæpenumero enim solet populum suum magno & crudeli supplicio afficere, quod certe nõ faceret, si non diligeret populum suum, & ad pœnitentiam ac salutem inuitaret. Quare hoc uerbo: Remittite, nec magistratui, nec ecclesiastæ, nec patrifamilias, sua officia & uocationes prohibentur, sed id potius agitur, ut unusquisq; sciat, quid sub ipso uocationis suæ opere coram Deo præstare debeat. Porro autem, quod ad accusationes iniuriarum & repetitionem debitorum coram ciuili iudicio attinet, idem sentiendum est, quod nunc diximus. Oportet enim unumquenq; iniurias sibi illatas proximo condonare, & debita egenti remittere. Interim tamen, quia ciuiles ordinationes sunt ordinationes diuinæ, licebit se legitima ratione ab iniuriis proximi defendere, & debita sua ab eo, qui est soluendo, repetere. Nam, quemadmodum Christus iubet, ut frater fratrem in delictis arguat, etiamsi antea iusserat delicta remittere, ita non uetat usum legitimarum ordinationum, etiamsi prohibeat appeti tũ priuatæ uindictæ, quemadmodum alibi sæpe demonstrauimus. Sed inquies: Et si hac legis parte: Remitte, nec magistratus, nec ecclesiastæ, nec patrisfamilias officia abrogentur, tamen tanta in ipsa exigunt, sicut supra ostensum est, quanta nullus unquã hoim perfecte præstitit, aut præstare potuit. Quid ergo erit nobis? Remittite, inqt Christus, & remittet uobis. Nos uero, aut nihil remittimus, aut nõ perfecte remittimus, sicut debemus. Quid ergo hoc uerbi aliud est, quã condẽnatio nostri?

Præcepta generalia Dei non tollũt speciales uocationes Dei.

Deus in ira seruat clemẽtiam.

Accusatio iniuriarum & repetitio debitorum est licita.

Homines nihil aut nõ perfecte remittunt.

Et cum in oratione dominica oramus: Remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris, quid aliud, si rectam horum uerborum sententiam excutiamus, precamur, quàm ut Dominus Deus noster aut plane nihil nobis remittat, aut nunquam uere ex animo nobis remittat? Nos enim ita affecti sumus, ut his, qui nobis iniurias intulerunt, aut nihil remittamus, aut si remittimus, nó tamẽ tam perfecte & sancte remittimus, quàm lex à nobis exigit. Quid igitur reliquũ est, quàm ut delicta nostra nunquam nobis perfecte à Deo remittantur? Quo nos uertemus? Si non consequimur perfectam remissionem peccatorum à Deo, certissima est damnatio nostra. Ergo ne desperabimus? Absit. Tametsi enim, si intueamur nostram iusticiam, qua proximis sua delicta remittimus, nunquam mereamur, ut Deus nostra nobis delicta remittat, sed potius agnoscamus iram Dei super nos, & perpetuam damnationem, attamen si intueamur alienam iusticiam, quæ est Domini nostri Iesu Christi, ibi tum iterum aperitur nobis uia salutis. Iesus enim Christus hanc legem de remittendis alienis debitis & erratis ita perfecte impleuit, ut nõ solum condonauerit eorum delicta, qui in ipsum peccauerunt, uerumetiam expiauerit omnium hominum delicta, & meruerit omnibus in ipsum credentibus placatum patrem in cœlis. Placatus autem pater propter filium suum Christum, primũ quidem condonat nobis nostra peccata, ac reputat nos iustos coram se per fidem, deinde donat nobis spiritum sanctum, cuius uirtute possumus uincere carnem uindictæ cupidam, ac remittere aduersariis nostris delicta sua ex animo, non quidem ita perfecte, ut hæc remissio nullum habeat uitium, ac mereatur in iudicio diuino nomen iusticiæ (Per fidem enim, non ex operibus est iusticia) sed tamen ita manifeste, ut fidem nostram declaret, & spiritus sancti præsentiam testetur, & cora Deo ut opus gratitudinis ac sacrificium εὐχαριστικὸν excipiatur. Quid enim causæ esset, cur non remitteres proximo errata sua in te, nisi quia Christus remisit tibi tua errata, ideo existimas tibi licere impune peccare, & illatas iniurias uindicare? At ne erres, Christus non expiauit peccata tua, ut tibi posthac impune liceat peccare, sed magis ut peccata fugias, ut Deo uindictam relinquas, ut aliis sua in te errata cõdones. Aut fortasis negas te proximo sua peccata remissurum, quod iudices ea maiora & atrociora esse, quàm ut condonari debeant? Ac nullum est tantum peccatum hominis in hominem, quantum est peccatum hominis in Dominum Deum suum. Apud Matthæum peccatum hominis in hominem comparatur centum denariis, peccatum autem hominis in Deum comparatur decem millibus talentorum. Quæ igitur hæc est impudentia, quòd audeas à Domino sperare condonationem decem millium talentorum, interim autem centum denarios, quos tibi debet proximus tuus, ita exaggeres, ut multo pluris æstimãdos putes, quàm ut remitti debeant? Sed difficilius, inquis, opus est, quàm ut possim inimico iniurias mihi illatas condonare? Scio quidem, in carne nostra non habitare bonum, ut Paulus ait, nec unquam tam bene agi cum homine, ut in hac uita legem Domini perfecte impleat, & proximo absque omni uitio peccata sua condonet, attamen spiritus sanctus, qui credentibus in Christum per Euangelion subministratur, efficere potest, ut peccatum in mortali nostro corpore non dominetur, ut non secundum carnem uiuamus, sed ut spiritu facta carnis mortificemus. Quare summa nobis danda est opera, ut Christum fide complexi, peccata proximi in nos ita remittamus, quemadmodum credimus nobis nostra peccata à Deo remitti, per Iesum Christũ Dñm nostrum, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus laudandus in secula Amen.

Christus perfecte remisit omnibus & expiauit omnium delicta.

Peccatum hominis in Deũ est grauissimũ peccatũ.

HOMILIA LXIIII.



VAe iusticia præstanda sit in mutuo dando, supra demonstratum est. Nunc docet Christus, quæ iusticia præstanda sit in contractu uenditionis. Et ait: Date, & dabitur uobis. Mensuram bonam & confertam & concussam atque exundantem dabunt in sinũ uestrum. Eadem quippe mẽsura, qua metimini, metiẽtur alii uobis. Vt ea, quæ Christus hoc loco concionatur, probe intelligamus, principio obseruandũ est, ꝙ cum Christus mentionẽ hic faciat mẽsuræ, qua hoies in uenditionibus utunt, hoc in loco præcipue de contractu uenditionis loquat. Et si eñ hoc dictum: Date & dabitur uobis, generaliter usurpari queat, tamen quia Christus mensurarum genera addit, manifestum est, quòd præcipue de contractibus ciuilibus intelligendum sit. Deinde, cum Christus præscribit modum & formam in uendendis rebus, palàm significat, se contractum uenditionis tanquam legitimum agnoscere, & approbare. Si enim hic contractus per se impius esset, nec liceret homini Christiano, certe Christus non iussisset dare mensuram bonam & confertam, sed prorsus damnasset uenditionem, & iussisset homines res suas sine mensura exponere. Nullus enim uerę iusticiæ doctor, in genere uitæ aliquo per se impio, modum uiuẽdi præscribit, sed genus ipsum uitæ in totum damnat. Quare cum Christus doceat modum in uendendis rebus, perspicue approbat contractum uenditionis: Date inquiens. Quid dandum est? In contractu uenditionis danda est mensura bona, si uendideris panum, aut id genus alia, quæ ulnis, quas uocant, mensurantur. Danda est item mensura conferta & concussa, si uendideris arida, ut sunt frumenta. Danda est etiam mẽsura exundãs, si uendideris liquida, ut sunt uinum, oleum, & id genus alia. Cæterũ, quod antea sæpe ac multum inculcauimus, hoc etiam nunc operæ precium est repetere, uidelicet, quòd Christus hoc loco nõ ferat nouam legem negociatoribus, sed interpretur tantum ueterem legem. Vetus lex est: Diliges proximum tuum, sicut teipsum. Hæc lex, si explicueris eam, docet te, ut quemadmodum tu cupias à uenditore accipere mensuram legitimam, bonam, confertam & exundantem, ita uicissim tu emptori mensuram iustam & legitimam exponas. Vetus item lex est: Non furetis. Iam uulgus putat hoc tantum furtum esse, si quis aliena scrinia inuito domino expilet. Mensuram autem & pondera in rebus uẽdendis mutare, & emptorem defraudare, non esse nec malum dolum, nec furtum, sed ingeniosam prudẽtiam, & honestum lucrum. Vnde & negociatores & artifices suas habent in rebus uendendis impostu ras. Mercator, quo carius merces suas extrudat, orationis uanitatem addit, & merces suas optimas, & absq; omni uitio mentitur. Lanii, pistores, pannicidæ, institores, & alii id genus negociatores habent suas nugas, dolos & deceptiones, nec est negociatio aut artificiolum tam paruum & humile, in quo non sit excogitata sua impostura, ac quicquid eiuscemodi dolis & impostu ris paratur, hoc non in furto, sed in magno & honesto lucro deputatur. Christus autem longe aliter hoc loco ex lege docet. Iubet enim mensuram bonam, & confertam, & exundantem dare, non defraudare. Nam quicquid bonæ & confertæ & exundanti mẽsuræ, aut legitimo ponderi callide & malicioſe detraxeris, hoc nomine furti censendum est. Lex enim in Leuitico capite decimo nono ait: Nolite facere iniquum aliquid in iudicio, in regula, in pondere, in mẽsura. Statera iusta, & æqua sint põdere

Contractũ uẽditiõis approbat Christus.

Defraudare alterum in uẽditione est furtum

ra, iustus modius, æquusq; sextarius. Et in Deuteronomio capite uicesimo quinto: Non habebis in sacculis diuersa pōdera, maius & minus, nec erit in domo tua modius maior & minor. Pondus habebis iustum & uerum, & modius æqualis & uerus erit tibi, ut multo uiuas tempore super terrā, quam Dominus Deus dederit tibi. Abominatur enim Dominus eum qui facit hæc, & auersatur omnē iniusticiam. Ac rursus in Prouerbiis capite uicesimo: Pondus & pondus, mensura & mensura, utrunq; abominabile est apud DEVM. Hæ leges & sentēciæ sunt interpretatio eius, quod in decalogo dicitur: Non fureris. Quod enim decalogus generaliter effert, hoc leges istæ certa specie explicant. Quicquid ergo facultatum iniquo ponderе & illegitima mēsura praueris, id pro furto deputandum est. Adhæc Salomon in Prouerbiis capite decimo sexto ait: Pondus & statera iudicia Domini sunt, & opera eius oēs lapides sacculi. Qui ergo iniquis pōderibus & illegitimis mēsuris pximo imponit, is à proximo id malicioſe aufert, qd diuino iudicio pximi est. Quod aūt malicioſe à proximo auferē, id furti nomine cōtinetur. Furatur ergo, quis quis illegitimis mensuris & pōderibus proximo imponit. Iam, si impostores, fures sunt, manifestum est, quid ipsis supplicii tam coram Deo, quàm coram hominibus debeatur. Ac coram DEO quidem obnoxii sunt gehennæ incendio. Neq; enim auari, inquit Paulus, neq; fures, neq; rapaces, regni DEI hæreditatem accipient. Coram hominibus autem fures sua habent supplicia, id quod & uulgare dictum testatur: Non est inquiunt, officiolum tam paruum, quod non sit suspendio dignum. Qua uoce testatur communis hominum sensus, quòd in quouis seu officio seu negociatione excogitentur ab iniquis tales impostura, quæ haud leui pœna merito plectendæ sint. Sed & illud uanissimum est, quod homines existimēt ea quæ impo sturis & illegitimis ponderibus ac mensuris parantur, non damna, sed lucra esse. Nam qui proximum suum in negocio fraudat, & iniquis ponderibus ac mensuris utitur, is uiolat uerbum DOMINI, & resistit iudicio ac ordinationi Dei, quemadmodum antea demonstrauimus. Qui autem uerbo & iudicio Domini resistit, quid aliud ageret, quàm quod sibiipsi maledictionis autor est? Si audire nolueris, inquit lex, uocem DOMINI Dei tui, ut custodias & facias omnia mandata eius, maledictus eris in ciuitate, maledictus in agro. Maledictum horreum tuū, & maledictæ reliquiæ tuæ. Cum ergo impostor maledctus sit, quomodo fieri potest, ut impostura eius sint benedictæ, aut fortunata lucra? Non enim de facultatibus per impostura partis iudicandum est secundum externam earum speciem ac multitudinem, sed secundum uerbum DOMINI. Iam, uerbum Domini pronunciat eas maledictas. Finge igitur eas multitudine sua Crœsi thesauros superare, attamē, quia uerbum DEI, quod non potest aut fallere aut mentiri, iudicat ipsas maledictas, non possunt lucri nomine censeri. Adhæc ostendimus supra ex Mose & Salomone, quòd iniqua pondera & mensuræ sint abominatio coram Deo, & quòd Deus auersetur omnem iniusticiam. Si autem DEVS abominatur iniquitatem pōderum, quomodo non abominaretur etiam opes iniquis ponderibus partas? Si uero Deus abominatur has opes, quas putas ipsis benedictiones cōtingere posse? Non potest DEVS tales opes clementer aspicere, sed auertit faciem suam ab ipsis, & tu existimabis eas non damna sed lucra esse? Quid potest esse benedictio, sine clementia Dei? Apud Micheam ait DOMINVS: Nunquid iustificabo statera impiam & saccelli pondera dolosa, in quibus diuites eius repleti sunt iniquitate, & habitantes in ea loquebantur mendacium, & lingua eorum fraudaléta in ore eor.

Impostores sunt fures.

Damna nō lucra sunt quæ impostoris parantur.

Opes iniquis ponderibus partæ sunt maledictæ.

Audiuisti

Audiuisti diuitias paratas impiis stateris, dolosis ponderibus, mendaciis & fraudulentiis. Audi nunc quanta lucra hæ diuitiæ sint: Ego, ergo, inquit Dominus, cœpi percutere te perditione super peccatis. Tu comedes & non saturaberis, & humiliatio tua in medio tui. Apprehendes & non saluabis, & quos saluaueris, in gladium dabo. Tu seminabis & non metes, tu calcabis oliuam & nõ ungeris oleo, & mustũ, & non bibes uinum. Vides, quanta maledictiõe obruãtur opes impostoris partæ, Molestissimum quidem est, ut comedas, & non satureris, ut semines & non metas, ut colligas mustum, & non bibas, at idem iustissimum est, ut iniuste partis nõ fruaris. In propheta Amos, hi qui quærunt cõterere pauperes, & opprimere egenos terræ, ita dicũt: Quando transibit mensis, & uenum dabimus merces, & sabbatum, & aperiemus frumentum, ut imminuamus mensuram, & augeamus siclum, & suppo namus stateras dolosas, ut possideamus in argento egenos, & pauperes pro calceamentis, & quisquilias frumenti uendamus. Sed uicissim ipsi audiunt Dominum iurantem & dicentem: Si oblitus fuero usq; in finem omnia opera eorũ. Nunquid super isto non cõmouebitur terra, & lugebit omnis habitator eius, & ascendet qua si fluuius uniuersus & eiicietur, & defluet quasi riuus Aegypti? Et mox: Inducam super omne dorsum uestrum saccum, & super omne caput caluicium, & ponam eam quasi luctum unigeniti, & nouissima eius quasi diem amaram. Ecce hæc sunt lucra, quæ parantur impostoris, & dolosis ponderibus. Paulus quoque ad Thessalonicẽses scribens: Ne quis, inquit, opprimat ac fraudet in negocio fratrem suum, propterea q; ultor est Dominus de his omnibus. Si Dominus est ultor fraudis & impostu rarum, quid non maledictionis fraudulentum impostorem manebit? Sed quid manifestius de maledictione impostorum dici potest, quàm quod Christus ait: Eadem mensura, qua metimini, metientur alii uobis? Quare si tu alios dolo malo deceperis, certum est iudicium, & lata est sententia, quod & tu iustissime decipiaris, & improbe partis nunquam fruaris. Quanq; enim magistratus, cuius interest fraudulentos ponderum & mensurarum immutatores seueriter punire, interdum cessaue rit, ac officium suum neglexerit, diuino tamen iudicio hæc lex tam diligenter obseruat, ut defraudatores, quoquomodo fieri potest, aut bellis, aut latrociniis, aut incendiis, aut mutuis dolis, aut aliis calamitatibus, uicissim defraudentur ac puniantur. Ergo ne, inquies, licebit ex hoc dicto Christi, impostoribus imponere, & decep tores decipere? Absit. Hoc enim dicto Christus non significat, q; defraudatis licet uicissim defraudatores defraudare. De hoc enim supra concionatus est: Ab eo, inquiens, qui aufert quæ tua sunt, ne reposcas, & ab eo qui aufert tibi pallium, etiã tunicam noli prohibere, sed explicat, quod supplicium defraudatori & impostori iuste accidat. Nam quemadmodum publicus latro legitime quidẽ à legitimo magistratu occiditur, propterea quòd Dominus Deus noster ordinauit magistratum ad punienda latrocinia, si autem à priuato homine, nullo publico iure, occideret, quanquàm iustissime pro suo merito occideretur, quippe quòd iustum sit, ut qui gladium accipit, gladio pereat, priuatus tamen homo, si sine publica autoritate latronem interficiat, iniuste ageret, propterea q; fines suæ uocationis transgrederet: ita impostor à magistratu legitime punitur, at si priuatus homo hanc autoritatem sibi suaipsius temeritate usurpet, ac impostori imponat, iustum quidem est, quod impostori accidit, qui autem ipsi imponit, iniuste agit, propterea q; ultra septa suæ uocationis transiliat. Quare & deceptor, quisquis fuerit meminerit sibi grauissimũ iudicium diuinitus imminere, ac resipiscat, & deceptus relinquat Domino Deo suam rationem, ac sequatur legitimã suam uocationem. Quæ est ergo recta ratio parã-

Impostorum pœna.

Impostori nõ est uicissim imponendum

Opum parandarũ in contractu uenditiõis uera ratio.

darum opum, & acquirendorum lucrorum in contractu uenditionis? Audi Christum, & docebit te hoc loco optimam rationem. Date, inquit, & dabitur uobis. Quid iubes dare? mensuram bonam, confertam, concussam, & exundantem. Et tunc dabunt etiam alii in sinum uestrũ mensuram bonam, confertam, concussam & exundantem. Eadem quippe mensura, qua metimini, alii metientur uobis. Habes optimam & diuinissimam rationem comparandorum lucrorum, nimirũ, nõ si dederis mensuram diminutam, aut pondus illegitimum, sed si dederis emptori mensuram bonam, concussam & exundantem. Quid? an non adhibes fidem uerbis Christi? Alius quidem dicit, ipso rerum sensu mensuram diminutam afferre uẽditori lucrum, Christus autem ait mensuram concussam & exundantem afferre uenditori lucrum, cui ergo fidem adhibebis? num externo & fallaci rerum sensu potius q̃ uerbo Christi, qui est ipsa ueritas? At ne quicq̃ dubitationis reliquũ maneat, multa quoq; alia sunt sacræ scripturæ loca, quibus manifeste comprobatur, q̃ copiosa rerum expositio, quæ fit legitime iuxta uocationem diuinam, nõ afferat expositori damnum sed lucrum. In Deuteronomio capite uicesimo quarto ita scriptum est: Quando messueris segetem in agro tuo, & oblitus manipulum reliqueris, nõ reuerteris ut tollas eum, sed patieris aduenam, pupillum & uiduam auferre. Ac auarus quispiam ita secum cogitabit: Quid? necesse habeo primitias & decimas dare, necesse quoq; habeo ex lege tolerare, ut si quis intrauerit segetem meam, frangat spicas & comedat, cur ergo relinquerem post me manipulos, aut relictos non tollerem? an nõ hoc esset sese manifesto damno obiicere? At spiritus sanctus, qui solus est uerus rerum nomenclator, non uocat hoc damnum, sed lucrum: Vt benedicat, inquiens, tibi Dominus Deus tuus, in omni opere manuum tuarum. Huc accedit, quod Salomon in Prouerbiis capite undecimo ait. Alii diuidunt propria & ditiores fiunt, alii rapiunt non sua, & semper in egestate sunt. Anima quæ benedicit, impinguabit, & qui inebriat, ipse quoq; inebriatur. Iam idem etiam declarauit Deus naturali exemplo seminis in agrum sparsi. Nam qui multum seminis spargit in agrum suum, is multam quoq; messem colligit. Dare autem & exponere multum, iuxta uocationem Dei, quid aliud est, q̃ semen in agrum spargere? Sic enim Paulus docet: Qui sementem, inquiens, facit libenter & benigne largiendo, copiose messurus est. Quare ipsa seminis in terram sparsi ratio perspicue indicat, q̃ dare copiose iuxta legitimam uocationem Dei, nõ sit damnum sed lucrũ. Postremo, DOMINVS Deus noster multis etiam miraculis, ueluti sigillis cœlestibus, idem confirmauit. E quorum numero, unum tantum præcipuum hoc loco recitabimus. In tercio libro Regum capite decimo septimo, iubet Elias uiduã Sarepthanam paululum aquæ & buccellam panis sibi dare. Etsi aũt uidua, in tam diuturno tempore famis, nihil reliquũ haberet, præterq̃ paululum farinæ & olei, & hoc consumpto mortem expectaret, tamen quia ad uocationem Dei exposuit prophetæ, quod habuit, hydria farinæ non defecit, nec lecitus olei toto famis tempore, donec DOMINVS daret pluuiam super terram, imminutus est. Hoc est miracalum ualde stupendum, quo Dominus comprobare uoluit, legitimam rerum expositionẽ, non esse expositori damnum sed lucrum. Fugiamus igitur, amicissimi, impostoras, & sectemur rectam rationem parandorum lucrorum, ut metientes proximis nostris copiosam mensuram, eandem quoque à Domino Deo nostro recipiamus, per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus laudandus in secula Amen.

Facultatũ expositio legitima non adfert damnum.

HOMILIA LXV.



Actenus exposuit Christus legem, iuxta rectam & diuinam ei us sententiam, ac multo aliter exposuit, q̃ Scribæ & Pharisæi. Nunc autem priusq̃ in expositione legis pergat, interponit admonitionẽ qua hortatur auditores suos, ut ab his doctoribus caueant, qui aliter, q̃ ipse docuit, legem interpretantur.

Dicebat autem illis similitudinem: Nunquid potest cæcus cæcum ducere? nonne ambo in foueam cadũt? Non est discipulus supra magistrum suum, perfectus (seu eruditus) autẽ omnis erit, sicut magister ipsius. Quod Christus paucis uerbis dixit, operæpreciũ est paulo pluribus explicare. Hæc igitur est sententia uerborum Christi: Ego hac concione sensum legis tam uere, perfecte ac perspicue tradidi, ut fieri nõ possit, quin hi, qui legẽ aliter interpretantur, imperiti & cæci sint interpretes. Qui autem cæci sunt, quomodo possunt cæcum ducere? ac ut maxime cæcus cæcum ducat, ambo tamen in foueã cadunt. Quare qui uoluerint rectã legis sententiam perspicere, ac noluerint in profundã cæcitatis foueam collabi, necesse habebunt cauere sibi ab his scribis, Pharisæis, & pseudoprophetis, qui aliũ sensum legi obtrudunt, q̃ ego explicui. Adhæc, multi quidem sunt Rabini, Pharisæi, & magistri, qui se ueram totius diuinæ legis sentẽciam docere profitentur, adeo stupidi tamẽ & rerum diuinarum ignari sunt, ut ne minimæ quidem legis rectam cognitionem teneant, ac indigni sunt, ut magistri & doctoris nomen habeant. Nam quod significatum est per uelamen in facie Mosi, legem ad populum ferentis, positum, quemadmodum in Exodo triceſimo quarto scribitur, hoc in istis Pharisaicis doctoribus uere impletum est. Obcæcati enim sunt sensus illorum, & usq; in hodiernum diem idem uelamen manet in illis, in lectione & interpretatione legis. Quid autem imperitus discipulus ab imperito magistro & præceptore aliud, q̃ insciti am & ignorantiam, disceret? Fieri quidem potest, ut discipulus tantam eruditionem consequatur, quantam præceptor habet, sed si præceptor stupidus & indoctus fuerit, ipsa rerum natura fert, ut & discipulus eius stupidus ac indoctus reddatur. Cum igitur alii legis magistri & doctores legẽ interpretationibus suis obscurent potius q̃ explicent, & discipulum multo indoctiorem à se dimittant, danda omnino est opera, ut unà cum suis nugis deuitentur. Habes, quid sibi uelit Christus cum similitudine cæci ductoris & magistri. Ex his igitur principio animaduertendum est, quantũ commodi uera legis interpretatio, quantum item incommodi falsa pharisaica, sophistica & monastica legis interpretatio discipulis afferat. Falsa enim & impia de lege doctrina est, q̃ lex possit humanis uiribus & externis operibus perfecte impleri, & q̃ his operibus expiemus peccata, & mereamur gratiam Dei ac uitam æternam. Hanc doctrinam de lege non solum docuerũt Pharisæi tẽpore Christi, sed docẽt eam etiã hoc tempore sophistæ & monachi. Sed quia Christus hoc loco uocat doctores huius sentẽciæ, magistros cæcos, manifestũ est, q̃ hæc doctrina summa sit cæcitas, tenebræ & ignorantia, & afferat discipulis eius extremam internicionẽ. Primum enim hæc doctrina de lege ducit auditores in suiipsorũ ignorantiã, & reddit ipsos coram Deo arrogãtes. Nam qui in eam persuasionẽ ueniunt, q̃ lex possit humanis uiribus & operibus impleri, hi ignorant quanta sit peccati nostri, natura nobis adhærentis, magnitudo, quantum humanæ uires peccato primi nostri parentis amiserint, & quanta sit potẽtia

Pharisæi cæci legis interpretes.

Velamẽ in facie Mosi ferẽtis legem.

Legis falsa interpretatio quid incõmodi afferat.

Satanæ ſuper hominem in peccato conceptum & natum. Qui uero hæc ignorauerit, & exiſtimauerit uires ſuas adhuc ſatis integras & perfectas eſſe, quas gloriam coram Deo non efflabit? quas maieſtates & uirtutes non iactabit? Deinde hæc doctrina de lege obiicit diſcipulum perpetuæ damnationi. Cum enim doceat, nos poſſe noſtris operibus legem implere, & peccata expiare, ac uitam æternam mereri, pfecto haud obſcure docet, nos Chriſto planè nihil indigere, ac ſtultiſsimũ eſſe, q̃ Chriſtus tam horrendam mortẽ ad expiãda pctã noſtra ſubierit, quando homines ſuis ipſorum operibus & paſsionibus peccata expiare queant. Vbi autẽ hæc opinio mẽtem humanam obſederit, quòd Chriſto nihil indigeamus, & quòd fruſtra de cœlo deſcenderit, aut ad præcepta tantum uitæ docenda deſcenderit, ibi nulla reliqua ſalus diſcipulo relinquitur. Quare hac doctrina de lege nihil eſt, neq̃ periculoſius neq̃ pernicioſius. Vera autem doctrina de lege eſt, q̃ lex ſit ſpiritualis, q̃ nos, quia natura caremus ſpiritu Dei, legem implere non poſsimus, nec operibus legis peccata expiemus, q̃ lex præcipue in hoc data ſit, ut ducat nos in agnitionem peccatorum noſtrorum, & initiet nobis deſiderium Chriſti, propter quẽ ſolum habemus per fidem, remiſsionem peccatorum, & impletionem legis. Eſt quidem & lex in hoc data, ut mores noſtros formet, & iniquos coërceat, ſed quod ad conſcientiam attinet, ad hoc maxime omnium data eſt, ut per eam ueniat cognitio peccati, ut ex cognitione peccati ad inquirendũ Chriſtũ adigamur. Hæc eſt doctrina de lege, nec phariſaica, nec ſophiſtica, ſed ea, quã & ꝓphetæ & Chriſtus ipſe & Apoſtoli eius docuerunt. Vnde qui hac doctrina ducit, non in foueã perpetui interitus, ſed ad lucẽ regni cœleſtis ducitur. Hac enim doctrina diſpellitur ignoratio noſtri, & opprimitur arrogantia & contumacia noſtra. Hinc ſequitur humilitas, deinde deſiderium ſalutis, poſthac inueſtigatio Chriſti. Inueſtigato autem & cognito Chriſto, omnia ſalua ſunt. Caueamus igitur nobis à diuerſa & phariſaica doctrina legis, ne in tenebricoſam interitus foueam ſeducamur, capeſſamus autẽ ueram, propheticam, Chriſtianam, & Apoſtolicam doctrinam de lege, ut ex ipſa ad cognitionẽ ueræ lucis erudiamur. Iam hæc admonitio, qua Chriſtus iubet nos fugere cæcos magiſtros & phariſaicos interpretes legis, etiam huc nos uocat, ut æterno excitemur, torporẽ noſtrũ excutiamus, ac diligentiores ad ſectanda & curãda ea, q̃ ſunt ſalutis noſtræ, reddamur. Sũt enim multi, qui quãuis doctrinã ſiue piã ſiue impiã agnoſcũt, & ſine omni iudicio capeſſunt, interim tñ blandiũtur ſibi, perinde ac ſi corã Deo ſint excuſati, q̃ ea, quæ à ſuis doctoribus, ſiue pia ſiue impia, audiunt, ſectentẽ. Si bene, inquiunt, docet ſacrificulus, cuius auditor ſum, fruar & ego doctrinæ eius ueritate. Si aũt male docet, cur meo incõmodo male doceret? quomodo ego, qui ſum uir ſimplex, & oĩm rei ignarus, aliena culpa perirem? Sed Chriſtus his longe alia hoc in loco cõcionatur, & docet, per impiã doctrinam, non ſolũ magiſtrũ & p̃ceptorẽ, uerũetiam diſcipulũ perire. Si cæcus, inquit, cæcũ ducit, nõ ductor tñ, ſed etiã is q̃ ducit, in foueã cadit. Et nõ eſt diſcipulus ſupra magiſtrum ſuum. Si imperitus magiſter diſcipulum doceat, non poteſt diſcipulus è doctrina magiſtri peritior fieri, ac ſi diſcipulus multum promoueat, ad tãtam eruditionem peruenire poteſt, quanta præceptor præditus eſt. Cum autem præceptor impia tantum doctrina imbutus ſit, profecto non poteſt niſi impium diſcipulum reddere. Huc accedit, quod in Ezechiele capite tercio ſcribitur: Si dicẽte me, inquit Dominus, ad impium, morte morieris, non annunciaueris ei, neq̃ locutus fueris, ut auertatur

Vera doctrina de lege, & illius cõmoda

Diligentia adhibenda in cauſis ad ſalutẽ noſtrã pertinentibus.

Auditores et diſcipuli etiã unà cum impijs doctoribus peribunt

auertatur à uia sua impia, & uiuat. Quid fiet? num impius erit excusatus? nequaquã, sed ipse (inquit) impius in iniquitate sua morietur, sanguinẽ autem eius de manu tua requiram. Et rursus capite tricesimo tercio: Si speculator uiderit gladiũ uenientem, & non insonuerit buccina, & populus se non custodierit, ueneritq; gladius, & tulerit de eis animã, num hæc anima seruabitur? Minime omniũ. Sequit enim: Ille quidem in iniquitate sua captus est, sanguinẽ aũt eius de manu speculatoris requirã: Et Paulus de impiis doctoribus: Sermo, inquit, illoꝝ, ut cancer morbus, pastionẽ habet, uidelicet depascens non tantũ doctores ipsos, sed etiam discipulos eorũ. Quare, etsi sanguis discipuli de manu impii præceptoris requiraꝰ, tamẽ quia discipulo unà cum impio præceptore pereundũ est, unusquisq; sibi ab impiis diuinæ legis interpretibus, nõ aliter quàm à præsentanea peste & mortifero ueneno, cauere debet.

Gentes ante Christum natum, & discipuli doctrinæ sophisticæ nũ omnes sint damnati.

Quid ergo dicemus de his, qui ante Christũ natum fuerũt auditores impiæ doctrinæ pharisaicæ, & qui hoc tẽpore ante reuelationẽ Euangelii fuerũt discipuli doctrinæ sophisticæ & monasticæ? num sentiemus hos omnes unà cum impiis suis doctoribus periisse? De hac re ita sentiendũ est, quòd negari nõ possit, quin doctrina pharisaica & monastica de meritis humanæ iusticiæ, cuius doctrinæ maiores nostri auditores fuerunt, per se impia sit, & natura sua ad perpetuũ interitum ducat. Nam, quemadmodũ ignis natura sua absumit, quicquid uel lignoꝝ uel aliarum id genus rerum imponas, ita doctrina illa de meritis humanorũ operum non habet aliã naturam, quàm perdendi auditores suos. Quanquam aũt natura ignis sit, ut cõburat aut ligna aut corpora humana, quæ sunt igni imposita, tamen miraculo & efficacia quadã supernaturali fieri potest, ut hæc in igne illæsa conseruent. Vidit enim Mose, in Exodo capite tercio, q̃ rubus arderet, non tamen combureretur. Et in Daniele tres adolescentes, in fornacẽ ignis à Nebucad Nezare coniecti, in medio ignis illæsi ambulant. Sic etsi impiæ doctrinæ natura sit, ut deuoret ac perdat discipulos suos, electi tamen Dei mirabiliter sub ea liberantur. Cuius rei manifestum argumentum in tercio libro Regum capite decimo nono commemoratur. Tempore enim prophetæ Eliæ impius cultus Baal tanta ueneratione publice ab omnibus pene Israelitis obseruabatur, ut Elias existimaret se solum in uero Dei cultu relictũ. Dereliquerunt, inquiens, pactum Domini filii Israel. Altaria tua destruxerunt, & prophetas tuos occiderunt gladio, & derelictus sum ego solus, & quærunt animam meam ut auferant eam. Quæ horribilior potuisset esse facies ecclesiæ Domini, quã ea, quæ ab Elia recensetur? Verus Dei cultus erat abrogatus, ueri prophetæ erant occisi, solus cultus Baal publice & prædicabatur & ab omnibus obseruabatur, unus tantum uerus propheta adhuc reliquus erat Elias. Ergo ne omnes discipuli Baalitici doctrinæ peribant? Natura quidem impiæ eius doctrinæ ita fert, ut omnes discipuli eius pereant, sed ut uideas, quàm mirabiliter Dominus Deus noster electos suos cõseruet, audi quid diuinũ responsum ad Eliam dicat: Dereliqui mihi in Israel septẽ millia uiroꝝ, quorum genua non sunt curuata ante Baal, & omne os, quod non adorauerit eũ, osculans manũ. Sic Pharisaica & monastica doctrina ducũt quidem natura sua auditores ad interitũ, si qui tamẽ inter maiores nostros electi Dei fuerunt, hi suo seculo, quãuis publice impio, diuina clemẽtia mirabiliter conseruati sunt. Habet enim quoduis seculũ, quãtumuis publica doctrina & cultu impiũ, sua septem millia uirorũ, qui mirabili & potenti Dei clementia puri & inuiolati ab impietate seruantur, quoniam non repellet, ut Dauid inquit, Dominus plebem suam,

Prædicatio publica Euangelij sectãda.

& hæreditatem suam nõ derelinquet. Dicet ergo quispiam: Si res ita se habet, quid est, quòd tanto periculo ueram Euangelii doctrinam sectemur? Sinamus potius impiam doctrinam in ecclesia regnare, ut nos securi uiuamus, siquidem Dominus sua septem millia, etiã sine publica prædicatione Euangelicæ ueritatis, sibi derelinquere potest. Sed quid hoc sibi aliud uult, quàm si quis dicat: Subdamus ignem domibus nostris, & iniiciamus nos ipsos in ignem. Cum enim Dominus ardentem rubum, & tres adolescentes in igne incombustos seruarit, non est periculum, ut nos igni comburamur. Quid posset magis temerarium dici? Quanquam enim tres adolescentes illæsi in igne conseruati sunt, nobis tamen non licet nos temere sine uocatione Dei igni exponere, ac Dominum Deum nostrum tentare. Sectanda quidé est uocatio Dei in fide, si uerbo eius iubemur in ignem ire, & toleranda est per fidé uoluntas Dei, si in ignem uiolenter coniiciamur, aut forte cadamus, nec legitima ratione euadere queamus, sed si Dominus Deus noster proposuit nobis rectam & commodam uiam euãdendi aut cauendi ab igne, summa danda est opera, ne tentemus Deum, neue periculo nos temere exponamus. Ad eundem modum sentiendũ etiam est de sectanda publica prædicatione Euangelii. Etsi enim Dominus in media etiam impietate sua septem millia conseruet, si tamen proponit nobis reuelatũ Euangelion, & ostendit publice impietatem, à fugienda impietate & sectando Euangelio, nullo nec facultatum nec famæ nec uitæ nostræ periculo deterreamur. Qui enim, inquit Christus, negauerit me coram hominibus, negabo eum & ego coram patre meo qui est in cœlis. Proinde, etsi impia doctrina de meritis operũ apud maiores nostros publice in ecclesia prædicata sit, bene tamen de salute ipsorum sperandum est. Nos autem, quibus diuina elementia ueritas Euangelii de Iesu Christo, & de iusticia, quæ habetur in Christo per fidem, reuelata est, totis uiribus enitamur, ut fugiamus cæcos & imperitos legis magistros, sectemur autem ueram diuinã legis interpretationem, quam Iesus Christus in hac longa sua concione tradidit, ut per legem in agnitionem peccatorum, ex agnitione peccatorum ad cognitionẽ Euangelii, ex cognitione Euangelii ad ueram salutem perueniamus, per Iesum Christũ Dñm nostr, qui est unà cũ Patre & Spiritu sancto Deus laudãdus in secula Amẽ.

HOMILIA. LXVI.

Postquam Christus admonuit auditores suos, ut caueant sibi à cæcis magistris, & imperitis interpretibus legis, redit nunc ad expositionem legis, & quod supra breuiter dictum est: Nolite condemnare & non condemnabimini, hoc nunc paulo pluribus explicat dicens: Quid autem uides festucã in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo proprio est, nõ animaduertis? Aut quomodo potes dicere fratri tuo, frater, sine eiiciam festucam, quæ in oculo tuo est, ipse in oculo tuo trabem non uides? Hypocrita, eiice primum trabem ex oculo tuo, & tunc perspicies, ut eiicias festucã, quæ est in oculo fratris tui. Hæc obiurgatio seueriſsima est, qua Christus grauiſsime in eos inuehitur, qui alienam famam obtrectationibus suis sordidant, & sua quidé errata negligunt, aliena autem errata in immensum amplificant ac seueriter condemnant. Festuca enim leue proximi peccatum est. Trabs autem, graue nostrum peccatum. Iam hæc est genuina hominum natura, quòd trabes suas non animaduertant, alienas autem festucas statim perspiciant, hoc est, grauiſsima sua delicta diligenter

Obtrectatores grauiſsime obiurgantur.

Natura hominũ peruersa.

diligenter excusant, ac interdum ne requirunt quidem, leuiora autem aliorum delicta mirum in modum accusant & exaggerant, ac in diiudicandis suis peccatis cæci, in alienis autem oculatissimi & plane lyncei sunt. Vnde maiores nostri dixerũt, unumquemuis gestare in humero suo manticam, cuius alia pars à fronte, alia à tergo propendeat, ac in posteriorem quidem partẽ manticæ sua ipsius delicta, in priorem uero aliena delicta reponere. Qua re significatum est, hoc esse hominum ingenium, quòd sua peccata à conspectu suo reiiciant, in aliena autẽ totam oculorũ aciem nunquam non intendant. Sunt qui scribant, Momum in hominis conditione, præter alia, etiam hoc reprehendisse, quod homo haberet oculos forinsecus tantũ uersos, quibus aliena duntaxat delicta uideret, non item inuersos, quibus & sua propria delicta contueri posset. Sed quid multis opus? Vulgaris & notissimus hominũ morbus est, in alieno oculo festucam uidere, in suo aũt oculo trabem non animaduertere. Num igitur dicemus ipsum tanto minus periculosum esse, quanto uulgarior est? Minime omnium. sed quanto uulgarior est, tanto etiam pernicios ior est, & tanto grauius, quanto frequentius peccatur. Primum enim, qui aliena delicta exaggerant, peccant contra compendiũ legis & prophetarũ, quod est: Omnia quæcunq; uolueritis, ut faciant uobis homines, sic & uos facite illis, &: Dilige proximũ tuum, sicut teipsum. Vnusquisq; enim naturaliter hoc desiderio affectus est, ut cupiat peccata sua aut cælari, aut excusari. Cum igitur hoc ipsum alteri non præstet, profecto ipsum naturæ ductum uiolat, & in figura hominis feritatem & immanitatẽ beluæ exercet. Deinde qui aliena delicta traducunt & amplificant, peccant cõtra hãc legem: Non occidas. Homicidiũ enim non tantum manu, sed etiam lingua cõmittitur. Et obtrectatio, si probe contempleris, nihil aliud est, quàm dilaniatio & deuoratio proximi. Etenim, quemadmodũ in familiaribus conuiuiis anser quispiam aut gallus gallinaceus, igni assatus & mensæ appositus, à famelicis conuiuis ita dilaniatur, & abraditur, ut uix ossa reliqua maneant: ita in colloquiis obtrectatorum absens quispiam in medium abripitur, & obtrectationibus ita diripitur & deuoratur, ut ipsi uix mica bonæ famæ aut honesti nominis reliqua fiat. Quid ergo obtrectatio à dilanitiõe proximi & homicidio differret? Nam obtrectationem genus homicidii esse, haud obscure significat Hiob capite tricesimo primo: Si dixerunt (inquiens) uiri tabernaculi mei, quis det, ut non de carnibus inimici saturemur? hoc est, non sum passus, ut neque domestici mei male de inimico loquerentur, & ad ruinam eius gauderent? Idem etiam significat Paulus ad Galatas capite quinto: Si alius (inquit) alium uicissim mordetis, & deuoratis, uidete ne uicissim alius ab alio consumamini. Iam & Dauid psalmo quinquagesimo sexto ait: Filii hominum, dentes eorũ arma & sagittæ, & lingua eorũ gladius acutus. Et Salomon in Prouerbiis capite uicesimo quinto: Iaculum, gladius, & sagitta acuta, homo qui loquitur cõtra proximum suum falsum testimonium. Reliquum igitur est, quod non hi tantum sint homicidæ, qui proximo uitam gladio auferunt, sed etiam hi qui proximo bonam famam, quæ honesto uiro potior uita est obtrectationibus auferunt, & quod non hi, qui sextis feriis uescuntur carnibus, impii carniuoræ cẽsendi sunt, sed hi potius, qui obtrectationibus suis humanam carnem, bonam uidelicet proximi famam, dilaniant. Cæterũ, obtrectatio non solum est grauissimũ peccatũ aduersus Deũ & proximum, sed etiã longe maius incõmodum affert ipsi obtrectatori, q̃ ei cui obtrectatur. Nam qui aliena delicta traducit, & exaggerat, is seipsum palã prodit, q̃ nondũ

Delicta aliena exaggerare grauissimum peccatum.

Obtrectatio est homicidium.

Obtrectatio plus nocet obtrectatori q̃ alijs.

ſua errata agnoſcat: Si enim grauitatem ſuoꝝ peccatorum recte agnoſceret, tantũ negocii haberet, ut plane non uacaret ei de alienis delictis cogitare. Vbi aũt non eſt agnitio peccatoꝝ ſuorum, ibi nec eſt fides, nec Chriſtus, nec ſalus. Quare obtrectator, cum aliena delicta traducit & exaggerat, ſeſe ſuo ipſius indicio prodit, q̃ ipſe ignoratione ſuorum ſcelerum, nec fidẽ, nec Chriſtũ, nec ſalutem habeat, ſed perpetuæ internicioni obnoxius ſit. Adhæc, obtrectator etiam precationem dominicam, quam ad Deum patrẽ orat, obtrectationibus ſuis ſibiipſi incõmodam reddit, ac contra ſeipſum orat. Cum enim precatur: Remitte nobis debita noſtra, ſicut & nos remittimus debitoribus noſtris, quid, obſecro, obtrectatori aliud ſignificat, q̃ ſi diceret: Ego nulli hominũ ſua delicta remitto, ſed bonæ omniũ famæ detraho, ac ubi in proximo meo nulla ſunt delicta, ibi fingo, ubi aũt inuenio parua delicta, ea in immenſum exaggero. Precor igitur, ut nulla mihi delicta, nec corã Deo, nec corã hominibus remittant̃, & omnes male de me loquant̃, adeoq; minima mea delicta longe omniũ maxima iudicent. Quid hac precatione horribilius? Accedit huc, q̃ obtrectator prodat obtrectatione ſua, animum ſuũ omni malicia & iniquitate pleniſsimum eſſe. Sic enim ſequitur: Non eſt arbor bona, quæ facit fructũ malum, neq; arbor mala, faciens fructũ bonũ. Vnaquæq; enim arbor ex fructu ſuo cognoſcitur. Neq; enim è ſpinis colligunt ficus, neq; è rubo uindemiãt uuam. Bonus homo ex bono theſauro cordis ſui profert bonum, & malus homo ex malo theſauro cordis ſui profert malum. Ex abundantia enim cordis loquitur os eius. Exemplũ arboris bonæ & malæ, quo Chriſtus hoc loco utitur, ad uarios uſus accõmodari poteſt. In Matthæo capite ſeptimo utitur Chriſtus eo ad ſignificandũ, quomodo doctrina pſeudoprophetarum cognoſcenda ſit. A fructibus, inquit, ipſorum agnoſcetis eos. In Matthæo aũt capite duodecimo, & hoc loco, utitur Chriſtus ipſo ad detegendos & illuſtrandos calumniatores & obtrectatores, Progenies, inquit, uiperarum, quomodo poteſtis bona loqui, cum ſitis mali? Vt igitur probe intelligamus, quid ſibi uelit Chriſtus exemplo arboris bonæ & malæ, in hac concione apud Lucam, obſeruandũ eſt, quod, ſicut in arbore iudicatur radix & medulla, ita in homine iudicatur cor. Et ſicut in arbore habeẽ fructus, ita in hominẽ ſermo, & quicquid eſt externoꝝ operum. Iam, quemadmodum è fructibus cognoſcitur arbor, bona ne ſit an mala, bonã ne habeat radicem & medullã, an non. Vbi enim quis uidet ficum aut uuam pendere, ibi certe nõ iudicat ſpinam aut rubũ eſſe, ubi uero mora aut baccas uideris, ibi non dices arborem ficum, aut uitem eſſe. Vnaquæq; enim arbor è ſuo fructu cognoſcit̃: ſic & è ſermone cognoſcit̃ homo, bonus ne ſit an malus, bonum ne habeat cor an malũ. Nam qui de proximo ſuo male loquit̃, & ſcelera eius exaggerat, ipſo ſermone prodit, ſeſe geſtare cor malicia & ſceleribus impletũ. Malus enim homo ex malo cordis ſui theſauro profert malum. Qui autem de proximo ſuo bene loquitur, & ſcelera eius non traducit, ſed quoquomodo poteſt, cælat, & orat pro eis ad Dominum, hic ſuo ſermone & facto prodit ſeſe, quòd habeat cor bonitate & pietate impletum. Bonus enim homo ex bono theſauro cordis ſui profert bonum, & ex abundantia cordis os loquitur. Quare, ſi os loquitur mala & blaſphema, palàm iudicatur, cor malicia & blaſphemia abundare. Si autem loquit̃ bona & pia, perſpicue declaratur, cor etiam bonitate & pietate abundare. Porro aut̃ ſi deſideraueris ſcire, quæ ſit abundantia & theſaurus cordis boni, quæ item ſit abũdantia cordis mali, audi quid Paulus ad Galatas ſcribat, capite quinto: Fructus, inquit, ſpiritus eſt charitas, gaudium, pax, lenitas, benignitas, bonitas, fides, manſuetudo, tem-

Obtrectator contra ſeipſum orat.

Homo è ſermone cognoſcitur.

Cordis boni theſaurus.

tudo, temperantia. Hæc est abundantia & thesaurus cordis boni. In Matthæo aũt capite decimo quinto commemorat CHRISTVS thesaurum cordis mali: Ex corde, inquit, exeunt cogitationes malæ, cædes, adulteria, stupra, furta, falsa testimonia, conuicia. Et hunc thesaurum sese possidere demonstrat is, qui de proximo suo pessima quæque scelera spargit, & amplificat. Obtrectator igitur, maximus suiipsius proditor est, propterea quòd alienæ famæ detrahẽdo palàm declaret, se maximum in sinu nebulonem gestare. Postremo obtrectator obiicit seipsum seuerissimæ rationi, quæ ab ipso in diuino iudicio exigetur. Apud Matthæum enim CHRISTVS capite duodecimo sic ait: De quocunque uerbo ocioso, quod locuti fuerint homines, reddituri sunt rationem in die iudicii. Si de ocioso uerbo reddenda est ratio in diuino iudicio, quid sentiendum est de uerbo obtrectatorio & calumniatorio? nunquid de his ratio reddi potest? Sed ut nemo potest coram Deo temerariũ suum homicidiũ excusare aut defendere, ita nemo potest uel minimum uerbum obtrectatorium coram Deo defendere, quandoquidem obtrectatio ad genera homicidiorum pertinet, quemadmodum supra demonstrauimus. Quid ergo faciemus? quo nos uertemus? Si de uerbis ociosis reddenda ratio est, & coram Deo uerba obtrectatoria pro homicidiis habentur, profecto de salute nostra actum est. Inueniemus enim in elencho scelerum nostrorum tot fere homicidia, quot uerba, & cum unum homicidium non queamus defendere, quomodo defendemus innumera? Quid ergo aliud nos manet, quàm perpetuum gehennæ incendium? Certe nihil aliud, si nostram iusticiam & apologiam in diuino iudicio intueamur, sed Deo gratia, qui dedit nobis uictoriam per DOMINVM nostrum IESVM Christum. Is enim expiauit omnia impia nostra, tum dicta tum facta, & proposuit se nobis aduocatum apud patrem. Quare si in hunc credimus, tanta nos charitate complectitur, ut in diuino iudicio sese in locum nostrum reponat, ac quod nos nec excusare nec defendere possumus, hoc ipse sanguine suo delet, & nos cum patre ita reconciliat, ut remissis omnibus peccatis largiatur nobis æternam fœlicitatem. Ergo ne, inquies, nihil aliud à nobis requiritur, quàm ut credamus in CHRISTVM, & interim licebit pessima quæque scelera de proximis nostris spargere? Aut, hoc ne requiritur, ut scelera proximi commendemus ac pro iusticia interpretemur? Nequaquam. Ad consequendam quidem remissionem peccatorum nihil aliud præter fidem in CHRISTVM exigitur, sed ad declarandam hanc remissionem, & ad testificandam hanc fidem exigitur, ut uoci CHRISTI obedias, ita dicentis: Hypocrita, eiice primum trabem ex oculo tuo, & tunc perspicies ut eiicias festucam, quæ est in oculo fratris tui. Quomodo ergo eiicienda est trabs ex oculo nostro? Certe non potes alio organo trabem eiicere, nisi assumas fidem in CHRISTVM, qua effodias trabem ex oculo tuo, & reiicias eam in humerum Christi, hoc uidelicet ante omnia agens, ut agnitis peccatis tuis, credas ea tibi propter Iesum Christũ remissa. Deinde, ut diligentissime fugias ea peccata, quæ in proximo reprehensione digna animaduerteris. Postremo, si habes officiũ aliena delicta reprehẽdendi aut puniendi, (ut sunt officia magistratus, ecclesiastæ, & patrũ familias) agas id, quod est officii tui, pro legitima uocatiõis tuæ ratiõe, aut si nõ habes tale officiũ, non traducas errata proximi publice, sed ores pro ipsis ad Deum, & si uides proximũ ferre posse, admoneas eũ errati sui remotis arbitris, iuxta regulã Christi: Si peccauerit in te frater tuus, uade & argue eum inter te & ipsum solum.

Cordis mali thesaurus.

Obtrectator rationem reddet in die iudicij.

Trabem ex oculo nostro eijcere.

Hæc est disciplina, quam à nobis requirit lex Domini. Hæc est uia, ad quam nos uocat ipsa fidei nostræ in Christum ratio, in qua, si ambulauerimus, recta pergemus ad uitam & fœlicitatem æternam, per Dominum nostrum Iesum Cristum, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus laudandus in secula Amen.

HOMILIA. LXVII.

QVemadmodum lex intelligenda sit, & quam habeat sententiam, satis hactenus in concione Christi explicatum est. Sequitur nunc concionis cõclusio, in qua Christus grauiter admodum & magna autoritate hanc legis explicationẽ commendat. Non enim uult, ut quæ hac concione dicta sunt, & quæ lex Domini mandat, pro arbitrariis consiliis, sicut quidam putant, habeantur, sed omnino exigit, ut sicut sunt seueriſsima præcepta Dei, ita perfectiſsime obseruentur, ac niſi ita obseruentẽ, perpetuam internitionẽ minatur. Quid, inquiens, uocatis me Domine, Domine, & non facitis, quæ dico? Apud Matthæum hæc uerba sic recensentẽ: Non quiſquis dicit mihi: Domine Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui fecerit uoluntatem patris mei, qui in cœlis est. Quod ergo Christus ait, hanc habet sententiã: Explicui hactenus legem Domini perfectiſsime, & quanquam multis uideatur esse noua doctrina, tamen si & Moſe & prophetæ probe excutiantur, manifestum erit, me in hac concione nihil prorsus noui docuisse, sed tantum ueterem legem iuxta ueram spiritus sancti, ipsiusq; Mosi & omnium prophetarum sententiam explicuisse. Reliquum igitur nunc est, ut cognoscatis, quòd obseruatio legis & sententiæ eius, non tantum externa, sed perfectiſsima & absolutiſsima à nobis exigatur. Primum enim ad legem perfecte implendam, & ad regnum cœlorum merito iustitiæ suæ possidẽdum non sufficit me uocare Dominum, Dominum. Hoc iuxta phrasim Hebræorum dictum est, qui appellãdo Deum maioris honoris gratia dicunt, אדוני יהוה, hoc est, Dominator Domine. Hoc ergo loco Deum uocare Dominum, Dominum, est uel multas preces iterare, uel multas cærimonias & cultus diuinos in honorẽ Dei obseruare. Hæc autem nondum sunt uel perfecta impletio legis, uel sufficiens meritum uitæ æternæ, & regni cœlorum. Vnde & Esaias cum dicto Christi cõsentiens ait: Quo mihi multitudinem uictimarũ uestrarum dixit Dominus? Et mox: Cum extẽderitis manus uestras, auertam oculos meos à uobis, & cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam, manus enim uestræ sanguine plenæ sunt. Huc accedit & Ieremias: Hæc dicit Dominus Zebaoth Deus Israel: Holocautomata uestra addite uictimis uestris, & comedite carnes, quia non sum locutus cũ patribus uestris, & nõ præcepi eis, in die qua eduxi eos de terra Aegypti, de uerbo holocautomatũ & uictimarum, sed hoc uerbũ præcepi eis dicens: Audite uocẽ meam, & ero uobis Deus, & uos eritis mihi populus, & ambulate in omni uia quam mandaui uobis, ut bene sit uobis. Paulus quoq; ad Romanos scribens: Non qui audiunt, inquit, legẽ, iusti sunt apud Deũ, sed qui legem factis exprimunt, iusti habebutur. Et ad Corinthios: Circumcisio nihil est, præpuciũ nihil est, sed obseruatio mandatorum Dei. Habes testimonia, q̃ nec multæ preces, nec multæ cærimoniæ ac diuini cultus aut legem Dei perfecte impleant, aut regnũ cœlorum mereantẽ. Ergo ne, inquies, nihil orabimus? non audiemus legẽ? & Iudæi ante natum Christum non debuerunt circumcidi, & uictimas offerre? Absit. Oratio & auditus legis necessaria sunt. Circumcisio quoq; & uictimarum oblatio in suo ordine & tempore bona atq; utilia fuerunt, sed hæc quantũcunq;

Legis obseruatio perfectiſsima requiritur à nobis.

Deum uocare Dominum Dominũ quid sit.

Preces & cærimoniæ multæ nõ implẽt perfecte legẽ

quantumcunq; utilia & neceſſaria ſunt, nondum tamen ſunt perfecta impletio legis. Quòd ſi præterea acceſſerit opinio operis, ut uocant, operati, uidelicet, ſi ſentias, hæc opera merito ſuo expiare peccata, & digna eſſe præmio uitæ æternæ, non ſolum non ſunt impletio legis, uerumetiam ſunt perniciosiſsima, & ducunt ad perpetuum interitum. Deinde ad implendam legem, & ad acquirendam meritis ſuis ſempiternam fœlicitatẽ, nõ ſufficit magnitudo ſeu moralium ſeu admirabiliũ uirtutum. Nam de dono miraculorum Chriſtus apud Matthæum ita concionatur: Multi dicent mihi in illo die: Domine, Domine, nonne per nomen tuum prophetauimus, & per nomen tuum dæmonia eiecimus, & per nomen tuum multas uirtutes præſtitimus? Ac tum confitebor illis: Nunq̃ noui uos. Diſcedite à me oẽs, qui operamini iniquitates. Quid? an per nomen Domini prophetare & dæmonia eiicere, eſt operari iniquitatem? Minime omnium. Hæc enim ſunt dona Dei clariſsima, ſed Chriſtus his uerbis ſignificat, q̃ hæc dona poſsint quidem reddere hominem coram hominibus illuſtrioré, non autem reddant eum coram Deo iuſtiorem, nec impleant legem Dei, nec mereantur dignitate ſua uitam æternam. Vnde cùm apud Lucam capite decimo ſeptuaginta diſcipuli redirẽt ad Chriſtum, & gloriarentur, q̃ etiam dæmonia ſubiicerentur ipſis per nomen eius, reſpondet illis Chriſtus: Ecce do uobis poteſtatẽ calcãdi ſuper ſerpẽtes & ſcorpiones, & ſuper omnem uirtutem inimici, & nihil uobis nocebit. Veruntamen in hoc nolite gaudere, quòd ſpiritus uobis ſubiiciuntur, ſed gaudete, q̃ nomina ueſtra ſcripta ſunt in cœlis. Et ſi donum ædendi miracula eſſet impletio legis & iuſtificatio, cur Chriſtus iuberet apud Matthæum capite uicesimo quarto fugere pſeudochriſtos & pſeudoprophetas, qui tanta ſigna & prodigia ædituri ſunt, ut in errorem inducantur, ſi fieri poſsit, etiã electi? Et Paulus ad Corinthios ſcribens: Si habeam, inquit, pphetiam, & nouerim omnia myſteria, omnemque ſcientiã, & ſi habeã omnem fidem, adeo ut montes loco dimoueam, charitatem autem non habeam, nihil ſum. An non prophetauit Bileam? An non fuit unus è duodecim Apoſtolis, & habuit uirtutem ædendi miracula Iudas Iſchariotes? attamen, quia fuerunt impii, nec illi prophecia, nec huic donum Apoſtolatus iuſticiam & ſalutem contulerunt. Quod de admirabilibus uirtutibus ædendi miracula & propheciæ dictum eſt, hoc idem ſentiẽdum eſt de uirtutibus moralibus. Neq; enim iuſticia ciuilis, neq; fortitudo, nec aliæ id genus morales uirtutes legem Dei implent, aut regnum cœlorum merentur. Non glorietur, inquit Dominus apud Ieremiam, ſapiens in ſapientia ſua, & non glorietur fortis in fortitudine ſua, & nõ glorietur diues in diuitiis ſuis, ſed in hoc glorietur, qui gloriatur, ſcire & noſſe me, quia ego ſum Dominus, qui facio miſericordiam, & iudiciũ & iuſticiam in terra. Apud Romanos Decius conſul tanto amore patriæ ſimul & fortitudine præditus fuit, ut ſe pro ſalute patriæ deuotum in medios hoſtes immiſerit, ac ſeſe tanq̃ piaculum cœleſtis iræ hoſtibus trucidandum obiecerit. Quæ uirtus etſi magna & præclara ſit, non tamen fuit uel impletio diuinæ legis, uel meritum regni cœleſtis. Apud Athenienſes Ariſtides tanta ciuili iuſticia fulſit, ut etiam cognomentum Iuſti reportauerit, at hac iuſticia, quamuis maxima cõmendatione digna, nec diuinæ legi ſatisfactum eſt, nec uera iuſticia & ſalus corã Deo parta eſt. Romani gloriãtur de uirtute Attilii Reguli, qui cum captus eſſet à Carthaginenſibus, & de commutandis captiuis Romam miſſus eſſet, iuratus prius, ſe rediturum, primum ut Romam uenit, captiuos reddẽdos in ſenatu non cenſuit, deinde, cum retineretur à propinquis & amicis, maluit ad ſupplicium redire, q̃ fidem hoſti datam fallere. Præclara hæc uirtus eſt, ſed nec tam bona, ut lege diuinæ perfectæ ſatisfaciat, nec tam digna, ut regnum cœlorũ me

Miraculorũ donũ nõ ſufficit ad implendam legem.

Virtutes morales non implent legem Dei.

Decij Romani pietas in patriam.

Ariſtides Iuſtus.

Attilij Regiũli fortitudo.

reatur. Quare etsi humanæ prudentiæ auditu horrendum sit, quod tamen Christus affirmat se dicturum ad impios, de admirabilibus suis donis gloriantes, hoc idem ad eos, qui in impietate moralibus uirtutibus nobiles sunt, dicturus est in die iudicii: Non noui uos. Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem. Si ergo neq; multæ preces, neq; multarum cæremoniarum & cultuum diuinorum obseruatio, neq; dona ædendorum miraculorum, neq; uirtutes morales diuinam legẽ perfecte implent, ac regnum cœleste merentur, quid faciendum est, quo legi diuinæ satisfiat, & quo regnum Dei meritis iusticiæ acquiratur? De hac re audi Christum in Matthæo ita concionantem: Non quisquis dicit mihi, Domine, Domine, introibit in regnum cœlorum, sed qui fecerit uoluntatem patris mei, qui in cœlis est. Porro uoluntas patris expressa est lege Mosi, quæ lex ante quidem per prophetas, nunc autem per ipsum Christum ita explicata est, ut perspicuũ sit, eam esse spiritualem, ac requirere non solum externam, uerumetiam internã honestatem, adeoq; tantam iusticiæ & sanctitatis perfectionem, ut nec ad unius apicis aut iota uiolationem conniueat. Maledictus, inquit, omnis, qui non manserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea. Quare quisquis uoluerit legem perfecte implere, & regnum cœlorũ merito suæ iusticiæ acquirere, is necesse habebit, nihil omnino nec minimi quidem uicii in se continere, sed spiritum sanctũ ita perfecte possidere, ut nihil aliud cogitet, sentiat, & agat, q̃ ut Deum ex tota anima & fortitudine, ac proximum sicut seipsum diligat. Et qui hæc perfecte iuxta rectam sententiã legis facit, is & uere iustus legis impletor est, & in iudicio diuino sua iusticia constabit. Vnde Christus addit hoc loco: Quisquis uenit ad me, & audit sermones meos, & facit eos, ostendam uobis, cui similis sit. Similis est homini ædificanti domũ, qui fodit in altum, & posuit fundamentum supra petram. Inundatione autem facta, illusum est flumen domui illi, & non potuit eum mouere. Fundata enim erat supra petram. Homo ædificans domum est qui audit legem, & sectatur eam. Fodere in altum, & ponere fundamẽtum, est legem perfecte iuxta sensum spiritus sancti implere, & absolutãm sanctitatem præstare. Inundatio autem & torrens sunt tẽtationes mortis & inferni, ac seueritas diuinii iudicii. Qui ergo legem perfecte implet, & absolutam iusticiam præstat, is in procellis & turbinibus mortis, ac in tempestatibus seuerissimi iudicii Dei probe constabit. Quod Christus similitudine explicat, hoc aliàs multis scripturæ locis comprobatur. In Leuitico: Custodite, inquit Dñs, leges meas atq; iudicia, quæ faciens homo uiuet in eis. Et in psalmo decimo quarto: Quis habitabit in tabernaculo tuo aut qs reqescet in mõte sancto tuo? Qui ingredit sine macula, & operatur iusticiã. Qui loquit ueritatẽ in corde suo, qui nõ egit dolũ in lingua sua. Et mox: Qui facit hæc, nõ mouebitur inæternũ. Et psalmus 118: Tunc nõ cõfundar, cũ perspexero in omnibus mãdatis tuis. In Prouerbiis quoq; Salomon ait: Quasi tempestas transiens non erit impius. Iustus autem quasi fundamentum sempiternum. Quem ergo dicemus iustum? Si ad legem respicias, nemo iustus iudicabitur, nisi qui totam legem perfectissime & absolutissime impleuerit, nimirum is, qui ea perfecte facit, quæ Christus in hac sua concione ex lege docuit, aut quæ Ezechiel capite decimo octauo exigit, uidelicet, qui fecerit iusticiam & iudicium, in montibus non comederit, oculos suos ad idola domus Israel non leuauerit, uxorem proximi sui non uiolauerit, ad mulierem menstruatam non accesserit, hominem non contristauerit, pignus debitori reddiderit, per uim nihil rapuerit, panem suum esurienti dederit, nudũ uestimento operuerit, ad usuram non commoda

Lex diuina quomodo impleatur.

Legẽ Dei implens contra omnes tentationes & in iudicio Dei constabit.

Iustus quis?

commodauerit, & amplius non acceperit, ab iniquitate auerterit manum suam, & iudicium uerum fecerit inter uirum & uirum, breuiter, qui in præceptis Dei ambulauerit, & iudicia Dei custodierit, ac ueritatem fecerit, hic iustus est, uita uiuet, ait Dominus Deus. Quid autem de illo fiet, qui etsi multa orauerit, & multas cærimonias obseruauerit, hæc tũ, quæ Christus in hac cõcione docuit, & quæ Ezechiel cõmemorauit, nõ fecerit, nec legẽ Dei perfecte impleuerit? Sequitur: Qui autem audiuit & non fecit, similis est homini, qui ædificauit domum suam super terram absq; fundamẽto, in quam illisus est fluuius, & cõtinuo cecidit, & facta est ruina domus illius magna. Aedificare domum, est legem sectari & honeste uiuere. Aedificare autem domum super terram, aut arenam absq; fundamento, est legem imperfecte facere, & ciuilem tantum aut hypocriticam iusticiam præstare. Cum igit̃ tempestas mortis & torrens diuini iudicii irruerit, non tantum dissipabitur ædificium, uerumetiam is qui inhabitat, unà cum ædificio peribit. Nisi enim, inquit Mose, custodieris & feceris omnia, omnia, inquam, uerba legis huius, quæ scripta sunt in hoc uolumine (hæc autem præcipue in eo scripta sunt: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua, & proximum tuum sicut teipsum) & timueris nomen Dei glorioſum & terribile augebit Dominus plagas tuas, & plagas seminis tui, plagas magnas & perseuerãtes, infirmitates pessimas & perpetuas, & conuertet in te oẽs afflictiones Aegypti, quas timuisti, & adhærebunt tibi. Quid ergo dicemus? aut quò nos uertemus? Nam si res ita se habet, quis nostrum salutem consequetur? quis inter nos non est similis uiro fatuo, ædificanti domum suam super arenam? cuius ergo ruina, inundante diuini iudicii torrente, non erit usq; in profundum inferni? Etsi enim sint, qui per fidem in Christum habeant spiritum Dei, & ducant honestam ac inculpabilem uitam corã mundo, tamen quia sunt uenditi sub peccatum, & habẽt adhuc legem in membris suis, rebellantem legi mentis suæ, & reddentem ipsos captiuos legi peccati, quemadmodum Paulus ait, non possunt in hac carne tam perfectum & ex omni parte integrum bonum perficere, quàm perfectum & integrum lex Domini exigit. Ergo ne nihil aliud reliquum est, quàm ut perpetua maledictione codẽnemur? Recte, si iuxta legem & iusticiam eius iudicemur. Desperabimus igitur, propterea quod iuxta legẽ iudicati, damnatione obnoxii simus? Minime omnium. Etsi eñ non possimus ea uia, quæ est per legem & iusticiam eius, à condemnatione ad salutem peruenire, est tamen alia uia nobis proposita, qua ad ueram uitam & fœlicitatem contendere licebit. Sunt enim duæ uiæ, quæ ad perpetuam uitam & salutem perducũt: Altera est uia per legem & iusticiam eius. Per hanc nullus unquam hominum (præter unum Iesum Christum Dominum nostrũ) ad salutẽ peruenit. Inter homines eñ alii manifeste legem Dei uiolãt, & nullo nec hoim nec Dei timore turpissimã uitam palàm ducunt. Hi, nisi resipiscant, ad perpetuum interitum sine controuersia pertinent. Alii ducunt quidem honestam uitam coram hominibus, carent autem fide & spiritu Dei. Hi, quia non implent perfecte legem Dei, cui non satisfit externa honestate, etiam ipsi maledictioni obnoxii sunt. Alii non solũ ducunt honestam uitam, sed habent etiam ueram fidem in CHRISTVM, & donati sunt per fidẽ spiritu sancto, sed neq; hi possunt per legem & iusticiam eius ad salutem peruenire. Spiritus enim sanctus in credente non ita expurgat peccatum, ut non sit, sed ut non imputetur, & non dominetur. Cum autem relinquat ipsum peccatum in credente, manifestum est, q̃ præ hoc peccato iusticia legis nõ possit etiam à credente

Ad salutẽ & uitam æternã duæ uiæ, Via ad salutẽ per legẽ et iusticiam eius.

perfecte impleri. Vbi autem non est perfecta legis impletio, ibi neque est salus per iusticiam legis. Vnde in psalmo dicitur: Non iustificatur (uidelicet, ex iusticia legis) in conspectu tuo omnis uiuens. Et Paulus: Non quod uolo, facio bonum, sed quod non uolo malum, hoc ago. Et aliàs: Caro concupiscit aduersus spiritũ, spiritus autem aduersus carnem. Hæc autem inter se mutuo aduersantur, ut non quæcunq; uolueritis, eadem faciatis. Solus Iesus Christus, quia fuit absq; omni peccato, & peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, legem Domini perfectissime impleuit, & uoluntati Dei obsequentissime obediuit, usq; ad mortẽ, mortem autem crucis. Quare solus etiam Christus per meritum suæ ipsius iusticiæ, & per hanc legis uiam ad salutem peruenit, donatusq; est tanto nomine à Domino Deo patre suo, ut in nomine eius omne genu se flectat cœlestium, terrestrium & infernorum. Quid ergo, inquies, sibi uolunt tam Mose quàm Christus, quòd hanc uiam nobis ꝓponant, si nullus hominũ per eam ad salutẽ nec peruenit, nec peruenire potest, quẽadmodũ Paulus scribit: Affectus, inquiẽs, carnis (qui certe manet in carne, donec homo in hoc seculo uiuit) inimicicia est aduersus Deũ. Nam legi Dei non subditur, siquidem ne potest quidem. Cur igitur lex & iusticia eius nobis ob oculos ponuntur? Profecto non fit ob hãc caussam, ut significetur, ꝙ nos possimus legem perfecte implere, & per iusticiam eius ad salutem peruenire, (sic enim diuinarum rerum ignari de lege sentiunt) sed ut demonstretur nobis, quid facere debeamus, & cum id neq; perfecte faciamus, neq; perfecte facere possimus, lex in hunc usum cedit, ut ostendat nobis peccatum nostrũ, & declaret iram Dei aduersum nos, ac ponat nobis ob oculos maledictionem & damnationem nostram, non quidẽ hoc cõsilio, ut nos in maledictione & damnatione perpetuo maneamus, sed ut hac occasione adigamur ad inquirendam aliam ad salutem uiam, q̃ per legem & iusticiam eius. Etsi enim lex etiam posita sit iniustis, ut contineat ipsos grauitate suppliciì in honestate uitæ, & iustis, ut habeant elenchum operum, quæ ex fide facere debent, tamen quia lex nunq̃ perfecte impletur à nobis, huc præcipue in conscientia nostra tendit, ut reuelet nobis peccatum, & indicet nobis turpitudinem nostram. Nam, quemadmodum nemo potest uidere sordes, quibus facies eius illita est, nisi contempletur se ad speculum, ita natura omnes magis cæci sumus, quàm ut possimus sordes & neuos peccatorum nostrorum uidere. Est igitur lex nobis uice speculi ꝓposita, ut exigentes ad eam faciẽ naturæ nostræ, perspiciamus quãta moles peccatorum nobis adhæreat, & quantæ maledictioni obnoxii simus. Atq; hoc illud est, quod Paulus ait: Per legẽ agnitio peccati. Et iterum: Lex iram operat. Ac rursus: Peccatum non cognoui nisi per legem. Et mox: Repertum est mandatum, quod institutum erat ad uitam, mihi cedere ad mortem. Nam peccatum, occasione accepta per præceptum, decepit me, & per illud occidit. Si autẽ lex occidit nos, quomodo possumus per legem & iusticiam eius ad salutẽ peruenire? Primus quidem gradus ad salutẽ est agnitio peccati, quæ fit per legem, attamen hæc agnitio sicut non est per se iusticia, sed tantum cognitio iniusticiæ, ita per se non est meritũ salutis. Quare lõge alia ad salutẽ uia, q̃ per legẽ & iusticiã eius, perscrutanda, nobis est. Quæ est ergo altera illa ad salutẽ uia? Profecto non est alia reliqua, q̃ eaquæ est per Euangelion Domini nostri Iesu Christi. In hoc enim Euangelio prædicatur nobis CHRISTVS, quòd ipse solus legem & iusticiam legis impleuerit, quòd peccata nostra expiauerit, quòd iram Dei placauerit, & nos cum DEO Deo reconciliauerit, & ꝙ obediẽtia sua nobis regnum cœleste meruerit. Cum igit, in hunc Iesum Christum credimus, tunc Dominus Deus noster suscipit nos ꝓpter Christum

Christus solus per uiam legis ad salutem peruenit.

Lex & iusticia eius cur nobis proposita.

Lex uice speculi proposita.

Via ad salutẽ per Euangelion Iesu Christi.

Christum tanq̃ filios suos, remittit nobis peccata nostra, auertit omnẽ iram suam à nobis, reputat nos propter Christum per fidem non aliter iustos, q̃ si nos ipsi legem operibus nostris perfecte impleuissemus, ac donat nobis regnũ cœleste. Sic enim Deus dilexit mundum, quemadmodum apud Ioannem scriptum est, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat uitam æternam. Et mox: Qui credit in eum, non condemnatur. Ac rursus: Pater diligit filium, & omnia dedit illi in manum. Qui credit filio, habet uitam æternam. Qui uero non credit filio, nõ uidebit uitam, sed ira Dei manet super eum. Et quis posset in breui concione omnia loca sacræ scripturæ commemorare, quibus comprobat, fidem in Christũ alterã uiam esse, per quam solã ad salutẽ peruenire queamus? Atq; hic uides, quid caussæ sit, q̃ tot Gentes, tot Iudæi, tot Turcæ, tot inter Christianos perpetua internicione damnantur. Cum enim tantum duæ salutis uiæ propositæ sint, altera, quæ est per legem & iusticiam legis, non possunt incedere, alteram autem, quæ est per Euangelion de Christo, aut ignorant aut contemnunt. Necesse igitur est, ut ira Dei super ipsos maneat, & pereant. Sed inquies, cum hi, qui incedunt ad salutem ea uia, quæ est per fidem in Christum, habeant & possideant tanq̃ propriam eam legis impletionẽ, quã Christus præstitit, nũ ergo licebit ipsis pro sua libidine uiuere, legẽ uiolare, & nihil bonoꝝ operũ facere? Absit. Quanquam enim nos nunquam possimus operibus nostris legẽ perfecte implere, tamen quia impletione legis, quam Christus præstitit, donati sumus, necesse habemus Deo & legi eius obedire. Primũ, ut bonis operibus testemur, nos per fidem possidere impletionem legis per Christum præstitam, deinde, ut obedientia nostra pro immensis beneficiis, quibus per Christum affecti sumus, gratias, si non dignas, at qualescunq; possumus, Domino Deo nostro agamus. In hunc enim usum donamur spiritu sancto per fidem, ut opera fidei, quæ in lege mandata sunt, faciamus, & obsequio gratitudinem nostram declaremus. De qua re, quoniam supra sæpenumero diximus, superuacaneum est nunc plura dicere. Habes concionem Christi, in qua demonstrauimus, principio, q̃ Christus non ferat nouam legem, sed ueterem legem iuxta sententiam prophetarum adeoq; ipsius spiritus sancti interpretetur, deinde, q̃ Christus non doceat hic cõsilia arbitraria, quemadmodum uulgus sophisticorum interpretũ sentit, sed tradat præcepta Dei grauissima, quæ nisi perfectissime obseruentur, reddunt hominem perpetuo gehennæ incendio obnoxiũ: postremo, q̃ hac legis interpretatiõe non significetur, nos posse legem nostris uiribus implere, & regnum cœlorum meritis operum nostrorum parare, sed potius ostendantur nobis peccata nostra, & ponatur nobis ob oculos maledictio & condemnatio nostra, ut cogamur, si salui esse uolumus, Iesum Christum quærere, propter quem solum habemus per fidem, remissionem peccatorum, iusticiam, spiritum sanctum, ut ex fide uocationem DEI sectantes, & uera bona opera facientes, ad perpetuam fœlicitatem perueniamus, per IESVM CHRISTVM Dominum nostrum, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus laudandus in secula Amen.

Cur tam multi perpetuo damnentur.

Bona opera cur faciendã?

Concionis Christi summa.

CAPVT SEPTIMVM

HOMILIA LXVIII.



EXPLICVIMVS hactenus eam concionem, in qua Christus legem, iuxta ueram sententiam spiritus sancti, interpretatur. Nunc, quod fœlix faustumq; sit, redit Christus ad proprium suũ ministerium, propter quod præcipue in terram missus est. Quanquam enim magno nostro commodo legem docuerit & explicuerit, hoc tamen nõ fuit principale ministerium eius, propter quod in terram descendit, sed ob hanc maxime omnium caussam in hunc mũdum uenit, ut expiaret peccata nostra, reconcilaret nos DEO patri suo, ac doceret Euangelion de remissione peccatorum & uita æterna, uidelicet, quòd ipse sit uia, ueritas, uita, redemptio nostra, & quòd omnis, qui credit in ipsum, habeat remissionem peccatorum, & uitam æternam. Hoc est præcipuum & summum officium, propter quod Christus in hunc mũdum uenit. Sed quia huius Euangelii doctrina uidebatur incredibilis, (quis enim talia crederet de homine, ut apparebat, abiectissimo?) adiecit Christus doctrinæ suæ miracula, uelu ti cœlestia testimonia, quibus ueritatem Euangelii sui confirmaret. E quorum numero, nõ est minimũ, quod in principio huius capitis de Centurione & seruo eius narrat. Accipiamus igitur hoc miraculũ, tanq; certissimũ signaculũ, q; Euangelion Christi, de gratuita remissione peccatorũ, ꝓpter Christũ per fidẽ, uerissimũ sit.

Christus quare in terram uenerit.

„ Cum consummasset (inquit Lucas) oĩa uerba sua audiẽte populo, intrauit Ca-
„ pernaũ. Cẽturionis aũt cuiusdã seruus male habens, agebat aĩam, qui illi erat chã-
„ rus. Cum audisset aũt de Iesu, misit ad eũ seniores Iudæorũ, rogans eũ, ut ueniret,
„ ac sanaret seruũ suũ. De Centurione & fide eius uerba facturus, primum oĩm explicabo quis fuerit, deinde quæ & quantæ fuerint uirtutes eius, ut discamus, qua in parte nobis in exemplũ imitationis ꝓpositus sit. Igiẽ, qd ad gentẽ huius Centurionis attinet, fuit ethnicus incircũcisus, id quod Christus pspicue indicat, cũ ait: Ne in Israel quidẽ tantã inueni fidẽ. Quod aũt attinet ad officiũ aut functionẽ eius, ꝑfectus fuit centũ militibus in excercitu, unde & Centurio dictus est. Nam apud Romanos exercitus diuidebaẽ in cohortes, cohortes aũt in cẽturias, harũ centuriarũ ꝑfecti, Cẽturiones uocabanẽ. Si uero nobis de uirtutibus huius Centurionis dicẽdũ est, profecto habuit eas maximas & cõmemoratione dignissimas, quẽadmodũ hoc loco Lucas, & aliàs Matthæus, scribũt. Primũ eñ, seruũ suũ ægrotum tanta cura cõplexus est, ut uix patrẽ reperias de salute filii sui tam sollicitũ. Vide eñ mihi, quanta sollicitudine rem agat. Nõ ipse accedit Christũ, pro salute serui rogaturus, ne ut ethnicus repulsam à Christo patiaẽ. Quod eñ Mattheus scribit, Centurionem ipsum adisse Christum, hoc Lucas in isto loco exponit, uidelicet, Centurionem aduisse & rogasse Christum, non per se, sed per alios. Vnde & Centurio nunciat Christo per amicos, dicens: Nec me ipsum sum dignum arbitratus, ut uenirem ad te. Adhæc, mittit ad Christũ legatos, non quosuis, aut è turba seruorũ suorum, aut ex media fece plebis, sed eos, qui in populo Iudæorũ tũ ætate, tum autoritate maxime uenerabiles erãt, seniores, sic eñ ea gens senatores & magistratus urbis uocabat. Iam & istud cõmendat charitatẽ Cẽturionis in seruum suum, q; Cẽturio etsi professione

Centurio Ethnicus.

Centurionis charitas erga seruum ægrotum.

professione sua miles fuerit, quod genus hominũ ne in parentes quidem aliquo humanitatis affectu ferri solet, non tamen mediocri amore seruum suũ cõplexus sit. Quid q̃ & seruorum cõditio ea tempestate tam abiecta erat, ut non pro hominibus sed pro iumentis reputarentur. Quanto igitur contemptior fuit seruitus, tãto maiori cõmendatione dignus est humanus ille affectus Centurionis in seruũ suum. Hæc est uirtus obseruãda, & imitatione dignissima. Nam huc uocat etiam Paulus: Vos domini, inquiens, æquitatẽ & æquabilitatem seruis exhibete, scientes q̃ & uos habeatis Dñm in cœlis. Et iterum: Vos domini eadem facite erga seruos, remittẽtes minas, scientes q̃ uester ipsorum Dominus est in cœlis, nec personæ respectus est apud illum. Deinde habuit hic Centurio etiam hanc uirtutẽ, q̃ non fuerit præ do templorum, sed ædificauerit potius synagogã suo sumptu. Sic enim sequit: "At illi cum uenissent ad Iesum, rogabant eum studiose dicentes: Dignus est, ut hoc illi præstes. Diligit. n. gentẽ nostram, & synagogã ipse ædificauit nobis. Alii milites solent deprædari ac diripere tẽpla, monasteria, & quicquid ad conseruandã doctrinam religionis à maioribus institutum est. Hic autem Centurio tantum abfuit ab hac impia crudelitate, ut Iudæis sumptu suo ædificauerit synagogam, uidelicet publicam scholam, in qua uera religio doceretur. Vnde apparet, q̃, etsi habitu ethnicus fuerit, fide tamen cordis sui approbauerit religionem Iudæorũ, quæ erat, q̃ in semine Abraæ benedicendæ essent omnes gentes. Hac uirtute nihil est admirabilius, nimirum, quod Centurio, primum ethnicus, deinde miles, postremo etiam hospes in regione Iudæorum, maiorem pene cognitionem ueræ religionis habuerit, quam ipsi Iudæi. Sed fidei eius magnitudinem Christus ipse commendabit postea. Nunc illud obseruandum est, quòd hic Centurio surget in iudicio cum his principibus & magistratibus, qui sine delectu omnia collegia sacerdotum & monasteria, à maioribus ad conseruandã doctrinam religionis nostræ instituta, abrogãt, & cõdemnabit illos, q̃ ipse suo sumptu ædificauerit synagogã, in qua pietas doceretur, illi aũt collegia & monasteria, scholas uidelicet Christianæ religiõis ante ædificatas, aboleant, & opes ac redditus ipsarum in priuatum suũ cõmodum transferant. Fateor, multæ sunt impietates sacrificulorũ & monachorũ, sed impietates abrogari deberent, ipse aũt legitimus harũ Christianarũ scholarũ usus cõseruandus esset, præsertim cũ & leges dicant: Nullius sunt res sacræ, & religiosæ & sanctæ. Quod eñ diuini iuris est, hoc nullius in bonis est. Videlicet, hoc sentiũt leges, nõ q̃ ipsis externis facultatibus ecclesiarũ aliquid sancti insit, sed q̃ uelint opes ecclesiarũ inuiolatas esse, ut ministeria ecclesiastica & doctrina Christianismi hoc adminiculo in uiolata conseruentẽ. Sacrilegũ uocãt, qui paucos numulos ex ecclesiæ gazophylatio furripit, quo igit̃ nomine cẽsendus est is, qui omnes templorũ & monasteriorũ facultates in suũ prophanũ usum, imo abusũ trãsfertẽ? Magistratus Iudæorũ & gentiũ aut occidebãt quondã, aut exigebãt è suis regionibus Apostolos, & alios Euangelii de Christo Iesu prædicatores. Diripere aũt opes ecclesiarũ, ac uel præsentes ministros ecclesiæ ad famẽ adigere, uel hac crudelitate adolescẽtes à studio sacrarũ literarũ deterrere, ut ecclesia posterioribus tẽporibus nõ inueniat ministros idoneos, quid aliud est, q̃ alia quidẽ specie, sed nõ minus atrociter, ecclesiã more Iudæorũ & gentium persequi, ac deuastare? Quare, q̃ nolit ab hoc Centuriõe ethnico in iudicio Dei condẽnari, & cũ psecutoribus ecclesiæ perire, imitet̃ exemplũ Cẽturiõis, & quantũ in ipso est, studia ueræ pietatis & religiõis, quoquomodo potest, adiuuet atq̃ cõseruet. Iam, in hoc Centuriõe humilitatis etiã uirtus nõ mediocri admiratione digna est. Quanq̃ enim fuerit magistratus centũ militũ, reputauit tamen se indignũ, qui

Scholæ et collegia sacerdotum non abolenda, nec diripienda.

Centurionis humilitas.

» uel ipse Iesum accedat, uel Iesum in domum suam uocet. Sic enim sequitur. Iesus
» autem ibat cum illis. Et cum iam non longe abesset à domo, misit ad eum Centu-
» rio amicos, dicens ei: Domine, noli uexari. Non enim sum dignus, ut sub tectũ meũ
» intres. Quapropter nec meipsum dignum arbitratus, ut uenirem ad te. Magna

Arrogãtia humanæ carnis.

hæc est humilitas, quam Centurio cum paucissimis cõmunem habet. Tanta enim est humanæ carnis arrogantia, ut multos reperias, qui cum unius tantum serui domini sint, existimant tamẽ se dignissimos, in quorum nomine omne genu tam cœlestium q̃ terrestrium sese flectat. Centurio autem, & si ipse multorum militum magistratus erat, & Iesus ne unum quidem seruum habere uidebatur, tanta tamen modestia præditus est, ut existimet se contubernio Iesu indignum. Admirãda uirtus. Nõ autem proponitur tibi, ut admireris tantum, sed etiam ut imiteris. Imitaberis autẽ, si uere agnoscas, qualis sis natura tua in iudicio diuino. Sic enim fiet, ut quantumcunq; præstans fueris humano iudicio, cristas tamen demittas, & te abiectissimis etiam hominibus inferiorem reputes. Neq; id sine autoramento facies. Nam quo te submissius geris, hoc altiorem te euehet Dominus Deus noster, qui etsi in altis habitet, humilia tamen respicit in cœlo & in terra. Suscitans à terra inopem, & de stercore erigens pauperem. Sed has omnes uirtutes, quas in Centurione nostro cõmorauimus, superat memorabilis illa & stupenda fides, quam habet in Iesum Christum. Primum enim credit, q; Iesus posset pristinæ sanitati restituere seruum iam animam agentem, id quod ex eo perspicue declarat, q; mittit senatum Capernaitanũ ad Iesum, ut pro seruo suo intercedant. Deinde credit, quòd Iesus posset seruum suũ

Centurionis fides in Christum.

» sanare nutu & uno tantum uerbo. Sic enim ait: Sed dic uerbo, & sanabitur puer
» meus. Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites,
» & dico huic, uade, ac uadit, & alteri, ueni, & uenit, & seruo meo, fac hoc, & facit.

Quid hac Centurionis fide admirabilius? Non simpliciter fatetur, IESVM posse seruum suum uerbo sanare, sed etiam comparatione explicat, quantam fidei magnitudinem in IESVM conceperit. Nam ego (inquit) etsi non sim monarcha, sed subiectus sim superiori potestati tribuni & imperatoris mei, quos dominos meos agnosco, attamen tam potens sum inter milites & seruos meos, ut iubẽs eos uel uenire ad me uel abire, uel aliquid negocii facere, uno uerbo efficere queã, ut omnes tam corporis q̃ animæ eorum uires moueantur, & ad hoc solum perficiendum, quod mandatum est, intendantur, quanto magis tu Iesu, quem ex tot miraculis agnosco uerum Messiam, & omnium rerum Dominum, uno uerbo, aut saltem nutu oculoꝝ efficere potes, ut quicquid est infirmitatis in seruo meo fugetur. In hac cõparatione primum obserua, q; Centurio, proponẽs efficatiam uerbi sui ergà milites suos, non tam suam ipsius autoritatem, q̃ Romanam seueritatem in cõlerauanda militari disciplina cõmendat. Nam, ut milites dicto audientes retinerentur, nec Posthumius nec Manlius suis ipsorum filiis, qui aduersus edicta extra ordinem in hostẽ quamuis fœliciter pugnauerant, pepercerunt, sed securi eos feriri iusserũt. Quibus tristissimis exẽplis milites tam obediẽtes facti sunt, ut postea Scipio Aphricam expugnaturus nõ alia re magis se fidere affirmaret, q̃ militũ suorũ obedientia. Cum enim à quodã rogaretur, qua re fretus classem in Aphricam educere pararet, ostendit ei uiros armatos trecẽtos, ptæterea turrim mari imminentẽ, & ait: Nullus horũ est, qui non cõscensa turri semet in mare præcipitaturus sit, si iussero. Admirãda obedientia, sed multo admirabilior humani uerbi energia, qua fit, ut homo nõ solũ seipsum huc atq; illuc moueat, uerumetiã in præsentaneã mortem sese cõiiciat.

Disciplina militaris apud Romanos.

Deinde

Deinde obserua, quantã maiestatem Centurio hac sua cõparatione Iesu Christo tribuat. Nam, cum affirmat Iesum posse seruũ suum uerbo sanare, confitetur haud obscure, Iesum esse Dñm super omnes morbos & afflictiones. Hoc aũt de Iesu sentire & confiteri, est sentire ipsum esse uerum Messiam. Apud Esaiam enim Messias dicit: Spiritus Domini super me, eo q̃ unxerit me, ad adnunciandũ mansuetis misit me, ut mederer contritis corde. Et mox: Vt consolarer omnes lugentes, ut ponerem fortitudiné lugentibus Zion, & darem eis coronã pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris. Adhæc, cum Centurio asseuerat, Iesum posse morbum serui depellere uerbo, satis luculenter significat, se sentire Iesum esse uerbum Dei, ac creatorem cœli & terræ. Qui autem ad hunc modum de Iesu sentit, profecto necesse habebit sentire, Iesum esse uerum & naturalem Deum. Quare etsi Centurio non omnia hæc in cõparatione sua disertis uerbis explicet, tamen cum ait: Tantum dic uerbo, & sanabitur puer meus, satis manifeste declarat, se fide cordis sui tribuere Iesu maiestatem ueri Messiæ, & filii Dei. Quid hac fide, primũ in milite, deinde in ethnico, postremo, eo tẽpore, quo Iesus nondum erat glorificatus, ad mirabilius? Atq̃ hæc fidei magnitudo intantum arridet Domino nostro Iesu Christo, ut nõ possit se continere, quin maximis laudibus eam commendet. Auditis enim his Iesus, miratus est eum, & conuersus, sequenti se turbæ dixit: Dico uobis, ne in Israel quidem tantam fidẽ inueni. Et reuersi qui missi fuerant in domum, inuenerunt seruum, qui languerat, sanum. Hæc apud Matthæum ita narrant: Hæc cũ audisset Iesus, admiratus est, & ait sequentibus se: Amen dico uobis, ne in Israel quidem tantum fidei reperi. Dico autem uobis, q̃ multi ab oriente & occidente uenturi sunt, & accumbent cum Abraã & Isaac & Iacob in regno cœlorũ, filii uero regni eicientur in tenebras extremas. Illic erit ploratus & stridor dentiũ. Et dixit (hoc est) nunciauit Iesus Centurioni: Abi, & quemadmodũ credis, ita fiat tibi. Et sanatus est famulus in hora illa. Hic mihi primũ uide, quantam huius fidei magnitudinẽ esse oportet, quam admiratur Christus ipse, filius Dei. Sed quid est, inquies, q̃ Christus hanc fidẽ admiratur? an nõ est natura Deus, & omniũ rerũ gnarus? cur ergo tanta huius fidei, tanq̃ prius sibi ignotæ, admiratiõe capitur? Recte dicis. Christus est natura Deus & oĩm rerũ gnarus, sed interim homo quoq̃ est. Quare nihil humani alienum ab ipso, præter peccatũ, putandũ est. Vt ergo esuriit, ut sitiit, ut gaudio affectus est, ut tristatus est, ita etiam insolita, more humano, admiratus est. Deinde, quòd Christus fidẽ Centurionis præponat omnibus Israelitis inquiens: Ne in Israel quidem tantam fidem inueni, num præponit eam fidei Ioannis Baptistæ & Apostolorum suorum? Sunt fortasis qui censerent nihil periculi esse, sic sentire, præsertim cum Ioannes de seipso dicat: Et ego nesciebam, & Apostoli toties ob incredulitatem, aut si mauis, fidei imbecillitatem reprehensi sint, sed non est necesse, ut propter hoc dictum Christi fides Baptistæ & Apostolorum, ac aliorum uere piorum in Israel, præ fide Centurionis uilior æstimetur. Aut enim Christus, cum ait: Ne in Israel quidem tantam fidem inueni, de uulgo Israelitarum loquitur, quorum maior pars neglexit potius Christum, præsertim cum à summatibus damnaret, q̃ obseruauit, aut de ipsa admirandi ratione sentit. Quanq̃ enim multi pii in Israel maximã fidem in Christum habuerint, tamen multo admirabilius est, quòd ethnicus, & miles, q̃ quòd Iudæus, in lege & prophetis uersatus, in Christum credat. Cæterum, quòd Christus addit: Multi ab ab oriente & occidente uenturi sunt, & accũbent cũ Abraã, Isaac & Iacob in regno cœlorũ, filii aũt regni eiicient in tenebras extremas,

Christus Dominus super omnes morbos.

Christus uerbum Dei creator cœli & terræ.

Christus admiratur insolita.

Gentium uocatio.

manifeste de uocatione gentiũ, quarum hic Centurio quodámodo primiciæ est, & abiectione Iudæorum, uaticinat. Quæ ut est res ualde stupneda, ita partim consolatur fidẽ nostram, partim incutit nobis timorẽ Dei. Quid enim admirabilius, q̃ q̃ ea gens, qui sunt Israelitæ, quorũ est adoptio, & gloria, & testaméta, & legis cõstitutiones, & cultus & promissiones, quorũ sunt patres, & ex quibus est Christus, quantum attinet ad carnẽ, à Dño Deo suo, & ab hæreditate regni cœlestis abiecta sit, in huius aũt locum electa sit gens aliena à rep. Israelis, extranea à testamentis promissionis, nec spem nec Deũ in mundo habens? Cum igitur & nos ex incircumcisis gẽtibus sumus, agite dum, cõfirmemus ex hoc uaticinio Christi fidẽ nostrã in omnibus afflictionibus, & certam spem cõcipiamus, q̃ nulla aduersitas tam horrẽda sit, quæ possit nos separare ab ea dilectiõe, qua nos Deus ad accubitũ cum Abraamo, Isaaco & Iacobo in regno cœlorũ uocauit. Sed rursus, discendus etiã est in hoc loco timor Dei, uidelicet, ut in timore Dei ambulemus, obsequio nostro erga Deũ gratissimus, & uocationi Dei obediamus. Nam si Deus reiecit Iudæos, electam suã gentẽ, propterea q̃ ingrati fuerunt, & fastidierũt beneficia Dei, quanto magis puniet Deus in nobis gẽtibus ingratitudinẽ & fastidium donorũ suorum? Si Deus, inquit Paulus, naturalibus ramis non pepercit, uide ne qua fiat, ut nec tibi parcat. Ne igit̃ esse raris animo, sed timeas, quoniã tu excidi, & illi rursum, si nõ permanserint in incredulitate, inseri possunt. Postremo, q̃ Christus Centurioni nunciat, dicens: Quẽadmodũ credis, ita fiat tibi, & q̃ famulus Centurionis in illa hora sanatus est, tam ipsum dictũ Christi, q̃ factum admirabile est. Nam, quod omnẽ humanũ captum excedit, Christus hac uoce: Quemadmodũ credis, ita fiat tibi (quam etiam aliàs sæpe numero usurpat, ad cæcos, inquiens: Iuxta fidẽ uestram fiat uobis, & ad mulierẽ Cananæã: Fiat tibi, sicut uis) totũ se uolũtati credentiũ in ipsum captiuũ tradit. Quòd enim hæc uerba non ad hos tantum, ad quos priuatim dicta sunt, sed etiam ad omnes in ipsum credentes pertineant, aliàs generalibus dictis confirmatum est. Quicquid (inquit) petieritis nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur pater per filium. Et iterum: Si manseritis in me, & uerba mea in uobis manserint, quicquid uolueritis, petetis, & fiet uobis. Ac rursus: Quæcunque orantes petitis, credite, quòd accipietis, & fiet uobis. In psalmo quoque canitur: Prope est Dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eum in ueritate. Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & saluos faciet eos. Quid hac clementia Dei benignius? quid hac misericordia liberalius, imo quid nobis gratius, quid utilius accidere posset? Christus ipse filius Dei, & in Christo Deus ipse pater tradit se totum uoluntati fidei nostræ captiuum, & uult plane talis nobis esse, qualem ipsum credimus & uolumus. Quid igitur adhuc nobis deesse conquerimur? Si cui peccata sua agnoscenti deest iusticia, credat sibi peccata à Deo remitti, & cõsequetur peccatorum remissionem, ac reputabitur à Deo iustus. Si quis dubitet, num habeat Deum propicium, credat ipsum propter Christum propicium esse, & sicut uult Deum habere, ita habebit. Si quem premit morbus aut egestas, aut infamia, & timet ne nõ à Deo seruet, uelit & credat q̃ Deus ipsum seruaturus sit, & fiet ipsi iuxta fidei suæ uoluntatem. Si cui mors occurrit, & formidat ne ita à morte absorbeatur, ut in æternũ pereat, credat q̃ Deus ipsum respiciat, & defendat propter Christũ, tũ certissime habebit Deũ defensorẽ, qui ipsum per mortẽ ad perpetuã fœlicitatẽ ducturus sit. Breuiter, qualem uis Dominũ Deum nostrum erga te in quacunq; afflictiõe aut necessitate habere, talem crede tibi esse, & ipsa re cõperies te uoti compotẽ fore.

Ingratitudinem Deus atrociter punit.

Christus se uoluntati credentium captiuum tradit.

Quid hoc

Quid hoc beneficio nobis maius cõtingere potest? Ergo ne, inquies, si imaginatus fuero, Deum remittere mihi peccata, & daturum mihi uitam æternã, propter merita operũ meorũ, & propter iusticiam manuũ mearum, fiet mihi sicut uolo? aut si in fame credidero, Deum mutaturũ mihi lapidem in panẽ, aut in paupertate sperem Deum me collocaturũ in regnũ externum huius seculi, num mox talis mihi erit Deus, & ad uoluntatẽ meam lapides mutabit in panes, ac me regẽ huius seculi creabit? Nequaq̃. Cum enim dicimus Deum accõmodare sese fidei & uoluntati credentiũ, non de ea fide & uoluntate loquimur, quæ ex carnis prudentia & arbitrio, sed de ea quæ ex uerbo Dñi concipitur. Veram enim fidẽ, cui Dominus sese accõmodat, uerbum Dñi, cui innitatẽ, habere oportet. Si manseritis, inquit Christus, in me, & uerba mea in uobis manserint, quicquid uolueritis, petetis, & fiet uobis. Hic diserte addit Christus (si uerba mea in uobis manserint) ut intelligas, q̃ uera fides requirat uerbum Dei. Et Paulus ad Romanos scribens: Fides, inquit, ex auditu est. Auditus aũt per uerbũ Dei. Iam, uerbũ Dei est, q̃ Deus sit propicius propter Christũ, quòd Deus reputet eos iustos, qui credunt in Christum, q̃ Deus sit propter Christum seruaturus in periculis siue uitæ siue mortis, omnes credẽtes in Christum. Quare qui in periculis hæc in Deo per fidem quærunt, & expetunt, talẽ prculdubio Deũ inuenient, ac reipsa experientur. Sed non est uerbum Dei, q̃ Deus sit própicius propter iusticiam humanam, q̃ Deus ad carnis arbitrium mutet lapides in panes, q̃ Deus uelit unumquemuis priuatum hominem ad regiam maiestatem in hoc seculo euehere. Quare qui sic Deum imaginantur, turpissima confusione obruentur. Quod ergo uerbũ Dei habuit Centurio, ex quo cõcepit fidem, q̃ Iesus posit & uelit seruũ uerbo sanare? Ex uerbis, quæ Centurio nunciat Iesu per amicos, haud obscure intelligi potest, quemadmodum supra demonstrauimus, q̃ Centurio cognouerit ex miraculis, hunc Iesum esse Messiã, per prophetas Iudæis promissum. Audiuerat autẽ è Iudæis prophetas enarrantibus, q̃ Messias consolaturus esset omnes afflictos, & liberaturus ex omnibus tribulationibus. Audiuerat præterea, hunc Iesum omnes laborantes & oneratos ad se uocasse, & refocillationem promisisse. Ex his igitur & id genus aliis uerbis Dei tantam concepit fidem, ut mox impetrauerit, quod uoluerit. Famulus enim eius, qui iam animam agebat, sanatus est in illa hora. Obseruandum miraculum, quo Christus primum confirmare uoluit, q̃ non sit tantum Iudæorum uerumetiam Gentium Christus, & q̃ inter gentes non sit tantum Christus eorum qui ciuilem uitam ducunt, sed etiam eorum, qui ordinariam & legitimã militiam sectantur. Multa quidem sunt iniqua & illegitima bella, multi præterea milites huic nostro Centurioni dissimiles sunt. Hic enim ædificauit synagogam ad conseruandam doctrinam pietatis, illi autem omnia templa & monasteria, quæ possunt, prædantur, diripiunt & deuastant, ac ex professo pietatem contemnunt, interim tamen ipsa militia, non est per se impium genus uitæ. Vnde sicut hoc loco non reiicitur Centurio propter militiam suam, sed magis commendatur propter fidem suam, ita & aliàs Centuriones in scriptura bene audiunt. Apud Matthæum, Centurio & qui erant cum eo, custodientes Iesum, uiso terræ motu & his quæ facta fuerant, timuerunt ualde, ditentes: Vere filius Dei erat iste. In Actis Apostolorum, orat Centurio, & admonetur per angelum, ut uocet ad se Petrum, è quo Euangelion discat, adeoque hic Centurio sit post glorificationem Christi primicia uocationis gentium ad Christum. Commendatur & is Centurio à pietate, qui Paulum Romam aduexit. Quare, quorum legitima uocatio postulat, ut in militia uiuant, non ideo in omnia scelerum genera ruant, q̃ existiment se in impio

Fides uera innititur uerbo Dei.

Verbũ Dei.

Iesus etiã gentiũ Christus.

Militia per se non est impiũ genus uitæ.

genere uitæ uersari, sed ideo potius pietatē sectentur, q & legitima militia Deō pla ceat, & habeant tam pia Centurionum, quos modo commemorauimus, exempla ob oculos posita. Deinde, confirmauit etiam Christus hoc miraculo autoritatem Euangelii sui, uidelicet, q ipse sit uerus Messias, q Deus per ipsum sit propicius, & q, quicunq; uerbo Euangelii eius fidem adhibeat, consequatur remissionem peccatorum, & uitam æternam. Proinde, quoties uel afflictionibus tentamur de fauore Dei erga nos, uel agnitione peccatorum dubitamus de remissione peccatorum, uel in morte solliciti sumus de uita, proponamus nobis hoc miraculū ob oculos, ut ex hoc ceu, certissimo Euangelii sigillo, in fide cōfirmati, uerā salutē consequamur, per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus laudandus in secula Amen.

HOMILIA LXIX.



Escriptum est antea miraculum, quo Christus seruum Centurionis iam morti propinquum, sanitati restituit. Nunc describitur miraculū, quo Christus filium uiduæ iam mortuū uitæ restituit. Atq; hoc miraculū tanto diligētius obseruandum est, quanto maiora commoda nobis affert. Etsi enim una tantum uidua uideatur hoc miraculo ex restituto filio consolationem accipere, tamen si penitius introspiciamus, non solum omnes uiduæ, uerumetiā omnes afflicti possunt ex hoc miraculo consolationem in omnibus suis afflictionibus petere. Et unus tantū adolescens hoc loco ex corporali morte ad hanc corporalem uitam reuocatus est, at nos omnes possumus hic inuenire uiam, qua liceat nobis perpetuam mortem effugere, & ad perpetuam uitam ingredi. Quare, si ullā rationem salutis nostræ habemus, arrigēdæ sunt ad hoc miraculū non tam corporis q̄ fidei aures, quo animus noster confirmatus

„ in Christo probe constet. Sic ergo sequitur: Et factum est deinceps ibat in ciuita-
„ tem, quæ uocatur Nain, & ibant cum eo discipuli eius multi, turbaq; copiosa. Cum
„ autem appropinquaret portæ ciuitatis, ecce defunctus efferabatur, filius unicus ma
„ tris suæ, & hæc uidua erat, & turba ciuitatis multa cum illa. Primum, cum hoc loco defunctus extra portam ciuitatatis efferatur, obseruandus est mos non iu-

Sepeliēdimos tam apud Iudæos q̄ apud gentes.

dæorum tantum sed etiam gentium. Apud hos enim publica sepultura non intra urbes, sed extra urbes habebatur. Vnde & Christus extra ciuitatem Hierusalem in horto sepultus est. Quanq̄ autem Domini sit terra & plenitudo eius, ac plane nihil conferat saluti defuncti, quocunq; loco sepultus sit, attamē ut superstites admoneantur, tum mortis, quo resipiscant à peccatis, tum resurrectionis, quo bonam cōcipiant spem etiam in ipsa morte, decet Christianos habere loca sepulturæ & honesta, & à prophano usu separata. Deinde uides hoc loco humanitatē ciuiū urbis Nain erga uiduam. Turba enim ciuitatis, inquit Euangelista, multa cum illa. Multi co-

Funus comitari pium & humanum est.

mitantur funus, nec proiiciunt cadauer mortui, tanq̄ si esset cadauer asini, sed efferunt illud magno honore. Quid ergo dicemus? an non est hæc superstitio? num uoluerunt his cærimoniis mortuum ex igne purgatorio liberare? Sed cum ex scriptura manifestum sit, nullum esse tale purgatorium, quale superstitiosi finxerunt, quid opus est his cærimoniis? Proiiciamus defunctos nostros in flumina, quod de nescio quibus Lotophagis prædicant, qui abiiciunt morruos suos in mare, assueuerantes parū referre, humo ne an aqua, an igni dissoluantur. Ac profecto, nisi caueamus, multorū mores, qui ex Euangelio sibi omniū rerum licentiam quærunt, non

dissimiles

dissimilem barbariem nobis minitantur. Nam cum hi ex Euangelio d. dicerunt, mortuos nõ esse lugendos ethnice, prosequuntur eos risu & cachinnis. Et cum audierunt, sepulturam nihil conferre saluti defunctorum, abiiciunt mortuos suos, ue lut cadauera iumentorum. A deoq; nullam usquam mediocritatẽ seruare studẽt, aut nimis ad dextram, aut nimis ad sinistram declinant. Nuper, nondum reuelato Euangelio, incedebant in funeribus capitiis undique obtecti, ita lamentãtes & eiulantes, perinde, ac si Dominum Deum suum mortuum efferrent, nunc ita perfricta fronte, interdum etiam ridentes, incedunt, ut haud obscure significent, mortem amici sibi gratam & iucundam esse. Nuper mortuum nullo non officii genere, etiam singulis annis, prosequebantur, quo ipsum è purgatorio liberarent, nunc mortui nulla nec honesta mentio. Nuper sepulchrum etiam ipsum floribus ornabant, nũc sepultura nihil abiectius reputatur. Quid sibi hæc uult insciti a? quid hæc barbaries? An quia abusus funerum reprehenditur, ideo legitimus usus tollendus est? an quia superstitio arguitur, ideo etiam pietas abiicieda est? At tu ne erres, obseruabis mihi, ita declinandum esse à sinistra, ut tamen interim non nimium declines à regia uia ad dextram. Medio tutissimus ibis. Non quidem dolẽdum de mortuis, quemadmodum ethnici, spem non habentes, ut Paulus ait, dolendum tamẽ est, quemadmodum Christianos dolere decet, quorum charitas fert, ut fleant cum flentibus. Nam & uiri religiosi planctum magnum fecerunt super Stephanum, & Paulus dolet de infirmitate Epaphroditi sui, quanto magis doluisset de morte eius? Sic enim scribit de illo: Et certe infirmus fuit, ita ut esset uicinus morti, sed Deus misertus est illius, at nõ illius tm̃, sed & mei, ne dolorẽ haberẽ super dolorem. Ac sentiendum quidẽ est, Domini esse terram, nec referre qua terræ parte corpus mortuum computrescat, homo tamen mortuus non est abiiciendus ut cadauer asini, sed magno honore & reuerentia mandandus est honestæ sepulturæ, non quia hoc defuncti saluti, sed quia superstitibus prosit. Primum, qui funera amicorum suorum honorant, præbent publicam significationem dilectionis suæ erga defunctum. Est autem pii hominis officium, dilectionis exempla proximis ostendere. Deinde, qui comitantur funus, declarant & ipsi opus charitatis erga lugentes suos uicinos. Est enim charitatis opus, lugere cum lugentibus, dolere cum dolẽtibus. Ad hæc, qui in funus prodeunt, his reuocatur in memoriã mortis cõditio, ut ea admoniti, turpitudinem uitæ suæ abiiciant, & à peccatis resipiscant, quo à perpetua morte liberẽtur. Vnde Ecclesiastes ait: Melius est ire in domum luctus, quam in domũ conuiuii. In illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & uiuens homo cogitat quid futurum sit. Et in Ecclesiastico, defunctus superstitem ita alloqui inducitur: Memor esto iudicii mei, sic enim erit & tuum. Mihi heri, & tibi hodie. Postremo, honesta debent esse funera & sepulturæ Christianorum, ut testemur fidem resurrectionis nostræ. Non comitamur, nec honeste sepelimus defundum asinum aut bouem, quia nõ resurget, sed id honoris homini proximo impendendum est, ut ipsa re significemus, aliam esse nostram conditionem quàm bestiarum. Nos enim resurgemus unà cum corpore ad uitam æternam. Quare corpora nostra, tanquam sacræ reliquiæ, terræ mandanda sunt, & locus sepulturæ non aliter habendus est, quàm sacrum, quod dicitur, κοιμητήριον, hoc est, dormitorium, in quo corpora piorum requiescunt, non omnino mortua, sed potius dormientia, & expectãtia diem illũ, in quo gloriosa in cœlum ascendent, & cum Christo perpetuo regnabũt. Sed de funere hactenus. Nunc præcipuas huius funeris personas tractabimus. Qui efferebatur erat primum, adolescens, quo nomine dignus erat commiseratione, ꝙ in

Mortui quo modo lugẽdi.

Sepultura hominis reuerẽter tractanda

Sepulturæ locus sacrũ κοιμητήριον.

medio ætatis flore abreptus erat morte. Deinde, unicus filius matris suæ. Si habuisset alios fratres, fortasis amici mortem eius non tam ægro animo tulissent, nunc autem, quia unicus filius fuit, intercidit una cum ipso nomẽ & gloria familiæ. Mater autem adolescentis uidua erat. Pauca uerba diximus, sed uide quantas calamitates & miserias his paucis comprehendimus. Mulier, si nihil aliud accedat, tamen uel solo hoc nomine, quia uidua est, misera est. Nam cum maritus sit uxoris suæ caput, & corpus sine capite non homo sed truncus potius est, quid miserius erit mulierе, ablato capite, hoc est, marito eius per mortẽ? Sed hæc miseria utcunq; mitigat, si maritus post se relinquat liberos, qui sint uiduæ matris solatium & præsidium. Si autem ad mariti mortem accedat etiam mors filii adolescentis, & unigeniti, quid potest uiduæ calamitosius accidere? Porro aduentus Iesu Christi saluatoris nostri nus q̃ opportunior aut commodior est, q̃ ubi maximæ sunt calamitates. Quare, cũ hæc uidua in maximo dolore constituta sit, in tempore admodum aduenit Christus, & pro clemẽtia sua miseram adiuuit. Sic enim sequitur: »» Quam cum uidisset »» Dominus, misericordia motus super eam, dixit illi: Noli flere. Et accessit, tetigitq; »» loculum. Porro, qui portabant, substiterunt. Et ait: Adolescens, tibi dico, surge. Et »» resedit qui erat mortuus, & cœpit loqui, & dedit illũ matri suæ. His rebus nihil admirabilius, ac nihil magis stupẽdum dici potest. Hoc enim in loco aperit sese Christus, quantus quantus sit tum affectu erga miseros, tum potentia super mortem & infernum. Videns enim calamitatem uiduæ, mox cõmouetur misericordia, & cõsolatur eam tum uerbis, dicens: Noli flere, tum factis. Accedens enim ad loculũ, reuocat adolescẽtem mortuum ad uitam, & restituit eum matri. Quid potest hac clementia benignius dici? Hæc autem tanto magis in Christo obseruari debet, quanto occultiora mysteria nobis reuelat. Considera enim mihi Christum hoc loco diligẽtius, uidelicet, q̃ prompte subueniat uiduæ. Non enim expectatis precibus, nõdum rogatus, & uidua nihil tale ne cogitante quidem, afficitur misericordia erga afflictam uiduam, & offert ei sua ipsius sponte auxiliũ & beneficium. In Christo aũt exprimitur imago eorum affectuum, quos Deus pater erga homines gerit. Deum enim, inquit Ioannes, nemo uidit unq̃, unigenitus filius, qui est in sinu patris, ipse enarrauit. Et Paulus: Christus, inquit, est imago Dei inconspicui. Quare manifestũ fit in Christo, q̃ pater tanta clementia præditus sit, ut humilibus, afflictis, & oppressis, non expectatis precibus eorum, auxilium conferre uelit. Anteq̃ clament, inquit apud Esaiam, ego exaudiam, ad hucillis loquentibus ego audiam. Et itetum: Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum & contritum spiritu, & tremẽtem sermones meos? Sed quis, inquies, ignorat Deum esse clementem, & respicere miserias hominum? Scio quidem hæc de Deo passim in omnibus compitis esse decantata, sed si, quod uerbis dicitur, serio creditur, quid sibi uolunt nostri tam miserabiles & horribiles in aduersa fortuna eiulatus? qui sic miseriam nostrã deplorare solemus, ut haud obscure significemus, animum nostrum omni planè fiducia & spe destitutum esse. Si sentimus Deum respicere afflictos, quid sibi uult hæc desperatio, qua in afflictiõibus, abiecto omni timore Dei, in quæuis impietatis & blasphemiæ genera præcipites ruimus? Non igit tã facile credit, q̃ facile dicit, Deũ esse clementẽ, & respicere afflictos, sed ut fides huius rei radices in corde nostro agat, & fructũ afferat, inculcandum est uerbum Dei, urgendæ sunt promissiões Dei, explicandus est Christus filius Dei. Hisce enim organis dat spiritus Dei, ut quod uerbis de misericordia Dei extra pericula & afflictiones loquimur, reipsa in ipsis periculis & afflictionibus sentiamus,

Mulier uidua, misera.

Christi clemẽtia erga miseros.

Afflictos iuuat Deus.

Organa quibus datur spiritus sanctus.

sentiamus, ac in uocatione Dei permaneamus. Sed si Christus, inquies, uoluit hoc loco declarare misericordiam suam erga afflictos, cur permittit, ut hic adolescens moriatur? cur non seruat eum ante mortem, quemadmodum seruauit famulum Centurionis? Sic enim misera uidua non fuisset in tantam calamitatem coniecta. Audi igitur, quisquis hæc scrutaris. Potuisset quidem Christus adolescentem, etiã ante mortẽ, incolumem seruare, sed quod ipse discipulis, de cæco à natiuitate apud Ioannem interrogantibus, respondit, hoc idem tibi responsum existimato. Nam hic adolescens ideo mortuus est, ut manifestentur opera Dei in illo, & quo resuscitatio mortui humanis uiribus magis impossibilis uidetur, eo maior gloria Christi ex resuscitato mortuo eluceſcat. Quam gloriam dicis? num hanc, ꝙ, quia Christus suscitauerit huic uiduæ filium, significauerit, se omnibus uiduis adolescẽtes suos mortuos resuscitaturum, & eos uiuos ipsis redditurum? Minime omnium. Resuscitabit quidem omnes tam pueros q̃ adolescentes & uiros, in nouissimo die, & reddet unicuiq; iuxta opera sua, sed sicut in sanandis leprosis, & restituendis claudis non significauit, se omnes leprosos & claudos sic mirabiliter & corporaliter sanaturũ, ita hac adolescentis resuscitatione non significauit, omnes se uiduarum adolescentes ad corporalem & externam huius seculi uitam à morte reuocaturum. Quæ est ergo illa gloria, quam nomini Christi hoc miraculum affert? Primum, hoc miraculum testatur, tanq̃ cœleste sigillum, ꝙ Christus diuina maiestate & potẽtia præditus sit, ac uere sit natura Deus. Nam cum dicit: Adolescens tibi dico, surge, quid agit aliud, q̃ ꝙ imperet morti? & cum adolescens ad hanc uocem non solum uiuus resurgat, sed etiam mox loquatur, & matri suæ sanus & uegetus restituat, quid aliud agitur, q̃ ꝙ ipsa mors Christo obediat? Tantæ autem potentiæ, tantæ arrogãtiæ mors est, ut nulli nisi Deo cedat? Quare Christus hoc argumento palam declarat, se uerum & naturalem Deum esse. Suscitauerunt etiam mortuos Elias & Elizæus, uerum hi non sua, sed aliena uirtute mortuos suscitarunt. Christus autem suscitauit mortuos sua ipsius uirtute: Tibi, inquit, dico, adolescens, surge. De qua re in sequenti homilia pluribus differemus. Deinde hoc miraculum testatur etiam hãc Christi gloriam, ꝙ Euangelion suum uerissimum sit. Prædicauit enim, ꝙ ipse sit resurrectio & uita, & ꝙ qui credat in ipsum, non pereat, sed habeat uitam æternam. Et iterum: Si quis sermonem meum, inquit, seruauerit, mortem non uidebit inæternũ, & qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, uiuet. Cum igit Christus addiderit huic prædicationi miraculũ resuscitati mortui, non tam declarauit se morti potenter dominari, q̃ comprobauit se uera de uincẽda per fidem in ipsum morte docuisse. Quid ergo adhuc conquerimur? cur in discrimine mortis de salute nostra dubitamus? nonne Christus mortis uictor est? nõne per Christum uincit mortẽ, quisquis in ipsum credit? nonne Christus, hanc rem certissime sese ita habere, miraculo resuscitati mortui testatus est? Agite ergo, amicissimi, excutiamus incredulitatem, abiiciamus dubitationem, & ponamus nobis hoc miraculum, tanq̃ cœleste sigillum & testimonium, ob oculos, ut in fide nostra in Christum confirmemur. Adhæc, exhibuit Christus hoc miraculo omnibus uiduis literas & sigilla, nõ ꝙ uelit oĩm uiduarũ filios demortuos iterum in hanc corporalem uitam reuocare, quẽadmodũ supra indicauimus, sed ꝙ uelit esse uiduarũ patronus & defensor, in omnibus afflictionibus ipsarũ. In hoc eñ seculo nihil est miserius uidua, præsertim ea, quæ post mariti mortem etiam liberis destituitur. Si est iunior habet multos famæ insidiatores. Si est grandis natu, ipsa solis luce indigna reputat. Si est ditior, aut sycophantarum impostoris, aut tyrannorum uiolẽtia opprimitur. Si est pauperior,

Gloria nominis Christi ex miraculo resuscitati mortui.

Viduarum cõditio miserrima in hoc seculo.

nihil ea cõtemptius. Breuiter, uidua adeo abiectum hoim genus habetur, ut qui se longe oim contemptissimos significare uelint, uiduas se contemptiores dicant. Nõ auderet hæc (inquit senex in Comœdia) uiduæ mulieri facere, quæ in me fecit. Sed quid? num quia uiduarũ cõditio inter hoies contẽptibilis habeť, etiam à Dño Deo nostro fastiditur? Minime oim, sed quo abiectiores sunt uiduæ apud homines, eo honoratiores & maioris curæ sunt apud Dñm. Primum eñ Dñs muniit salutem uiduarũ in hoc seculo grauissimis & seueriſsimis legib. In Exodo dicit: Viduæ & pupillo nõ nocebitis, si læseritis eos, uociferabũtur ad me, & ego audiam clamorẽ eorũ, & indignabiť furor meus, percutiãq; uos gladio, & erũt uxores uestræ uiduæ, & filii uestri pupilli. Et in Esaia: Subuenite oppresso, iudicate uiduam. In Ieremia quoq; dicitur: Pupillum & uiduã nolite contristare. Et mox: Si non audieritis uerba hæc, in memetipso iurauí dicit Dñs, quia in solitudinem erit domus hæc. Quid posset seuerius dici? Propter tristiciam, qua uidua afficiť, minatur Dominus totius familiæ desolationem. Et quod Ieremias affirmauit, hoc idem cõfirmat Ezechiel dicens: Pupillum & uiduã contristauerũt apud te, ego ergo Dñs locutus sum & faciam, & dispergam te in nationes, & uentilabo te in terras. Deinde muniuit Dominus uiduarum salutem multis & magnis promissionibus. In Deutero. dicitur Deus facere iudicium pupillo & uiduæ. In psalmo uocatur pater orphanorum & iudex uiduarum. Quæ profecto manifestæ sunt promissiones, quibus Deus recipit se magnam uiduarum rationem in omnibus afflictionibus ipsarum habiturum. Et iterum in psalmo canitur: Dominus custodit aduenas, pupillum & uiduam suscipiet. Ac in Prouerbiis Salomon ait: Domum superborum demolietur Dominus & firmos faciet terminos uiduæ. Porro autẽ, quod uiduis uerbo Dei promittitur, hoc etiam miraculis confirmatum est. In tercio libro Regum, mittitur Elias ad uiduam Sareptanam, & ecce hydria farinæ & lecytus olei non deficiunt, usq; ad diẽ, in qua Dominus dedit pluuiam super faciem tetræ. Iam huius quoq; uiduæ filius à morte per Eliã suscitať. In quarto Regũ libro, uidua conqueriť pphetæ Elizæo de importunitate creditorũ suorũ: Ecce inquiens, creditor uenit, ut rollat duos filios meos ad seruiendũ sibi. Ecce aũt multa uasa ex paucissimo oleo ad uerbũ pphetæ mirabiliter implenť, ut non solũ ex his diuenditis creditori satisfieret, uerũetiam multũ olei supereſſet, unde uidua & filii eius uiuerent. Sed quid opus est miracula è longinquo petere, cũ habeamus in hoc loco miraculũ longe oim clarissimum, quo Christus, reuocato in uitã unigenito filio uiduæ, palàm testatus est, se uiduis in oĩbus afflictionibus ipsarũ auxiliũ & saluteˊ collaturũ esse. Quare, si uiduæ despiciantˊ & affliganťˊ, non desponˊdeant animũ, sed meminerint, quantæ curæ Deo sint, quàm magnificas habeãt pmissiones Dei, & cõfirmata fide sua inuocẽt Dñm Deũ iudicẽ ipsarũ, qbus rebus fiet, ut quanto neglectiores sunt in hoc seculo, tãto maiori auxilio à Dño uisitenť. Postremo, hoc miraculum, quod Christus in adolescente mortuo ædidit, cõfirmat fidẽ, nõ uiduæ tñ, sed etiã oĩm afflictorũ, quocunq; tentationũ aut calamitatũ genere cõprehendanť. Christus eñ aliàs manifeste significauit, se oẽs afflictos adiuuare uelle, dicens Venite ad me oẽs, qui laboratis & onerati estis, & ego refocillabo uos. Hoc aũt miraculo declarauit, se etiam posse afflictos adiuuare. Qui eñ potest mortuũ in uitam reuocare, quæ esset tanta calamitas, è qua is liberare non posset? Proinde, siue affligamur periculis huius uitæ, siue comprehendamur periculis mortis, reuocemus nobis ob oculos miraculum illud resuscitati adolescentis, & confirmemus ex eo fidem nostram, & in uocatione Dei constemus, & ueram salutem consequamur, per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus laudandus in secula Amen.

Viduarum patronus est Deus.

Christus uiuit & potest iuuare afflictos.

HOMILIA LXX.



Hactenus ædidit Iesus Christus Dominus noster multa & stupenda miracula. Nunc autem Euangelista describit uerum & legitimum eorum miraculorum usum. Proponunt enim nobis miracula, non ut ipsa admiremur tantum, sed potius ut ex ipsis discamus maiestatem Dñi nostri Iesu Christi, qui est salus & uita nostra. Audiamus igitur primum, quam uulgus opinionem ex miraculis de Christo concipiat, deinde quam miraculorũ rationem ipse Christus tradat. Ac de uulgo quidem ita scribit Lucas: Postquam adolescens mortuus reuocatus est uoce Christi ad uitam, & cœpit loqui: Accepit omnes timor, & glorificabant Deum, dicentes: Propheta magnus surrexit inter nos, & Deus uisitauit plebẽ suam. Siue uulgus sentiat de propheta illo magno, uidelicet Messia, de quo Mose scribit: Prophetam, inquẽs, de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies, siue in genere de excellenti quodam propheta loquatur, certe cum addit: Deus uisitauit plebem suam, manifeste indicat, miracula testari, quis, quantam miracula ædit, missus sit à Domino Deo nostro in salutem populi sui. Quare miracula admonent omnes, ut uerbo eius, tanq̃ uerbo Dei, fidem adhibeat, & præceptis Dei obediant. Sed multo manifestius Christus ipse rationem & usum miraculorum legatis Ioannis Baptistæ explicat. Perstringamus igit legationem Ioannis ad Christum, ut quo explicatiora nobis reddant miracula Christi, eo magis perspicue Christum Dominum nostrum cognoscamus. Nam, cum Christus tam stupenda miracula operaret, ut etiam mortuos suscitaret: Exiit, inquit Euangelista, hic rumor in uniuersam Iudæam de eo, & omnem finitimam regionẽ. Et nunciauerunt Ioanni discipuli ipsius de his omnibus. Erat enim Ioannes baptista, quemadmodum Matthæus scribit, iam in carcerem coniectus. Cum igit discipuli eius audirent famam de Iesu, & miracula eius uiderẽt, retulerunt ea ad præceptorẽ suum Ioannẽ. Quam ergo ob caussam nunciant hæc Ioanni? num ut cõmendent Iesum Ioanni, & admoneant Ioannẽ, quo & ipse in Iesum credat? Nequaq̃, sed potius diuersum sentiunt, & conantur hoc nuncio Ioannẽ in Iesum incitare, & persuadere ipsi, ut autoritate sua Iesu resistat. Nam discipuli Ioannis reputabant præceptorẽ suũ Ioannẽ uiæ longe oĩm sanctissimũ, ac existimabant genus uitæ eius esse rectã uiam ad regnum cœlæ, Iesum aũt, qui ciuilem uitam ducebat, tanq̃ hominem luxui deditũ, præ Ioanne suo mirum in modum fastidiebant. Vnde & apud Matthæum exprobrant Christo luxũ dicentes: Quam ob caussam nos & Pharisæi ieiunamus plærunq̃, discipuli uero tui non ieiunant? Deinde obseruabant Ioannem suum pro Messia, qui liberaturus esset Israelem, & administraturus regnum cœlorum, iam dudum per prophetas promissum. Cum igitur audirent famam Iesu, & uiderent miracula eius, timent ne aliquid gloriæ præceptoris sui decedat, & accusant Iesum apud Ioannẽ, admonentes, ut in tempore maiestati suæ subueniat, & Iesum condẽnet. Discipulos enĩ Ioannis non bene in Iesum affectos fuisse, significat etiam Euangelista Ioannes: Orta est, inquiens, quæstio ex discipulis Ioannis, cum Iudæis de purificatione. Et uenerunt ad Ioannem, & dixerunt ei: Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce is baptizat, & omnes ueniunt ad eum, hoc est, indignũ iudicamus, ut qui à te baptizatus est, usurpet nũc

Miraculorũ uerus usus.

Discipuli Ioannis non bene affecti in Iesum.

autoritatẽ baptizandi,& obſcuret gloriã tuã. Sic & hoc loco nunciãt Ioanni famam Ieſu,ut ſignificent, niſi rebus ſuis in tẽpore cõſulat, & p̃ſumptionem ac ambitionẽ Ieſu cõpeſcat,Ieſum oẽm gloriam nominis ſui præreprurũ ipſi,& maieſtatẽ Meſsiæ occupaturũ. Quid ergo de his diſcipulis Ioannis iudicandũ,quid de ipſorũ opinione cenſendũ eſt? Habent quidẽ zelum Dei,ſed non ſecundũ ſcientiam. Exiſtimãt iniquiſsimũ eſſe,ut hoies cõtemnant duriciam uitæ,& ſectentur luxum,id quod uidebatur ipſis ex doctrina & uita Ieſu ſequi. Recte aũt ſentit, quiſquis ſentit,luxũ ſectari,iniquũ eſſe. At ſentire,certas obſeruatiões duriciæ uitæ neceſſarias eſſe, quaſi non quodlibet genus uitæ ſuas habeat cruces,& ſentire, has certas obſeruationes eſſe expiationes pro peccatis, & merita uitæ æternæ,ac eum, qui exemplũ Ioannis in duricia uitæ ſectaretẽ, peruenire merito ſuo ad fœlicitatẽ regni cœlorum,hoc demum nõ eſt ſecundũ ſciẽtiam & pietatẽ ſentire. Neq; eñ alligauit nos Deus ad certa genera crucis,ſed uult,ut unusquiſq; ſuas cruces in ſuo genere uitæ portet. Neq; dura Ioannis uita tanti apud Deum meriti eſt, ut aut expiauerit peccata Ioannis, aut expiet eius peccata,qui exẽplo Ioannis duriter uiuit, ſed unus ſolus Ieſus Chriſtus expiatio eſt peccatorũ noſtrorũ,& iuſticia noſtra. Deinde, q̃ diſcipuli Ioannis ſtudeant nomini p̃ceptoris ſui, & tueantẽ gloriam eius,bene agunt,ſed q̃ tueantur eam alieno incõmodo,uidelicet obſcuratione nominis Ieſu, male agunt. Atq; hi fere ſunt mores miniſtrorũ, q̃ bono quidẽ affectu ſtudeant cõmodo dominorũ ſuorũ,ſed agant id malo delectu,uidelicet,iniquitate,& alieno incõmodo. At bonus affectus nõ excuſat malũ delectũ. Non eñ ſunt facienda mala, ut eueniãt bona. Et ut maxime ſtudeas utilitati dñi tui,tamẽ magis Deo iubenti iuſta agere, q̃ hoibus uolentibus cõmoda ſua alieno incõmodo parari,obediendum eſt. Quid,q̃ nec eſt cõmodũ,quod alieno incõmodo & iniquitate paratẽ. Impoſturæ eñ & iniquitates non poſſunt eſſe diu fœlices. Melius eſt,inquit Salomon,parũ cum iuſticia, quàm multi fructus cum iniquitate. Et iterũ: Qui calumniatẽ pauperẽ ut augeat diuitias ſuas,dabit ipſe ditiori & egebit. Quare ſerui,qui cõmoda dominorũ ſuorũ iniquitate augent,non commoda ſed damna augent,& non iuuant, ſed perdunt dños ſuos. Vnde cũ etiã diſcipuli Ioannis ſtudebant gloriæ præceptoris ſui, infamia & contumelia nois Ieſu,perdidiſſent Ioannẽ,quantũ ad ipſos quidẽ attinebat,ſi Ioannes affectui ipſorũ obſecundatus eſſet. Quomodo ergo gerit ſeſe Ioãnes erga diſcipulos ſuos,honorẽ Meſsiæ ſibi offerentes,& Ieſu,uero Chriſto,auferentes? Primũ quidẽ, tanta modeſtia præditus eſt, ut honorem Meſsiæ minime agnoſcat, ſed manibus pedibuſq; à ſe repellat: Non ſum,inquiens,ego Chriſtus. Et iterũ: Ipſi uos teſtis eſtis,q̃ dixerim,non ſum ego Chriſtus, ſed miſſus ſum ante illũ. Atq; hanc modeſtiæ uirtutẽ plurimũ cõmendabit poſtea Chriſtus ipſe in Ioanne. Deinde,& ſi diſcipuli eius craſsiſsime peccabant,& rudiſsime delyrabãt,non tamen tractat eos tyrannice,ſed importunos eorum mores tanta humanitate fert, ut nullum non lapidẽ moueat, quo ipſos corrigat, & ad melius ſentiendũ de Chriſto erudiat. Ac aliàs quidem grauiſsime de Chriſto concionatur, digito etiamnum ipſum commendans,& dicẽs: Ecce agnus ille Dei,qui tollit peccatũ mũdi. Hic eſt,de quo dicebã: Poſt me uenit uir,qui me anteceſsit,quia prior me erat. Nunc autem amandat diſcipulos ſuos à ſe ad Ieſum, ut ex ipſo & operibus eius diſcant, quid de ipſo ſentire debeant. Sic enim ſequitur: Et conuocauit duos de diſcipulis ſuis Ioannes,miſitque ad Ieſum dicens: Tu es,qui uenturus es,an alium expectamus? Quid audiõt quam ob

Duricies uitæ non meretur uitã æternam.

Mala non facienda ut eueniant bona.

Ioannis modeſtia.

quam ob cauſſam iubet Ioannes diſcipulos ſuos inquirere, num Ieſus ſit Meſsias? num dubitat ipſe, hunc Ieſum eſſe uerũ Meſsiam? Minime omniũ dubitat. Quem eũ adhuc in utero matris exiſtens agnouerat, quomodo eũ in carcere ignoraſſet? Adhæc cum baptizaret eum, agnouit ipſum ſigno diuinitus dato. Dixit enim Dominus Deus noſter ad Ioannẽ: Super quem uideris ſpiritũ deſcendentẽ, ac manentem ſuper eum, hic eſt, qui baptizat ſpiritu ſancto. Quid ꝙ ſæpenumero demonſtrauerat ipſum extenſo digito, dicens: Ecce agnus ille Dei, qui tollit peccatũ mundi? Et uide apud Ioannem Euangeliſtã capite tercio, q̃ egregiã concionẽ de Ieſu Chriſto habeat: illum, in quiẽs, oportet creſcere, me aũt minui. Et mox: Qui credit filio, habet uitam æternã, qui uero non credit filio, non uidebit uitã, ſed ira Dei manet ſuper eum. Nemo igitur exiſtimet Ioannẽ dubitaſſe in carcere, num hic Ieſus ſit uerus Chriſtus, ſed ſentiendũ eſt, ꝙ nomine & cauſſa diſcipulorũ ſuorum miſerit legationem ad Chriſtum. Etſi enim Ioannes ſæpenumero diſcipulis ſuis prædicauerat, hunc Ieſum eſſe Chriſtũ, & præceperat, ut illum audirent, ac ſequerentur: Qui accipit, inquiens, teſtimoniũ eius, is obſignat ꝙ Deus uerax ſit. Namis quẽ miſit Deus, uerba Dei loquitur, diſcipuli tamen offenſi, uel humilitate perſonæ Ieſu, uel uulgari uitæ eius genere, magis Ioannẽ ſuum, quàm Ieſum pro Meſsia agnoſcebant. Cum igitur nunc diſcipuli annunciarent Ioanni in carcere miracula Ieſu, exiſtimauit Ioannes ſe opportunum tempus nactũ, quo diſcipulos ſuos, ſiquidẽ uerbis non adhibebant fidem, uel ipſis factis doceret, hunc Ieſum eſſe uerũ Meſsiam, ac miſit ipſos ad Ieſum interrogaturos, num ipſe ſit Chriſtus, quẽ ꝓphetæ futurũ adnunciauerunt, & quẽ hactenus Iudæi expectarunt, nimirũ hac ſententia ipſos à ſe amandãs: Ego hactenus ſæpe ac multũ docui uos, non me ſed hunc Ieſum eſſe uerum Meſsiã, ſed nunq̃ potui uobis id perſuadere. Cum igitur Ieſus nunc tam ſtupenda miracula ædat, iubeo uos ad ipſum accedere, & cum ipſo conferre, quis ſit. Non dubito, quin ipſa facta eius uobis perſuaſura ſint, ipſum eſſe uerum illum Meſsiam, quem hactenus expectauimus. Vides, quanta humanitate tractet Ioannes diſcipulos ſuos, quamuis fœdiſsime & rudiſsime errantes. Et hanc uirtutem requirit etiam Paulus, non ſolum in Epiſcopo, uerumetiã in ciuili patrefamilias: Oportet, inquit, epiſcopum eſſe aptum ad docendũ, non uiolentum, non percuſſorẽ. Et poſtea: Seruum Dñi non oportet pugnare, ſed placidum eſſe erga omnes, propenſum ad docendum, tolerantem malos cum manſuetudine, erudientem eos qui obſiſtunt, ſi quando det illis Deus pœnitentiam ad agnoſcendam ueritatem. De patrib. aũt familias dicit: Patres, ne prouocetis ad iram liberos ueſtros, ſed educetis eos per eruditionẽ & correptionem Domini. Et iterũ: Vos domini, eadem facite erga ſeruos, remittentes minas, ſcientes ꝙ & ueſter ipſorũ Dominus eſt in cœlis, nec eſt perſonæ reſpectus apud illũ. Quid ergo diſcipuli tam humaniter à præceptore ſuo Ioanne tracta ti aguntẽ num reſponſant, ſe Ieſum nihil moraturos, ſed in ſua ſentẽcia ſemel cõcepta manſuros? Nihil harum rerum audis, ſed ut humanus & manſuetus eſt præceptor, ita obedientes ſunt diſcipuli. Obſequunẽ præceptori ſuo magna animi ꝓptitudine, & accedunt ad Ieſum. Cum aũt uenſſent ad eum uiri, dixerunt: Ioannes Baptiſta miſit nos ad te dicens: Tu es ille, qui uenturus erat, an alium expectamus.

Ioannes cur miſerit diſcipulos ſuos ad Chriſtum.

Epiſcopi & patres familias debent eſſe humani & manſueti.

Sciebat Chriſtus Ioannẽ non ſua ſed diſcipulorum cauſa interrogare. Quomodo ergo excipit diſcipulos? Num abigit ipſos à ſe contumelioſis uerbis: A pagete, ſtupidi & impii nebulones. Præceptor ueſter toties teſtificatus eſt uobis, me eſſe uerum Meſsiam. Ego ipſe tot miraculis perſpicue declaraui, quis ſim, & adhuc uos

Christi humanitas erga discipulos Ioannis.

dubitatis? Indigni plane estis, propter incredulitatem uestram, quibus splendor solis luceat, tantum abest, ut mea doctrina digni sitis. Atq; hæc quidem uerba probe meriti erant discipuli, sed Christus maiorem habet rationem quid se deceat, q̃ quid illi mereãtur, ac excipit eos eadem humanitate, qua Ioannes eos ad ipsum miserat, adeoq; ex ipsis factis, (quod Ioannes futurum coniecerat) docet ipsos, quis sit.

» Nam in eadem hora multos curauit à morbis ac plagis, & spiritibus malis, & cæ-
» cis multis donauit uisum. Et respondens dixit illis: Euntes renunciate Ioanni, quæ
» uidistis & audistis, q̃ cæci uident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audi-
» unt, mortui resurgunt, pauperibus annunciat Euangelion. Et beatus est, quicunq;
» non fuerit offensus per me. Quod Christus discipulis Ioannis respõdet, hanc habet sententiam: Non est necesse, ut doceam uos multis uerbis, qui sim. Respicite ipsa facta, & referte ad Ioannem præceptorẽ uestrũ, è quibus facile erudiemini, me esse uerum Messiam, & non esse alium expectandum. Nam quæ prophetæ prædixerũt tempore Messiæ futura, ea nunc fieri coram, oculis uestris cernitis. In Esaia dicit:

Esaiæ. 35. Deus ipse ueniet, & saluabit nos. Tunc aperientur oculi cœcorum, & aures surdorũ patebũt, tunc saliet sicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum. Et iterum:

Esaiæ. 61. Spiritus Domini super me, eo q̃ unxerit me, ad Euangelizandum pauperibus misit me. Cùm igitur oculi cæcorum nunc per me aperiantur, aures surdorũ pateãt, claudus sicut ceruus saliat, lingua mutorum aperiatur, & pauperes, abiecti, miseri, & calamitosi homines, Euãgelion de remissione peccatorum, & perpetua fœlicitate audiant, profecto reipsa manifestum est, non esse alium Messiam expectandum. Hic locus diligentissime obseruandus est, quia docet ueram & præcipuam rationem eorum miraculorũ, quæ Iesus Christus ædidit. Nam, præterquàm q̃ miracula Christi priuatas quasdam utilitates contineant, in hunc usum præcipue omnium ædita sunt, ut declarent ac testificentur, hunc Iesum Mariæ filium esse uerum Messiam ac filium Dei. Et hunc miraculorum usum Christus ipse non tantum in hoc loco, uerumetiam in multis aliis locis commendat. In Ioanne capite quinto ait: Ego testimonium habeo maius testimonio Ioannis. Opera enim quæ dedit mihi pater, ut perficiam ea, ipsa, inquam, opera, quæ ego facio, testificãtur de me, q̃ pater miserit me. Et capite decimo: Opera, quæ ego facio nomine patris mei, hæc testimonium reddunt de me. Acmox in eodem capite: Si non facio opera patris mei, nolite credere mihi. Sin uero facio, & si mihi non creditis, operibus credite, ut cognoscatis & credatis, q̃ pater in me est, & ego in eo. De hoc usu miraculorum Christi etiam Ioannes ipse differit capite uicesimo: Multa, inquiens, & alia signa fecit Iesus in cõspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in hoc libro. Hæc autẽ scripta sunt, ut credatis, q̃ Iesus est Christus ille filius Dei, & ut credentes uitam habeatis per nomen eius. Memorabile dictum, quo uerus & legitimus usus miraculorũ, quæ Christus ædidit, traditur, uidelicet, q̃ ea miracula aperiant & manifestent nobis uerum Messiam, ac confirment nos, q̃ cum credamus in Christum, habeamus propter ipsum ueram uitam & fœlicitatem. Sed inquies: An non & alii prophetæ ædiderunt miracula, non tamen fuerunt uerus Messias? Nonne Elias & Elizæus etiam mortuos suscitauerunt, nemo tamen unq̃ propter miracula affirmauit ipsos esse Messias? Re-

Miracula prophetarum.

quomodo ergo ea miracula, quæ Iesus ædidit, confirmant ipsum esse Messiam? Respondeo: Miracula non statim quidem probant, eum qui miracula ædit esse Messiam, sed potius probant & confirmant diuinam eius uocationem & doctrinam, adeoque miracula sunt præcipue sigilla doctrinæ. Vnde & miracula, quæ ædiderunt

ædiderunt Elias & Elizæus, confirmarunt uocationem ipsorum, uidelicet, quòd sint diuinitus in prophetas electi, & quòd uaticinia eorum de regno Israelis, & futuro Messia, uera sint. Nunquàm autem docuerunt, se ipsos esse Messias. Quare nec miracula ab ipsis ædita tribuunt ipsis maiestatem Messiæ. Sic & miracula, quæ IESVS ædidit, probant & confirmant uocationem & doctrinam eius. Is autem docuit se ipsum esse Messiam: Spiritus, inquit, DOMINI, super me, eo quòd unxerit me, ad euangelizandum pauperibus misit me. Et: Ego sum panis uitæ, ego sum uia, ueritas & uita, ego sum uita & resurrectio. Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego refocillabo uos. Et alia id genus innumera, quibus significauit se uerum esse Messiam.

Cum igitur miracula sint sigilla doctrinæ, & IESVS docuit se esse CHRISTVM, profecto confirmant etiam & probant consequenter, IESVM esse uerum CHRISTVM, tot seculis expectatum. Adhæc, patriarchæ & prophetæ uaticinati sunt, quòd eo tempore, quo IESVS uitam inter homines egit, uenturus esset Messias. Iacob dixit: Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec ueniat Silo, hoc est, filius eius Messias, quemadmodum etiam ipsi Hebræi interpretantur. Daniel dixit: Septuaginta hebdomades abbreuiatæ sunt super populum tuum, & super urbem sanctam tuam, ut consummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur uisio, & ungatur sanctus sanctorum. At eo tempore, quo IESVS in terris uitam egit, sceptrum erat ablatum à Iuda, regnante iam Herode Idumæo. Præterea finis erat septuaginta hebdomadarum, quarum mentionem Daniel fecit, interim tamen nullus alius tantis miraculis eo tempore claruit, præter IESVM filium Mariæ, Ioannes enim Baptista nullum miraculum ædidit. Miracula igitur IESV testantur, ipsum hunc esse Messiam, qui patriarchis promissus, & per prophetas prædicatus est. Accedit huc, quòd quæ miracula alii prophetæ ædiderunt, ea non sua sed aliena, uidelicet diuina, uirtute ædiderunt, quæ autem IESVS ædidit, ea etiam diuina, sed tamen sua ipsius uirtute ædidit. Hanc enim uirtutem suam propriam esse, testatus est primum resurrectione & ascensu in cœlum, deinde missione spiritus sancti, qua factum est, ut etiam Apostoli in nomine IESV miracula ædiderint. Quod certe fieri non potuisset, si diuina ædendorum miraculorum uirtus non fuisset IESV propria. Quare miracula, quæ tum IESVS ipse ædidit, tum Apostoli in nomine eius ædiderunt, manifeste testantur, ipsum uerum esse Messiam seu CHRISTVM saluatorem nostrum.

Iesus Christus uerus Messias.

Iesus ædidit miracula sua ipsius uirtute.

Reponamus igitur miracula CHRISTI alta mente, ut in afflictionibus nostris tentati, his tanquàm cœlestibus sigillis fidem nostram confirmemus.

Sed quid illud sibi uult Epiphonema, quod CHRISTVS ad finem responsi sui addit, dicens: Beatus est, quicunq; non fuerit offensus per me? Num offendebatur Ioannes in Christo? Minime omnium, sed quemadmodum priora propter discipulos Ioannis dicta sunt, ita & hoc propter ipsos dicitur. Hi enim offendebantur in Iesu, quod ducebat uitam honestam quidem, sed tamen ciuilẽ, nec ita duram ac sanctam coram hominibus, ut Ioannes. Quare existimant iniquissimũ

iniquissimum esse, si Iesus præriperet Ioanni uiro tam sancto honorē Messiæ. Iesus igitur admonet eos de hoc offendiculo, & iubet eos potius in miracula sua, q̄ in externam uitæ suæ speciem respicere: Beatus, inquiens, qui per me nō fuerit offensus. Sentio quidem uos nonnihil offendi, q̄ non exigam uitam meam in eremo, q̄ nō tantam sanctitatis speciem præ me ferā, quanta in præceptore uestro elucet, at beatus est, qui in me ita non offenditur, ut magis iudicet de me secundum testimonia, quæ mihi dat Dominus Deus meus per miracula, q̄ secundū externam meam conuersationem, quā inter homines dego. Igitur, si & uos sapitis, ac si uultis beati esse, abiicite præposterum uestrum iudicium, & sentite de me, quod miracula testantur, non quod externus uitæ habitus ostendit. Ob seruandum epiphonema, & hoc etiā tempore inculcatu necessariū. Sunt enim multi, qui humilitate Iesu Christi & Euangelii eius offenduntur, Alius contemnit Christum, quia non uidet ipsum pro externa maiestate regnare. Alius reiicit Euangelion Christi, quia uidet illud potentissimorum & sapientissimorum hominum persecutioni patere. Alius fastidit opera ciuilis suæ uocationis, q̄ uideantur uulgaria, sectatur autem opera eremitica & monastica, q̄ ea præ se ferant speciem plane cœlestem. Sed incredula caro sibiipsi hæc offendicula fingit. Nam quod ad maiestatem Christi attinet, regnat quidē ille summa & omnipotenti maiestate, tam in cœlo q̄ in terra. Dedit enim illi Deus nomen quod est super omne nomen, ut in nomine eius omne genu sese flectat cœlestium, terrestrium & infernorū, sed interim affirmat ipse Christus regnum suum non esse de hoc mundo. Et Petrus: Oportet Iesum cœlum accipere, usq; in tempora restitutionis omnium, quæ locutus est Deus per os omnium sanctorum à seculo prophetarum. Iam, q̄ Euangelion Christi persecutionibus pateat, non mirum uidebitur, si quis consideret, ueritatem semper pessime in hoc mundo audire, & Satanam mendacii patrem esse huius seculi principem, qui cum non possit ferre ueritatem, commouet omnes gentes aduersus Euangelion. Et Christus ipse hoc futurum affirmauit: Ego mitto, inquiens, uos sicut oues in medio luporum. Si ipsum patremfamilias uocauerūt Beelzebub, quanto magis domesticos eius? Et: Non ueni ut mitterē pacem sed gladium. Et alia innumera his similia, quibus monemur, Euangelion de Iesu Christo tanto magis uerum esse, quanto acrius ab hominibus huius seculi impugnatur. Quid autem dicam de operibus suæ cuiusque ciuilis uocationis, quæ hypocritis non aliter fastidio sunt, quàm discipulis Ioannis ciuilis cōuersatio Christi? Hæc enim opera, etsi non habeant cœlestem speciem, quemadmodum opera eremitica, attamen habent testimonia uerbi Dei, cum opera eremitica his testimoniis careant. Nam & officia magistratus ciuilis, & officia patrumfamilias, & officia coniugū, & officia liberorē, & officia seruorē & officia artificū, breuiter, officia totius ciuilis uitæ, à uerbo Dñi ordinātur, præcipiuntur & cōmendantur. Quid aūt diuinius, quid cœlestius uerbo Domini? aut quid ea re ornatius esse potest, quæ à uerbo Domini commendatur? Quare, si uolueris recte de rebus diuinis sentire, ac ueram beatitudinem consequi, non est tibi de Christo, de Euangelio Christi, ac de iis quæ ad Euangelion Christi pertinent, secundum externam eorum laruam, sed secundum uerbum Dei, secundum oracula prophetarum, secundum miracula ab ipsomet Christo ædita, & secundum alia diuina & cœlestia testimonia iudicandum. Sic enim inuenies per fidem, ueram maiestatem Messiæ, ac perpetuam uitam & fœlicitatem in Christo Iesu Domino nostro, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus laudandus in secula Amen.

Christi & Euangelij humilitate multi offenduntur

Vocationū ciuilium opera habent testimonia uerbi Dei.

Homilia

HOMILIA LXXI.



Vo sunt præcipue, quæ testificantur Iesum filiũ Mariæ esse uerum Messiã: Alterum, miracula, alteq; Ioannes Baptista. Si ego, inquit Iesus, testimoniũ perhiberem de meipso, testimoniũ meum nõ esset uerum. Alius est, qui testimoniũ perhibet de me, & scio uerum esse testimoniũ, quod testificat de me. Vos misistis ad Ioannẽ, & is testimoniũ reddidit ueritati. Et mox: At ego testimoniũ habeo maius testimonio Ioannis. Opera enim quæ dedit mihi pater, ut perficiã ea, ipsa, inquã, opera, quæ ego facio, testificant de me, quòd pater miserit me. Ac de operibus quidẽ, hoc est, miraculis, quæ Christus ad testificandã maiestatẽ suam ædidit, antea disseruimus. Nunc aũt audiamus de Ioanne Baptista, ut certitudine testimonioq; prorsus confirmati, Iesum Christũ uera & cõstanti fide complectamur. Cum discessissent, inquit Lucas, nuncii Ioannis, cœpit de Ioanne dicere ad turbas. Quid aũt cœpit dicere? Profecto non nisi mera encomia, meras laudes Ioannis Baptistæ. Hæc igit encomia tanto diligẽtius obseruanda sunt, quãto excellentior est encomiastes. Magna gloria reputat, si quis à bono & præclaro uiro uel mediocriter cõmendatur, & tamen etiam uiri boni falli ac fallere possunt. Quanta ergo gloria est, ab ipso Christo filio Dei, qui nec falli nec fallere potest, cõmendari? Arrigamus igitur aures, & quæ de laudibus Ioannis Baptistæ dicunt, alta mente reponamus. Nam in quẽ usum hæc Ioannis cõmendatio nobis proponat, postea pluribus indicabimus. Primũ aũt omnium obseruandũ est, q; qui laudant, solent partim à bonis fortunæ, partim à bonis corporis, partim à dotibus & uirtutibus animi laudari, sed nõ est magna apud honestos uiros ratio eaq; laudũ, quæ à bonis fortunæ & corporis ducunt. Quæ aũt ducunt à uirtutibus animi, hæ demũ ueræ laudes putant. Quare etiã Christus non cõmendat hoc loco Ioannẽ à proceritate staturæ suæ, nec à nobilitate parentum suorũ, sed, quæ est uera laus, à dotibus animi. Et cũ quatuor sint præcipua uirtutũ animi genera, uidelicet, fortitudo, iusticia, tẽperantia & prudentia, ab his etiã singulis Christus Ioannẽ cõmendat, dicens ad turbas: Quid existis in desertũ, ut uidere tis arundinẽ uẽto agitari? Hæc est cõmẽdatio à iusticia & fortitudine animi ducta. Supra enim, capite tercio, & apud Matthæũ scribit, q; ad Ioannẽ egressa sit Hierosolyma, tota Iudæa, totaq; regio undiq; finitima Iordani, Pharisæi, milites, publicani, & innumerabilis hoim turba. Cum ergo (inquit Christus ad turbas) egrediebamini ad Ioannẽ in desertũ, quid quærebatis in deserto? num arundinẽ uento agitatã, quales multæ in Iordane nascunt? at non erat, cur ob eam caussam exiretis in desertũ. Potuissetis enim tales harũdines etiã in uestris lacubus aut fluminibus inuenire, sed hac metaphora Christus explicat iusticiã & constantiã Ioannis. Est enim sentẽcia: Nõ reperistis in deserto hoiem, qui partim aliena sibi usurpet, partim aliud sedẽs aliud stãs loquat, qui ex eodẽ ore calidũ & frigidũ efflet, & qui uelut harũdo uento agitata, nunc ad hanc nunc ad illã partẽ sese applicet, sed talẽ reperistis, qui nulla hoim gratia, nullo honore, nullis minis, nullis terroribus, nullis deniq; mortibus eo adigi potuerit, ut aut honorẽ Messiæ sibi delatũ usurparet, aut testimonia sibi non probe cõstantia de uero Messia proferret: Alii hoies tam iniusti sunt, ut ubicunq; occasionẽ nacti fuerint, sua aõmoda alioq; incõmodo augeãt, & tã imbecilles animo sunt, ut obiectis minis mox negẽt, quod prius affirmarunt, & affirmẽt, quod prius negarunt. Hic aũt Ioannes tanta iusticia, ea uidelicet, quæ unicuiq; tribuit quod suum est,

Virtutũ animi quatuor genera.

Ioannem laudat Christus à iusticia & constantia.

tantaq; animi fortitudine præditus est, ut nec cõmodo nec incõmodo suo alienũ honorẽ sibi usurpare, & ueritatem abnegare uoluerit. Vbi ergo præstitit Ioannes has uirtutes? Primum apud Iordanẽ, cum Christus accessit ad ipsum ut baptizaretur. Ibi enim Ioannes palàm agnoscit Iesum, uerũ Messiam, dicens: Mihi opus est, ut abs te baptizer, & tu uenis ad me? Deinde, cum conciliũ Hierolymitanũ misisset publicam legationem ad Ioannẽ, & detulisset ei honorem Messæ. Ibi enim, quèad modum in Ioanne scriptum est, capite primo, & quinto, confessus est, & non negauit, uidelicet confessus est, inquiens: Non sum ego Christus. Et ego baptizo quidẽ aqua, sed in medio uestrũ stat, quem uos nescitis. Ipse est, qui cum me lequeretur, antecessit me, cuius ego non sum dignus, ut soluam corrigiã calceamenti. Postremo in omnibus suis cõcionibus, tam priuatis apud discipulos, q̃ publicis apud turbas, ingenue testatus est, non se, sed Iesum esse agnũ Dei, tollentem peccata mundi. Hæc constantiæ uirtus in Ioanne, etsi hoc tẽpore uideatur nobis parua esse, attamẽ si cõsideremus cõditiones eorum temporũ, quibus Ioannes uixit, & circumstantias eius negocii, de quo tunc inter homines tractabat, profecto apparebit nobis non admiranda tantũ, uerumetiã stupenda. Sed pergamus, ut & alias uirtutes in Ioanne perspiciamus. Aut, quid existis (inquit Christus) uisuri hominẽ mollibus uestimentis indutũ? Ecce qui uestito splẽdido uestiunt, & in deliciis agũt, in aulis regũ sunt.

Ioannis continentia.

Hæc cõmendatio ducta est à continentia, partim etiã itez à cõstantia. Ioannes enim tàm cõtinentis uitæ fuit, ut non inter homines, sed in deserto uixerit. Adhæc, non usus est cõsuetis indumentis, sed habuit indumentum è pilis camelorũ, & zonã pelliceam circa lumbos suos. Præterea non uixit usitatis hominũ cibis, sed cibus illius erat locustæ & mel syluestre, tantumq; abfuit à deliciis aulicis, ut quod ad uictũ & amictum attinet, magis beluinam q̃ humanã uitã duxerit. Cæterũ, quantum abfuit à delitiis aulicis, tantum etiã abfuit à moribus aulicis. In aulis principũ ac regũ maxime omniũ regnat adulatio, & ibi præcipue locũ habet illud Gnatonis: Quicquid dicunt, laudo, id rursum si negant, laudo id quoq;. Negat quis, nego, ait, aio. Postremò imperauì egomet mihi, omnia assentari, is quæstus nunc est multo uberrimus. Hæc est imago uitæ aulicæ, hi sunt mores aulicorũ. Quid aũt Ioãnes? nam & ipse aliquando apud aulicos uersatus est. Et Herodes tetrarcha obseruabat eum, quemadmodũ Marcus scribit, & audito eo multa faciebat, & libenter eũ audiebat.

Aulicæ uitæ imago.

Ioannes noluit adulari.

Quid ergo? num Ioannes ex conuersatiõe, quã habebat cum aulicis, contraxit etiã aliquid aulicæ adulationis? Quid? Ioannes maluit extremis uitæ suæ periculis obiici, q̃ adulari. Pharisæos & Sadducæos uenientes ad baptismũ suum ita excepit: Progenies uiperarũ, quis uobis submonstrauit, ut fugeretis à uentura ira? At hi erant, penes quos erat summa autoritas inter Iudæos. Quanto igit discrimine putas ipsum reprehendisse impietatẽ & hypocrisim eorũ? Ad Herodẽ tetrarcham quidem Galilææ, raptorẽ autem coniugis fratris sui, & publicũ adulterum, liberrime dixit: Non licet tibi habere uxorẽ fratris tui. Potuisset Ioannes, si uoluisset ad hæc facinus conniuere, & principi assentari, magnum honorem in aula habere, sed tantæ fuit integritatis, ut maluerit tanq; seditiosus in carcerẽ coniici, & capite truncari, q̃ adulari. Dignus igitur est, qui ob uirtutes suas pleno ore cõmendetur. Sed nondum finis uirtutum eius. Sequit enim: Quid existis ad uidendum? Prophetam? Vtiq; dico uobis, & plus q̃ prophetam. Hic est, de quo scriptũ est: Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit uiam tuam ante te. Hæc est cõmendatio à sapientia, non quidem humana sed diuina. Prophetarum enim ordo nomine diuinæ sapientiæ maxime omnium admirabilis est. Etenim prophetæ primum, ea quæ futura

Prophetarũ excellentia.

sunt præce-

sunt præceptore spiritu sancto uident, ac uaticinantur. Deinde iram Dei non solũ auertunt à populo, id quod Mose & Samuel declarárunt, uerumetiam docent alios uiam & rationem, qua possint supplicia & calamitates effugere, ac uerã & perpetuam salutem consequi. Sapiens iudicatur, qui ex coniecturis quibusdã probabilibus colligit, aut bellum aut pestem aut famem imminere, & ostendit uiam, qua liceat hæc pericula uel ad tempus duntaxat uitare, quãto sapientior iudicandus est, qui ex ipso spiritu sancto colligit, imminere calamitates, & ostendit uiam, qua perpetuo seruemur. At hæc est prophetarum philosophia & professio. Quare prophetæ omnes alios sapientia anteire iure optimo censendi sunt. Quantam ergo prædicabimus sapientiam Ioãnis Baptistæ? De hoc enim ait Christus: Vtiq; dico uobis, & plus est q̃ propheta. Si Ioannes plus est q̃ propheta, quis est qui sapientiam & dignitatem eius satis explicare possit? Sed hic fortasis quispiam obiicet: Si Ioannes plus est q̃ propheta, quid est, q̃ ipse alias à Herode Hierosolymitanis interrogatus, quis sit, negauit se prophetam esse? Nam qui plus q̃ propheta est, certe & propheta est. At cum Ioannes negat se prophetam, non differt de uocatione sua, sed cõfert se cum Christo. Ioannes enim cum Christo collatus, profecto indignus est, qui soluat Christo corrigiam calceamenti eius, quomodo igitur propheta nõ minime dignus esset? Hoc autem loco, Ioannes non confertur cum Christo, sed cũ aliis prophetis, ad quos collatus, tantum eos superat, quantum illi alios homines superant. Ac uide mihi, quantæ sint laudes Ioannis. Cum enim Christus commemorasset uirtutes Ioannis, addit laudum eius epilogum, breuẽ quidem illum, sed quo Ioãnes omnibus, qui unquam uixerunt, hominibus præponitur, & quo Christus significat, se etiam ipsum non posse quodammodo uirtutes Ioannis satis pro dignitate explicare. Ait enim. Maior inter natos mulierum propheta Ioanne Baptista nemo est. Vel, ut alius Euangelista scribit: Amen dico uobis: Non exortus fuit inter eos qui nascuntur e mulieribus, maior Ioanne Baptista. Videamus ergo qua in re Ioannes superet omnes alios homines, non prophetas tantum. Ac siquidem de uirtutibus, quas uocant morales, nobis dicendum esset, certe inueniemus in his Ioannem excellere omnes tam Iudæos q̃ ethnicos. Iustus fuit Abraam, qui noluit quicq̃ è præda regis Sodomorum sibi retinere. De ea enim iusticia nũc loquimur, quæ est uirtus tribuens unicuiq; quæ sua sunt. Apud ethnicos, Aristides etiam iusti cognomentum habuit, sed in hac uirtute longe excellit Ioannes, qui in tantum ab alienis abstinuit, & unicuiq; sua tribuit, ut maiestatem Messiæ, quæ omnem regiam dignitatem superat, à Iudæorum primatibus sibi oblatam respuerit, & uero suo Domino Iesu Christo detulerit. Apud Iudæos constantes animo fuerunt Mose, Dauid, Daniel, apud ethnicos M. Regulus, Mutius Scæuola, Horatius Cocles, & alia Romana miracula. At constantia animi in Ioanne multo admirabilior, quippe qui nec sanctitate sanctissimorum hominum, nec potentia potentissimorũ principum permoueri potuerit, ut testimonium suum de Christo mutaret, & aliud stans, aliud sedens loqueretur. Apud Iudæos commendatur conscientia Mose, q̃ maluerit inter Israelitas suos sordide, q̃ in aula regis Pharaonis splendide uiuere. Apud ethnicos commẽdatur M. Curius Romanorum imperator, q̃ neglectis deliciis ligneo catino cœnarit. Sed multo continentior Ioannes, qui, contempta aula Herodis, locustas & mel syluestre ederit, ac indumentum e pilis camelorum habuerit. Quid dicam de sapientia? Cum enim Ioannes hac uirtute superarit omnes Iudæorum prophetas, quanto magis superauit omnes ethnicorũ philo

Ioannis sapientia.

"
"
"

Ioannes excelluit omnes homines.

sophos. Sed cum Christus ait: Inter natos mulierũ nõ surrexit maior Ioanne Baptista, non uult præcipue conferre uirtutes Ioannis cum uirtutibus aliorum hoim, sed uult conferre hoc dicto officium & dignitatẽ Ioannis cum officio & dignitate aliorum prophetarũ. Primũ eñ Ioannes in hoc uincit alios ꝓphetas, ꝙ hi fuerunt quodãmodo ministri Ioannis, & prophetarũt de Ioanne. Esaias ait: Vox clamãtis in deserto, parate uiam Dñi, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri. Hæc Esaias præcipue de Ioanne uaticinatus est. Malachias aũt ait: Ecce ego mittã angelũ meum, & præpaeabit uiam ante faciem meam. Quod de Ioanne esse prophetatũ, Christus hoc loco perspicue explicat. Deinde in hoc etiam superat Ioannes alios prophetas, ꝙ p̃cipuus inter ipsos, uidelicet Elias Thesbites, fuerit umbra Ioannis. Apud Malachiã eñ ita legit̃: Ecce ego mittam uobis Eliam prophetam, anteq̃ ueniat dies Dñi magnus & horribilis. Hunc aũt Eliam esse Ioannem Baptistam, testatur tam angelus, qui apparuit Zachariæ parenti Ioannis, q̃ Christus ipse: Si uultis, inquiens, recipere, ipse est Elias ille, qui uenturus erat. Et aliàs: Elias quidem ueniet prius & restituet oĩa. Cæterum dico uobis, Eliam iam uenisse, & non agnouerunt eum, sed fecerunt in eo, quæcunq; uoluerunt. Postremo Ioannes in hoc maxime oĩm præstat omnibus aliis ꝓphetis, ꝙ alii de Christo & Christianismo longe post uenturo uaticinati sunt, Ioannes aũt fuit primus oĩm publicus de Christo iam præsente prædicator, & primus omnium Christianismi instaurator, quemadmodum supra capite tercio ostendimus. Nam alii prophetæ prædixerunt admiranda de Christo & regno eius: Non audietur ultra, inquiunt, iniquitas in terra tua, uastitas & contritio in terminis tuis, & occupabit salus muros tuos, & portas tuas laudatio. Non occidet ultra sol tuus, & luna tua nõ minuetur, quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam, & complebuntur dies luctus tui. Populus tuus omnes iusti in perpetuum hæreditabunt terram. Et iterum: Stabunt alieni & pascent pecora uestra, & filii peregrinorum agricolæ & uinitores uestri erunt. Vos autem sacerdotes Domini uocabimini, ministri Dei nostri dicetur uobis. Fortitudinem gentium comedetis, & in gloria eorum superbietis. Ac rursus: Ecce ego creo cœlos nouos & terram nouã & non erunt in memoria priora, & non ascendent super cor, sed gaudebitis & exultabitis usq; in sempiternum in his quæ ego creo. Sed quis cõmemorare posset omnia oracula, quibus prophetæ descripserunt fœlicitatem eius temporis, quo Christus in terram uenturus, & Euangelion suum prædicaturus est? Huius autem fœlicitatis primus omnium minister fuit Ioannes Baptista, qui & prædicatione sua Christum reuelauit, & baptismo suo homines in Christũ & regnum eius consignauit. Quare haud immerito omnibus prophetis, adeoq; omnibus hoibus maior prædicatur. Sed quid sibi uult, inquies, Christus, ꝙ Ioannẽ tam amplis laudibus cõmendat? Meminit quidem interdum Abraæ ac Mosi, interdum & Dauidis ac Esaiæ, sed in nullius horum laudibus moratur, ut appareat ipsum alioqui fuisse laudum suarum parcissimum. Magnam igit̃ caussam esse oportet, cur in unius Ioãnis laudibus tamdiu moret̃. Num fortasis uoluit Ioannẽ hoc encomio ita nobis cõmendare, ut adoremus Ioannem, & agnoscamus ipsum seruatorẽ nostrũ, ac quæramus in eo tanq̃ in uero Messia iusticiam & salutem? Absit. Ne enim cõmendatio Ioannis ita intelligat̃, Christus mox explicat dicens: Attamẽ, qui minor
» est in regno Dei, maior est illo. Regnum Dei, de quo hic est sermo, quidam in-
» telligunt, de regno Dei in altero seculo, in quo uolunt minimum sanctum, iam in fœlicitate confirmatũ, maiorem esse Ioanne adhuc in terris cõuersante, & cõfirmata fœlicitate regni cœlorum nondũ fruente. Ac fœlicior quidem est cõditio eorũ sanctorum,

Ioannes uincit oẽs prophetas.

Elias umbra Ioannis.

Prophetæ de Christo uẽturo uaticinati sunt.

Ioannes primus Christũ reuelauit.

Ioannes cur tantopere laudetur à Christo.

Regnum Dei quid?

ſanctoꝝ, qui cum Chriſto iam in cœlis regnant, q̃ eoꝝ qui adhuc in carne cũ carne & Satana luctant, ſed Chriſtus hoc loco uocabulo regni Dei ſeu cœloꝝ utitur pro negocio prædicationis Euangelitæ in hoc ſeculo, qui uſus frequens admodum eſt apud Euangeliſtas. In Matthæo dicitur: Aſſimilatum eſt regnum cœlorũ homini ſeminanti bonum ſemen in agro ſuo, quod quid aliud eſt, q̃ ſi diceretur: In prædicatione Euangelii idem accidit, quod homini ſeminanti bonum ſemen in agro ſuo? Ac rurſus: Simile eſt regnum cœlorum grano ſinapis, item fermento, ſimiliter uerriculo iacto in mare, & ex omni genere contrahenti. In quibus, & multis aliis locis, niſi pro regno cœlorum intelligas, negociũ Euangelicæ prædicationis, nullã habebis aptã ſententiã. Quin & pphetæ, de Meſsia uaticinantes, uocant id tẽpus regnũ Dei ſeu cœlorũ, quo & ipſe Meſsias & Apoſtoli eius, ac oẽs Apoſtolorũ ſucceſſores, Euangelion de remiſsione peccatorũ, & uita æterna in terris pdicant. Atq; adeo hoc tẽpus aptiſsime uocaſ regnũ Dei ſeu cœlorũ. Nã q̃ bona diuina ac cœleſtia in futuro ſeculo reipſa poſſeſſuri ſunt hi, q̃ credũt in Chriſtũ, ea nũc in hoc ſeculo, pdicatione Euãgelii, fide, certaq; ſpei expectatiõe poſsidẽt. Porro aũt quo tẽpore Ieſus Chriſtus in terris egit, & Euãgelion prædicauit, duo tantũ magis pcipui & cæteris oĩbus celebriores habebanſ in negocio Euãgelico, uidelicet Ioannes Baptiſta, & Ieſus filius, ut dicebaſ, fabri. Inter hos uero duos, Ieſus multo minor Ioãne Baptiſta habebaſ. Ioannes eñ erat prognatus è nobilibus parẽtibus, agebat diriſsimam & ſanctiſsimam uitã in deſerto, qua re populus tanta admiratione afficiebaſ, ut exiſtimarit ipſum eſſe uerũ Meſsiã. Ieſus aũt putabaſ humilibus parentibus ortus, adhæc, agebat uitam non eremiticã ſed ciuilẽ, conuiuabaſ familiariter cum hoĩbus, etiam publicanis & peccatoribus. Quare multo minor Ioanne Baptiſta reputabaſ. Cum ergo Chriſtus Ioannẽ Baptiſtã, qui antea maximus habebaſ, miris laudibus extuliſſet, ne quis ex his laudibus iudicaret ipſum Ioannẽ eſſe uerũ Meſsiam, & ſaluatorẽ huius mundi, addit correctionem illam: Attamẽ, qui minor eſt in regno Dei, hoc eſt, is Ieſus, qui in negocio Euangelico præ Ioanne contemniſ, maior eſt illo. Ego enim ipſe, non Ioannes, uerus ille Meſsias ſum, cui Ioannes ipſe teſtimonium perhibuit, ne quis putet me hæc magis arroganter q̃ uere dicere. Reputor quidem minor à populo, ſed Ioãnes ipſe me maiorem pronunciat, dicẽs: Qui uenit poſt me fortior me eſt, cuius nõ ſum dignus, ut ſoluam corrigiam calceamẽti eius. Eſt aũt hoc dictũ Chriſti alta mente reponendũ, ut obiter ex ipſo diſcamus, laudes & cõmendationes ſanctorũ pie & ſine cõtumelia Chriſti tractare. Sancti eñ Dei, multa laude, propter dona, quæ liberalitate diuina poſsident, celebrãdi ſunt, non tñ eſt ipſis tribuẽdus honor Meſsiæ, hoc eſt, non ſunt habẽdi & inuocãdi tanq̃ ſaluatores noſtri & auxiliatores in neceſsitatibus. Vides Ioannẽ hoc loco laudibus uſq; in cœlum ferri, ac oĩbus hoĩbus præponi, audis tñ honoré Meſsiæ mox eiadi mi. Quod inter uiros eſt Ioannes Baptiſta, hoc inter mulieres eſt ſancta uirgo Maria, quæ in ſcriptura immenſis celebraſ laudibus. Aue, inquit angelus, gratioſa, benedicta inter mulieres. Nulla eñ inter oẽs mulieres à condito orbe reperiẽ, quæ maius donum q̃ Maria, à Dño acceperit. Eſt enim corporalis mater filii omnipotentis Dei. Quod ex te, ait angelus, naſcetur, filius altiſsimi uocabitur. Tametſi aũt fuerit hoc ampliſsimo dono ornata, non tñ ideo meruit eſſe Dei & hoim mediatrix, hoc eſt, mater quidem Chriſti eſt, ſed non ideo honor Chriſti, qui eſt, mediatorem & propiciatorẽ eſſe inter Deum & hominẽ, ipſi attribuendus erit. Nihil hic de ſanctorum in cœlis oratione dictũ uolo. Nam ſi tu reſipueris, nõ tantũ ſancti in cœlis,

Ieſus minor habitus Ioanne Baptiſta.

Sancti quatenus commendandi.

Maria ſummis laudibus ornatur in ſcriptura

uerum etiam omnes creaturæ, quemadmodum Paulus ait, pro te ingemiscent. De honore Messiæ loquor, qui cum soli Iesu Christo cõpetat, non est ulli sanctorum adscribendus. Quoties igitur sanctus quispiam in cœlis nobis commendandus uenit, toties etiam meminerimus huius dicti: Qui minor est in regno Dei, maior est illo, ut ita sanctum commẽdemus, ne Christo suum honorem & gloriam auferamus. Habes, Ioannẽ nõ ob hãc causſam esse à Christo laudatũ, ut pro Messia adoretur. Quid ergo? num ideo tantopere laudatur, ut inuitemur ad imitandas uirtutes eius? Omnino quidẽ uirtutes Ioannis imitandæ sunt, & propter hãc etiam causſam sancti nonnunqnam commendantur, uidelicet ut excitemur ad imitationem uirtutum ipsorum, hoc tamen loco Christus Ioannẽ commẽdans aliò respicit. Nam ut Ioannes antea, liber adhuc, testimonium tulerat de Iesu, quòd esset uerus Messias seu Christus: Ecce, inquiens, agnus ille Dei, qui tollit peccatum mundi. Hic est, de quo dicebam, post me uenit uir, qui me antecesſit, quia prior me erat, ita idem adhuc, in carcere iam captiuus, constanter de Iesu testabatur, ob quam etiam rem discipulos suos ad Iesum è carcere miserat. Necesse autem est, eum testem, qui ad cõprobãda maxima & difficilima negocia, (quale est illud, quod de Messia tractabatur, quo negocio nullũ unq̃ maius in toto orbe terrarum fuit) idoneus & sufficiens iudicatur, maximis & clarissimis uirtutibus præditũ esse. Nam qui est homo leuis, eius testimoniũ nullum habet autoritatis pondus. Homini mendaci nihil creditur, inconstans reiicitur, adulator fastiditur, sed is demum iudicatur idoneus testis, qui est & animo fortis, & sermone uerax, & uita iustus, & cõuersatione sua tẽperans ac modestus. Christus igitur prædicat & ornat Ioannẽ amplissimis laudibus, ab his nimirum uirtutibus ductis, quæ ad idoneum testem requiruntur, ut cõmendatis uirtutibus eius, testimoniũ eius, quod de ipso tulerat, cõmendet, ac omnibus inculcet. Si enim Ioannes uerax testis est, & si est Elias ille, de quo Malachias uaticinatur, nullũ dubium relinquitur, quin Iesus ille filius Mariæ uerus sit Messias, quẽ patriarchæ expectarũt, & pphetæ p̃dicarunt. Quare cũ Ioãnes cõmendat, magis cõmendat Iesus ipse, cui Ioannes testimoniũ dedit, q̃ sit Christus, & agnus ille Dei, qui tollit peccatũ mũdi. Iã & illud etiã obseruandũ est, ut ex hac cõmendatiõe Ioãnis discas, quales habeant sancti corã Deo, si coram mundo contemnantur, & condementur. Ioannes enim Baptista erat iam ab Herode, ut seductor populi & seditiosus, in carcerẽ coniectus. Tametsi enim historia Euangelii testetur, ipsum captiuum ductũ ptopter Herodiadem, uidelicet, q̃ reprehendisset Herodem propter adulterium, tamen Herodes non adeo insaniit, ut confessus sit publice, se ideo Ioannem uinxisse, q̃ reprehensus sit ab ipso ob adulteriũ, sed arripuit nomẽ seditionis, & uinxit Ioannẽ, ut seditiosum, ne forte ipso autore plebs aliquid noui in principatu suo aduersus legitimum magistratum moliretur. Hic fuit Herodis prætextus. Quanq̃ ergo Ioannes iam audiebat corã hoc mundo seditiosus, tamen interim, Christo filio Dei præcone, audiebat coram Deo, uir constantissimus, ueracissimus, iustissimus, ac omnium hominum maximus. En, habes in Ioanne specimẽ fortunæ sanctorũ. Accidit eñ sanctis iuxta id quod in psalmo scriptum est: Maledicent illi & tu benedices. Qui insurgunt aduersum me confundentur, seruus autem tuus lætabitur. Diligenter igitur obseruandæ sunt laudes Ioannis, primum, ut commendato Ioanne, CHRISTVS tibi commendetur, & testimonio Ioannis in te confirmetur, qui solus est iustitia, sanctificatio, & redẽptio nostra, deinde, ut exemplo Ioannis tam sancti uiri, ad imitationem uirtutum eius accendaris, quo in uocatione Dei obedienter ambules, postremo,

Sanctorũ uirtutes imitandæ.

Testis idoneus qualis sit.

Sanctorũ fortuna.

Ioannis laudes cur obseruandæ.

postremo, ut etiam exemplo Ioannis animum tuum in aduersis confirmes, ut etiã si homines iecerint in te probra, & condemnauerint te, in uocatione Dei ambulãtem, & uerbo Dei obedientem, non tamen animum tuum despondeas, & à iusticia deficias, sed in obedientia Dei perdures, certa fiducia concepta, q̃ etsi homines nomen tuum sordident, atq; te abiiciant, Dñs tamen Deus noster gloriam nominis tui coram omnibus angelis cõmendet, & te in uera & perpetua fœlicitate cõseruet, per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto DEVS laudandus in secula Amen.

HOMILIA. LXXII.

AVdiuimus duo præcipua testimonia, quibus confirmatum est, q̃ Iesus filius Mariæ sit uerus ille Messias seu Christus, patriarchis promissus. Quorum alterum, miracula sunt, quæ partim ipse Iesus ædidit, partim nomine suo per Apostolos ædita sunt, alterum, Ioannes Baptista, cuius testimonium, q̃ fuerit uir sanctissimæ uitæ & admirandæ constantiæ, maximum autoritatis pondus inter homines habuit. Atq; hæc quidem hactenus. Nunc autem uideamus, quid hæc testimonia inter Iudæos, inter quos hoc Euangelii negocium primum omnium inchoatum est, effecerint, quos ad credendum Christo permouerint, & quos non permouerint. Ait ergo Euangelista: Et omnis populus audiens & publicani iustificauerunt Deum, baptizati baptismo Ioannis. Pharisæi autem & legisperiti consilium Dei spreuerunt aduersus semetipsos, non baptizati ab eo. Euangelista duos facit hominum ordines inter Iudæos: In alterum ordinem reponit populum & publicanos, hoc est, rudem, simplicem, & indoctum uulgum, ac peccatores, qui palàm turpem uitam ducebant. In alterũ reponit Pharisæos & legisperitos, hoc est, sanctissimos & sapientissimos inter Iudæos. Quis ergo ordo publicis testimoniis, tam miraculorũ q̃ Ioannis Baptistæ, ita permotus est, ut Iesum Christum agnouerit? Si pro humana cõiectura diuinandũ esset, quos iudicaremus potius Christum agnouisse & recepisse, q̃ Pharisæos & legisperitos, genus hominum in diuinis scripturis, in quibus Christus promissus erat, eruditissimum? Sed ecce q̃ uanæ sunt hominum coniecturæ. Nam indoctum uulgus, & infames publicani, audientes Euangelion Christi, & percipientes testimonia miraculorum, ac Ioannis Baptistæ, iustificauerunt Deum, tribuerunt Deo gloriam iusticiæ & ueritatis, receperunt Euangelion Dei, agnouerunt peccata sua, crediderunt in Christum, ut ex ipso iustificarentur, & baptizati sunt baptismo Ioannis, ut haberent cœleste signaculum, quo & in communionem bonorum Christi reciperẽtur, & in fide sua confirmarẽtur. Pharisæi autem & legisperiti, qui nomine iusticiæ, sanctitatis & eruditionis, supremũ locũ inter Iudæos obtinebant, tñ abest ut agnouerint Christũ, & consiliũ Euangelii Dei receperint, ut etiam maximis odiis persecuti sint. Porro, quod hoc loco Euãgelista scribit, hoc etiam prophetæ uaticinati sunt. Esaias inqnit: Si fuerit populus tuus Israel quasi arena maris, reliquiæ conuertent ex eo, hoc est, etiamsi in Israel fuerit populus innumerabilis, ac magni & præstantes homines, tñ tamẽ uilissima populi pars salutẽ consequet. Et aliàs: Nisi Dñs Zebaoth reliquisset nobis semẽ, ut Sodoma facti fuissemus, & Gomorræ assimilati essemus. Hoc idẽ etiam Christus ipse testat: Gratias, inquiens, ago tibi pater Dñe cœli & terræ, q̃ abscõderis hæc à sapientibus & prudẽtibus, & reuelaris ea paruulis. Et itez:

" " " "

In iudiciũ ego in hunc mundũ ueni, ut qui nõ uident, uideãt, & qui uident, cæci fiãt. Paulus quoq; ad Corinthios scribens: Videtis, inquit, uocationẽ uestram, fratres, quòd non multi sapientes, secundum carnem, non multi potentes, non multi claro genere nati, uerum, quæ stulta erant secundum mundum delegit Deus. Quid ergo sibi uult Deus, ꝙ eligat eos, qui sunt corã mũdo abiecti, & abiiciat eos, qui uidentur corã mũdo electi? Quanq; nostræ modestiæ sit, iudicia Dei cũ timore & tremore obedienter agnoscere, ne audiamus, qd̃ est apud Paulum: O homo, tu quis es, qui ex aduerso respondes Deo? Num dicit figmentum ei, qui finxit, cur me finxisti ad hunc modum? attamen, quia ipse spiritus sanctus rationes huius diuini consilii in scriptura proposuit, non est temeritas, sed obedientia, eas perscrutari. Primum igit̃, Christus ipse apud Matthæũ causſam ponit, ꝓpter quã eligantur abiecti, & abiiciãtur electi: Non opus, inquiens, habent ii qui ualidi sunt medico, sed qui male habent. Indoctum autem uulgus, & peccatores pessime habent, sunt &, teste sua ipsorum conscientia, damnati. Pharisæi uero & legisperiti uidẽtur sibi optime ualere, habentur sanctissimi, uidentur sapientissimi, uiuunt honoratissimi. Non igitur his sanis, sed illis infirmis Christus uerus medicus noster in bonum cedit. Deinde addit & Paulus aliam rationem dicens: Quæ stulta erant secundum mundum delegit Deus, ut pudefaceret sapientes, & quæ erant imbecillia in mundo, delegit Deus, ut pudefaceret ea quæ sunt robusta, & quæ ignobilia erant in mundo, contemptaq; delegit Deus, & ea quæ non erant, ut ea quæ sunt obliteraret, ut ne gloriaretur ulla caro coram ipso. Etenim si omnes sancti & sapientes coram mundo elligerentur ad ueram & perpetuam salutem, tunc electio illa non tribueretur diuinæ gratiæ & clemẽtiæ, sed potius humanæ sanctitati & sapientiæ. Necessarium autem est, ut honor salutis soli diuinæ misericordiæ, & nulli humano merito, acceptus feratur. Eliguntur ergo, non sancti & sapientes coram mundo, sed abiecti & peccatores, ut ne gloriaretur, quemadmodum Paulus ait, ulla caro coram Domino Deo nostro. Quid audio? inquies: Num sancti & sapientes coram mundo, nullo suo merito, sed tantum ideo reiiciuntur, ut Domino Deo nostro honor misericordiæ suæ saluus permaneat? Quid autem iniquius, q̃ ut innocens ad alienam gloriam conseruandam pereat? Absit longissime, ut sentiat quis, sanctos & sapientes corã mũdo nullo suo merito perire. Nam ut indocti & peccatores mera gratia & clementia Dei eliguntur, ita sancti illi & sapientes, magna iusticia Dei, & dignissimo suo ipsorum merito abiiciuntur. De qua re audiamus, quæ Christus ipse Dominus noster consequenter ait: Cui similes dicam homines generationis huius, & cui similes sunt? Similes sunt pueris sedentibus in foro, & acclamantibus inter se ac dicẽtibus: Cantauimus uobis tibiis, & non saltastis, cecinimus uobis lugubria, & nõ ploraſtis. Venit enim Ioannes Baptista, neq; edens panem, neq; bibẽs uinum, & dicitis: Dæmonium habet. Venit filius hominis edens ac bibẽs, & dicitis: Ecce homo edax, & uini potor, amicus publicanorum ac peccatorum. Vt hanc comparationem intelligamus, obseruandæ erunt cõsuetudines Iudæorũ. Primum, Iudæi cantauerunt tibiis nõ solum in publicis gaudiis, ut in nuptiis, diebus festis, & triumphis, uerumetiã in publico luctu, ut in funeribus, id quod apud nos pulsu campanæ, quas uocant, fieri solet. Vnde apud Matthæum, capite nono, in funere filiæ primatis cuiusdam, præter turbam, etiam tibicines præsto adsunt. Quod enim nobis sunt tintinabula, quæ uocamus campanas, hoc Iudæis fuerunt tubæ, deinde, quod inter nos uidemus in diebus festis pueros ludere, & carminibus alternis certare, hoc etiã, nontam

Deus cur eligat abiectos & contemptos.

Iudæi tibijs cantarunt in publico luctu

non tam ex hoc loco, quàm ex prophetis apparet apud Iudæos solenne fuisse. Plateæ ciuitatis, inquit Zacharias, complebuntur infantibus & puellis ludentibus in in plateis eius. Tempore autem, quo Christus inter Iudæos agebat, soliti fuerũt pueri in plateis ludere carmen hoc argumento constans, quod nemo possit quicquam tam bene, tam apte, tam prudenter agere, quod omnibus placeat. Hoc igitur carmen Christus mutuo accipit à pueris, & utitur ipso ad explicandam Pharisæorũ & iurisperitorum impietatem. Nam, quòd Pharisæi & Iurisperiti pereunt, non iniustitia Dei, sed sua ipsorum culpa pereunt. Tanta enim incredulitate obruti sunt, ut nullo Dei consilio, (quantum quidem attinet ad reuelata Dei opera) possint ad fidem adduci, adeoq; in ipsis plane accidit, quod pueri in plateis cantare solent: Cecinimus uobis tibiis & non saltastis, cecinimus uobis lugubria & non plorastis. Nam, ut nemo offenderetur eorum uita, qui Euangelion docent, ac deterreret à fide Euangelii, Dominus Deus noster proposuit optimo consilio duos præcipuos Euangelii doctores, de quibus ita constituit, ut sectarentur, non quidem contraria, sed tamen diuersa uitæ genera. Etenim, cum uniuersum pene hominũ genus admiratæ abstemios & sobrios hoies, ac suspicit duriciẽ uitæ, ideo oppotuno Dei cõsilio factũ est, ut Ioannes Euãgelion de remissiõe peccatorũ & uita æterna docturus eam uitã duceret, quæ hominibus admiratiõi foret, adeoq; iesset, qui lugubria caneret, hoc est, neq; pane uesceretur, neq; uinum biberet, neq; mollibus indumẽtis uestiretur, sed in eremo durissimã exigeret uitã. Rursus sunt alii, quibus dura, monastica, eremitica, & ut uocãt, melancholica uita displicet, & iudicant multo cõsultius esse, familiariter & ciuiliter inter homines uersari, ac pro ciuili more uitã ducere. Hanc igitur uitæ rationem Christus iniit, & cecinit tibiis suis læta, hoc est, familiariter cũ hominibus conuersatus est, nuptias & conuiuia accessit, ut & ipse & Ioannes his diuersis quidem uitæ suæ institutis, concordi tamen doctrina, ingenio populi sese accommodarent, & homines ad fidem Euangelii allicerent. Sed quid factum est? Tanta fuit impietas pharisæorum & legisperitorum, ut tam in Ioanne quàm in Christo inuenirent quod calumniarentur, & suæ incredulitati prætexerent. Nam de Ioanne sparseruut, q̃ sit insanus, melancholicus, dæmoniacus, propterea q̃ non hominum, sed bestiarum more in eremo uiueret. De Christo autem sparserunt, q̃ sit helluo, uini potor, comedo & turpissimorum hominum amicus, propterea q̃ familiariter cum hominibus conuersaretur. Ita q̃ sapientia iustificata est à filiis suis. Etenim Dominus Dens noster ordinauit sua summa sapientia hos duos Euangelii doctores, ut diuersis uitæ suæ generibus omnem excusationem incredulitati auferrent. Quare Pharisæi & legisperiti, qui sunt filii seu studiosi diuinæ sapientiæ, deberent hanc Dei sapientiam admirari, laudibus ornare, & sese ipsi accommodare, sed ecce inuersum rerum ordinem, filii plus uolunt saperc matre sua, discipuli præceptorẽ suum docere conantur, seruus uult domino suo imperare, & quod prouerbio dicitur: scabellum pedum attollit sese supra scamnum. Quod enim Deus prudentissimo suo consilio ordinauit, hoc calumniantur & stultissimum iudicant hi qui profitentur se diuini consilii interpretes. Quid his rerum portentis magis absurdum contingere posset? Atq; utinam hæc portenta unà cum pharisæis & legisperitis Iudæorum euanuissent. Sed quid plura? Impii quidem phatisæi interierũt, sed non interiit satan eotum, qui quouis seculo suos inuenit, in quibus sapientiam Dei calumnietur. Nam & hoc tempore, quo iterum Euangelion de remissione peccatorum diuina clrmentia reuelatum est, non potest sapientia effugere, quin iustificetur & arguatur à filiis suis. Si ignobile uulgus Euangelion am plectitur, di-

Pharisæi & hypocritæ nõ culpa dei, sed suo merito pereunt

Euangelij doctores duo præcipui

Ioannes lugubria cecinit.

Christus læta cecinit.

Pharisæorũ & legisperorum impietas.

Impij semper inueniunt quod calumnientur in sapientia

cunt sycophantæ, id quod etiã Pharisæi in Euangelio dicebant: Nunquis ex principibus credidit in eum, aut ex Pharisæis? sed turba hæc, quæ non nouit legem, execrabiles sunt. Si uero & principes agnoscunt Euangelion, aiunt, principes ab hæreticis seductos. Rursus, si iunior est, qui prædicat Euangelion Christi, dicunt: Quid is, adhuc præ ætate rerum omnius ignarus, de rebus diuinis sciret? Si senex, aiunt, delyrat, si doctus, allegant uulgatum prouerbium: Quo doctior quis, eo magis peruersus. Si indoctus, quid hic asinus, inquiunt, nobis derudit? Breuiter, tanta est impiorum incredulitas, ut in sapientia Dei semper inueniant, quod calumnientur, & suæ impietati prætexant. Quid aũt hac impietate magis blasphemũ dici potest? Nam sapientiam & ordinationem Dei ad humanum iudiciũ reuocare, & in ea iuxta humanam rationem συλλογιζεσθαι, quid aliud est, q̃ Deum ipsum in ordinem redigere, & sese, non dico æqualem, sed longe superiorẽ Deo collocare? quod profecto est Satanam ipsum quodammodo impietate superare. Nam Satan fortasis, cõtentus fuisset, si similis fuisset altissimo, hi aũt impii hypocritæ non cõtenti sunt Deo similes esse, sed cum arrogant sibi iudicium de sapientia diuina, & uolunt, ut Deus sese ipsorum rationi & beneplacito subiiciat, profecto palàm affectant maiestatem supra Deum. Quare sentiendum est, Pharisæos, legis peritos, adeoq; totam hypocritarum colluuiem, qui sapientiam Dei impie calumniantur, nõ culpa Dei, sed suo ipsorum merito, atq; adeo iustissime perire. Quid ergo, inquies? Si ita se res habet, q̃ indocti & peccatores ad regnum cœlorum eligantur, docti autem & iusti abiiciantur, agite dum, fastidiamus omnem doctrinam, honestatem, & iusticiã, ac studeamus ruditati & peccatis? Absit. Hæc enim non ideo nobis proponuntur, ut significetur, totum doctorum & honestorum hominum ordinem abiectum, & totũ rudium & peccatorum ordinem electum esse. Nam multi inter doctos & honestos homines electi sunt, & quotidie eliguntur. Quid Nicodemus? an non fuit doctissimus, & honestissimus? Quid Paulus? priusq̃ ad Christianismũ cõuerteretur, an non fuit in lege irreprehensibilis, & superauit doctrina omnes coætaneos suos? Multi etiam ex indoctis & peccatoribus abiecti sunt quondã, & nunc abiiciuntur. An non totum fere uulgus Israelitarũ, qui aduersus Dñm in deserto murmurauerunt, abiecti sunt? q̃nemadmodũ scribitur in Numeris capite decimo quarto. An non abiectus est homicida Cain? Abiecti sunt omnes isti peccatores, qui diluuio perierunt, abiecti sunt Sodomitæ & Gomorrhitæ, abiectus est Saul & Iudas Ischariotes. Et quis possit omnes peccatores abiectos enumerare? Deinde, nec proponũtur nobis hæc, ut significet, contemnendũ esse studium literarũ ac sapientiæ, & uiuendũ esse in peccatis. Absit. Paulus enim de studio literæ, præsertim sacræ, Timotheo suo ita præcipit: Attende lectioni, exhortationi & doctrinæ. Et iterũ: Persistito in his quæ didicisti, & quæ tibi cõcredita sunt, sciens à quo didiceris, & q̃ à puero sacras literas noueris, quæ te possunt eruditum reddere ad salutẽ per fidẽ, quæ est in Christo Iesu. Quid aũt dicam de uitandis peccatis? Quid enim ineptius, imo quid magis impiũ, q̃ occasionẽ peccandi sumere ex hoc, quod dicitur, peccatores ad regnum cœlorũ eligi? num putas ideo eligi, ut aut peccent, aut in peccatis perseuerent? Si quis dixerit, eos qui maxime infirmi sunt ad peritissimos medicos pertinere, num iuberet homines fieri infirmos, aut in infirmitate perdurare? ita & cum dicitur, peccatores pertinere ad Euangelion & regnum cœlorũ, non iubent peccare, sed potius iubentur à peccatis resipiscere. Euangelion enim docet resipiscentiam à peccatis, & fides peccata expurgat, ac bona opera profert, cumq; Deus non sit uolens iniquitatem,

Die gelertẽ, die uerkertẽ.

Docti & honesti homines etiam sunt electi ad regnũ cœlorum.

Studium literarum non cõtemnendũ est

Peccata uitanda.

ne ficti

ne fieri quidem potest, ut qui Dei uoluntati obsequuntur, affectui etiam iniquitatis obsequantur. Quare cum peccatores ad Euangelion & regnum cœlorum eliguntur & uocantur, à peccatis potius uitandis, quàm ad peccata perpetranda uocãtur. Quid ergo est, quod dicitur, indocti & peccatores eliguntur, docti autem & iusti reiiciuntur? Primum, hoc dicto indocti & peccatores monentur, ne desperent, sed de clementia Dei optime confidant, ac uocationem Dei interrite capessant. Indocti enim sunt coram hoc mundo cõtempti, abiecti, & inglorii, ac peccatores sunt lege Domini ad perpetua supplicia condemnati. Qui autem coram mũdo abiectus est, putat se etiam coram Deo abiectũ esse. Et qui lege diuina condemnatus est, existimat nullam salutis uiam reliquam esse. His ergo prædicatur Euangelion de gratuita clementia Dei propter Iesum Christum, ut fidem concipiant, & excelso animo in uocatione Dei ambulent. Deinde, hoc dicto docti & iusti monentur, ne superbo sint animo, ne sua iusticia & honestate uitæ confidant, sed seueritatem Dei timeãt, & Euangelion Iesu Christi amplectantur. Nam qui coram hominibus eruditione & honestate celebres sunt, facili momento eo impelluntur, ut suam eruditionem & honestatem tanq̃ Deum adorent, & fiduciam suam in ea collocent. Hoc autem nihil aliud est, q̃ adorare idola, & confidere mendaciis. Nulla enim est humana eruditio, aut honestas, quæ possit in iudicio Dei constare. Quare hoc dicto admonentur docti & iusti, ut & si honesti sint coram hominibus, agnoscant tamen, suam honestatem non esse perfectam iusticiam, coram Deo, & credant Euangelio, ut per fidem coram Deo uere iustificentur, idq̃ non propter suam ipsorum iusticiam, sed propter Iesum Christum, qui solus est iusticia, sanctificatio & redemptio nostra. Habes, apud quos Euangelion de remissione peccatorum inter Iudæos promoueric, & quid de toto ordine, tam rudium hominum & peccatorum, quàm eruditorum & iustorum, recte sentiendum sit. Nunc postremo minime prætereundum censeo, quòd etiam hi, qui publicis muneribus funguntur, habeant in huius Euangelicæ historiæ pericopa, quam modo tractauimus, quod obseruare & alta mente reponere debent. Nam Ioannes & Christus functi sunt publicis officiis in negocio Euãgelico, quæ tanta fide & uitæ integritate administrauerunt, ut fideliorem & integriorem se nec priorem nec posteriorem habeant. Num ergo potuerunt improborum hominum calumnias effugere? Minime omnium. Alter enim audiit, dæmoniacus, alter heluo. In hoc igitur exemplo perspicue uides, eam esse solennẽ sortẽ pub icoꝝ officioꝝ, ut male audiãt, & calumniis traducant, & cum in omni uitæ genere, tum maxime in publicis officiis uerum esse, quod Ecclesiastes scribit: Non est homo iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet, hoc est, nullus est hominum in toto orbe terrarum, qui tã iuste, tam fideliter, tã moderate, tã diligenter, tã pudẽter suam uitã agat, aut suum officiũ administret, ut oibus hoibus placeat, & non uideatur alicubi peccare, & ab officio aberrare. Id quod etiam uulgare prouerbium, ab ipsa experiẽtia ortum, testatur: Nimis mane, inquiunt, surgat oportet, qui uult omnibus recte facere, aut placere. Quis unquã iustior aut melior dux fuit ipso Mose? attamen audit: Cur fecisti nos exire de Aegypto, ut occideres nos & liberos nostros ac iumenta sitit? An non Dauid fuit rex secundum cor Dei electus? maledicitur tamen, & audit, uir sanguinũ, & uir Belial. Quis à calumniis tutus erit, si tanti uiri non fuerunt tuti? Quid ergo faciendum? num abiicienda sunt omnia publica officia, ut sycophantæ nihil priuato tibi impingere possint, aut si quid impingunt, minori periculo impingant? an publica officia ita administranda sunt, ut nullam prorsus habeas rationẽ nominis tui, siue homines male siue bene de te loquantur? Nihil uerominus. Primum enim, si ad publicum officiũ rite & legitime uocatus es,

Indocti & peccatores non desperẽt.

Docti & iusti nõ efferantur.

Officiorũ publicorũ sors, male audire.

Officia publicia quomodo administranda.

censendum est, eam uocationem esse diuinam. Oportet autē unumquenq; diuinā suam uocationē sectari, & in ea Domino Deo suo obedire. Deinde omnino magna tibi nominis tui ratio in administrandis publicis officiis habenda est. Quanq; enim non queas omnibus placere, tamen danda est opera, ut obedientia & fides tua inprimis Domino Deo tuo, deinde & optimis quibusq; hominibus placeat. Huc enim & Christus ipse te uocat, & ipsa fidei ratio hoc exigit. Luceat lux uestra, inquit Christus, coram hominibus, ut uideant uestra bona opera, glorificentq; patrem uestrum qui est in cœlis. Et Paulus: Procurantes, inquit, honesta, non tantum corā Domino, sed etiam coram hominibus. Et iterum: Quæcunq; sunt uera, quæcunq; honesta, quæcunq; iusta, quæcunq; pura, quæcunq; accōmoda, quæcunq; boni nominis, si qua uirtus, & si qua laus, hæc cogitate, hæc facite. Quare calumniæ sycophantarum ita contemnendæ sunt, ut tamen non deseras officium tuū, nec iniuste aut turpiter illud administres, sed ut q̄ fidelissime & diligentissime Domino Deo tuo in eo obedias. Sic enim audies, quod est in Euangelio: Euge serue bone & fidelis, super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui, per Christum Iesum Dominum nostrum, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus laudandus in secula Amen.

HOMILIA. LXXIII.



V diuimus autea de uiro sancto, Ioanne Baptista, audiamus nunc de muliere peccatrice. Quæ historia tanto diligentius obseruanda est, quanto manifestius nobis exemplo peccatricis ueram uetæ salutis uiam demonstrat. In hac enim historia, non solū ipsa Christi maiestas, quæ est, remittere peccata, clarissime explicatur, uerum etiam perspicue ostenditur, qua ratione è peccatis ad iusticiam, ex inferno ad cœlum & sempiternam fœlicitatem perueniamus. Quare, si nobis salus nostra curæ est, attentum animum, ad hanc historiam probe cognoscendam, afferamus. Rogabat, inquit Lucas, Iesum quidā è Pharisæis, ut caperet cibū cum ipso. Et ingressus domum Pharisæi, accubuit. Quid hoc inquies: Paulo ante audiebat Christus, epulo & heluo, propterea q̄ cum hoibus familiariter conuiuabatur, nunc aūt à Pharisæo inuitatus mox ad conuiuiū eius præsto adest: Quid cū est, q̄ non omnino fugiat familiaritatē hoīm, ut etiā nullam daret calumnius occasionē? Ac nos quidē homines peccatores eo ingenio præditi sumus, ut propemodū nunq; queamus media & regia uia incedere. Aut enim nimiū ad dextrā, aut nimiū ad sinistrā declinamus. Si laudimus, monachi, melancholici, hypocritæ, eremitæ, cōtinuo abiicimus omnē modestiā, & obuiis quibusq; conuiuiis nos ingerimus, quo famā hypocriseos & monachatus aboleamus. Rursus, si obiicit crapula, comessatio & ebrietas, mox omnē etiam honestū hominū conuentū fugimus, aliàs nimis in sinistra, aliàs nimis in dextra peccantes. Sed Iesus Christus Dñs noster is est, qui semper media ac recta uia incessit. Tametsi enim audiebat, heluo, tamē propter calumnias non deliquit uocationē suam, qua à Deo patre suo in hoc ordinatus erat, non ut in eremo, ab hominibus longe remotus, sed ut inter homines familiarē & ciuilē uitā duceret, ac Euangelion prædicaret, suamq; maiestatem tum cōcionibus tum miraculis interhoies reuelaret. Memorabile exemplū, quo docemur, q̄ admoniti per sycophantarū calumnias, debeamus quidē manifestam & probabilē mali speciē, non tamē modestiā & tenorē uocatiōis nostræ propter calumnias derelinquere. Sed quæ sequuntur in

Christi uocatio.

hac historia

hac hiſtoria obſeruanda, multo maiora ſunt. Quare ad ea explicanda accedamus:

Et ecce mulier, quæ fuerat in ciuitate peccatrix, ut cognouit, ꝙ Ieſus accubuiſ- cc
ſet in domo Phariſæi, attulit alabaſtrũ unguẽti, ſtansq; ad pedes eius à tergo flens, cc
lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui extergebat, & deoſculabat cc
pedes eius, & unguẽto ungebat. Primũ oĩm, de nomine huius mulieris peccatri cc
cis cõtrouerſia eſt. Sunt qui putãt eſſe dictã, Mariã Magdalenã, de qua in ſequenti ca
pite ſcribit, ꝙ ſeptẽ dæmonia de ipſa exierint, ſed Lucas hoc nõ explicat, nec multũ
refert nomẽ eius ſcire. Quanq; enim digniſsima eſſet, ut propter pœnitẽtiã quam in
exemplũ noſtrũ egit, etiã ipſo proprio noĩe nobilis eſſet, tamẽ quod ad rẽ ipſam at
tinet, nihil refert. Deinde, hæc mulier peccatrix fuerat. Quid ergo faceret? num in
peccatis pſeueraret ac pergeret? Sed ſic ſubinde maiori dãnationi ſeſe obnoxiã red
didiſſet. In peccatis eñ pergere, eſt ad perpetuã mortẽ & ad igné inferni pergere.
Num differret reſipiſcentiã uſq; ad ultimũ uitæ ſuſpiriũ, & lectũ, ut uocant, mortis?
Sed incerta erat, num unã adhuc horã uiueret, & num Deus negligẽti opportunã re
ſipiſcendi occaſionẽ, & differẽti reſipiſcentiã uſq; ad finem uitæ, gratiã reſipiſcendi
eo tẽpore collaturus eſſet. Quanq; enim Dñs quauis hora pœnitentẽ recipiat, quẽ-
admodum latronẽ in cruce reſipiſcentẽ recepit, tamẽ ſi uerbũ Dñi opportuno tẽ-
pore te ad reſipiſcentiã uocantis neglexeris, ac præfracte contẽpſeris, idem contin-
get tibi, quod apud prophetã ſcribit: Et factum eſt, dicit Dñs Zebaoth, ſicut locu-
tus ſum & non audierunt, ſic clamabunt & non exaudiã. Num propter peccata ſuſ-
penderet ſe ex ligno, quemadmodũ Iudas Iſchariotes? at hoc non eſſet peccata &
damnationẽ effugere, ſed peccata peccatis augere, & maiori dãnationi ſeſe obiice-
re. Quid ergo faceret peccatrix, quo ſaluti ſuæ conſuleret? Quid aliud faceret, q̃ ut *Pœnitentia peccator ſalu ti ſuæ conſu lit.*
cõfeſtim, nulla temporis mora, pœnitentiã ageret? Sola enim pœnitentia eſt, qua
peccator ſaluti ſuæ cõſulere poteſt. Si pœnitentiã, inquit Dominus, egerit gens il-
la à malo ſuo, quod locutus ſum aduerſus eam, agam & ego pœnitentiã ſuper ma-
lo, quod cogitaui ut faceré ei. Et iterum: Cum auerterit ſe impius ab impietate ſua,
quam operatus eſt, & fecerit iudiciũ & iuſticiam, ipſe animam ſuam uiuificabit, uita
uiuet, & non morietur. Nolo enim mortẽ impii, ſed magis ut conuertatur & uiuat.
Vnde & Chriſtus iubet pœnirentiam agere: Appropinquat enim, inquit, regnum
cœlorũ. Quid ergo egit peccatrix, pœnitentiam agendo? Audi quid Lucas ſcribat:
Vt cognouit, ꝙ Ieſus accubuiſſet in domo Phariſæi, attulit alabaſtrum unguenti,
ſtansq; ad pedes eius à tergo flens, lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis ca-
pitis ſui extergebat, & deoſculabat pedes eius, & unguento ungebat. Quid ad hæc
dicemus? nũſentiẽdũ eſt, ꝙ peccatrix expiauerit merito horũ operũ peccata, & me
ruerit his operibus remiſsionẽ peccatorũ? Magna quidẽ & egregia opera ſunt, quæ
peccatrix hoc loco facit, quemadmodũ etiã Chriſtus ipſe cõmendabit ea poſtea,
præ oĩbus iuſticiis Phariſæi, ſed ut is, qui, cum percutitur ac uulneratur, clamat, non
medetur ſibi ſuo clamore, ſed tñ clamore doloré ſuũ indicat, & ut gemitibus eius, ꝙ à
medico ſecatur, nõ eſt adſcribẽda curatio, ita nequaq; tribuẽda eſt lachrymis & aliis
peccatricis operibus hæc maieſtas, ꝙ ſint ſatisfactio pro pctis. Hoc.n. eſſet honorẽ
Meſsiæ auferre à Ieſu Chriſto, qui ſolus eſt peccatorũ expiator, & tribuere eũ huma-
nis operibus, quod certe nihil aliud eſſet, q̃ ex ipſa muliere peccatrice Meſsiã facere,
& idololatriã inſtituere. Iã & Chriſtus ipſe poſtea ad mulierẽ dicit: fides tua te ſaluã fe
cit, nõ ait, apportatio alabaſtri, fletus, rigatio, exterſio, & unctio pedũ, ſaluã te fece-
rũt, ſed fides tua te ſaluã fecit, manifeſte ſignificãs, remiſsionẽ peccatorũ cõtigiſſe hu
ic mulieri, nõ ꝓpter merita operũ ſuorũ, ſed propter Chriſtũ, quẽ per fidẽ agnouit.

Pœnitentiæ partes.

Hæc igitur peccatricis opera non sunt ipsa pœnitentia, seu expiatio peccatorũ, sed sunt tantum argumenta & cõfessio pœnitentiæ. Constat enim uera pœnitẽtia duabus potissimum partibus, altera, agnitione peccatorum, altera, fide in Iesum Christum. Peccatrix igitur testatur palam operibus suis, q̃ iam in his duabus pœnitentiæ partibus uersetur. Ac primũ, q̃ & mulier, & peccatrix, tam impudenter in conuiuium honestissimorum & sanctissimorum uirorum irrumpat, & tanta copia lachrymas ex oculis effundat, ut etiã pedes Iesu lauet, quid, obsecro, aliud declararet, q̃ ipsam totam agnitione peccatorum suorũ perfusam esse? Vbi enim est agnitio peccatorum, ibi etiam est sensus dolorũ inferni & perpetuæ damnationis, & qui ad agnitionem peccatorum peruenit, is etiam ad infernum descendit. Peccata enim ducunt secum, ueluti comites indiuiduos, maledictionem, mortem, damnationem, & ignem infernalem. Maledictus, inquit, qui nõ permanserit in uerbis legis huius. Et: Anima quæ peccauerit ipsa morietur. Et: Qui mala egerunt, prodibunt in resurrectionem cõdemnationis, & in ignem æternũ & inextinguibilem, ubi uermis illorũ non moritur, & ignis non extinguitur. Quare qui peccata uere agnoscunt, comprehenduntur dolore inferni & perpetuæ damnationis. Quis autem tanto dolore ceu ptehensus non perfricaret frontem, non effunderet lachrymas? Audi quid Hiob hoc inferni dolore comprehensus dicat: Si dixero, consolabitur me lectulus meus, & reuelabor loquens mecum, in stratu meo terrebis me per somnia, & per uisiones horrore concuties. Quamobrẽ elegit suspendium anima mea, & mortem ossa mea. Et Dauid ignibus inferni accensus: Laboraui, inquit, in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo. Turbatus est à furore oculus meus, inueteraui inter inimicos meos. Et iterũ: Non est sanitas in carne à facie iræ tuæ, non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorũ. Cum igit hæc mulier peccatrix irrumpat in conuiuium tam honestorum uirorum, & effundat lachrymas largissime, haud obscure declarat, se ad exemplum Hiobis & Dauidis agnitione peccatorum suorum ita comprehensam esse, ut tota iam inferni accensa ignibus ardeat, interim tamen nequaq̃ existimandum est, hunc inferni dolorem, quem homines uiui in hac terra perferunt, posse ulla ratione comparari ei dolori, quem damnati in futuro seculo sentient. Nam quemadmodum Esaias de gaudio eorum, qui perpetuam fœlicitatem consequuntur, scribit: A seculo, inquiens, non audierunt, neq̃ auribus perceperunt. Oculus nõ uidit, Deus, absq̃ te, quæ præparasti expectantibus te: ita de dolore eorum, qui in perpetuam damnationem cõiiciuntur, sentiendum est, q̃ oculus non uiderit, nec auris audiuerit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparauit Deus peccantibus in ipsum, & à peccatis non resipiscentibus. Ac ueteres bene dixerunt, ignem nostrum externum non aliter cõferri posse igni inferni, q̃ pictus ignis nostro externo igni cõparatur. Dominus enim Deus noster, ut nec tota cœli gaudia in hac terra, ita nec totum inferni horrorem in hoc seculo reuelat, sed tantum gustum quendam de his præbet, & umbram quandam obiicit, ut significet ac testetur nobis, quid tam pios q̃ impios in futuro seculo maneat. Dices autem: Si agnitio peccatorũ secum ducit dolores inferni, fugiamus ergo agnitionem peccatorum, ne & in ipsos inferni dolores coniiciamur. Quin potius dicis, fugiamus peccata. Hæc enim sunt autores inferni. Sed quia sumus in peccatis concepti & nati, ex quibus postea multa, magna, & horrenda peccata externa designauimus necessarium est, si saluti nostræ consultum uolumus, ut in agnitionẽ peccatorũ ducamur. Nam ad salutem nostram requiritur, ut agamus pœnitentiã. Pœnitentia autem priori sua parte constat agnitione peccatorum, quemadmodũ

Peccati comites, dãnatio

Inferni dolor in futuro seculo.

Peccatorũ agnitio necessaria ad salutẽ.

sæpe dixi.

fæpe diximus. Neceſſaria igitur eſt agnitio peccatorum. Adhæc poſterior pœnitentiæ pars conſtat fide in Chriſtum, uidelicet, ut intelligas magnitudinem maieſtatis Chriſti, & credas, quòd propter ipſum habeas remiſsionem peccatorũ. Nemo autem poteſt intelligere magnitudinem beneficiorum Chriſti, niſi antea intelligat magnitudinem miſeriæ ſuæ, ſicut nemo intelligit, quanto beneficio per panem afficiatur, niſi antea eſuriem ſentiat. Quare ut Chriſtum intelligas, neceſſe eſt, ut prius peccata tua intelligas; & ut in cœlum conſcendas, neceſſe habebis prius in infernum deſcendere, hoc eſt, ad dolores inferni per agnitionem peccatorũ peruenire. Rurſum ergo dices: Si neceſſarium eſt ad ſalutem, ut agnoſcam peccata, & deſcendam ad infernum, quid agam, aut quo me uertã, ut id faciam? Num oſtendes ſpecum quendam, in quem irrepam, ut horrore concutiar, & per decliuitatem eius inferna petam? Nihil hic nobis rei cum externis illis ſpecubus, ſed ad legẽ Domini Dei noſtri te remitto. Hæc enim eſt ſpecus, per quem ad agnitionem peccatorum & ad infernum deſcẽditur. Per legem, inquit Paulus, agnitio peccati. Et: Lex iram operatur. Ac per hunc etiam ſpecum uenit mulier peccatrix in agnitionem peccatorum ſuorum, & deſcẽdit ad inferos. Audiuit enim legem: Non committes adulterium. Et: Maledictus omnis, qui nõ manſerit in uerbis legis huius. Hoc organo nubes ab oculis conſcientiæ eius ita diſcuſſæ ſunt, ut iam clare uiderit ac ſenſerit, quantum peccarit, & quanto ſupplicio obnoxia ſit. Quare, ſi libet ueram ſalutẽ conſequi, audiamus legem, & in lege tanquam in ſpeculo nos cõtemplemur, ut turpitudinem ac miſeriam noſtram manifeſte agnoſcamus. Sed quid? num in hoc loco gradus ſiſtendus eſt? Nihil minus: Si enim hic gradum fixeris, nil niſi deſperatio & perpetua damnatio te manebunt. In hoc loco fixit gradum Cain, & deſperans perpetuo interiit. In hoc loco conſtitit Saul, & animũ deſpondit, ac ſeipſum interfecit. In hoc loco perdurauit Iudas Iſchariotes, & pependit. Si in hoc loco permanſiſſet mulier peccatrix, profecto etiam in ignibus inferni permanſiſſet, ſed bene habet, non conſtitit hic peccatrix, uerum ad conſequendam ſalutem ultra perrexit. Diximus enim duas eſſe partes pœnitentiæ, alteram, agnitionem peccatorum, alteram, fidem in Ieſum Chriſtum, ꝙ propter ipſum habeamus remiſsionem peccatorum. Igitur peccatrix non tantum agnouit peccata ſua, ſed etiam credidit in Chriſtum, ꝙ propter ipſum cõſequatur remiſsionem peccatorum. Et unde id cognoſcemus? Stans, inquit Euangeliſta, ad pedes Ieſu, lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui extergebat, & deoſculabatur pedes eius, & unguento ungebat. Hæc quid aliud ſunt, q̃ manifeſta opera fidei in Ieſum Chriſtũ? Non enim ſentiendum eſt, quòd peccatrix in meritis horum operum quæſierit remiſsionem peccatorum ſuorum, quemadmodum etiam ante indicauimus, ſed ut impudentia & fletu ſuo declarauit, ſe agnoſcere peccata ſua, ita oſculis pedum Ieſu & unctione confitetur fidem ſuam, quòd in hoc Ieſu quærat remiſsionem peccatorum, & ꝙ hunc Ieſum credat eſſe uerum Meſsiam, ſeu Chriſtum, ſeruatorem mundi. Sic enim Chriſtus ipſe hæc opera interpretatur: Fides, inquiens, tua ſaluam te fecit, uade in pace. Quare peccatrix non manet tantum in agnitione peccatorum: ne & in inferno maneat, ſed addit fidem in Ieſum Chriſtum, ut ex inferno ad cœlũ aſcendat. Ad cœlum enim aſcẽdit, quisquis in Ieſum Chriſtum credit, ꝙ propter ipſum habeat remiſsionem peccatorum & uitam æternam. Sed operæ precium eſt cognoſcere, quo organo hæc mulier tantam fidem conceperit, ut per eam non ſolum acceperit remiſsionem peccatorum, uerum etiã ad cœlum aſcenderit? Fides,

Peccati agnitio per legem

Peccatorum agnitionẽ ſequi debet fides.

Fides ex auditu uerbi Dei.

inquit Paulus, ex auditu est, auditus autem per uerbũ Dei. Hæc igitur mulier principio audit in lege & prophetis promissiones ac Euangelia de Messia, uidelicet, q̃ in semine Abraæ benedicendæ essent oẽs gentes, q̃ Messias superaturus sit iugum oneris, uirgam humeri, & sceptrum exactoris, q̃ Dominus positurus sit super eum omnes iniquitates nostras, q̃ daturus sit ipsi spiritũ, ut annũciet Euangelion pauperibus, medeatur cõtritis corde, prædicet captiuis indulgentiam, & clausis apertionem, ac multa alia, quæ prophetæ de Messia concionantur. Deinde audiuit etiã famam de Iesu, audiuit testimonium Ioannis Baptistæ, quo Iesus declaratus est esse Messias, ac uidit miracula Iesu, audiuit & Euangelion eius, quo uocauit ad se omnes qui laborant & onerati sunt, ac promisit ipsis refocillationem. Ex his tanta fide in Iesum accenditur, ut non solum corde sentiat ipsum esse uerum messiam, sed etiam publice illud operibus suis in conuiuio Pharisæorum confiteatur. Vnde etiam consequitur id quod Paulus scribit: Corde creditur ad iusticiam, ore autem fit confessio ad salutem. Proinde, si cui libet è peccatis & inferno liberari, & ad iusticiam & cœlum ascendere, is necesse habebit, non ad deserta montium fugere, non ad urbem illam externam Hierosolymitanam peregrinari, sed ad audiendum Euangelion de Iesu Christo festinare, ut cum exemplo huius peccatricis mulieris fidem cõcipias, exemplo etiam eius in conspectu Dei iustificeris, & in cœlũ ingrediaris, per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus laudandus in secula Amen.

HOMILIA LXXIIII.

Conscientia peccatoris res tenera.

NOndum explicuimus totam historiam de muliere peccatrice, sed nondum etiam absoluta est iustificatio eius. Quanq̃ enim iam in duabus perfectæ pœnitẽtiæ partibus uersetur, uidelicet, in agnitione peccatorũ, & fide in Iesum Christũ, quibus rebus uera iustificatio constat, fides tamen eius adhuc pendula est, & nondum est nec certificata nec cõfirmata. Nihil enim est magis tenerum conscientia peccatoris, quæ momẽto leuissimo ad dubitationem impellitur. Nunc enim cogitat peccator: Fortasis non sum ad salutem à Domino prædestinatus, nunc cogitat, scio quidem Iesum esse Messiam, & expiatorem peccatorum, sed nescio num ad me etiam pertineat, num & meus sit Messias: Fortasis eñ abiectior sum, q̃ ut me agnoscat, fortasis grauiora & atrociora peccata aduersus Deum designaui, q̃ ut mihi remittantur. Hæc & alia multa solent conscientiam peccatoris, aliquo modo etiam credulam, sollicitare non solum ad dubitationem, uerumetiam ad desperationem. Quare necessaria est confirmatio fidei, ut conscientia de fauore Christi certificata omnem dubitationẽ abiiciat. Videamus ergo in eo, quod consequenter in hac historia scribitur, quomodo hæc mulier peccatrix in fide sua, adhuc non nihil de remissione suorum peccatorum dubitabunda, per Christum confirmet ac certificetur. Sed priusq̃ hoc expliceamus, perstringenda est disputatio, quam Christus in hoc negocio cum hospite

» suo Pharisæo habuit. Vidẽs eñ Pharisæus, qui uocauerat eum ait intra se dicẽs:
» Hic si esset, ppheta, sciret utiq; quæ & qualis est mulier, quæ rangit ipsum, quia pecca
» trix est. Et respondens Iesus, dixit ad illum: Simon, habeo quiddam, quod tibi di-
» cam. At ille ait: Magister dic. Duo debitores erãt cuidã creditori, unus debebat de
» narios quingentos, & alter quinquaginta. Cum autem illi non essent soluendo, cõ
» donauit utriq;. Horũ igitur dic uter eum plus diliget? Respondens Simon dixit:

Existimo

Existimo q̄ is, cui plus condonauit. At ille dixit ei: Recte iudicasti. Et cōuersus ad mulierē dixit Simoni: Vides hanc mulierē? Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis nō dedisti, hæc aūt lachrymis rigauit pedes meos, & capillis capitis sui extersit. Osculum mihi non dedisti, hæc aūt, ex quo intraui, non cessauit deosculari pedes meos. Oleo caput meū nō unxisti, hæc aūt unguēto unxit pedes meos. Propter quod dico tibi, remittunt peccata eius multa, quoniam dilexit multū. Cui autem minus remittitur, is minus diligit. In hac disputatione arguit Christus Pharisæū & opera eius, defendit aūt mulierem peccatricem, & cōmendat opera eius. In qua cōmendatione, cum præter multa alia etiam hoc dicatur: Remittunt peccata eius multa, quoniam dilexit multum, existimant nonnulli, quòd peccatrix meruerit remissionem peccatorū sua dilectione, qua Christū cōplexa est. Sed absit longissime, ut dictum Christi in hunc sensum accipiamus. Quomodo enim Christus tribueret humano operi id, quod soli suæ maiestati competit? Aut quomodo peccatricis dilectio expiaret peccata, cum longe imperfectior sit, q̄ ut impleat legem? Dē dilectione em̄ lex ita præcipit: Diliges Dominum Deū tuū ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. Nullus autem unq̄ homo præter Iesum Christum fuit, qui tam perfectam dilectionem Deo præstiterit. Quare nullius hominis dilectio tam digna est, ut satisfaciat pro peccatis in diuino iudicio. Iam & Christus ipse in parabola de duobus debitoribus, quā hoc loco recitat, satis perspicue indicat, se non tribuere peccatorum remissionem merito dilectionis, quam habuit peccatrix. Dicit em̄: Duo debitores erant cuidam creditori, unus debebat denarios quingētos, & alter quinquaginta. Cū aūt illi nō essent soluendo, condonauit utriq̄. Porro, per debitorē quingentorū denariorū intelligit Christus mulierē peccatricē. Cum igit̄ addat, debitores non fuisse soluendo, sed debita utriq̄ condonata esse, profecto manifeste significat, mulierē peccatricē nō potuisse operibus suis pro peccatis satisfacere, sed ad salutē ipsius necessariū fuisse, ut peccata cōdonarent̄ ipsi per gratiā. Adhæc, cū Christus ex Pharisæo q̄rit, dic, uter horū plus diliget eū? palàm demōstrat, q̄ dilectio sequat̄ remissionē peccatorū, nō remissio dilectionē. Si aūt sequit̄, quomodo mereret eam? Hoc idē significat Christus, cum postea addit: Cui minus remittitur, is minus diligit, quo uerbo Christus iterū indicat, q̄ dilectio nō præcedat tanq̄ meritū, sed sequat̄ tanq̄ fructus remissionē peccatorū. Sed longe oim clarissimū est, quod Christus in fine dicit: Fides tua te saluā fecit. Fidei em̄ tribuere salutē & remissionem peccatorū, est eam auferre ab oim operū meritis, & ipsam soli diuinæ clementiæ per Iesum Christū ascribere. Hoc est em̄ Euangelion de Iesu Christo, q̄ propter hūc solū habeamus gratuito, per clemētiā Dei, remissionē peccatorū & salutem. Vera aūt fides est ex auditu huius Euāgelii. Vbi igitur remissio peccatorum fide adscribitur, ibi aufertur ab omnium operum meritis, & tribuitur soli Iesu Christi maiestati. Itaq̄ cum Christus hoc loco commēdat dilectionem, & alia opera peccatricis, nequaq̄ sentit, ea esse merita remissionis peccatorum & salutis. Cur ergo Christus commendat ea tam pleno ore? Cur sic extollit ea quasi nulla unq̄ fuissent facta meliora opera in toto orbe terrarum? Cōmendat ea, non q̄ sint expiationes peccatorum quemadmodum demōstrauimus, neq̄ q̄ nunc sic de his operibus loquatur, ut doceat, qualia sint coram Deo, secundum exactam legis suæ sententiam iudicante, sed cōfert ea tantum cum operibus Pharisæi, & loquitur sic de his, ut doceat, qualia sint coram Deo, cōferente ea cum magnis & speciosis Pharisæorū operibus, ac docet, q̄ mulier his operibus maiora

Dilectio sequitur remissionem peccatorum.

Dilectionem & alia opera quare commēdet Christus.

& præſtantiora officia ſibi exhibeat, q̃ Phariſeus ſumptuoſo conuiuii apparatu. Cũ enim poſt recitationem parabolæ de debitoribus, dicat: Vides hanc mulierẽ? ſic propemodum Phariſæum alloquitur: Tu iudicas te ſolum ita honeſtum & ſanctũ, ut præ te non tam me faſtidias, quem ſentis hominem prophanũ, ꝙ tangar à pec catrice, q̃ hanc mulierem abomineris, tanq̃ longe omnium turpiſsimam. Adhæc, putas te conuiuio tuo tanta officia mihi præſtare, ut præ illis uideantur officia huius mulieris planè ſordere, adeoq̃ me contaminare. Quod ergo ad me attinet, non eſt nunc locus exiſtimationem meam tuendi. Alias ſæpenumero oſtendi, me non ueniſſe propter iuſtos, ſed peccatores, & ſanos non indigere medico, ſed infirmos. Hanc autem mulierem defendam, nec patiar, ut cogitationibus ueſtris tam contumelioſe tractetur. Declarabo enim, ipſam longe præſtãtiora officia in me cõferre, & multo iuſtiorem eſſe, non te ſolũ, ſed omnibus tui ſimilibus Phariſæis & hypocritis. Nam ſi de officiis, quæ animo ſuo in me confert, dicendum eſt, quid poſſet maius facere? Habet me in corde ſuo nõ ſolum pro uiro bono & propheta, ſed etiam pro ipſo Meſsia, ac tribuit mihi uerum Meſsiæ maieſtatẽ, propterea ꝙ quærat in me remiſsionem peccatorum. Qua reuerentia, quid poteſt eſſe excellentius? Tu uero cum me inuitabas, exiſtimaſti me uirum tantum bonum, ac ſi multũ, prophetam, nunc autem cum tangor à peccatrice, iudicas me in corde tuo, non ſolũ non bonum uirum, ſed etiam nebulonem quendam, huic mulieri in turpitudine ſimilem. Quantum igitur maieſtas Meſsiæ excellit turpitudinem nebulonis, tanto maiori honore afficit me mulier, q̃ tu, qui inuitaſti me eo potius nomine, ut mihi diuitias & ſanctitatem tuam oſtentares, q̃ ut me honorares. Quòd ſi de externis officiis loquendum eſt, manifeſtũ eſt, ea quoq; ſuperare tua officia. Excepiſti me in domo tua ſplẽdido quidem conuiuio, & lautis ferculis, ſed nõ lauiſti pedes meos, uel ſaltem uulgari aqua, uidelicet, aut fontali, aut fluuiali, nec exterſiſti eos linteamine. Hæc autem mulier rigauit pedes meos, non aqua uulgari, ſed fonte lachrymarũ ſuarũ, & exterſit eos, nõ linteamine, quod eſt nimis uulgatũ, ſed qd eſt oĩm obſequentiſsimũ, capillis ſuis. Quantũ igit aqua lachrymarũ & capilli præſtant aquæ uulgari & linteaminibus, quamuis ſericis, tm̃ etiã præſtat hoc officiũ tuo. Oſculum ori meo, quod in multis regionibus in mutua amicorum ſalutatione ſoléne eſt, nõ dediſti: hæc autem, ex quo intraui, non ceſſauit deoſculari, non dico, os meũ, (putat enim ſe indignioré eſſe) ſed quod eſt humillimũ, pedes meos. Intrante me in domũ tuã, nõ dediſti capite meo, aut aquam roſaceam, aut oleum aliquod ſuaue olẽs: hæc aũt mulier, nõ aqua roſacea, non uili oleo, ſed precioſiſsimo balſamo unxit, non dico caput meum, id quod fert cõſuetudo, ſed ipſos pedes meos. Proinde, mi amice, non eſt, ꝙ ipſam tanto faſtu contemnas, & officiis ipſius opera tua præponas, ſed hoc tibi edico, officia eius tanta eſſe in conſpectu meo, ut præ ipſis tua mirum inmodum mihi ſordeãt. Quid autem dicam de iuſticia eius, quam tu iudicas oĩm iniuſtiſsimã eſſe? Profecto ſi tu cum ipſa cõferaris, res ipſa declarabit, te quidẽ impiiſsimum, illam autem ſanctiſsimam eſſe. Is enim uere ſanctus & beatus eſt, nõ qui externa honeſtate iuſtus apparet, ſed quemadmodũ pſalmus ait, cuius remiſſæ ſunt iniqtates, cuius tecta ſunt pcta̅, & cui Dñs nõ imputat peccatũ. Oĩa em̃ hoĩm opera, aut ſunt manifeſte pcta̅, cõtra legẽ Dei, aut ſunt imperfectiora, q̃ ut legi Dei ſatisfaciant. Quare, ut homo ſanctus coram Deo iudicetur, indiget in omnibus ſuis operibus remiſsione peccatorũ, q̃ ſola eſt iuſticia hoĩm corã Deo, ꝓpter Chriſtũ. Hæc aũt mulier declarat fletu ſuo, ſe agnoſcere pcta̅ ſua, declarat & officiis dilectionis ſuæ, quæ mihi exhibet, ſe credere ac quærere in me remiſsionẽ peccatorũ ſuoꝝ.

Sanctus et beatus quis ueraciter ſit.

Vnde etiam

Vnde etiam remittũtur ei peccata, qua re fit, ut nunc iusta & sancta coram Deo reputeẽ. Tu uero Pharisæe iudicas te nulla aut ualde pauca habere pcã, & si quæ habes, ea sentis te expiaturũ meritis operũ tuorũ, nec ullo dilectiõis officio declaras, te credere ac quærere in me remissionẽ peccatorũ, unde nec peccata tua remittunt. Vbi aũt nõ est remissio peccatorũ, ibi nec est iusticia nec salus. Manifestũ igitur est, hanc mulierẽ esse sanctam & beatã, te uero Pharisæũ esse peccatorem impiũ & dãnatum. Nunc, & cõtemne proximos tuos præ sanctimonia tua. Hæc est sententia apologiæ, qua Christus peccatricẽ corã Pharisæis defendit. In qua apologia primũ oĩm obseruandũ est, ꝙ cum Christus cõfert Pharisæũ & peccatricẽ duobus debitoribus, significet, peccata dici debita. Vnde & in oratione dominica precamur: Remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris. Et apud Matthæũ capite decimo octauo, in parabola de eo qui debebat decẽ millia talẽtorum, pcã etiam noie debitorum significant. Quod aũt hoc loco Pharisæus conferat ei, qui tm̃ quinquaginta denarios debet, peccatrix uero ei, qui debet quingẽtos denarios, non est sentiendũ, ꝙ pcã Pharisæi minora & pauciora fuerint in conspectu Dei, q̃ peccata mulieris, sed Christus loquit hic de peccatis, ut ea sunt in conscientiis & conspectu hoĩm. Nam in conspectu & iudicio Dei tm̃ debet Pharisæus, quã tũ publicus peccator, imo Pharisæos plus debet. Præterhoc eũ, ꝙ peccat impietate, etiã putat suam impietatẽ esse pietatẽ, à quo peccato alienus est publicus peccator, qui ex publica legis diuinæ uiolatiõe uidet se manifeste peccare. In cõspectu aũt hoĩm honestus Pharisæus minus debet inhonesto peccatore, ꝓpterea ꝙ ille nihil aut parũ, hic aũt multum peccare uidet. Sic etiã quod ad cõscientiam attinet, minus debere uidet Pharisæus publico peccatore, peccata sua agnoscente. Ille eũ nihil in se peccatorũ agnoscit, sed putat se sanctissimũ, cum interim in cõspectu Dei longe oĩm sceleratissimus sit, hic aũt agnoscit in se multũ peccatorũ, adeoq; sentit se nihil aliud agere, q̃ peccare, iuxta illud psalmi: Tibi solũ pecco, & malum coram te facio. Quare etsi Pharisæus in conspectu Dei totus peccatis obrutus sit, tm̃ quia honestam uitam coram hominibus ducit, dicit nihil aut parũ debere. Cæterum, ꝙ peccata dicant debita, suam habet rationẽ. Nam ut ex legibus ciuilibus necesse habemus creditori pro ciuilibus debitis satisfacere, nisi uelimus oĩa quæ possidemus uendi, & nos ipsos in seruitutẽ redigi, iuxta parabolam de eo, qui debebat decem millia talentorũ, ita ex lege diuina necesse habemus, aut pro peccatis nostris pfecte satisfacere & totam legẽ implere, aut perpetua esse mãcipia Satanæ, afflictionum, mortis & inferni. Nullus autem hominum est, qui possit sua iusticia aut peccata expiare, aut legem Domini perfecte implere. In conspectu enim tuo, inquit psalmus, non iustificabit oĩs uiuẽs. Et Paulus: Affectus, inquit, carnis inimicitia est aduersus Deũ. Nã legi Dei nõ subditur, siquidẽ ne potest quidẽ. Ex ratione igitur peccatorũ nostrorum manifeste agnoscimus, nos non Satanæ tantum & afflictionibus corporalibus ac morti, uerumetiam perpetuæ damnationi & igni infernali obnoxios esse. Hæc nobis cogitanda obiiciuntur, cum peccata debitorum nomine significari audimus. Quid ergo tantis peccatorum debiti obruti faciemus? quam rationem Domino Deo nostro reddemus, quando in die iudicii, de quocunq; etiam ocioso uerbo, quod locuti fuerint homines, ratio exigetur? Hic certe magna opus erit prudentia. Nam si ad rationem uentum fuerit, nec possumus eam reddere, nec fumus soluendo. Quare, cum nõ inueniamus quo pacto rationem reddamus, quæramus potius, quemadmodum rationem non reddamus. Sed qua uia, inquies, hoc fieri potest? quæ est tanta prudentia, quæ hominẽ in iudicio Dei à ratiõe reddenda

Peccata sunt debita.

Pharisæi & publici peccatoris collatio.

Peccata cur dicantur debita.

Prudentia fidei in Christum.

subduceret? Fateor, admirabilem requiri prudentiam ad hanc rem conficiendã, attamen ea nobis per Euangelion expoſita & explicata eſt, uidelicet, prudentia fidei in Ieſum Chriſtum. Nam ſi credideris, q̃ habeas remiſsionẽ peccatorum propter Ieſum Chriſtũ, inueniſti iam, quemadmodum nullam peccatorum tuorũ rationem reddas. Chriſtus enim tam beneuolenter illos, qui in ipſum credunt, complectitur, ut cum ad iudicium propter debita captiui adducuntur, recipiat ad ſe chirographum debitorum, ac ita ſanguine ſuo deleat, ut nullum amplius ueſtigiũ eorum in conſpectu Dei extet. Quare ſumma noſtra cura ſit, ut Chriſtum Dominũ noſtrum probe diſcamus. Deinde, cum Chriſtus reiiciat opera Phariſæi, præoperibus peccatricis, obſeruandum eſt, quomodo de ipſa humanorum operum ratione

Opera humana quomodo iudicanda.

iudicandum ſit. Non enim eſt de his iudicandum ſecundum externam ſpeciem, aut uilem aut pretioſam, ſed ſecundum internã ueritatem. Nam quæ opera uidentur coram hominibus pretioſiſsima, ea nonnunq̃ ſunt in conſpectu Dei uiliſsima, & contra, quæ uidentur coram hominibus uiliſsima, ea interdum ſolent in conſpectu Dei iudicari pretioſiſsima. Immolatio Saulis in Gilgal uidebatur eſſe diuiniſsima. Eleemoſyna, quã mulier Sareptana prophetæ Eliæ poculo aquæ & buccellã panis exhibebat, apparebat uiliſsima, ſed Saulis opus erat in conſpectu Dei abominatio, Sareptanæ autem opus Domino Deo noſtro ita gratum erat, ut nec hydria farinæ deficeret, nec lecytus olei minueretur, uſq; ad diem in qua Dominus pluuiã dedit. In Matthæo, poculum aquæ frigidæ in nomine diſcipuli datum non perdit mercedem ſuam, cum interim tam præclara Phariſæorum opera cõdemnentur.

Opus paruũ & abiectum.

A pud Lucam, mittunt & diuites, & pauperes munera ſua in gazophylacium, ſed uidua paupercula, duo tantum æra minuta mittens, præfertur omnibus. Paruum enim & abiectum opus eſt, quod ex parua fide, aut impia opinione proficiſcitur, etiamſi appareat ſecundum externam ſpeciẽ diuiniſsimũ, & pretioſiſsimũ. Magnũ aũt & diuinum opus eſt, quod ex magna fide & dilectione proficiſcit, etiamſi in ſpeciem fuerit abiectiſsimum. Non eſt igitur de operibus ſecundum externam ſpeciẽ, ſed ſecundum internam ueritatem iudicandum. Quid ergo ſibi uolunt hi, qui in

Opus magnũ & diuinum.

omnibus plateis & tonſtrinis conqueruntur, ſe prorſus nullam uidere reſipiſcentiam, quæ ex prædicatione Euangelii proficiſcatur? Atq; hæc quidem querela, etiã noſtra eſt, q̃ pauciores, q̃ uellemus, ex Euangelio reſipiſcant. Sed hoc intolerabile eſt, q̃ uani homines iudicent ibi nullam eſſe reſipiſcentiam, ubi horæ canonicæ non cantentur publice magna ſacrificulorum pompa, ubi celebrationes miſſarũ Papiſticarum negliguntur, ubi non obſeruantur ſumptuoſa anniuerſaria pro mortuis, & alia id genus pretioſa ſacra. Quid enim? an nulla eſt ibi reſipiſcẽtia, ubi Deus non ut tyrannus, ſed ut pater creditur? An non ſunt diuina ſacra, in Chriſtum

Reſipiſcentia uera ubi ſit?

credere, in afflictionibus propter Chriſtum confidere, Deum ut patrem inuocare, afflictiones patienter in Chriſto ferre, cum inimico reconciliari, iniuriam proximo condonare, & pauperem pro uirili ſua adiuuare? Hæc certe ſunt ſacra longe omnium diuiniſsima, & quanq̃ non ſint ita publico hominum conſpectui expoſita, ut cantus horarum canonicarũ, & anniuerſaria, propterea q̃ hæc in publicis templis peraganť, illa aũt fiãt in priuatis ſingulorũ cõſcientiis, & domibus, attamẽ tanta eſt maieſtas eorum, ut Dominus Deus noſter præ ipſis omnia omnium hypocritarũ opera, quãuis glorioſa & ſumptuoſa, abominet. Non poteſt aũt fieri, ut ubicunq̃ prædicať Euangelion de Ieſu Chriſto, ibi nõ etiãuera illa ſacra, fides, inuocatio nominis diuini, ſpes, patientia, & dilectio proximi ab iis, qui Euangeliõ uere agnoſcũt, peraganť. Quare iniquiſsimũ eſt, eã eccleſiã impœnitentiæ accuſare, in qua audias quidem

quidem prædicari Euangelion Christi, non tamen uideas publice multa & magna sacra fieri. Adhæc, habes hoc loco iudicium eorũ, qui solent se suis uirtutibus iustos reputare, & alios præse condemnare. Sicut enim Pharisæus, condemnans præ sua iusticia tam Christum q̃ peccatricem, uicissim unà cum suis operibus condemnatur, ita non dissimile iudicium manet omnes hypocritas, qui sua iusticia turgidi alios præ se fastidiunt. Nolite, inquit Christus, condemnare, ne condemnemini. Quo enim iudicio iudicatis, eo iudicabitur de uobis, & qua mensura metimini, ea metient̃ uobis alii. Cur em̃ alterꝰ priuata tua temeritate condénas? nũ quia iudicas te insont̃? sed nõ iustificabit̃ in cõspectu Dei omnis uiuẽs. Nũ quia certus es de alterius peccatis? sed fieri potest, ut uideris quidẽ peccata nõ uideris aũt suspiria, quæ peccator ex fide pro peccatis suis emisit. Quare si nõ uis condẽnari, noli tu cõdemnare. Postremo uides hic diuinam benedictionem, quæ resipiscentibus contingit. Hæc enim mulier, etsi male audiat apud homines propter scelera sua, & iudicetur à Pharisæo turpissima, tamen, quia agit pœnitentiam, cõmendatur à Christo pleno ore, & præponitur omnibus Pharisæis, quamuis honestis. In hac autem muliere, tanq̃ in exemplari, significatũ est, qꝓ eadem sit sors omniũ eorum qui resipiscũt, ut etiamsi magna infamia inter homines laborent, habeant tamen Dominũ Deũ, qui magna cura nomen eorum gloriosissimũ reddat. Gaudiũ, inquit Christus, erit coram angelis super uno peccatore resipiscente. Et latro pendebat nomine latrocinii ad latus Christi, sed quem alii non nisi latronem iudicabant, ei Christus publice promittit maiestatem & honorem paradisi: Hodie, inquiens, mecum eris in paradiso. Proinde, si amisisti bonam nominis tui famam inter homines propter scelera tua, curæ tibi maxime omnium sit resipiscentia, qua ita famam nominis tui recuperabis, ut etiam coram omnibus cœlestibus ciuibus gloriam consecuturus sis. Sed uideamus uel tandẽ, quomodo Christus fidẽ mulieris certificet. Diximus enim antea, qꝓ hæc mulier habeat quidẽ fidem, & credat sibi contingere peccatorum remissionẽ propter Iesum Christũ, sed hanc fidẽ adhuc esse dubitabundã, & indigere certificatione. Postq̃ igitur Christus defendit mulierẽ coram Pharisæo, conuersus ad ipsam, confirmat fidẽ eius & dixit: Remittunt̃ tibi peccata. Et quanq̃ hi qui simul accũbebant, cœperunt dicere intra se: Quis est hic, qui etiã peccata remittit, pergit tamen dicere ad mulierem: Fides tua te saluã fecit, uade cum pace. Hic ergo diligenter mihi obserua, qua re Christus mulierẽ in fide certificet. Num miraculum aliquod externũ & uisibile ædit? num angelũ de cœlo mittit, qui annunciet mulieri, ipsam in gratiã Dei receptã? Minime oĩm, sed pronunciat tantũ absolutionẽ, ut uocant: Remittuntur, inquiens, tibi peccata tua. Qua uoce mulieri nihil gratius, nihil iucundius in toto orbe terrarũ cõtingere potuisset. Nunc em̃ cõsequitur tranquillã conscientiã, nunc certificata est in fide sua, nunc sentit se ex inferno in cœlũ ascẽdisse, nunc maiora bona sese possidere putat, q̃ si electa esset in reginã Romani imperii. Vnde & nũc hoc solũ curat, hoc solũ noctes atq; dies agit, ut gratã sese erga benefactorẽ declaret, ac uocatiõi Dei obediat, hoc est, ut peccata fugiat, & iusticiã sectet. Audiamus & nos talẽ absolutionẽ à Christo, & cõfirmemus ex ea fidẽ nostrã, ut tantorũ bonorũ participes efficiamur. Sed inquies: Christus ascẽdit in cœlũ, & nõ loquit̃ nũc nobiscũ ore ad os, quomodo ergo audiã ab ipso hãc absolutionẽ? Audi ergo eã à ministro Euãgelii Christi. Sed is, (sic em̃ iterũ inquies) homo est, & possit fallere, iuxta illud: Omnis homo mendax, quo igit̃ me uertã? Fateor, ipse quidẽ homo est, fortasis te in cõspectu Dei multo peior, at uerbũ absolutionis, quod pronunciat, non est humanum sed diuinũ uerbũ. Et autoritas quidẽ absolutiõis à peccatis,

Condemnans alios uicissim dãnatur.

Benedictio diuina erga resipiscentes.

Christus confirmat fidẽ absolutione.

Absolutio à peccatis audiẽda ex ministro Euãgelij

Absolutionis ministerium omnibus Euã gelij ministris commendatum.

penes solum Iesum Christum est, ministerium aũt absolutionis Christus omnibus Euangelii ministris ita cõmendauit, ut præ illorum absolutione, ne angelum quidem, diuersum nobis concionantem, audire debeamus. Nam, ut plane nullus dubitandi locus relinqueretur, Christus certissimis signaculis, absolutionem peccatorũ à ministris Euangelii sui pronunciatam, cõfirmauit. Primũ, suo ipsius uerbo. Apud Lucam enim ait: Qui uos audit, me audit. In Matthæo, ad Petrum nomine omnium Apostolorũ & ministrorũ Euangelii ait: Tibi dabo claues regni cœlorũ. Quicquid alligaueris in terra, erit alligatũ in cœlis, & quicquid solueris in terra, erit solutum in cœlis. Ac postea in Ioanne inquit: Accipite spiritum sanctũ, Quorumcunq; remiseritis peccata, remittuntur eis, quorumcunq; retinueritis, retenta erunt. Deinde confirmauit eam, magnis & stupendis miraculis, quæ tam ipse, q̃ Apostoli in nomine eius ædiderunt. Christus enim propter hanc potissimũ causſam ædidit miracula, ut maiestatem suam miraculis reuelaret, & autoritatẽ suam, qua peccata remittebat, & Apostolos in nomine suo remittere iubebat, cõfirmaret. Vt sciatis, inquit, q̃ potestatem habeat filius hominis in terra remittendi peccata, tunc dicit paralytico: Surge, tolle lectum tuum, & abi in domum tuam. Et ille surrexit, abiitq; in domum suam. Apostolis quoq; eandem ob causſam tribuit potestatem ædendi miracula in nomine ipsius, ut per ea tanq̃ cœlestia testimonia confirmaret, uocem Euãgelii & absolutionis à peccatis in nomine Christi non minori fide excipiẽdam esse à ministro Euangelii, q̃ ab ipsomet Christo. Quare, si de peccatorum tuorum remissione dubitaueris, audienda erit absolutio à ministro Euangelii, & confirmata per absolutionem fide, pacem conscientiæ exemplo mulieris huius peccatricis cõsequaris, & in obsequio diuinæ uocationis ad percipiendam regni cœlorum hæreditatem ambules, per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus laudandus in secula Amen.

Miracula cur ædiderit Christus.

CAPVT OCTAVVM

HOMILIA. LXXV.



ACTENVS descripsit Lucas doctrinam & miracula, quibus Iesus tantã sibi autoritatẽ parauit, ut iam non solum pro propheta, sed etiã pro Messia, sicut uere erat, à multis agnosceret. Nunc aũt pergit describere, quibus modis & rationibus Iesus officium Messiæ administrauerit, & maiestatẽ suam subinde magis atq; magis declarauerit: Et factũ est, inquiens, deinceps, & ipse iter faciebat per ciuitates & castella, prædicans & euãgelizans regnũ Dei, & duodecim cum illo, & mulieres aliquot, quæ erant curatæ à spiritibus malignis & infirmitatibus, Maria quæ uocatur Magdalena, de qua septẽ dæmonia exierant, & Ioanna uxor Chuzæ procuratoris Herodis, & Susanna, & aliæ multæ, quæ ministrabãt eis de facultatibus suis. Pauca uerba recitauimus, sed quibus multa cõprehenduntur. Primũ ergo describit in hoc loco, Iesum Christũ, postquam publice officiũ Messiæ inchoauit, non in una aliqua ciuitate ociosum, torpidũ, & ignauũ desedisse, sed peragrasse ciuitates & castella. Cuius rei cognitio, etsi nihil utilitatis afferre nobis uideat, tamen si penitius intro spiciamus,

introſpiciamus, magno uſui eſſe poteſt. Hac enim Chriſti peregrinatiõe palàm declaratur ingens beneuolentia, qua Deus pater noſter miſeros homines cõplectitur. Chriſtus enim filius Dei non expectat in una aliqua urbe, dum male habẽtes & errantes ad ſe ueniant, ut ſanentur, ac in uiam ueritatis reducant, ſed perambulat ipſe totam regionẽ, & inquirit miſeros, nihil tale expectantes, ut adiuuet eos. Ac plane id præſtat, quod ipſe in parabola de bono & ſollicito patrefamilias ait, qui cum habeat centũ oues, & unam ex ipſis amiſerit, non expectat, dum ouis errans ſua ſponte redeat, ſed relinquit nonaginta nouẽ oues in deſerto, & quærit eã, quæ perierat. Quis enim tã ſtultũ animal eſt, ut ſæpe hyeme obſtãte ſtabulo egrediat, & occupata à niue, niſi paſtor cõpulerit, abire nõ uult, ſed perit deſiſtens. Quo animali hoim ſtulticia recte adumbrat, q̃ppe q̃ hoies natura ſua tã ſtupidi ſint, ut errantes nõ ſolũ nõ reuertantur ſua ſponte & induſtria ab errore, ſed perſuadeãt etiam ſibi, errorẽ ſuum eſſe ueriſsimã uiam, & certiſsimam ueritatẽ. Magna igitur Chriſti bonitas eſt, q̃ nõ expectat, dum quæratur ab errantibus, ſed quærit ipſe errantes, ut ipſos ab errore liberet. Eſt aũt Chriſtus filius Dei expreſſa imago Dei patris noſtri, ut non ſolũ referat eandẽ patris οὐσίαν, uerumetiã exprimat in ſe affectus patris, ut quemadmodũ filius nõ poteſt à ſe facere quicq̃, niſi quod uiderit patrẽ facientẽ, ita nõ poſsit alium affectum erga homines gerere, niſi quo uiderit patrẽ ſuum affici. Cum igitur uideamus, Chriſtũ filiũ Dei tam beneuolenter homines cõplecti, ut ipſe quærat errantes, quo ab errore eos reducat, manifeſtũ eſt, nos talẽ Deum patrẽ in cœlis habere, quẽ inueniant, iuxta prophetã, qui non quærunt ipſum, & qui exaudiat homines, anteq̃ clamẽt. In hoc, inquit Ioannes, eſt charitas Dei, non q̃ nos dilexerimus Deũ, ſed q̃ ipſe prior dilexerit nos, & miſit filiũ ſuum propiciationẽ pro peccatis noſtris. Et Paulus: Cõmendat, inquiens, ſuam charitatẽ erga nos Deus, q̃ cũ adhuc eſſemus peccatores, Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Longe enim alia eſt ratio Domini Dei noſtri, ac regum huius terræ. Hi enim nõ obtrudunt aliud agentibus beneficia ſua, ſed uix præſtant ea multo labore quærẽtibus, ambientibus, & bene meritis. Ille aũt obtrudit beneficia ſua nihil tale expectantibus, adeoque inimicis adhuc & impiis. Quis ergo tam impius eſſet, qui in tentationibus de tam expoſita clementia Dei deſperaret? aut quis tam ignauus eſſet, qui tam promptam gratiam Dei obuiis, quod aiunt, ulnis non exciperet? aut quis tam ingratus eſſet, qui pro tam liberali beneuolentia Dei, gratitudinẽ animi obſequio ſuo nõ declararet? Hactenus, cũ ad nos Romanus pontifex indulgentias per legatos ſuos mitteret, quanta, obſecro, reuerentia legatis obuiam proceſsimus? quanta obſeruantia excepimus? quæ nõ marſupia aperuimus, ut expoſitis numis tales indulgentias nobis redimeremus? & tamen nõ fuerunt niſi meræ nugæ & impoſturæ. Quod igitur præſtitimus mendatio, multo magis decet præſtare ueritati, ut quas ueras indulgẽtias & clementias ad nos gratis mittit Dñs Deus noſter, per Ieſum Chriſtum filium ſuum, eas maxima animi gratitudine excipiamus, iisq̃ iuxta uoluntatẽ Domini recte utamur. Iam, q̃ Chriſtus nõ in una aliqua ciuitate ignauus deſidet, ſed impiger ciuitates & caſtella peragrat, admonet etiã unũquenq̃ noſtrũ ſui ipſius officii. Erat enim Chriſtus in hoc à Deo patre ſuo ordinatus, ut eſſet publicus & generalis cõcionator Galilææ & Iudææ. Si ergo Chriſtus filius Dei nullũ laborẽ, nullã moleſtiã, nullũ periculũ fugit, tantũ ut uocatiõi ſuæ ſatisfaceret, cur nos homũciões exẽplo eius nõ excitaremur, ut nihil aliud agamus, cogitemus, uigilemus & dormiamus, q̃ quo modo & qua diligentia uocatiõnẽ quiſq̃ ſuam ſectemur? Habes in quem uſum nobis peregrinatio Chriſti ab

Peregrinationis Chriſti uſus.

Hominum ſtultitia.

Chriſtus imago Dei patris

Vocationẽ ſuam quiſq; ſectari debet.

Euangelista proponatur. Deinde, quia Christus proficiscitur ad ciuitates & castella, ut regnum suum accipiat, explicat Lucas consequenter, quibus bellicis arietibus Christus ciuitates & castella oppugnauerit, ut ea in potestatē suam redigeret. Etenim, si quis princeps huius seculi alienam regionem inuadere, & in suam potestatē redigere uelit, multis uariisq; armis opus habebit. Quo ergo armorum genere usus est Christus ad occupandum suum regnum? Audi quid Lucas cōmemoret. Prædicans, inquit, & Euangelizans regnum Dei. En, prædicatio Euangelii regni Dei, arma, tormenta, arietes, gladii, & lanceæ Christi fuerunt. Quo armorum apparatu id confirmatur, quod scriptura aliàs sæpenumero tradit, uidelicet, regnum Christi nō esse de hoc mundo, nec huius seculi tempore constare externa maiestate & sensu, sed tantum uerbo prædicationis Euangelicæ & fide. Necessarium autem est, ut hoc probe cognoscatur, & frequēter nobis inculcetur. Cursus enim rerū in hoc mūdo, & promissiones Euangelii, uidentē ex diametro pugnare. Promittuntur credentibus in Christum pax & securitas, sed ecce nemo maioribus & grauioribus periculis in hoc seculo obiicitur. Promittuntur diuitiæ perpetuæ, sed nemo difficiliori paupertate premitur, q̄ hi qui maxime in Christum credunt. Promittuntur ipsis summa & cœlestis maiestas, sed tractantur ut peripsemata & catharmata. Promittitur adoptatio in filios Dei, sed tractantur ut filii Satanæ. Promttitur uita, sed nemo crudeliori morte q̄ ipsi trucidantur. Promittitur sempiterna salus, sed in hoc seculo nil nisi perditio ob oculos ipsorum uersatur. Ex his igitur posset Euangelion iudicari uanissimum & mendacissimum. Sed huic tentationi sic medendum est, ut diligenter discamus, futurum quidem esse in nouissimo die, ut Christus maiestatem suam sensibiliter reuelaturus, ac deinceps regnū suum sensibili maiestate perpetuo administraturus sit, sed interea temporis regnū Christi non esse de hoc mūdo, sed cōstare tantum prædicatione Euangelii & fide, donec, quod uerbo prædicat, & corde creditur, reipsa suo tempore reuelet, ac manibus, ut ita dicā, palpet. Nec est, ut timeas, ne hac reuelationis spe pudefias. Nec cum impiis dicas: Vbi est pollicitatio aduentus eius? siquidē ex quo die patres dormierunt, sic omnia permanent ab initio conditionis. Hæ sunt uoces impiorum, & deridentium promissiones Dei. Etsi enī Christus uideatur secundum suum aduentum differre, quod tamen differtur, ut uulgus loquitur, non aufertur, &, longum non est perpetuum, ac lupi, quod aiunt, oues quidem deuorant, non aūt deuorant terminos. Prædixit quondam Deus fore diluuium, & uenit. Prædixit fore incendium Sodomæ & Gomorrhæ, ac factū est. Prædixit Israelitas ex Aegypto liberandos, & liberati sunt. Prædixit Israelem occupaturum terram Chanaan, & regnum habiturum. & impletum est. Prædixit Hierusalē deuastandam, & deuastata est. Prædixit Messiam, filium suum priori suo aduentu, in humilitate uenturum, & uenit, miraculisq; sese Messiam declarauit. Prædixit etiam Messiam filium suū posteriori suo aduentu in gloria & maiestate uenturū, ac reipsa manifestaturum & præstiturū, quod nunc uerbo prædicatur & corde creditur. Cum igitur omnia alia, à Domino Deo nostro prædicta, rebus ipsis impleta sint, quomodo fieri posset, ut hoc unum, quod de posteriori aduentu Messiæ prophetarū est, non impleretur? An in aliis Deus uerax est, in hoc uno mendax erit? Absit. Non prophanabo, inquit, testamentum meum, & quæ procedunt de labiis meis, non faciam irrita. Proinde, quæ nunc de IESV CHRISTO & regno DEI ex Euangelio predicantur, ea altissima fide reponas, ut quæ uerbo tantum fidei in hoc tempore possides, his reipsa suo tempore perpetuo fruaris. Adhæc, quia CHRISTVS non aliis bellicis machinis ciuitates & castella regni sui oppugnauit,

Euāgelij prædicatiōe Christus regnū suum occupat.

Promissiones & minæ Dei non fallunt.

oppugnauit, q̃ concione Euangelii, explicat enim Lucas, paucissimis quidem uerbis, sed tñ satis perspicue, quod fuerit argumentũ oĩm concionũ, quas Christus in ciuitatibus & castellis habuerit. Euãgelizans, inquit, tegnũ Dei. Hic fuit status, hæc fuit summa concionum Christi, prædicauit Euangelion regni Dei. Sed quid hoc noui fuit? an nõ & prophetæ pædicauerũt de regno Dei? Affirmo, sed prædicauerunt regnum Dei uenturum. Christus aũt prædicauit iam aduenisse, & præsto adesse. Propheta enim Daniel, cum de statu orbis terrarum uaticinaretur, meminit quinq; regnorũ in terra, quemadmodũ capite secundo & septimo Danielis scribitur. Ac quatuor horum, uidelcet, Babylonicum, Persicum, Græcum & Romanũ, uocantur proprie regna huius terræ, propterea q̃ administrentur externa maiestate pro conditione huius terræ, ac unà cum terra transeant. Quintum autem uocat regnum cœli, non q̃ non sit etiam in hac terra futurum, Christus enim administrauit hoc regnum etiam in hac terra prædicatione Euangelii, quo modo administratur quoq; usq; ad nouissimũ diem, sed q̃ non constet externa huius terræ maiestate, & q̃ res, quæ prædicatiõe huius regni promittuntur, sint cœlestes ac perpetuæ. De hoc regno, non Daniel tantum, sed etiam multi alii prophetæ admiranda & stupenda uaticinati sunt. In diebus regum illorum, inquit Daniel, suscitabit Deus cœli regnũ, quod in æternum non dissipabitur, & regnum eius alteri populo non tradetur. Cõminuet autem & consumet uniuersa regna hæc, & ipsum stabit in æternũ. Et iterum: Potestas eius potestas æterna, quod non auferetur, & regnum eius, quod non corrumpetur. Ac postea: Consummabitur præuaricatio, finem accipiet peccatum, delebitur iniquitas, & adducetur iusticia sempiterna. Esaias quoq; de hoc regno ait: Præcipitabit Dominus in monte isto faciem uinculi colligati super omnes populos, & telam quam sortitus est super omnes nationes, & præcipitabit mortẽ in sempiternum, & auferet Dominus Deus lachrymam ab omni facie, & opprobriũ populi sui auferet de uniuersa terra. Et aliàs: Non audietur ultra iniquitas in terra, uastitas & cõtritio in terminis tuis, & occupabit salus muros tuos, & portas tuas laudatio. Populus tuus omnes iusti, in perpetuum hæreditabunt terram. Et iterum: Non erunt in memoria priora, & non ascendent super cor, sed gaudebitis & exultabitis usq; in sempiternum in his quæ ego creo. Sed longum esset omnia prophetarum dicta de regno cœli, hoc loco commemorare. Diximus enim de hac re supra, cum primam Christi concionem, quæ est: Resipiscite, appropinquauit enim regnum cœlorum, explicuimus. Porro autem quæ prophetæ de hoc regno uaticinantur, ea, ut antea demonstrauimus, non sic intelligenda sunt, q̃ tanta bona reipsa in hoc seculo sentiamus, sed quòd adueniente Messia publice in toto orbe terrarum prædicanda & corde credenda sunt, donec secundo iterũ adueniat Messias in maiestate sua, quo fiet, ut hi qui uerbo Euangelii fidem adhibuerunt, re ipsa cœlestibus bonis perpetuo fruituri sint. Cum igitur Lucas scribit, Christum euangelizasse regnũ Dei, significat Christũ, qui est summus administrator, Dñs & caput eius regni, docuisse oĩa ea, quæ pphetæ de regno Dei per Messiã administrando uaticinati sunt, prædicatiõe sua iã præsto adesse, & ut aliàs post lectioné Esaiæ ait, scripturã impletã esse in auribus ipsorũ, adeoq; tantisper publice in orbe terrarũ uerbo prædicãda & fide apprehendẽda esse, dũ maiestas huius regni etiã extrinsecus & sensibiliter suo tẽpore reueleť. Vnde & Christus in prima sua cõcione ait: Resipiscite, appropinquauit enĩ regnũ cœlorũ, qd certe de nullo alio regno intelligi potest, q̃ de quo per

Regnà terræ quatuor.

Regnũ cœli.

Prophetarum uaticinia de regno Christi quomodo intelligenda.

Lu. iiij.

Messiam prædicando & administrando prophetæ prædicarunt. Itaq; si libet, (cur autem non liberet nostræ ipsorum saluti consuleret) argumentum & summã concionum Christi explicatim cognoscere, conciones prophetarũ de Messia cognoscendæ & diligenter obseruandæ sunt, ex quibus perspicue uidebimus, quãta nobis beneficia per Iesum Christum contigerint. Postremo describit etiam Lucas in hac pericopa, quo comitatu, & quorum sumptu Christus ciuitates & castella peragrarit, & Euangelion regni Dei ptædicarit: Faciebat (inquit) iter per singulas ciuitates & castella, prædicans & euangelizans regnũ Dei, & duodecim cum illo, simulq; mulieres aliquæ. quæ erant sanatæ à malis spiritibus, & infirmitatibus, Maria quæ uocatur Magdalene, de qua septẽ exierant dæmonia, & Iohanna uxor Chuze procuratoris Herodis, & Susanna, & aliæ multæ, quæ ministrabant eis de facultatibus suis. Hui, quid sibi uult hic comitatus in speciem contemptissimus? Venit Christus ut annunciaret regnum Dei, & afferret in terram hæreditatem cœlestium bonorũ, quo nuncio & beneficio nihil unquam hominibus aut gratius aut fœlicius cõtigit, & non habet alios profectionis suæ comites, q̃ duodecim homines obscuros, partim piscatores, partim publicanos, ac mulieres aliquot quondam insanas, & à demoniis obsessas. Inter quas Maria, quæ uocatur Magdalena, septem dæmoniis obsessa fuisse scribitur, quo numero dæmoniorum myriades comprehenduntur, & significatur ipsam totam fuisse insanam, dæmoniisq; plenam. Quid spectaculo huius comitatus magis ridiculum? Sed ex iis, quæ supra diximus, manifestum esse potest, quid Christus sibi uelit comitatu tam abiecto. Nã si Christus potuit uno uerbo dæmones pellere, & sanitatem reducere, mortem abigere, & uitam reuocare, potuisset etiam uno uerbo omnes reges & monarchas huius terræ ad se, unà cum toto maiestatis ipsorum apparatu, comitãdum aduocare. Sed uoluit in hoc ptiori suo aduentu humilis & abiectus apparere, ac officium suum, non externa maiestate, sed tantum prædicatione uerbi administrare. A deoq; nunc quidem ad filiam Zion dicit: Ecce rex tuus uenit tibi iustus & saluator, ipse pauper, & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ. Postea autem id implebitur quod scriptum est: Filius hominis ueniet in gloria sua, & omnes sancti angeli cum eo, cum hortatu, uoce ac tuba Dei, & sedebit super sedem gloriæ suæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos alteros ab alteris. Cum igitur uoluerit nunc humilis apparere, nõ est mirę, q̃ elegerit comitatũ sibi similẽ, hoc est humilẽ & abiectũ. Huc accedit, q̃ Christus omnino sese ad mores patris sui accommodet. Pater autẽ hanc habet cõsuetudinem, q̃ deligat quæ sunt stulta secundum mundũ, ut pudefaciat sapientes, & quæ sunt imbecillia in mundo, ut pudefaciat ea, quæ sunt robusta, quẽadmodum Paulus ait. Obediẽtia igitur est, q̃ Christus duxerit secum ignobiles potius comites, quàm nobiles. Eadem quoq; ratione maluit alieno, uidelicet mulierum, stipendio uiuere, (hæ enim ministrabant, inquit Euangelista, ipsis) quàm multas diuitias in hoc seculo possidere. Coniecit emñ sese in paupertatẽ, ut eam alioqui contemptissimam sanctificaret, ac per ipsam cœlestes nobis & perpetuas diuitias pararet. Accepit autem stipendia à mulieribus, quas sanauerat, tum ut muliebrem sexũ commendaret, tum ut significaret, iis, qui Euangelio seruiunt, licere etiam ex Euãgelio uiuere. Obserua igitur mihi harum mulierum non pietatem solum, sed etiam prudentiam. Pietas enim est, q̃ cum acceperint à Christo magna & stupenda beneficia, uicissim declarent suam gratitudinem, & reddant Christo ea beneficia, quæ possunt, ministrantes necessitatibus eius & Apostolorum de facultatibus suis. Cogitant enim, quòd cum Christus ministrauerit ipsis spiritualia, debeant ipsæ in corporalibus

Comitatus Christi prædicantis Euãgelion.

Dei patris cõsuetudo.

Christus alieno uixit stipẽdio & sumptu

Mulierum sectantiũ Christũ pietas & prudentia.

poralibus ministrare. Prudentia autem est, quòd etsi ipsæ non concionentur publice Euangelion regni Dei, (mulieri enim non licet in ecclesia loqui,) inueniãt tamen rationem, qua non aliter, quàm si ipsæ quoq; Euangelion adnunciarent, consortes fiant omnium commodorum, quæ ex prædicatione Euangelii proueniũt. Cum enim facultatibus suis adiuuent eos, qui Euangelion prædicant, certe ueniunt in societatem omnium eorum commodorum, quæ ipsi Euangelii prædicatores consequũtur. Nam si is, qui in alterius malum cõsentit, mali particeps redditur, sicut inquit Paulus: Non solum qui mala faciunt, digni sunt morte, uerumetiam qui assentiuntur his qui faciunt, cur non etiam eius boni particeps reddetur is, qui bonum pro uirili & ratione suæ uocationis adiuuat? Simus igitur harum mulierum imitatores, & declaremus gratitudinem nostram erga Euangelion Iesu Christi, ut sicut hæ mulieres ex pietate sua hoc beneficium consequutæ sunt, quòd omnium primæ Christum resurgentem uiderint, (quemadmodum Euangelistæ testantur,) & Apostolorum Apostolæ factæ sint, ita nos quoq; Christum humilem in ministris & pauperibus suis adiuuantes, eundem glorioſum in perpetua fœlicitate cõtemplemur. Sed priusquam finem dicendi hunc faciamus, admonendi etiam ex hoc loco sumus, ne in sectanda uocatione Dei, aut metu periculorum ab officio deterreamur, aut inopiæ ac famis timore desperemus. Vides enim hic, q̃ etsi Ioannes Baptista nomine seditionis in uincula coniectus erat, Christus tamen cum suo comitatu secure peragrat Galilæam. Quamobrem? quia nondum uenerat hora eius. Sicut enim capilli capitis nostri numerati sunt, ita etiam tempus ministerii nostri coram Deo certum ac definitum est. Quis autem tyrannus, aut quæ afflictio posset certitudinem ac definitionem Dei impedire? Et nonne sunt duodecim horæ diei? Si quis autem ambulauerit in die, non offendit, quia lucem huius mundi uidet. Perge igitur in ministerio tuo confidenter, certa persuasione concepta, quòd qui te ad ministerium suum uocauit, is etiam te usq; ad tempus definitum in eo conseruaturus sit. Quid autem ambulans in uocatione Dei de uictu animum tuum despõderes? Christus nõ uenit in hunc mũdum, ut sacerdos Leuiticus, quod genus è decimis & sacrificiis uictum suum habuit, nec erant eo tempore publica stipendia docentibus è fisco decreta, unde Christus uiueret, nec habebat Christus patrimoniũ à parentibus suis, unde sumptus ipsi suppeditaretur, sed tanta paupertate fuit obrutus, ut non haberet, ubi reclinaret caput suum, attamen non interiit fame, sed cum uiri cessarent, mulieres ministrãt ipsi de facultatibus suis. Quod si & illæ cessassent, profecto aut aues cibum detulissent, quod Eliæ contigit, aut cœlum manna pluisset, qd̃ Israelitis accidit, tñ ne Christus unà cũ suis fame interiisset. Filius, inquies, hic Dei fuit, & potuit quinque panibus ac duobus piscibus multa millia hominũ pascere, ego autem sum filius tantum hominis, & peccator, ac nulla uirtute ædẽdorum miraculorum præditus. Quare non possum ad exemplum Christi bene confidere. Quid audio? an nõ Christus ideo uenit, ut ex te etiam filium Dei faciat, & peccata remittat, ac Deum patrem tibi propicium reddat, teque in omnibus periculis incolumem conseruet, adeoquè omnium horum certitudinẽ miraculis suis confirmet? Non est igitur, quòd ad exemplum Christi obstupescas potius quàm animum sumas, sed crede in Christum, & sectare diligenter ac confidenter uocationẽ Dei. Tunc eñ continget tibi nõ solum sufficiens uictus in hoc seculo, uerumetiam perpetua fœlicitas in uenturo seculo, per Iesum Christum Dominum nostrũ, qui est unà cum Patre & spiritu sancto Deus laudandus in secula Amen.

A uocatione Dei sectanda nullo periculò deterreri debemus.

HOMILIA LXXVI.



Explicuimus pericopen, in qua Lucas describit profectionem Christi de ciuitate in ciuitatem, & de castello in castellum, in regione Galilææ, cui etiam adiuncta est descriptio comitatus, quem Christus secum circumduxit. Addita est præterea summa earum concionum, quas Christus nũc in hac, nũc in illa ciuitate habuit. Prædicauit enim Euangeliõ regni Dei, hoc est, docuit tempus illud Messiæ aduenisse, de quo prophetæ admirãda uaticinati sunt, & uocauerũt illud regnum Dei, seu regnum cœlorum. Prophetarunt enim fœlicitatem regni illius tantam fore, ut quicunq; Messiam Dominũ suum agnoscant, nullam amplius habituri sint iniusticiam, nullam passuri paupertatem, infamiam, afflictionem, calamitatem & mortem, sed uicturi sint in perpetua & cœlesti iusticia, omnium rerum abundantia, gloria, lætitia, & maiestate. Cum igitur homines audirent has Christi conciones, cupiebant certatim omnes fere Christo adhærere, & Euangelici, ut uocant, aut Messiaci esse, quo tantorum bonorum participes fierent. Interea autẽ temporis, dum Euangeliõ à Ioanne Baptista prædicatum esset, & nunc ab ipso Christo prædicaretur, calamitates non parum multæ Iudæis publice accidebant. Premebantur enim tyrannide Romanorum, & cogebantur alienis regibus tributarii serui esse. Adhæc, cum uulgus audiret Euangeliõ, quo docebatur, iusticiam & fœlicitatem per fidem tantum, non autem propter operum merita, contingere, tãtum abfuit, ut à peccatis resipisceret, ut potius in omnia scelerum genera rueret. Itaq; factum est, ut prædicatio Euãgelii audiret passim uanissima & turpissima, primum q̃ polliceretur cœlestem & perpetuam fœlicitatem, interim tamẽ nunquam maiores fere calamitates in orbe Iudaico fuerint, quã eo tempore, quo nouum Euangelion prædicabatur, deinde, q̃ iactaret homines fieri per fidem Euãgelii iustos, attamen res ipsa declararet homines nunquam turpius ac sceleratius uixisse, q̃ quo tempore nouum illud Euangelion in orbe spargebatur. Cum igitur Christus has calumnias audiret, defendit autoritatem Euangelii, & docet Euangelion haudquaquam esse uel publicarum calamitatum, uel scelerum autorem, ut impii somniabant, sed culpam harum rerum in crudelitatẽ Satanæ, & in impietatem hominum reiiciẽdam esse. Aliàs quidem significat Christus, non Euangelion, sed Satanam autorem esse omnium calamitatum, cum inquit apud Ioannem de Satana: Ille homicida erat ab initio, & in ueritate non stetit, quia non est ueritas in eo. Quum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est, atq; eius rei caput. In hoc autem loco explicat per parabolam, in quẽ culpa scelerum & impœnitentiæ reiicienda sit. Cum enim turba plurima conueniret, & de ciuitatibus properarent ad eum, dixit per similitudinem: Exiit qui seminat seminare semen suũ, & dum seminat, aliud cecidit secus uiã, & conculcatum est, & uolucres cœli comederũt illud. Et aliud cecidit supra petrã, & natũ aruit, quia nõ habebat humorẽ. Et aliud cecidit inter spinas, & simul exortæ spinæ suffocauerunt illud. Et aliud cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructũ centuplum. Hæc dicens, clamabat: Qui habet aures audiendi, audiat. Quid hoccе inquies, doctrinæ est? Congregant ad Iesum iuxta mare sedentẽ turbæ hoim tãta multitudine, ut necesse habeat nauim ingredi quẽadmodũ alii Euãgelistæ scribũt, & congregant, ut audiant nescio q̃d maximæ rerũ, sed ecce dũ expectant admiranda quædam & cœlestia

Iudæorum calamitates publicæ tempore Christi.

Euangelij prædicatio cur audiat uanissima.

Euangelion non est causſa publicarũ calamitatum & scelerum.

cœlestia Christus cõcionatur ipsis de seminatore rustico. Num ignorant, quid de seminibus in agrũ iactis eueniat? Nũ Christus de cœlo descẽdit, ut rem rusticã doceret? Sed non est, ut fastidias Christum propter tam humilem, ut apparet, docendi rationem. Primum enim, & si potuisset Christus plus quàm angelotum lingua loqui, tamen quia noluit priori suo aduentu regnum suum pro externa maiestate administrare, elegit etiam rationem docẽdi humilitati suæ aptam. Deinde, quemadmodum prudentibus quibusdam uiris apud ethnicos magni nominis solenne fuit, auditores & discipulos suos per apologos docere, ità Iudæis familiare fuit, parabolis aut similitudinibus dogmata sua inculcare. Cum igitur Christus inter Iudæos uitam duceret, ciuiliter admodum facit, quòd etiam utatur genere docendi apud Iudæos usitato. Postremo, non est sentiendum, Christum non aliud quicquã præter parabolas & similitudines docuisse. Præcipua enim doctrina eius fuit Euangelion regni Dei, quemadmodum in prophetis scriptum est, interim autem usus est parabolis ac similitudinibus, ut quod de regno Dei doceret, dilucidius explicaret, & memoriæ hominum tenacius infigere. Habent enim parabolæ & similitudines miram quandam energiam, rem, de qua est sermo, illustrandi & explicandi. Cum igitur Christus in hac concione uellet autoritatem Euangelii sui à calumniis uindicare, & ostendere, quòd non Euangelion, sed impii & impœnitẽtes homines scelerum autores sint, adeoq; cuperet id alta mente repositum esse, utitur parabola de seminatore ad hanc rem aptissima, ac proponit eam uulgo simpliciter & sine expositione, addens ad finem parabolæ: Qui habet aures audiendi audiat, hoc est: Non necesse habeo hãc parabolam pluribus explicare, quia qui sunt rerum periti facile intelligent, quid sibi uelit hæc parabola, uidelicet, quòd sicut nõ est culpa seminis, si non semper ferat fructũ, ita non sit culpa Euangelii, si nõ in quouis auditore suũ fructũ producat. Sed quid dicemus? Discipuli Christi familiares, qui debebant maxime oĩm sententiã parabolæ intellexisse, hi oĩm minime eam intelligũt.

Christus utitur humili ratione docẽdi

Vnde interrogabant eum dicentes: Quæ esset ista parabola? Ac Christus aliàs quidem increpat eos ruditatis & stuporis. Apud Matthæum enim capite decimo quinto, cum de eo, quod Christus dixerat, non quod ingreditur in os impurat hominem, discipuli interrogarent ac dicerent: Dissere nobis parabolam istam, respõdet Christus: Adhuc & uos intelligẽtia caretis hoc aũt loco humaniter & beneuolenter eos erudit dicens: Vobis datum est nosse mysteria regni Dei, (hoc est, obscuras conciones Euangelii.) Cæteris autẽ in parabolis, ut uidentes non uideant, & audientes non intelligant. Christus duos facit ordines auditorum suorum: alterum discipulorum, alterum turbæ. Cur ergo discipulis explicet obscuritatem cõcionis suæ, postea docebit, dicens: Nemo accendẽs lucernam operit eam uase, & qui habet, dabitur illi. Nunc autem ponit caussam, propter quam non explicet parabolæ obscuritatem Pharisæis & uulgo, dicens: Vt uidentes nõ uideant, & audientes non intelligant. Hæc mutuata sunt ex Esaia, capite sexto, ubi sic legitur: Et dixit Dominus: Vade & dic ad populum istum: audiẽdo audite, & ne intelligatis, & uidendo uidete, & nesciatis. Obdura cor populi huius, & aggraua aures eius, atq; oculos eius obline, ne forte uideat oculis suis, & audiat auribus suis, & cor eius intelligat, & cõuersus sanatio fiet ei. Hæc uerba Esaiæ tantæ autoritatis sunt, ut in scriptura noui testamenti frequentissime inculcentur. Allegant enim ea, Matthæus capite decimotercio, Marcus capite quarto, & hoc loco Lucas, similiter Ioannes capite duodecimo, & Paulus in actis Apostolicis capite uigesimo octauo. Est enim ma-

Auditorum Christi duo ordines.

ximum offendiculum, quòd maior & præcipua pars populi nec requirat Euangelion, nec intelligat, nec ex Euangelio resipiscat. Ex hoc enim iudicatur, Euangelion non esse Verbum Dei, sed figmentũ hominum & nugas uanissimas. Ad medendũ igitur huic offendiculo citatur testimonium Esaiæ, in quo Dominus perspicue docet, non prædicationẽ Euangelii, sed impietatem hominum in caussa esse, quòd tam pauci Euangelion intelligant & ex Euangelio resipiscant. Cum enim homines suapte impietate Euangelion fastidiant & condemnent, iusto Dei iudicio fit, ut in tantum stuporem & obdurationem tradantur, ut nec intelligant magnitudinẽ maiestatis Euangelii, nec resipiscant ex Euangelio. Obdura, inquit, cor populi huius, & aggraua aures eius, hoc est, quia hic populus tam præfractus est, ut contẽnat & condemnet Euangelion, agitedum, tradantur tantæ excæcationi, ut nec intelligant Euangelion, nec resipiscant. Nolunt benedictionem, elongetur igitur ab ipsis benedictio. Reiiciunt lumen, sint igitur cæci. Fastidiunt iusticiam, uiuant ergo in iniusticia, abominantur uitã, pereant igitur morte. Nec habent quod conquerantur, quod uolunt, quod cupiunt, hoc accidit eis. Publice iactant perfricta frõte, se malle cum patribus suis (sic enim uocant doctores impietatis suæ) errare, quàm cum nouis illis Euangelistis recte sentire, ac se malle in antiqua religione (sic enim uocant auitas suas superstitiones) perire, quàm in hoc nouo Euangelio salutem cõsequi. Iustissimum igitur est, ut nec Euangelion intelligant, nec ex Euangelio sanẽtur, sed ut unà cum suis doctoribus & superstitionibus excæcẽtur, indurẽtur, errẽt, in reprobam mentem tradantur, & pereant. Qui autem sunt discipuli Christi, & tenentur amore Euangelii, his datur etiam, ut obscuritatem Euangelii intelligant, & ex Euangelio resipiscant. Quare Christus discipulis suis parabolam interpretatur, & ait: Est autem hæc parabola: Semen est uerbum Dei. Qui autem secus uiam, hi sunt qui audiunt, deinde uenit diabolus, & tollit uerbum de corde eorũ, ne credẽtes salui fiant. Qui autem supra petram, hi sunt, qui cum audierint, cum gaudio suscipiunt uerbum, & hi radices non habent, quia ad tempus credunt, & in tẽpore tentationis recedunt. Quod autem inter spinas cecidit, hi sunt, qui audierũt, & à sollicitudinibus & diuitiis & uoluptatibus uitæ euntes suffocantur, & non referũt fructum. Quod autem in bonam terram, hi sunt, qui corde bono & optimo audientes uerbum retinent, & fructum afferunt in pacientia. In huius parabolæ expositione principio obseruandum est, ꝙ hic nulla fiat mentio eorum, qui contemnunt aut persequũtur Euangeliõ, sed tantum sermo fit de auditoribus Euangelii, nimirum de his, qui se Euangelicos, aut Messiacos profitẽtur. Deinde animaduertendũ est, ꝙ Christus auditores Euangelii in quatuor ordines diuidat. Nam sicut aliud ex seminibus cadit secus uiam, & partim conculcatur, partim à uolucribus deuoratur, ita primus ordo auditorum Euangelii eorum est, qui etsi audiant Euangelion, tamen ambulant iuxta ueteres iniquitatis suæ mores, & sectantur tritã peccatorum uiam. Dederunt nuper operam ebrietati, sed ad huc eam, etsi Euangeliũ audiant, sectanẽ. Scortati sunt, & adhuc scortanẽ. Nomine Dei ad maledicta & execrationes abusi sunt, & adhuc abutuntur. Superstitionibus studuerunt, & adhuc student. Breuiter, ueteres impietatis mores, ut antea, ita nunc quoq; sequũtur. His etiã si sanctissima prædicenẽ, tamẽ, quia accõmodant uerbo Dei aures tantũ, & corde aliò peregrinanẽ, aufert Satan uerbum Dei, ut neque credant, neq; fructũ afferãt. Quid ergo his faciendũ, ne pereant? Primũ discant ex uerbo Domini aperire oculos mentis suæ, ut uideant, quam turpe spectaculum Domino Deo & omnibus angelis eius præbeant, & timorem Dei concipiant. Nam Dñs ita ordinauit, ut angeli eius circum

Euangelion cur pauci intelligant, & pauci ex eo resipiscant.

Auditorum Euangelij quatuor ordines

Auditorũ Euangelij primus ordo.

eius circumuallent timentes Deum, & circundent ecclesiam Domini. Immittet, inquit Dauid, angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos. Hi autem, qui in ueteri sua malicia perdurant, & sacram Euangelii concionem auribus tantum audiũt, angelos Domini, quantum quidem in ipsis est, ex ecclesia Domini eiiciunt, & dæmones suos secum adducunt. Si enim possibile esset spirituales astutias & rectores tenebrarum corporalibus oculis aspicere, uideres in quauis concione Euangelii, in qua impœnitentes cõgregati sunt, dæmones super capita auditorum saltare, & choream ducere, q̃ tot inuenirent libidini suæ seruientes, & uerbum Euãgelii negligentes. Quid autem hoc spectaculo magis horribile? quid magis stupendum? aut quod tristius spectaculum posset Christo nostro & angelis eius cõtingere? Quisquis igitur es, qui ad auditum Euangelii ueterem impietatem nondũ exuisti, hoc diligẽter age, ut ponas tibi ob oculos fœditatem eius spectaculi, quod impietate tua toti cœlesti exercitui præbes, & concipias timorem Dei, quo etiam cordis ac fidei aures uerbo Domini adhibeas. Deinde omnino parendum est admonitioni Pauli, qui ad Romanos scribens: Tempestiuum, inquit, est nos iam à somno expergisci. Nunc ẽm propius adest nobis salus, q̃ tum, cum credebamus. Nox progressa est, dies autem appropinquat. Abiiciamus igit̃ opera tenebrarum, & induamur arma lucis, tanq̃ in die composite ambulemus, non comessationibus & ebrietatibus, non cubilibus ac lasciuiis, non contentione & æmulatiõe, sed induamini Dominum Iesum Christũ. Et ad Ephesios: Ne post hac, inquit, ambuletis quẽadmodum & reliquæ gentes ambulant in uanitate mentis suæ. Vos autem nõ sic didicistis Christum, siquidem illum audistis, & in eo docti fuistis, quemadmodum est ueritas in Iesu, deponere iuxta priorem cõuersationem ueterem hoiem, qui corrumpitur iuxta concupiscentias erroris, renouari uero spiritu mentis uestræ & induere nouum hoiem, qui iuxta Deum conditus est per iusticiam & sanctitatem ueritatis. Et hæc de primo ordine auditorum Euangelii. Cæterũ, ut aliud ex seminibus cadit supra petram, & enatum exarescit, quòd non habeat humorem, ita secũdus auditorum Euangelii ordo est eorum, qui magno quidem gaudio excipiunt Verbum Euangelii, & uidentur rectam habere fidem, dum res fœliciter & ex animi sententia succedit, sed postq̃ oriuntur persecutiones, aut aliæ calamitates, tunc deficiunt ab Euangelio, & redeunt ad suas impietates. Quid ergo facias? Non existimes satis esse, audire Euangelion, & in rerum fœlicitate credere, sed qui perseuerauerit, inquit, usq; ad finem, hic saluus erit. Quid autem agam ut perseuerem? Confirmãda est fides frequenti auditu Euangelii, piis orationibus, & exercitiis fidei, ut per fidem durissimã humani cordis petram excindamus, adeoq̃ consequamur, quod Dominus per Ezechielem pollicetur: Dabo uobis, inquiẽs, cor nouũ, & spiritum nouum ponam in medio uestri, & auferam cor lapideum de carne uestra, & dabo uobis cor carneum, & faciam ut in præceptis meis ambuletis. Habes secundum ordinem. Nunc producemus etiam tercium. Nam ut aliud ex seminibus cadit inter spinas, & enatum suffocatur à spinis, ita tertius auditorum Euãgelii ordo eorum est, qui & si audiant Euangelion, & consentiant, tamen curis, sollicitudinibus, diuitiis & uoluptatibus huius seculi ita suffocantur, ut nullum ex Euangelio fructũ proferant. Hic ergo obseruabis, quod summi magistratus, amplissima officia, magnæ opes, clari honores, & iucundæ uoluptates, uocentur à Christo spinæ, adeoq̃ longe aliter de his rebus sentit, quàm homines huius seculi. Hi enim iudicant has res molliores & tractabiliores esse serico, ac si quis agit uitam in ordine subditorũ, pauperum, & uulgarium hominum, existimat se multo expeditius uocationẽ Dei

Auditorum Euangelij secundus ordo.

Auditorum Euangelij tertius ordo.

Spinæ quid uocentur à Christo.

sectaturum,& in pietate uersaturum,si ad functionem magistratus, & magnos honores,& opes eueheretur. Et si quis dolore infirmitatis affectus est,putat se lõge melius iusticiæ obsecuturum,si ex dolore liberetur,& ad iucundam uitam transferret. Sed audi quid Christus sentiat. Omnes enim res illas,magistratus,officia,opes,honores, & uoluptates uocat spinas, uidelicet sentiens, q̃ magis sint sarcinæ, onera & impedimenta,quàm adiumenta ad pietatem. Vnde & aliàs dicit: Facilius est camelum per foramen acus trãsire,quàm diuitem in regnum Dei ingredi. Vtrum autem fidedigniorem existimabimus,nostram ne opinionem, an sermonem Christi? Quid dubitas? Omnis homo mendax, Christus autem ipsa ueritas est. Quo ergo illi, qui magistratibus funguñ, qui officia curis plena gerunt, qui magnas opes possident, qui iucundam uitam in hoc seculo ducunt,sese uertent? Num desperẽt acsese ex arboribus suspendãt? Absit. Non abiiciant manus & pedes suos,sed abiiciant spinas,ne his irretiãtur. Hoc ergo inquis,abiiciendos esse màgistratus, officia, diuitias,& tranquillitatem uitæ? Hoc,inquam,est quod uolo,non quidem ut abiicias hæc more monastico,aut Anabaptistico,sed more Christiano. Monachi docuerunt,ad sectandam pietatem omnia extrinsecus relinquenda,& in eremum secedendũ esse. Anabaptistæ sentiũt,nullum pium posse uel magistratu fungi,uel proprias diuitias possidere. At uerus Christianismus lõge aliter docet. Approbat enim & magistratum,& ciuilia officia,& proprietatem rerum, quemadmodum aliàs demonstratũ est. Requirit aũt ut si ista contigerint dono Dei,ita possideas,tanquam non habeas,ac siquidem habueris,bene his utaris, si non habueris, sapienter careas,si amiseris,moderate feras. Diuitiæ, si affluant,inquit Dauid,nolite cor apponere. Et Paulus: His,inquit,qui diuites sunt in p̃senti seculo præcipe,quid? ut extrinsecus diuitias in mare immergant? nõ,sed ne elato sint animo,neq; spem ponant in diuitiis incertis, sed in Deo uiuente, qui præbet nobis omnia affatim ad fruendũ, ut benefaciant,ut diuites sint operibus bonis,ut faciles sint ad impartiendũ, liberter communicantes,recondentes sibi ipsis fundamentum bonum in posterum,ut apprehendant uitam æternam. Et hæc de tercio ordine. Quartus auditorum Euãgelii ordo est eorum,qui & uere credunt, & uerum fructum fidei afferunt. Nam ut inter multa semina,uel aliqua saltem in terram bonam cadunt, & afferũt fructum, aliud centuplum,aliud sexagecuplum,aliud trigecuplum,ita inter multos Euãgelii auditores nonnulli certe sunt,qui excipiunt Euangelion magna fide,& multos etiam fructus fidei ferũt. Cæterum,quod alii Euangelistæ in hac parabola de diuersitate fructuum scribũt,hoc multi ex ueteribus ad uirginitatem,uiduitatem,& matrimonium retulerunt. Aliqui etiam eorum retulerunt, excluso matrimonio, ad martyrium,uirginitatem,& uiduitatem,ut martyrium sit fructus centuplus, uirginitas sexagecuplus,uiduitas,trigecuplus. Acuerum quidem est, si hæc genera uitæ,uirginitas,uiduitas,& matrimorium,inter se conferantur,aliud alio longe præstantius & tranquillius est. Si nupserit uirgo, inquit Sanctus Paulus,non peccauit, attamen afflictionem in carne habituri sunt huiusmodi. Et qui cælebs est, curat ea quæ sunt Domini,quomodo placiturus sit Domino: at qui duxit uxorem,sollicitus est de his,quæ sunt mundi,quomodo placiturus sit uxori, hoc est, qui in cælibatu uiuit, habet uitam tranquilliorem,& cõmodius potest operam dare sacris literis. Qui uero uxorẽ habet,in multas curas distrahit. Attamen si cõferas hæc uitæ genera in cõspectu Dei,quo ad iustificationẽ,nõ alterũ altero uel melius uel diuinius. Nullũ enim uitæ genus,quantũuis excellẽs,iustificat hoiem merito suo corã Deo, sed sola

Spinæ quomodo abijciẽdæ

Auditorum Euãgelij quartus ordo,

Virginitas Viduitas. Matrimoniũ.

sed sola fides iustificat credentem, non propter merita operum, quæ in hoc uelin illo uitæ genere fecit, sed propter Iesum Christum, in quem credit. Nam cum de iustificatione loquimur, id plane de uirginitate, uiduitate & matrimonio sentiendũ est, quod Paulus de circumcisione, præpucio, seruitute, libertate, genere masculino & fœminino scribit: In Christo Iesu, inquiens, non est Iudæus neque Græcus, non est seruus neque liber, non est masculus neque fœmina, sed omnia in omnibus Christus, & omnes unus in Christo. Itaque, quemadmodum fieri solet, ut interdum uirgo pia centesimum fructum ferat in uirginitate sua, cum interim uxor pia uix ferat trigecuplum fructum in matrimonio suo: ita contra etiam fieri solet, ut uxor pia ferat centesimum fructum in matrimonio, quem non ferat pia uirgo in uirginitate sua. Hoc autem discrimen fides facit, quæ tam in matrimonio quàm in uirginitate admirabiles fructus ferre potest. Quare unusquisque operam dare debet, ut ueram fidem in Christum Iesum habeat, & ex ea fide uocationem Dei in suo uitæ genere diligentissime sectetur. Habes expositionem parabolæ de eo qui semẽtem faciebat, in qua Christus summatim significat, quòd sicut non est conferenda culpa in semen, si proiectum iuxta uiam, aut supra petram, aut inter spinas, non proferat fructũ, sed conferenda est in uolucres cœli, in petrã & spinas, ita non est culpandũ Euangelion, si pauci ex ipso resipiscunt, sed homines potius culpandi sunt, qui præ ueteribus suis moribus, aut lapideo corde, aut spinis diuitiarum, Euangelio non obediunt. Idem prorsus significat Christus in ea parabola, quam apud Matthæum recitat, de homine seminante bonum semen in agro suo, sed dormientibus hominibus inimicus seminauit zizania inter triticum. Huc etiam facit parabola de rege, qui fecit nuptias filio suo, & misit seruos suos, ut uocarent inuitatos ad nuptias, sed hi uenire noluerũt: alius enim prætexit uxorẽ, alius uillã, alius boues. Iã & illud Christus in hac parabola de seminatore significat, multos quidẽ uocatos, sed paucos electos esse. In maximo enim auditorum Euangelii numero, quarta tantũ pars seruari dicitur, non connumeratis interim contemptoribus & persecutoribus Euangelii, quorum etiam innumerabilis est turba. Quid igitur? num, quia pauci electi, torpescemus, & studium pietatis abiiciemus? Minime omnium, sed excitemur potius ad consequendam electionis fœlicitatem. Nam, quemadmodũ in certamine cursus aut sagittandi non deterrentur cursores aut sagittarii à certamine, quòd unus tantum & alter accipiunt βραβεῖον, sed maiori potius diligentia & cura uires & artem suam exercent, ita qui sectantur præmium uitæ æternæ, non debẽt à proposito suo auerti, quòd pauci hoc præmium consequantur, sed hoc potius agere debent, ut inter paucos illos recenseantur, & βραβεῖον accipiant. Postremo significat etiam illud Christus in hac parabola, quòd etsi pauci sint electi, Euangelion tamẽ multũ fert fructũ in iis paucis, qui ex Euangelio uere renascunt. Aliud enim semẽ fert fructũ trigecuplũ, aliud sexagecuplũ, aliud centuplũ, hoc est, fides, quæ ex Euãgelio concipitur, fert in unoquoq; credẽte satis copiosum pro sua cuiusque condirione & uocatione fructum. Et quanquàm opera eorum, qui uere in Christum credunt, sint inter se coram humano iudicio dissimilia, tamen quia ex fide in Christum oriuntur, non est inter illa tam abiectum coram hominibus opus, quod non sit cultus Deo gratissimus. Quare absit ut calumniemur Euangelion, quòd non sit nisi impietatum & scelerum caussa, sed capessamus potius Euangelion per fidem, ut firmatis fidei radicibus in corde nostro, fructum proferamus in uitam æternam, per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus laudandus in secula Amen.

Multi uocati sed pauci electi.

Euangelion etiam in paucis fert multum fructũ.

HOMILIA. LXXVII.



Vm Christus parabolam de eo, qui fecit sementem, turbæ auditorum simpliciter & citra expositionem proposuisset, ac rogaretur remotis arbitris à discipulis suis, ut parabolã explicaret, respondit eis: Vobis datum est nosse mysteria regni Dei, cæteris aũt per parabolas, ut uidentes non uideant, & audiẽtes non intelligãt. Quibus uerbis Christus dat rationem, propter quam recitauerit turbæ auditorũ nudã tantum parabolã sine interpretatiõe, uidelicet, ꝙ cum accesserint ad audiẽdas cõciones Christi, nouitatis tantũ studio, alioqui extremi contẽptores & osores Euãgelii, plane indigni sint, qui conciones Euangelii perspicue audiant, & intelligant. Cum igitur exposuerit, cur turbæ hominũ obscure concionetur, exponit nunc etiã rationẽ, propter quã discipulis suis mysteria regni cœlorũ aperiat, & obscuras Euãgelii conciones perspicue interpretet: Nemo, inquiens, lucernã accendens operit eam uase, aut subter lectum ponit, sed supra candelabrum ponit, ut intrantes uideant lumen. Hæc est generalis & prouerbialis sententia, ad uarios usus accommodabilis, ad quam etiam apud Matthæum alia non dissimilis additur: Non potest oppidum abscondi supra montem situm. Itaque Christus usurpat hanc generalem sententiam, & accommodat eam ad suum priuatum propositum in hoc loco, ut per eam explicet, cur discipulis, & nõ turbæ auditoꝝ, parabolas & alias Euangelii obscuritates interpretetur. Discipuli enim Christi, ac præcipue Apostoli, in hoc sunt uocati & ordinati, ut sint tanquam lumen totius orbis terrarum. Vos, inquit, estis lux mundi. Porro autem, lumen non in hoc paratur, ut abscondatur inacensum, sed ut accendatur, & accenditur, non in hunc usum, ut subter modium aut scabellum occultetur, sed ut accensum super candelabrum ponatur, & luceat omnibus qui sunt in domo. Quare cum Apostoli electi sint in lumen orbis terrarum, necesse est ut accendantur, hoc est, ut erudiantur & doceantur, quo & ipsi Euangelion perspicue intelligant, & aliis perspicue tradere queant. Habes rationem, propter quam Christus Euangelion discipulis suis dilucidius ꝙ turbæ auditorum explicuerit. Atq; ex hac ratione uides, quanta sit autoritas Apostolicæ doctrinæ. Etenim Apostoli iussi sunt prædicare Euangelion de Iesu Christo, uidelicet, ꝙ ad consequendam & retinendam remissionem peccatorum ac uitam æternam necessarium sit, primum, agnoscere peccata, deinde credere, ꝙ propter solum Christum habeamus remissionem peccatorum, postremo, uocationi & præceptis Dei ex hac fide obedire. Hæc est summa doctrinæ Apostolicæ, quemadmodum Acta Apostolica, & epistolæ ab Apostolis scriptæ publice testantur. Iam, hæc doctrina cõmendatur hoc loco, quòd sit lux mundi, cui etiam cõsentit illud, quòd Apostoli propter hanc doctrinã aliàs uocentur sal terræ, aliàs dicantur habere claues regni cœlorũ, aliàs nominent fundaméta ecclesiæ. Quare, sicut in regno huius uisibilis mũdi non est alius expectãdus sol, ꝙ is, qui ante quinq; millia annoꝝ illustrauit radiis suis orbẽ terraꝝ, ita in regno Dei, qd est ecclesia Dñi nostri Iesu Christi, nõ est aliud doctrinæ lumen expectandũ, ꝙ illud, quod iam per Apostolos in totũ orbẽ terratũ sparsum est. Quod lumen, etsi nonnunq; obscuratur nebulis humanaꝝ nugaꝝ, quemadmodũ sophistis & monachis in ecclesia regnantibus accidit, tñ ut nullæ sunt tãtæ nebulæ, quæ externũ illũ & uisibilẽ solẽ omnino extinguere possunt, ita nulla est tãta uel

Apostolis suis Christus aperuit mysteria regni cœlorum.

Apostolicæ doctrinæ autoritas.

hypocriseos

hypocrisecos uel crudelitatis potentia, quæ doctrinam Euangelii prorsus opprimere queat. Hæc enim est petra illa, super quam ædificata est ecclesia, & aduersus quam nec portæ infierorum ualebunt. Cæterũ, hæc generalis sententia: Nemo lucernam accendens operit eam uase, non tantum ad hoc negociũ, de quo Christus in præsentia agit, sed etiam ad multos alios, tam ecclesiasticos quàm ciuiles, usus accõmodari potest, uidelicet, si quis Christianos ad bona opera & exempla exhortari uelit, hac sententia commode utetur. Sunt enim Christiani tanq̃ luminaria in mundo, quemadmodum Paulus ait, quæ luminaria in baptismo accenduntur, & subinde lumine Euangelii magis ac magis inflammantur. Sed ut lucerna non accenditur, ut subter modium ponatur, sed supra candelabrum, ita Christiani non baptizantur, nec eruduntẽ Euangelio, ut audiant tantũ Euangelion, sed ut intelligant, resipiscant, & bonis operibus in toto terrarũ orbe, ubicunq; habita uerint, luceant, ut homines uideant ipsorũ bona opera, & glorificent patrem, qui est in cœlis. Aut si quis admonere uelit ignauos in sua uocatione, ut capessant diligentiam, hac sententia apte utetur. Qui enim uocantẽ ad publica officia, sunt tanquam lucernæ accensæ. Non accenditur autem lucerna, ut subter modiũ condatur, sed ut super candelabrum ponatur, & luceat omnibus, qui in domo sunt. Sic & qui ad publica officia uocati sunt, non uocati sunt ad ocium, torporem & ignauiam, sed ad sollicitudines & negocia, ut uigilent, quo aliis dormire liceat, & laborent, quo alijs ociari liceat. Quod enim fumus est oculis, inquit Salomon, & acetum dentibus, hoc est piger his qui miserunt eum in uia. Vides, quàm late pateat hæc generalis sententia, qua Christus hoc loco rationem exponit, propter quam discipulis suis cõciones Euangelii dilucidius quàm turbæ auditorum explicet. Sed affert etiam alã huius rei rationem, & ait: Nihil est enim occultum, quod non manifestetur, nec absc̃ditũ, quod non cognoscatur, & in apertum ueniat. Est & hæc generalis sententia, sed à Christo aptissime ad suum negocium usurpata. Nam Euangelion est mysteriũ, æternis quidem temporibus tacitum, quemadmodum Paulus ait, attamen in hoc diuinitus ordinatum, ut suo tempore manifestetur, & in totum terrarum orbem spargatur. Quicquid autem, quantumuis occultum & absconditum, ad reuelationem ordinatum est, necesse habet, uelint nolint omnes portæ inferi, manifestati, in apertum uenire, & cognosci. Quare necessarium est, ut & Euangelion manifestetur. Non potest autem manifestari, nisi hi, qui ad prædicandũ Euangelion uocati sunt, Euangelion perspicue intelligant, alioqui cæcus cæcũ ducit, & ambo in foueã cadunt. Necesse igitur fuit, ut Christus Apostolis suis, ad prædicandum Euangelion ordinatis, genuinam & germanam Euangelii sententiam dilucide explicaret. Vnde huc etiam facit quod Christus apud Matthæum capite decimo ait: Nihil est tectum, quod non sit retegendum, & nihil occultum, quin futurum sit, ut iciatur. Quod dico uobis in tenebris, dicite in luce, & quod in aurem auditis, prædicate in tectis. Hic iterum uides autoritatem Apostolicæ doctrinæ commendari. Sunt enim, qui non contenti Euangelio ab Apostolis prædicato, & hoc tempore in lucem reuocato, expectant clariorẽ quandã doctrinam fututã, & dicunt, se nolle huius Euãgelii terminis cõcludi, ne spiritui sancto, subinde maiora reuelãti, cursum suũ, quantum in ipsis est, impediãt. Sed hi nesciũt, quid dicãt, & spiritu potius uertigimis, quã spiritu sancto aguntur. Tametsi enim fieri potest, ut obscura loca sacræ scripturæ subinde magis perspicue explicent & intelligantur, tamen fieri non potest, ut aliud clarius & uerius Euãgelion orbi reueleť, quã hoc, quod Apostoli prædicarũt, & hoc

Philip. 2.

Christiani cur baptizentur.

Publicorum officiorũ administratio.

Euangelion oportet manifestari.

Apostolicæ doctrinæ cõmendatio.

tempore diuina clementia in lucem reuocatũ est, uidelicet, quòd habeamus remissionem peccatorum & propicium patrẽ in cœlis, non propter merita nostræ iustitiæ, sed propter Iesum Christũ filium Dei, per fidem. Hoc est Euangelion illud, quo nihil clarius, nihil manifestius in orbe prædicari potest. De hoc Euangelio Paulus dicit: Si nos aut angelus è cœlo prædicauerit uobis Euangelion, præter id, quod prædicauimus uobis, anathema sit. Et ne quis existimet hæc uerba Paulo temere excidisse, repetit ea: Quemadmodũ, inquiens, antea diximus, & nunc iterum dico: Si quis uobis prædicauerit Euangelion, præter id quod accepistis, anathema sit. Proinde, tuto te cõmittere potes ei Euangelio, quod Apostoli prædicarunt, & hoc tempore reuelatum est, nec est quod timeas, ne aliud clarius aut uerius Euangelion ali quando post futurum sit, nisi quod in nouissimo die reipsa manifestabunt ea, quæ nunc uerbo tantũ prædicantur, & fide cõprehenduntur. Sed hæc generalis sententia: Nihil est occultũ, quod non manifestetur, potest etiam aliàs ad alios usus accõmodari, uidelicet, ut admoneamus peccatores ad resipiscentiam, qui propter occulta ipsorum peccata sperant se impunes euasuros. Nam peccatũ, quantumuis occultũ, ad hoc tamen ordinatũ est, ut reueletur. Dicit enim Dominus ad Cain: Nõne si bene egeris erit oblatio? Sin autem male, peccatũ quiescet donec manifestetur. Nihil autem ad reuelationem ordinatum manebit absconditum, etiamsi ab oculis omnium hominum remotum sit. Quare qui occulte peccat, non ideo euadet, quia peccatum occultum est, sed tanto manifestius reuelabitur peccatum & punietur, quanto diutius occulte perpetratur. Sola resipiscentia in Christo Iesu peccatum ita tegit, ut iudicium Dei euadat. Non igitur in occulto peccato perseuerandum, sed resipiscendum est, ut seruetis. Aut si quempiam afflictũ ad patientiam exhortari uoluerit, commode poteris hac sententia uti. Nam ut in rebus naturalibus dies post noctem, æstas post hyemem, serenitas post tempestatẽ ordinata sunt, ita in piis ordinauit & promisit Dñs post afflictionem, liberationem, post calamitates, salutem, & post crucem, resurrectionem. Nihil autem est occultum, quod non reuelet. Quare, ut maxime absconditа sit salus in afflictione & calamitate, fieri tamen nõ potest, quin opportuno suo tempore manifestetur. Vides quàm late etiam hæc sententia pateat, quam tamen Christus hoc loco ad suum tantum negocium, de quo in præsentia agit, accõmodat. Postquam autem Christus exposuit rationes, propter quas obscuritatem Euangelii discipulis suis explicet, addit exhortationem, qua monet discipulos, ut arrectis auribus, & attentis animis conciones Euangelii excipiant. Et ait: Videte ergo, quomodo audiatis. Non hic luditur, sed seria res agitur. Si enim uultis consulere uocationi & officio, imo & saluti uestræ, necesse habebitis cõciones Euangelii diligentissime & attentissimis animis audire. Et huic exhortationi addit Christus προ ἀπολογίᾳ iterum generalem sententiam, dicens: Qui enim habet dabit illi. Et quicunq; non habet, etiá quod putat se habere, auferet ab illo. Est & hæc generalis sententia, & uulgo iactata, quam nos sic efferimus: Ditioribus datur, pauperioribus aufertur. Christus igitur accipit eam mutuo à uulgi sermone, & accõmodat eam ad suum propositum. Admonet enim discipulos suos, ut nihil prius habeant, quàm ad Euangelion suum serio affici, & diligenter ipsum audire. Ex diligenti enim auditu maximam consequentur utilitatem. Nam quemadmodum uulgo dicitur, quisquis habet, dabitur ei, quisquis autem non habet, etiam id quod putat se habere, auferetur ab ipso, ita & uobis discipulis in hoc negocio accidet. Si habueritis animos ad Euangelion attentos, & si multam diligentiam adhibueritis ad Euangelion serio audiendũ, dabitur etiã uobis Euangelii intelligentia, & dabitur

Peccatũ quantumuis occultum reuelabitur.

Afflictionem salus comitatur.

Vtilitas ex diligenti auditu Euangelij.

& dabitur uobis spiritus sanctus, qui ducet uos in omnem ueritatem. Si autem non habueritis attentos animos, nec serio afficiamini ad Euangelion, certe id etiam à uobis auferetur, quod iam uos habere putatis. Neq; enim dabitur uobis spiritus sanctus, ut Euangelion intelligatis, neque relinquetur uobis ministerium uestrum, neque alia, si quæ naturalia dona, ut sunt eloquentia & prudentia, habetis, uobis ad salutem uestram proderunt, & si quid hactenus ex Euangelio percepistis, hoc etiam à uobis auferetur. Habes, in quem usum Christus hoc uulgatum dictum usurpet. Sed usus eius aliàs latissime tam in rebus ecclesiasticis quàm ciuilibus patet. Ve luti, si quem ad capessendam fidem hortemur, ut ex ea bona opera faciat, commode possumus hoc uulgari dicto uti. Si uis bona opera facere, cura prius, ut rectam habeas fidem in Christo Iesu Domino nostro. Qui enim habet, nimirum fidem, huic etiã dabitur, quid dabitur? spiritus sanctus, ut uirtute eius bona opera facere, & Deo obedire possit. Qui autem non habet, uidelicet, fidem, hic etiamsi habeat bona opera iuxta externam speciem, & uideatur habere iusticiam, in iudicio tamen Dei ad salutem nullus reputatur. Aut si quem in periculoso ministerio uersantem, legitime tamen uocatum, consolari & ad constantiam hortari uolueris, haud inepte hac generali sententia uti licebit. Confide, uir esto fortis. Non derelinquet te Deus, etiamsi uerseris in officio grauiori, quàm ut ferre queas, & obiiciaris periculis maioribus, quàm ut sustinere possis. Quisquis enim habet, uidelicet, legitimam & diuinam uocationem, huic etiam dabitur, quid dabitur? uirtus cœlestis, qua possit & officium suum pro dignitate administrare, & in omnibus periculis seruari. Vide mihi Mosen, qui cum uocaretur ad ducatum Israelis, deprecatur eum dicens: Obsecro Domine, non sum eloquens ab heri & nudius tercius, & ex quo locutus es ad seruũ tuũ, impeditioris & tardioris linguæ sum, sed audit uicissim: Quis fecit os hominis, aut quis fabricatus est mutum & surdum, uidentem & cæcum? nonne ego? Perge igitur, & ero in ore tuo, doceboq; te quid loquaris. Salomon quoq;, cum ad regnũ uocatus esset, conqueritur se insipientiorem esse, quàm ut possit tantum regnum administrare, sed quia habebat legitimam uocationem, & postulabat à Deo sapientiam, ad regnum suum prudenter administrandum, tanta ipsi sapientia diuinitus data est, ut inter miracula orbis commemoretur. Ad Apostolos quoque rudiores quidem, quàm ut potuerint suis uiribus Apostolatui satisfacere, legitime tamen uocatos, dicitur: Cum tradiderint uos, ne sitis solliciti, quomodo aut quid loquamini. Dabitur enim uobis in illa hora, quid loquamini. Non enim uos estis illi loquẽtes, sed spiritus patris uestri, qui loquitur in uobis. Quicunque autem non habet legitimam uocationem, hoc est, qui magistratum, aut aliam quandam functionem, temere, illegitime, & non uocatus inuadit, is etiamsi habeat uirtutem prudentiæ, & fortitudinis, nullam tamen utilitatem ex ipsis capiet, sed potius ipse in prudentia & fortitudine sua capietur. Exempla sunt, Korah, de quo in Numeris capite decimo sexto, & Abimelech, de quo in Iudicum capite nono, quorum ille, uir alioqui honestus, sacerdotium illegitime inuadebat, hic autem, uir alioqui fortis, regnum Israelitarum sine legitima uocatione occupabat, sed uterque ita perierunt, ut etiam id quod habuerunt ablatum sit ab ipsis. Aut si quem ad diligentem administrationem suæ uocationis admonere libet, ut subinde plura & maiora dona consequatur, licebit hanc sententiam ob oculos ponere. Si altiorem dignitatis gradũ ascendere cupis, non potes id cõsequi ambitione, aut impiis cõsiliis,

Vocationi legitimæ datur uirtus cœlestis ad satisfaciendum officio suo.

Dignitas illustrior consequitur diligentem administrationem uocationis cuiusque.

sed diligenti & pia administratiõe præsentis tuæ uocationis. Orna spartam tuam, quam nactus es, & Athenis quoq; potieris. Qui enim habet, nimirum, diligentiam in administranda sua uocatiõe, dabitur ei, hoc est, uocabitur ad maiora & illustriora officia. Hic mihi uide Iosephum, qui ex seruo in principem Aegypti uocatus est, & Dauidem, qui ex pastore rex Israelis creatus est. Hi enim in humilibus suis uocationibus maximam præstabant diligentiam, unde & ad digniora ministeria uocati sunt. Euge, inquit Christus, serue bone & fidelis, super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam. Qui autem non habet, hoc est, qui est cessator, & officii sui negligentior, is usq; adeo non consequet maiora & illustriora officia, ut etiã ea quæ iã habet, amittat. In huncusum Christus etiã hanc sententiã usurpat apud Matthæũ capite uicesimo quinto. Cum enim is, qui unũ tantũ talentũ acceperat, abscondisset talentũ suũ in terra, audit: Tollite ab eo talentũ, & date ei, qui habet decẽ talenta. Omni enim habenti dabitur, & abundabit. Qui uero non habet, etiam id quod habet auferetur ab eo, & inutilem seruum eiicite in tenebras exteriores, illic erit fletus & stridor dentium. Quare, si desideramus uel spiritũ sanctũ, ad intelligenda mysteria Euãgelii, uel bona opera ad obediendum præceptis Dei, uel uirtutem administrandæ uocationis nostræ, uel illustriorem quandam dignitatem, hoc unum nobis agendum est, ut habeamus attentum ad Euangelion animum, rectam fidem, legitimam uocationem, & diligentiam administrandæ uocationis. Sic enim uoti nostri compotes nos faciet Dominus noster Iesus Christus, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus laudandus in secula Amen.

HOMILIA. LXXVIII.



Docuit Christus, quanta sit autoritas Apostolorũ, quòd ordinati sint in lucem mundi, ut per ipsos mysteria regni Dei toti orbi reuelentur. Nunc autem docet, quanta sit excellentia discipulorum Euangelii, quòd auditu Euangelii & obedientia fiant cognati & fratres sui, ut eandem etiam hæreditatem in cœlestibus cõsequantur. Venerunt, inquit Euangelista, ad Iesum mater & fratres eius (hoc est, cognati eius. Hi enim, iuxta consuetudinem scripturæ, fratres dicuntur) & non poterãt adire eum præ turba, & nunciatum est illi, dictumq; Mater tua & fratres tui stant foris, uolentes te uidere. Hæc historia non tam hoc nomine obseruanda est, quòd doceat nos, qua ratione possimus cognati, fratres & cohæredes Christi fieri, quàm illo, quòd erudiat nos, quid recte de corporali matre Domini nostri Iesu Christi sentire debeamus. Nam ut in aliis rebus, ita & in negocio, quod de beata Maria uirgine tractatur, modus difficillime seruari potest. Aut nimis ad dextram, aut nimis ad siniſtram peccatur. Alii Mariam in tantam maiestatem extollunt, ut æquent ipsam Domino nostro Iesu Christo. Docent ipsam ab omni prorsus peccato immunem fuisse, ac matrem esse gratiæ & misericordiæ, atq; mediatricem inter Deum & homines, hoc est, eam maiestatem, quæ soli Iesu Christo, uero Deo & uero homini, competit, transferunt in Mariam, matrem quidem Christi, non tamen deam, sed hominem tantum. Alii de beata Maria turpissime loquuntur, & cum de seipsa cantet: Respexit humilitatem ancillæ suæ, uocant eam contempto uocabulo, famuiãgraminariam. Sed utrinque peccatur. In sacram igitur scripturam intuendum est, ut ex ea discamus, quid de uirgine Maria iuxta ueram fidei rationem sentiendum sit, Ac uirgo

Quid de Maria uirgine sentiendũ sit.

sit. A c uirgo Maria, mater Christi, in suo quidem genere, omni commendatiõe digna est, iuxta illud, quod angelus ait: Aue gracia plena Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus: sed magna diligentia cauendum est, ne eam maiestatem, quæ ad solum Iesum Christum pertinet, matri eius tribuamus. Quod ut caueamus, multũ proderit, si excutiamus, quale illud sit quod Euangelista narrat, matrem & cognatos Iesu euocasse ipsum ad se. Primum enim, alii Euangelistæ haud obscure indicant, Christum, cum euocaretur, in magna turba auditorum cõcionatum esse, de hoc præcipue argumento, quod diceretur eiicere dæmonia, præsidio Beelzebub principis dæmoniorum. Sic enim ait Matthæus: Cum adhuc loqueretur turbis, ecce mater & fratres eius stabant foris, quærentes ei loqui. Christus quoq; ipse responso suo declarat, se tunc, cum euocaretur, cõcionabundum fuisse. Mater mea, inquiens protensa manu, & fratres hi sunt, qui sermonem Dei audiunt, & faciunt illum. Est autem uehementer inhonestum & inciuile, publice in magna hominum turba concionantem, & in graui argumento uersantem, priuatorum negociorum caussa interpellare. Non possumus igitur de matre & cognatis Iesu hoc loco aliud sentire, quàm q importuna sua euocatione leges publicæ honestatis uiolauerint. Deinde, etsi candidus quispiam auditor possit hoc factum matris & cognatorum Iesu interpretari, quo euocauerint Iesum magis rudi quadã simplicitate, quàm malicia, multa tamen argumenta indicant, & ecclesiastici quidam magni nominis scriptores testificantur, matrem & cognatos euocasse Iesum arrogantia quadam & elatione animi. Nam cum Christus diuina sua doctrina, & stupendis miraculis magnam sibi autoritatem, & nominis sui glorium apud populum parasset, interim autẽ mater & cognati eius nihil honoratiores tractarentur, existimant hoc fortasis ob hãc caussam fieri, quòd homines ignorarent ipsos esse cognatos Iesu. Accedũt igitur ad Iesum, in maxima turba concionantẽ, & cum præ turba non poterant eum adire, mittunt nũcium, qui palàm ipsi indicaret, matrem & fratres eius cupere ipsum alloqui, uidelicet, non quòd quicquam necessarii negocii haberent, quod ageret, sed ut hac occasione manifestaretur turbæ, se esse matrem & cognatos tanti uiri, ac ab omnibus digito monstrarentur: En hi sunt, è quorum familia tam diuinus propheta prodiit. Haud dissimili ambitione sentiunt quidam, matrem Iesu etiam in nuptiis, quæ celebratæ fuerũt in Cana Galilææ, postulasse, ut Iesus miraculo quodam maiestatẽ suam declararet, nimirum ut claritudine filii ipsa quoq; clarior haberetur. Certe cognati Iesu hunc ambitionis affectum nequaquam dissimulant, ut est apud Ioannem, capite septimo: Transi hinc, inquiunt, & uade in Iudæam, ut & discipuli tui uideant opera tua, quæ facis. Nemo quippe in occulto facit aliquid, & quærit ipse palàm esse. Si hæc facis, declara teipsum mundo, hoc est, si tantus uir es quantum te uulgo prædicant, cur non declaras maiestatem tuam in Hierusalem metropoli nostra, & urbe omnium clarissima, ut tamtu, quàm nos cognati tui nobiliores apud omnes redderemur? Ambitio autem peccatum est aduersus secundum præceptum decalogi, & si recte interpreteris, ambitio blasphemia est in nomẽ Domini Dei nostri, quippe quòd id sibi suæq; uirtuti usurpare solet, quod soli diuino nomini & clementiæ tribuendum est. Mater igitur & cognati Iesu ambitiõe sua tam grauiter peccant, ut etiam palàm per Christum pudefiant. Nam cum nunciaretur ipsi, matrem & cognatos ipsius foris stare, quærentes ei loqui, respondens dixit ad eos: Mater mea & fratres mei hi sunt, qui uerbũ Dei audiunt, & faciunt.

Marie & cognatorũ Iesu arrogantia.

Hoc apud Matthæum ita scribitur: At ille respondens dixit ei, qui sibi renunciauerat: Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? Et protensa manu sua in discipu

los ſuos, dixit: Ecce mater mea & fratres mei. Quisquis enim fecerit uolũtatem patris mei, qui eſt in cœlis, ipſe meus frater & ſoror & mater eſt. His uerbis Chriſtus nõ negat, ſe corporalem matrem & cognatos iuxta carnem in terris habere. Manifeſtum enim eſt, Chriſtum natum eſſe ex Maria uirgine, ſed docet excellẽtiam ueræ fidei, ac obedientiæ, quæ adhibetur uerbo Euangelii. Nam honeſtiſsimum quidẽ donum Dei eſt, corporalem Chriſti matrem aut cognatum eſſe, ſed non eſt tanti momenti, ut coram Deo iuſtificet, & ſalutem adferat. Si enim iuſtificaret, quid ſan non omnes Iſraelitæ iuſtificati, & ſalui facti fuiſſent? Omnes enim Iſraelitæ, ab Abraã deſcendentes, ſunt cognati Chriſti ſecundũ carnẽ, ſed maxima horũ pars abiecti ſunt. Paulus dicit: Non omnes, qui ſunt ex Iſrael, ſunt Iſrael, neq; quia ſunt ſemẽ Abraæ, ſtatim omnes filii. Et Ioannes ait: Ne ſitis hac mente, ut dicatis intra uosip ſos, patrem habemus Abraam. Dico enim uobis, q̃ poſsit Deus facere, ut ex lapidibus his filii ſurgant ipſi Abraæ. Adhæc, ſi corporalis cognatio Chriſti iuſtificaret, nullus ex gentibus iuſtificaretur, nec ſalutem conſequeretur. Gentes enim incircũciſæ non ſunt cognatæ Chriſti ſecundũ carnem. Manifeſtum autem eſt, gentes incircumciſas iuſtificari & ſaluari. Non eſt igitur exiſtimandum, q̃ iuſtificatio & ſalus pendeant è corporali cognatione, quæ habetur cum Chriſto ſecũdum carnẽ. Apud Matthæum nec qui dicunt, Dñe, Domine, nec qui per nomen Dei prophetauerunt, nec qui per nomen Dei dæmonia eiecerunt, nec qui per nomen Dei multas uirtutes præſtiterunt, intrant in regnum cœlorum, ſed ſi nihil aliud pietatis habent, audiunt potius: Non noui uos, diſcedite à me qui operamini iniquitatẽ. Quomodo igitur fieri poſſet, ut hi, qui ſunt cognati Chriſti ſecundum carnem, propter corporale ſuũ donũ iuſtificarentẽ & ſaluarentẽ? Apud Lucã, nõ tolerat Chriſtus, q̃ Apoſtoli glorientẽ de poteſtate tradita ipſis ſuper Satanã: In hoc, inquiẽs, nolite gaudere, q̃ ſpiritus uobis ſubiiciuntur, ſed gaudete, q̃ nomina ueſtra ſcripta ſunt in cœlis, & toleraret, q̃ cognati ipſius gloriarentur in iudicio Dei de carnali cognatione quam habuerunt cum ipſo? In Ieremia dicit Dñs: Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, & non glotietur fortis in fortitudine ſua, & non glorietur diues in diuitiis ſuis, quanto magis hoc etiã ſentit Deus, ut non glorieẽ cognatus in carnali cognatione ſua? Quid eſt igiẽ illud, qd̃ iuſtificet, quod ſaluet, & in quo pie gloriari liceat? De hac te audiamus principio Dominum apud Ieremiam ita dicentem: In hoc glorieẽ, qui glorieẽ, ſcire & noſſe me, quia ego ſum Dñs, qui facio miſericordiã & iudiciũ, & iuſticiã in terra. Deinde audi & Chriſtum, in Matthæo ita cõcionantẽ: Non quis quis dicit Domine Domine, introibit in regnum cœlorum, ſed qui fecerit uoluntatẽ patris mei, qui in cœlis eſt. Et apud Lucam, cum mulier exclamaret: Beatus uenter qui te portauit, & ubera, quæ ſuxiſti, reſpondit: Quinimo, beati qui audiunt uerbum Dei, & faciunt illud. Paulus quoque ad Corinthios ſcribens: Circumciſio inquit, nihil eſt, & præpucium nihil eſt, ſed obſeruatio mandatorum Dei. Quid autem opus eſt alia ſcripturæ loca in præſenti perſtringere, cum in hoc loco, quem nunc tractamus, Chriſtus diſerte & perſpicue explicet, quid ſit illud, quo uere cognati ipſius, ac per hoc Deo grati reddamur. Ait enim: Mater mea & fratres mei hi ſunt, qui ſermonem Dei audiunt, & faciũt illum, ſeu, ut alius Euangeliſta habet: Quiſquis fecerit uoluntatem patris mei qui eſt in cœlis, ipſe meus frater & ſoror & mater eſt. Quæ eſt ergo uoluntas Dei? & quis uoluntatem Dei habitantis in luce inacceſsibili perſcrutati poteſt? Non neceſſe habes dicere, quis noſtrũ ualet in cœlum conſcendere, ut petſcrutetur uoluntatem Dei? ſed perſcrutare tantum uerbũ Dei, quod

Chriſti matrẽ aut cognatum eſſe.

Iuſtificatio uera in quibus rebus conſiſtat.

Dei, quod nobis reuelatum & ob oculos positum est, in eo cognosces omnem Dei uoluntatē erga te. Hoc autem uerbum Dei primum proponit legem, ad ostendenda nobis peccata nostra. Voluntas igitur Dei est, ut agnoscamus peccata nostra. *Voluntas Dei*
Deinde proponit Euangelion, ad ostendendum Christum, ꝙ propter ipsum solum habeamus remissionem peccatorum per fidem. Volūtas igitur Dei est, ut credamus in Christum, & per Christum salutem habeamus. Hæc est, inquit Christus apud Ioannem, uoluntas eius, qui misit me, ut omnis, qui uidet filium & credit in eum habeat uitam æternā, & ego suscitabo eum in nouissimo die. Postremo uerbū Dei exigit fructus fidei, ut quemadmodum Christus excitatus ex mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate uitæ ambulemus. Voluntas igitur Dei est, mandatis Dei obedire, & bona opera ex fide facere. Habes nunc ueram rationem, qua in tantam cognationem cum Christo coalescere potes, ut Dominus Deus noster nō alio loco te reputet q̄ Iesum Christum. Agnoscit autem Christum, filium suum, Quare si credis in Christum, agnoscit & te filium suum. Ordinauit Christū in hæredem omnium cœlestium suorum bonorum. Si ergo credis in Christum (hæc est enim uoluntas Dei) ordinat & te in hæredem eorum bonorū. Ttibuit Christo suo regnū cœli & terræ. Si ergo credis in Christum, tribuit etiam tibi maiestatem & fœlicitatem regni cœli & terræ. Benedixit, inquit Paulus, nos omni benedictione spirituali in cœlestibus Christo. Et iterum: Conuiuificauit nos unà cum Christo, simulq̄ cum eo resuscitauit, & simul cum eo sedere fecit inter cœlestes, in Christo Iesu. Agite ergo amicissimi, non amittamus tantam dignitatem ignauia nostra, sed conseruemus eam gratitudine (siquidem & hæc est uoluntas Dei) ut quod nunc fide accepimus, reipsa potiamur. Cæterum ꝙ Christus matrem & cognatos responso suo magis pudefacit, q̄ honorat, haud obscure significat, eos qui ambicioso affectu famam & gloriam nominis in nobilitate generis sui quærunt, confusionem, ignominiam & turpitudinem manere. Non parum quidem donum Dei est, ex honesto genere esse, sed non potest Deus ferre, ut quis hoc dono confidat, glorietur, & alios præ se fastidiat. Et cum abominetur gloriationem omnium uulgarium familiarum, tum minime tolerare potest, ut quis externam & humanam gloriam in carnali cognatione Iesu Christi Domini nostri quærat. Christus enim uenit in hunc mūdum, non ut in maiestate dominetur, sed ut in humilitate Euangelion regni sui orbi patefaciat. Regnum meum, inquit, non est de hoc mundo. Et ad Apostolos ait: Principes gentium dominantur ipsis, uos autem nō sic. Ergo ne, inquies, si quis laborat infamia, & opprimitur uiolentia, non audebit Christum inuocare, & *Gloriam & potentiam licet in Christo quærere.*
in Christo gloriam & potentiam quærere? Imo maxime omnium inuocare debet Christum. Aliud enim est ambitio, aliud fides. Non licet quidem ex affectu ambitionis in Christo carnalem gloriam & corporale regnum quærere. Nam qui hæc quærunt, audient, quod filii Zebedæi audierunt: nescitis quid petatis. Ex affectu autem fidei non solum licet, sed etiam necesse est Christum inuocare in afflictiōibus, siue corporalibus siue spiritualibus, ut propter ipsum salutem consequamur. Hoc enim non est in Christo humanam, sed diuinam adeoq̄ ueram & propriam Messiæ gloriam & potentiam quærere. Sed iterum dices: Si ad istum modum habet cau sa Christianorum cum Christo, ꝙ non debeant in Christo quærere externā & humanam gloriam aut potentiam, ergo ne iniustum est, si cuipiam Christiano cōtingat uel honor uel regnum ac principatus huius seculi? Minime omniū. Christus *Christianorū conditio.*
Dominus est, & potest cui libet uel corporales uel spirituales dignitates, non tantū in futuro, uerumetiam in hoc præsenti seculo donare. Solēne quidem est, ut Chri

stianí,exẽplo Christi sui,in hoc seculo inglorii habeanť,& multis afflictionibus oppriman̄.Dicit eñ Christus:Ecce ego mitto uos sicut oues in medio luporũ.Quæ autem ouis posset multam securitatem sibi in medio luporum polliceri? Et iterum: Non est discipulus supra præceptorem, neq; seruus supra Dominum suum. Si ipsum patremfamilias uocauerũt Beelzebub, quanto magis domesticos illius. Ac rursus:In mundo habebitis afflictionem: præter hanc tamen generalem & solennem Christianorum sortem,Christus aliquos etiam huius seculi honoribus & maiestatibus donat,ut declaret,se adhuc uiuere & regnare,ac suos defendere.Nam quemadmodum publica & generalis impiorum sors est, ut in hoc mundo uitam ducant fœliciſsimam.Non est respectus,inquit psalmus, morti eorum, nec firmamentum in plaga eorum.In labore hominum non sunt, & cum hominibus nõ flagellantur.Et Ieremias: Via,inquit, impiorum prosperatur, bene est omnibus qui præuaricantur & inique agunt.Plantasti eos & radicem miserunt,proficiunt & faciunt fructum: nihilominus tamen nonnulli impii afficiuntur in hoc seculo publicis & priuatis calamitatibus,alii pereunt gladio,alii incendio,alii laqueo, alii alius supplicíorum generibus, uidelicet hoc agente Domino Deo nostro, ut in tanta rerũ confusione uel saltem paruo argumento declaret,iudicium impiorũ non dormitare,etiamsi aliquandiu fœliciſsime uiuant: ita etiam publica & generalis piorũ sors est,ut in hoc seculo uitam ducant infœliciſsimam.Si de mũdo essetis,inquit Christus,mundus quod suum est diligeret.Quia uero de mundo non estis, sed ego selegi uos de mundo, propterea odit uos mundus, nonnullis tamen piis contingunt elementia Dei maximæ huius seculi fœlicitates,nimirum declarante Domino his exemplis,pios adhuc sibi curæ esse, ac præparasse ipsis certiſsimam fœlicitatem etiam si multo tempore in hoc seculo miserrime affligãtur.Discamus igitur in Christo Iesu,non affectare corporalem & mundanam maiestatem,sed ferre afflictiones, interim tamen inuocemus ipsum ex fide in omnibus afflictionibus, & si contingat nobis aliqua huius seculi fœlicitas, non elato simus animo,sed gratias agamus,& in uocatione Dei ambulemus,ut finem fidei nostræ,salutem uidelicet animarum, reportemus,per Iesum Christum Dominum nostrum,qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus laudandus in secula Amen.

Impiorũ sors

HOMILIA LXXIX.

VIta stupenda miracula audiuimus,quæ Christus in terris æ
,, didit,audiamus nunc miraculum,quod in stagno aquarũ ædi
,, dit: Factum est enim in una dierũ,& ipse ascendit in nauí
,, culam,& discipuli eius.Et ait ad illos: Trãsfretemus trans sta
,, gnũ.Et soluerunt.Nauigantibus aũt illis obdormiuit.Et des
,, cẽdit procella uenti in stagnũ,& complebanť, & periclitabã
,, tur.Accedentes aũt suscitauerunt eum,dicentes:Præceptor, præceptor,perimus,
,, At ille surgens,increpauit uentum & tempestatem aquæ,& cessauerunt, & facta est
,, tranquillitas.Dixit aũt illis: Vbi est fides uestra?Qui timentes mirari sunt ad inuicẽ
,, dicentes:Quis putas hic est? quia uentis & mari imperat,& obediunt ei. Miraculũ,quod in hac pericopa de sedata tempestate commemoratur,etsi paucissimis describitur,plurimum tamen obseruandũ est.Primum enim,Christus hoc miraculo reuelat maiestatem omnipotentiæ suæ, quam habet super omnes creaturas in cœlo & in terra.Nam, quod ad externam eius faciẽ attinet, uenit in hunc mundũ humilis ac modũ,nihil nec humanæ nec diuinæ maiestatis præseferens, & tamen quia erat

quia erat uerus Messias, ac omnipotens omnipotentis Dei filius, necesse fuit, ut maiestas omnipotentiæ eius orbi reuelaretur, quo homines ad credendum in ipsum, & salutem per ipsum consequẽdam inuitarent. Reuelauit igitur Christus seipsum, tum doctrina Euangelii sui, tum miraculis, quibus doctrinam suam cõfirmauit. Et cum omnia miracula huc præcipue respiciant, q̃ sint testimonia maiestatis Christi, hoc tamen miraculum, quo compescuit Christus uentos & tempestatẽ maris, quod etiam multis præsentibus spectatoribus & testibus ædidit, (dicit enim Marcus alias quoq; nauiculas unà cum Christo stagnum traiecisse) maiestatem potentiæ eius maxime confirmat. Nam si mare & uenti, quibus nemo minus q̃ homines dominantur, uerbo Iesu obediunt, quis non iudicaret, ipsum esse uerum & naturalem Deum, creatorem cœli & terræ? Obediuit & mare rubrum baculo Mosi. Obediuit aquæ Iordanis uestigiis sacerdotum, quemadmodum in Iosua scriptum est, & pallio Eliæ, ut est in quarto libro Regum. Obediuit etiam sol ipse in firmamento uoci Iosuæ, & stetit in medio cœli, nec festinauit occumbere spacio unius diei, sed hi omnes ingenue confessi sunt, se hæc miracula nõ sua propria, sed aliena uirtute, nimirum uirtute Domini Dei nostri ædidisse. Christum autem compescuisse uentos & mare, non aduenticia, sed sua ipsius propria uirtute, testantur resurrectio eius à morte, ascẽsus in cœlum, & missio spiritus sancti in discipulos, qui & ipsi in nomine Christi miracula fecerunt. Quare manifestum est, q̃ hoc miraculum declaret, Iesum nõ solum esse uerum Messiam, sed etiam uerum esse Deum, creatorem cœli & terræ, & maris, & omnium quæ in eis sunt. Deinde hoc etiam miraculo reuelat Christus clementiam uoluntatis suæ erga eos, qui in uocatione diuina periclitantur. Atq; hoc nõ minus in Christo obseruandũ est, q̃ illud, quod modo de maiestate omnipotentiæ eius recensuimus. Quid enim prodesset nobis potentia Christi absq; clemẽtia? Nisi enim esset unà cum omnipotentia etiã clemens, ac misericors, opprimeremur potius, ut se habent res nostræ, potentia eius, q̃ adiuuaremur. Quare cum Christus succurrit discipulis suis, nonnihil quidem incredulis, ualde tamen periclitantibus, declarat se non solum omnipotentem Deum, sed etiam clementem auxiliatorem in necessitatibus. Atq; adeo in hac nauigatione ponitur nobis ob oculos perspicuũ rerum humanarum exemplar. Etenim, quemadmodũ discipuli aliàs sæpenumero hoc stagnum, ut sine Christo, ita etiam sine ullo periculo traiecerant, nunc aũt cum secum uehant Christum, tantus procellarum tumultus oritur, ut animum suũ despondeant, ac de uita desperent: ita fieri solet, ut qui in hoc seculo nondum in Christum credit, & uocationi diuinæ nondum obsequitur, fœliciss imã uitam sine ullo externo rerum suarum discrimine uiuat, cum uero recipit ad se in nauim suam Christum, hoc est, cum incipit in Christum credere, & diuinæ uocationi obsequi, mox oriũtur omnia genera afflictionũ. Exemplũ est Abraam, qui cum adhuc apud patres suos operam daret idololatriæ, magna huius seculi fœlicitate abũdabat, patria dulcissimisq; amicis fruebatur, at dum, contempta idololatria, uerum Deum colere inciperet, eiicit è patria, priuatur hæreditate paterna & amicis, ac necesse habet in exilium proficisci, & incertis sedibus uagari. Mose, dum in regia aula Pharaonis gentilicio more uiueret, tractabat ut filius regis, & hæres regni, sed postea q̃ de relicta aula contulerat se ad suos Hebræos, ac ueram religionem sectabatur, nõ solum regio honore destituitur, sed etiam è regione Aegyptiaca, tanq̃ homicida, eiicitur, & ex hærede regis necesse habet fieri pastor bouium. Israelitæ in Aegypto idola colentes & ritu gentiũ uiuentes, etsi grauiter affligebantur, satis tamen habebãt, quod ederent ac biberent, sed cum uocationẽ Dei in desertũ sequerent, facti sunt

Miraculorũ finis.

Maiestas potentiæ Christi

Clementia uoluntatis Christi erga periclitantes in uocatiõe diuina

Rerum humanarum exemplar.

omnium rerum indigi,& interdum nec aquam habebãt,quam biberent, ita ut ad Aegyptum respicerent,& allia ac cepas Aegyptiacas spirarẽt. Et in Ieremia palàm fatentur,se fœlicius in impietate,q̃ pietate uixisse. Dicunt enim ad Ieremiam: Sermonem quem locutus es ad nos in nomine Domini non audiemus ex te,sed faciẽtes faciemus omne uerbum,quod egredietur de ore nostro,ut sacrificemus reginæ cœli,& libemus ei libamina,sicut fecimus nos & patres nostri,reges nostri,& principes nostri in urbibus Iuda,& in plateis Hierusalem,& saturati sumus panibus,& bene nobis erat,malumq̃ non uidimus. Ex eo autem tempore quo cessauimus sacrificare reginæ cœli,& libare ei libamina,indiguimus omnibus,& gladio & fame consumpti sumus. Habes & huius rei exemplum in Paulo,qui cum adhuc persequeretur ecclesiam,multis honoribus fruebatur,postq̃ autem conuersus ad Christum prædicaret Euangeliõ,nullis nõ afflictionibus obiiciebatur. Vnde ad Timotheum suum scribens: Omnes,inquit,qui uolunt pie uiuere in Christo Iesu,persecutionẽ patientur. Quid igitur faciendum? num ideo non sectabimur Christum,q̃ hi,qui non sequuntur ipsum fœliciter uiuũt? num ideo eiiciemus Christum è naui nostra ac negabimus ipsum,q̃ præsente ipso tantis procellis obruimur? Absit. Nisi eñ sectemur ipsum,non sumus discipuli eius,& si eiicimus atq̃ abnegamus eũ,nostrã ipsorum salutem eiicimus & abnegamus. Proinde,si ueræ salutis cupidi sumus ne cesse habemus Christum sequi,& ipsum nobiscum in naui retinere. Est autem Christus sequendus & retinendus,non iuxta ingeniũ carnis,sed iuxta ingenium fidei. Caro enim sectatur Christum,& amplectitur Christianismum ob hanc causſam,ut in hoc seculo fœliciter uiuat,& externis uoluptatibus fruatur,adeoq̃ libere agat,quicqd libet. Aut hoc non & Christũ,sed suum Epicureismũ sectari. Fides aũt sectat Christũ,nõ ut nullas patiat afflictiones in hoc seculo,sed potius,ut eas,quas homo Christianus ex conditione sua necesse habet ferre,patienter ferre discat & possit. Nam cum homo sit cõceptus & natus in peccatis,necesse est etiam ipsum ad peccatorum stipendia,quæ sunt,afflictiones,calamitates,cruces & mortes,natum esse. Et cum hæc sit omnium hominũ sors,præcipue tamen Christianorum est,quibus Satan immissis calamitatibus maxime omnium insidiatur,hoc uidelicet cõsilio,ut per calamitates Christum ab ipsis auferat. Quare Christianismus non in hoc standus est,ut afflictionum in hoc seculo expers sis,& iucundam,quantum ad carnem attinet,uitam ducas,sed potius,ut consequaris remissionem peccatorum in Christo per fidem,ac perferas quidem in fide calamitates huius seculi,effugias aũt futuras & æternas afflictiones. Deinde,ut exoriente magna uenti procella,& fluctibus in nauim irruentibus,Christus interim suauiter in puppi nauis super ceruical,quemadmodum Marcus ait,obdormiscit,ita cum in hoc seculo bonis male & malis bene sit,uidẽtur omnia temere ferri,Domino Deo nostro interim in cœlo suo ociante,aut cum angelis ludente,adeoq̃ uoluptatem quãdam ex malis nostris capiente. Num ergo,his ita se habere apparentibus,sentiemus ipsa reuera sese ita habere? Minime omnium. Hæc eñ est sententia Epicureorum,qui iuxta prophetam dicunt: Ex ore altissimi non egredientur nec bona nec mala. Nos aũt credimus & confitemur,Dominum Deum nostrum esse creatorem cœli & terræ,non q̃ post creationem ab operibus suis discesserit,sed q̃ adhuc omnia,quæ creauit,gubernet,administret,ac conseruet. Per ipsum,inquit Paulus,uiuimus,mouemur & sumus. Et Christus: Nonne duo,inquit,passerculi minuto asse ueneũt? & unus ex illis nõ cadet in terrã sine patre uestro. Vestri uero etiã pili capitis omnes numerati sunt. Proinde,etiãsi multa in hoc seculo temere uideant accidere,non tñ sentiendum est,

Christus non negandus & reiiciendus sed sequendus & retinendus.

Christianismus quare sit.

Deus non est otiosus.

dum est, Dñm Deum nostrũ dormitare, ac res humanas negligere. Adhæc, uides in hoc loco periclitantiũ discipulorũ, nõ dico fidẽ, sed incredulitatẽ, nõ orationẽ ad Christũ, sed importunitatẽ & somni exprobrationẽ. Dicunt enim: Præceptor, præceptor, perimus, uel, ut alius habet Euangelista: Præceptor, nõ est tibi curæ, q̃ perimus? Periclitamur fortassis propter te, nunq̃ enim antea tanta maris discrimina te absente sustinuimus, cur igit̃ tu interim rerũ oim incurius suauiter dormis? quin surgis & adiuuas nos? Promisisti nobis uitã æternã, ecce nunc nec corporis nobis uitã tueris. Si maiora largiris, cur in minoribus tam negligens es? Dixisti patrẽ etiã capillos capitis nostri numerasse, & nos maxima cura ab ipso defendi, ubi ergo manet ille pater tuus, ut & nos & te cõseruet? Ad eundẽ modũ etiã nostra cõscientia in grauioribus afflictionibus aduersus Deum tumultuat̃. Nunc enim exprobramus Deo tuã ignauiã, nunc obiicimus ei suas ipsius promissiones, idq̃ non ex fide, sed ex mera incredulitate: Multa uerbis promittis, sed reipsa nihil præstas. Iactas te potentẽ & clementẽ Dñm, sed interim quis te negligẽtior? Hæc & id genus aliæ sunt incredulorum cogitatiões. Ac si eas probe excusseris, quid aliud sunt, q̃ horribiles blasphemiæ aduersus Deũ? Fieri quidẽ solet, ut & ipsa fides in grauioribus calamitatibus instet & urgeat, ut est apud Dauidẽ: Vsq̃ quo Dñe obliuiscêris mei in finẽ? usq̃quo auertis faciẽ tuã à me? Et iterũ: Exurge, quare obdormis Dñe? exurge & ne repellas in finẽ? Quare faciẽ tuã auertis, obliuiscêris inopiæ nostræ & tribulationis nostræ? Ac Christus in cruce ait: Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti? sed hæc orationis uehemẽtia Deo grata est, quippe quæ ex fide proficiscat̃. Incredulitas aũt nõ orat, sed tumultuat̃, non petit auxiliũ, sed indignat̃ & cõsilia Dei execrat̃. Quid ergo ad hæc dicendũ? Existimamus nostra incredulitate Deũ esse reprehensibilẽ, q̃ aut sinat nos in pericula uenire, aut nõ statim seruet nos in periculis, sed si rẽ probe cõsideremus, Deus iustissimus & innocẽtissimus est, nos aũt illi sumus, qui propter nostrã incredulitatẽ, execrationes & blasphemias, non solũ grauissimã reprehensionẽ, uetumetiã seueriss̃ima supplicia meremur. Discipuli audiũt: Quid timidi estis adeo? qui fit, ut non habeatis fiduciam? quid ergo nos audiremus, discipulis in calamitatibus multo infideliores & importuniores? Num ideo derelinquimur à Deo, quia procellæ oriuntur? quasi uero non & procellas creet Deus. Num derelinquimur à Deo, q̃ derelinquunt nos diuitiæ, sanitas, & fama nominis? Hæc quidem dona Dei sunt, sed non sunt ipse Deus, quare etiamsi ea discedunt, nondum tamen discedit Deus. Num derelinquimur à Deo, quia morimur? absit. Est & Deus mortis Dominus. Breuiter, persuasum habeamus cum Paulo, quòd neque mors, neque uita, neque angeli, neque principatus, neq̃ potestates, neque instantia, neque futura, neque altitudo, neque profunditas, neque ulla creatura alia poterit nos separare ab ea dilectione, qua Deus nos in Christo Iesu Domino nostro complectitur. Quare ortis calamitatibus non est aduersus Deum tumultuandum, sed in fide precandum, ut eam dilectionem, quam erga nos etiam in afflictionibus nostris habet, opportuno suo tempore nobis reipsa manifestet. Postremo, CHRISTVS excitatus increpauit uentum, ut Marcus ait, & dixit mari: Tace, obmutesce. Et conquieuit uentus, & facta est tranquillitas magna. Hoc stupẽdo miraculo Christus significauit, adeoq̃ certissimo signaculo cõprobauit, se respicere suos periclitantes, nec posse tantum, sed uelle etiã ipsis in periculis succurrere, & conseruare, atq̃ adeo hoc miraculum confirmat epitheton Christi, quo uocatur, auxiliator in necessitatibus. Reliquũ igit̃ est, ut in periculis cõprehensi confirmemus fidem nostrã hoc miraculo, & inuocemus Christum. Sic enim continget nobis, quod propheta ait: Omnis, qui inuocauerit

Cõscientiæ affectæ tumultuatio aduersus Deum.

Fidei instantia in grauioribus calamitatibus.

Deus non relinquit nos.

Christus auxiliator in necessitatibus.

nomen eius, saluus erit. Cæterũ, Christus non solũ confirmat hoc loco autoritatẽ & ueritatẽ epitheti sui, quo dicitur, auxiliator in necessitatibus, sed etiam ostendit nobis suo exemplo formã, qua possimus per ipsius spiritũ & uirtutẽ motus & tempestates conscientiæ nostræ cõpescere ac sedare. Christus uerbo suo sedauit tumultũ maris. Oportet igitur & nos uerbo Dei tempestatẽ conscientiæ nostræ tranquillã reddere. Quod ut melius intelligamus, uno & altero exẽplo declarandũ est. Si quis diuitias huius seculi possidet, nauigat in mari ualde periculoso, & si baptizatus est, & credit in Christũ, habet in naui sua secũ Christũ præsentẽ. Quicunq; enim, inquit Paulus, baptizati estis, Christũ induistis, sed interim, nauigãte illo in mari diuitiarũ, Christus obdormiscere & conniuere interdum solet, donec orto uehementissimo aduersæ fortunæ uento, maxima diuitiarũ pars diffiniatur, ut qui paulo ante ditissimus fuerat, nunc pauperrimus uiuat. Ex hoc uento oriuntur deinceps ingẽtes procellæ in conscientia, de cura uictus, de sollicitudine pro liberis & familia, oritur & ipsa salutis desperatio, quæ est procella longe omniũ truculentissima. Hinc exurgũt blasphemiæ in Deum, & postea imposturæ in negociationibus, peiuria in extrudendis mercibus, interim & furta, aut latrocinia. Vides maximã tempestatẽ. Quid igit faciendũ, ut hanc cõpescas? Habes Christũ præsentẽ, sed tamẽ dormientẽ. Quid ergo faciendũ? num excitãdus est? excitãdus quidẽ est, non tamẽ tumultu incredulitatis, quemadmodum hi, qui in naui erant, excitant ipsum, & increpantur, sed excitandus est fide ac piis precibus, & faciendum est, quod ipse fecit. Increpauit tẽpestatem uerbo, & fugit tempestas. Capessamus & nos uerbum Domini in fide, uidelicet: Qui custodit ueritatem in seculum, facit iudicium iniuriam patientibus, dat escam esurientibus. Item: Nouit pater uester cœlestis, q̃ opus habeatis his omnibus. Et: Vertite oculos ad uolatilia cœli, quia non serunt, neq; metunt, neq; congregant in horrea, & pater uester cœlestis alit illa. Nonne uos longe præcellitis illas? Hæc & id genus alia uerba Domini obiiciamus in fide procellis conscientiæ nostræ. Tunc enim reipsa sentiemus, tempestatem continuo mitescere. Est alius, qui, cum in hoc seculo sanam uitam ducat, in tranquillo mari nauigat, & quia agnoscit Christum per fidem, habet etiam secum Christum in nauigio suo, sed Christus obdormiscit, & sinit irruere grauissimam morborum tempestatem, & ipsam mortis procellam. Hic tum oriuntur in conscientia pauores, trepidationes, & desperationes. Quo ergo respiciendum? certe non aliò quàm ad Christum, qui excitandus est fideli oratione, & ad exemplum Christi occurrendum est tantæ tempestati uerbo Domini, uidelicet: Ero mors tua o mors, morsus tuus inferne. Et: Ego sum resurrectio, inquit Christus, & uita. Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, uiuet, & omnis qui uiuit & credit in me, non morietur in æternum. Si his, aut id genus aliis promissionibus Dei occurrens terroribus mortis ac inferni, fieri non potest, quin agnoscant maiestatem DOMINI Dei sui, & aliò sese propipiant. Et enim, quemadmodum Mose diuisit mare rubrum uirga, ut Israelitæ sicco pede transierint, & misit lignum in amaras aquas Marath, ut uersæ sint in dulcedinem: ita si uirga Dei, quæ est uerbum eius, percutiamus aquas afflictionis in conscientia nostra, & mittamus lignũ uitæ, quod est Christus, in amaritudinẽ tribulationũ nostrarũ, nõ solũ patebit nobis tutũ effugiũ p mediũ afflictionũ, uerumetiã ipsæ afflictiões nobis dulcescẽt, & adiumẽto erũt ad fœlicitatẽ. Eiecerũt quondã nautæ Ionã in tẽpestatẽ maris, & cõtinuo stetit mare à feruore suo, eiiciamus & nos nostræ Ionã, Iesum Christum, in tẽpestates afflictionũ nostrarũ. Eiiciamus aũt eũ, nõ per incredulitatẽ, quod impiũ

Conscientiæ nostræ tempestas uerbo Dei sedãda.

Christus eiiciendus in tempestates afflictionum.

impii faciũt, sed per fidẽ, hoc est, credamus Christũ expiasse peccata nostra, & recõciliasse nos cũ patre cœlesti. Sic enim cõsequemur nõ solũ tranquillitatẽ in calamitatibus huius seculi, sed etiã perpetuã fœlicitatẽ in futuro seculo, per Iesum Christũ Dñm nostrũ, qui est unà cũ Patre & Spiritu sancto Deus laudãdus in seecula Amen.

HOMILIA. LXXX.



Ngens miraculũ est q̃ uenti & aquæ imperio Christi obedierint, & hoc magis mirandũ, quo illa maiori insania atq; tẽpestate in mari fremuerint. Sed quod sequit̃ longe mirabilius est. Christus enim non iam uẽtis aut procellis aquæ imperat, ut sedent̃, sed grauissima autoritate cogit, nõ dico unũ dæmonẽ, sed totã dæmonũ legionẽ, adeoq; multa Satanarum millia, ut necesse habeãt ex hoie discedere. Vnũ Satanã uincere, superat oẽs humanas uires, at Satanæ legionẽ uincere, quãtas, obsecro, uires exigit? Audiamus igitur hoc miraculũ, quod sequit̃, ut & dæmonẽ assiduũ & capitalẽ nostræ inimicũ, & Iesum Christũ defensorẽ & seruatorẽ nostrum probe agnoscamus: Et nauigauerũt, inquit, ad regionẽ Gaderenoꝝ (uel ut Matthæus habet Gersenoꝝ) quæ est cõtra Galilæã. Et cum egressus esset ad terrã, occurrit illi uir quidã è ciuitate, qui habebat dæmoniũ iam tẽporibus multis, & uestimẽto non induebat̃, neq; in domo manebat, sed in monumẽtis. Is ut uidit Iesum, procidit ante illum, & exclamans uoce magna dixit: Quid mihi tecũ est Iesu fili Dei altissimi? obsecro te ne me torqueas. Præcipiebat enim spiritui immũdo, ut exiret ab hoie. Multis enim tẽporibus arripuerat illũ, & uinciebatur catenis, & cõpendibus custodiebatur, & ruptis uinculis agebat̃ à dæmonio in deserta. Interrogauit aũt illũ Iesus dicens: Quod tibi nomẽ est? at ille dixit: Legio, quia intrauerũt dæmonia multa in eũ. Et rogauerunt illũ, ne imperaret illis, ut in abyssum irẽt. Erat aũt ibi grex porcoꝝ multorũ pascentiũ in monte. Et rogabãt eum, ut permitteret eis in illos ingredi. Et permisit illis. Exierũt ergo dæmonia ab hoie, & intrauerũt in porcos. Et impetu abiit grex p̃ præceps in stagnũ, & suffocatus est. Hæc historia diligẽtissime nobis obseruãda & perstringẽda est. Primũ enim discemus ex ea naturã & ingeniũ aduersarii nostri Satanæ. Est aũt nobis ualde necessariũ, ut Satanã probe cognitũ habeamus, ne, si carnali securitate ipsum tanq̃ delyꝝ & imbellẽ hostẽ conténamus, extremã nobis internitionẽ infcrat. Si Turca totis uiribus suis obsideret urbẽ, quis secure in urbe uiueret? quis nõ operã daret, ut ingeniũ & consiliũ Turcæ exploratissima haberet, quo posset ipsi in tẽpore occurrere, & sibi saluté parare? at Satan oibus Turcis potẽtior est, & obsidet non externos urbis muros, sed unumquẽuis hominẽ, sine intermissione, & ambulat tanq̃ leo rugiens, quærens quẽ deuoret tam corpore q̃ anima. Quare, ne securitas nostra, qua solemus iactare, Satanam non esse tam crudelẽ, q̃ pingitur, nos in omnia mala coniiciat, natura & ingeniũ Satanæ diligenter cognoscenda sunt. Deinde, discemus etiam ex hac historia naturã & ingeniũ Iesu Christi defensoris & seruatoris nostri, ut quantũ in cognitiõe Satanæ exterremur, tantũ in cognitiõe Christi cõsolationis accipiamus, & uerã saluté cõsequamur. Dicemus igit̃ prius de Satana, quẽ ita demũ, quantũ ad hoc nostræ argumentũ satis est, explicabimus, si nõ solũ potestatẽ, uerumetiã uoluntatẽ eius excutiamus. Ac pictores quidem affingũt Satanæ coloribus suis horribiles formas, sed nullus pictor ingeniosus potest adumbrare Satanam, q̃ uel ipse Satan seipsum, uel spiritus sanctus in scriptura, cui Satan longe omniũ cognitissimus est. Primũ igit̃ uide mihi, quomodo Satan ipse depingat nobis ob oculos crudelẽ potẽtiã suã, in hoc dæmoniaco, de quo

Satanæ potentia,

nunc nobis sermo est. Impellit enim Satan hunc hominem, ut plane hominem exuat, & ingenium bestiæ assumat. Non induitur uestimentis, non habitat in domibus, sed in monumentis inter ossa mortuorum, non potest coerceri, nec catenis, nec compedibus, sed ruptis omnibus uinculis agitur à dæmonio in deserta. Adhæc concidit seipsum lapidibus, ac intantum sæuit (quemadmodum Matthæus ait, qui non unius tantum, sicut Marcus & Lucas, sed duorum dæmoniacorum meminit) ut nemo possit per uiam illam transire. Quid? Si Satan non esset præditus maxima potentia, qui posset hominem ad tantam insaniam & crudelitatem adigere? Sed adumbrat etiam potentiam & uires suas in his, quæ operatione sua acciderũt Iobi. Concitat gentem Sabæorum & Chaldæorum, ut regionem Iobis depopulentur, & seruos eius ttucident, deiicit ignem è cœlo, ut absumantur omnes oues Iobis, excitat uehementissimum uentum, quo concutit angulos domus, in qua liberi Iobi conuiuabantur, & opprimit eos. Postremo percutit etiam Iobem ulcere pessimo à planta pedis usq; ad uerticem eius. An non hæc sunt clarissima argumenta maximarum uirium Satanæ? A tq; his quidem, aliisq; similibus rebus gestis, depingit nobis ob oculos Satan ipse suas uires, & maximam suam potentiam. Audiamus autẽ nunc, quomodo eam quoq; adumbret spiritus sanctus. In Petro ait: Aduersarius uester diabolus tanq̃ leo rugiens obambulat, quærens quẽ deuoret. Leo, inquit scriptura, fortissimus bestiarum, ad nullius pauebit occursum. Et: Leo rugiet, quis non timebit? Si ergo Satan obambulat tanq̃ leo rugiens, quid illo fortius ac crudelius? Christus uocat Satanam, principem mundi. Et in Paulo dicitur Satan princeps, cui potestas est aëris. Dicitur & Deus huius seculi. Et ad Ephesios, Satanæ exercitus his epithetis explicatur, principatus, potestates, domini mundi, rectores tenebrarũ seculi huius, & spirituales astutiæ in cœlestibus. Quibus omnibus epithetis quid aliud significatur, q̃ summa Satanæ potẽtia in hoc seculo? Habet em̃ tãtas uires, ut possit uno momẽto, non tantũ maria cõcitare, grandines & fulmina ex aëre demittere, totã terram seditionibus turbare, uerumetiã cœlũ terræ miscere, adeoq; superat potentia oẽs corporales creaturas, etiamsi ad unũ omnes uires suas conferant.

Satanæ mala uoluntas.

Habes potentiam Satanæ. Perscrutemur nunc etiã uoluntatẽ eius. Quàm potẽs igitur Satan est, tam maleuolus etiã est, neq; in Satana quicq̃ aliud est, q̃ uoluntas & libido mentiendi, decipiẽdi, nocendi, ac omnia perturbãdi & perdendi. A tq; adeo, si quis talẽ imaginẽ pingere posset, quæ nihil aliud esset, q̃ potentissima uoluntas nocendi & perdendi omnia, ueram Satanæ imaginẽ exprimeret. Nam Satanã eiusmodi uoluntatẽ habere, declarat ipse in libro Geneseos ca. iii: Nequaq̃, inquit, moriemini, sed aperient̃ oculi uestri, & eritis sicut dii, scientes bonũ & malũ. Hac uoce primũ mentit̃, & peruertit uerba Dei, deinde seducit hominẽ ad perpetuũ interitum. Et hæc est Satanæ libido. In Iobe præsto adest Satan inter filios Dei, & calumniatur Iobem corã Deo, ut perdat ipsum. In tercio libro Regũ cap. xxii. stat Satan corã Domino, & ait: Egrediar & ero spiritus mẽdax in ore omnium prophetarum Ahab. In Zacharia stat Satan à dextris magni sacerdotis, ut aduersaretur, ne quid prosperi accideret urbi Hierusalẽ. In Euãgelista Luca expetit, ut cribret Apostolos. In Petro, obambulat tanq̃ leo rugiẽs, quid facturus? quæsiturus quẽ deuoret. Iam & Christus ipse uocat Satanã, mendacem & homicidã. Cum (inquit) mendacium loquitur, ex propriis loquit̃. Quibus uerbis perspicue indicat, in Satana nõ esse aliam uoluntatẽ q̃ mentiẽdi & perdendi. Sed quid opus est multa aliunde testimonia petere, quando in hac historia, quã nunc tractamus, Satan uoluntatẽ suã manifestissime prodat. Primũ. n. uide quo dæmoniacũ agat. Impellit ipsum, ut nudus incedat, ut in monu-

ut in monumẽtis habitet,ut catenas & uincula rumpat,& ad deserta aufugiat, ut se ipsum lapidibus cõcidat,quibus rebus quid aliud significat,q̃ se hoc unũ uelle,optare,& conari, ut hominẽ perdat? Deinde,cum præceptũ esset ipsi,ut ab homine discederet,uide ut tergiuersetur,ac sese in omnes formas uertat,ne cogatur à perdẽdo homine cessare. Nunc exclamat,nunc procidit ante Iesum ,nũc Iesum reiicit. Quid rei, inquiens, mihi tecũ? nunc rursus cõfitetur: Iesu fili Dei altissimi, nunc supplex precatur,imo adiurat Iesum,ne,quod sibi maximũ tormentum est, ex homine eiiciatur: Obsecro te,inquiens,uel ut Marcus habet,adiuro te per Deũ,ne me torqueas, nunc rogat ne extra regionẽ in abyssum abiiciat,ubi nõ sit ipsi integrũ homines cruciare & perdere. Hæc certe omnia manifesta sunt argumẽta, quibus Satan declarat,sibi nihil aliud cordi & uoluptati esse,q̃ malefacere & perdere. Adhæc, cũ interrogaretur à Christo,quod ipsi nomen esset,respondit: Legio mihi nomen est, quia multi sumus. Quo responso iterũ significat,hoc unũ se conari,ut q̃ plurimũ noceat. *Legio.* Legio enim militare uocabulũ est,& constitit apud Romanos proprie ex sex millibus peditũ,& septingentis triginta equitibus. Cum igitur Satan uocet sese legionem,perspicue indicat,sese eo animo præditũ,ut etsi unus Satanæ angelus potentior sit omnibus corporalibus creaturis,tamen quo maius damnũ homini inferat, nõ unum tantũ angelũ, sed totam legionẽ angelorum suorũ in hominẽ immittat, & ut militaris exercitus in terra hostili omnia cõculcat, proterit & deuastat, ita cũ Satan se legionẽ uocat,significat se hoc unũ cupere,curare,& conari,ut omnia proterant & deuastent,atq; adeo ut cœlũ terræ misceat. Vnde aliàs Christus de Satana ita concionat: Si spiritus immũdus reperit domũ uacantẽ,& scopis purgatam atq; ornatã,tũc abit & adiungit sibi septẽ spiritus sceleratiores se,& ingressus inhabitat illic,& fiunt postrema hois illius peiora primis. Septenarius numerus significat perfectã & cõpletam multitudinẽ. Dicit ergo spiritus immũdus septẽ spiritus sceleratiores assumere,ut declaret,in Satana tantã esse libidinẽ nocendi & perdẽdi,ut collectis totis suis uiribus,ac tota sua fortitudine ad nocendũ & perdendũ ferat. Postremo,ut omnino declaretur,totam Satanæ uoluntatem,quanta quanta ea sit,ad perdendum propensam esse,rogauerunt dæmonia Iesum,ut quia cogantur hominem suum derelinquere, permittat saltem ipsis in gregem porcorum ingredi. Et cum hoc permissum esset,continuo grex ille porcorum , qui in proximo monte pascebatur , impetu abiit per præceps in stagnum , & suffocati sunt in mari porci ferme bis mille,quemadmodum Marcus ait. Tanta est Satanæ libido nocendi, ut si non datur homines affligere , saltem bestias affligat. Quanquàm autem non uideatur semper mentiri,sed etiam ueritatem dicere,ut hoc loco clamat: Iesu fili Dei altissimi. Et aliàs: Noui te quis sis,nimirum ille sanctus Dei. Et in Actis Apostolorum,de Paulo & Barnaba clamat : Isti homines serui Dei excelsissimi sunt, qui adnunciãt nobis uiã salutis. Quæ certe omnia uerissima sunt. Nec semper uideat perdere , sed etiã in periculis seruare & liberare,ut sæpenumero liberat hoies è morbis per incãtatrices,quæ sunt organa Satanæ, tamẽ quia non est nisi spiritus mẽdax & homicida, manifestissimũ est,ꝙ ueritate non nisi ad decipiendũ ,& liberatiõe nõ nisi ad perdẽdum abutat. Quare,sicut Iesus Christus non agnoscit confessionẽ ueritatis eius,sed potius increpat ipsum, & ait : Obmutesce & exi ab homine, & Paulus ægrefert clamorem Satanæ,qua uociferabatur: Isti homines serui Dei excelsissimi sunt , & adnunciat nobis uiã salutis, ac cõuersus præcipit ei , ut exeat à puella : ita cũ lex iubeat nos in unũ Deũ credere,& nec phytones nec diuinos cõsulere,magna seueritate

Satan interdum ueritatẽ dicit & liberat in periculis.

præcipitur nobis, ne ullum apud Satanam auxilium quæramus. Cæterũ, hæc omnia de potentia & uoluntate Satanæ commemorauimus, ut excitemur ad cognoscendum, qualem & quantum habeamus hostem, ceruicibus nostris sine intermissione imminentem, & ut excutiatur nobis ignauia nostra, qua tãta carnis securitate ui tam ducimus, perinde ac si Satan dormiret aut plane extinctus esset. Dices ergo: Si Satan tam magna potentia, & tam maligna uolũtate præditus est, ut quæ mala possit, eadem & uelit, & quæ uelit, eadem etiam possit, quis potest ipsi resistere, & præualere? aut qui fit, quod non omnia simul perdat, & cœlum terræ misceat? Certe, nisi Satan maiori quadam potentia cohiberet, omnia uno momento turbaret & inter se confunderet. Ac dum Satan in rerum natura est, non mutat malignitatem uoluntatis suæ. Christus enim dicit: Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur. Potentiam autem eius, potentia Domini Dei nostri cohibet, atq; intra certos limites continet. Etsi enim Satan superet potentia sua omnes corporales creaturas, nõ tamen est omnipotens. Solus Dominus Deus noster omnipotens est, & superat potentia sua omnes Satanæ uires, ac tanta afficitur clementia erga creaturas suas, præsertim autem erga homines, ut non solum ordinauerit legiones bonorum angelorum aduersus angelos Satanæ, sed etiam sine intermissione ceruicibus Satanæ ita incumbat, ut Satan ne tantillum quidem uel possit uel audeat, nisi quantum ipsi à Domino permittatur. In Iobe circuit terram & perambulat eam, ac uellet quidẽ, & quantum attinet ad humanam protectionem, posset etiam Iobem omnino perdere, sed cohibetur diuinitus, id quod ipse coram Deo confitetur dicens: Nonne tu uallasti eum ac domum eius, uniuersamq; eius substantiam per circuitum? Deinde, cum permitteret Deus Satanæ, ut pro libidine sua graſſaretur in substantiam Iobis, ponit ei certum terminum, intra quem consistere debeat, dicẽs: Ecce, uniuersa quæ habet in manu tua sunt, tantummodo in ipsum ne extendas manũ tuam. Ac mox quidem graſſatur in substantiam Iobis crudelissime, opprimens non seruos tantũ, sed etiã liberos ipsius, & maxime omniũ optaret in ipsum etiam graſſari, sed cohibebatur hoc uerbo: Tantummodo in ipsum ne extendas manum tuam. Postea, cũ etiam potestatem acciperet inuadendi ipsum, etsi percutiat eum ulcere pessimo à planta pedis usq; ad uerticẽ, mallet tamen ipsum quoq; uita priuare, q̃ corpore tantum affligere, sed audit à Domino: Veruntamen animam eius serua. Vides, Satanam cogi intra eos limites consistere, quos ipsi præscribit Dominus Deus noster. In Luca expetiuit Satan, ut cribret Apostolos sicut triticum. Et cum impetrasset, optauit quidem & conatus est omnes Apostolos ad laqueum adigere, quemadmodum adegit Iudam proditorem, sed erat ei certus terminus constitutus, intra quẽ necesse habuit consistere. Dicit enim Christus ad Petrum: Ego rogaui pro te, ne deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus cõfirma fratres tuos. In hoc etiam dæmoniaco, quem nunc tractamus, manifestum fit, Satanæ certos terminos à Domino constitui. Acceperat enim Satan potestatem inuadendi hunc hominem, & perturbandi rationem eius, ut insaniret. Cum ergo adigat hunc hominem ad nuditatem corporis, ad monumenta, ad deserta, & ut seipsum lapidibus concidat, quid est, q̃ non adigat etiam ipsum ad suspendendum se laqueo, aut suffocandum in aquis? Certe Satan hoc ipsum non minus in homine, q̃ in grege porcorum exoptauit, ac perfecisset etiam, nisi constitutus fuisset ipsi terminus, quem non potuit transgredi. Atq; ex hac ratione licebit etiam de conditione dæmoniacorũ, quantum ad salutem ipsorum attinet, iudicare. Hi enim non ideo perpetuæ damnationi addicendi sunt, q̃ Satan turbauerit humanam ipsorum rationem, & redegerit eos ad insaniã.

Dei potentia cohibet potẽtiã Satanæ.

Dæmoniacorum conditio in causa salutis.

Etsi enim

Etsi enim fieri posit, ut multi horum, quos Satan ratione insanos reddit, perpetua internicione pereant (huc enim uoluntas Satanæ tantummodo spectat, ut non insanos solum, sed etiam sanos in exicium trahat) hoc tamen non contingit ipsis, ꝙ à Satana priuati sint ratione, sed ꝙ prius q̃ priuarentur ratione fuerint impii, & in impietate moriantur. Nam hi, qui habuerunt ueram fidem (per quam solum propter Christum iustificamur) prius q̃ facti sunt dæmoniaci, etiamsi morbo insaniæ moriantur, non est tamen de salute ipsorum desperandum. Potestas enim Satanæ concluditur certis quibusdam limitibus à Domino Deo nostro, quemadmodum exemplis scripturæ ostendimus. Quare etsi Satan accipiat à Domino potestatem ad turbandam rationem hominis, non tamen consequitur, ut propter hoc accipiat etiam potestatem turbandæ & auferendæ fidei hominis. In Iobe accipit potestatem grassandi in substantiam & corpus eius, coercetur tamen ne sæuiat in uitam eius, quomodo igitur non posset coerceri, ne sæuiat in fidem & ueram salutē horum, in quorum humanam rationem sæuiendi potestatem accepit? Num auferetur fides, quia humana ratio & intellectus auferetur? Minime omniū: Fides enī speciale & supernaturale donum Dei est, per spiritum sanctum, ratio autem humana ineſt nobis dono quidem Dei, (omnia enim à Deo creantur) sed tamen per naturalem generationem. Quare fieri potest, ut ablata ratiõe naturali, maneat donū fidei supernaturale. In Luca capite decimo tertio producitur mulier, quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem & octo, eratque contracta, nec omnino poterat erigere caput. Hanc mulierem uocat Christus filiam Abraæ, & dicit eam alligatā esse à Satana. Si ergo in hac infirmitate mortua fuisset, quis tam inclementer pronunciasset, ipsam propter corporalem infirmitatem perpetuo damnatam esse? & uocat tamen Christus infirmitatem eius, uinculum Satanæ. Quare, sicut infirmitas corporalis à Satana immissa non damnat hominem, ita nec insania rationis à Satana turbatæ damnat hominem. Solent quidem dæmoniaci interdum blasphemas uoces in Dominū Deum nostrum proiicere, sed quod Paulus dicit de eo, quod agit, non tamen probat: Si, inquiens, quod non uolo, hoc facio, nō iam ego perpetro illud, sed inhabitans in me peccatum, ita de insano dæmoniaco, qui ante insaniam, ueram fidem habuit, dici potest, quod etsi horribiles blasphemias in Deum loquatur, tamē quia fides eius, quæ Deo cognita est, nunquā eas approbat, non loquitur eas homo, sed inhabitans in homine Satan. Quare non sunt imputātæ homini, sed Satanæ, & sentiendum est, Dominum Deum nostrum potentiorē esse ad seruandum hominem, per fidem, q̃ Satanam ad perdendum hominem, per humanæ rationis turbationem & insaniam. Cæterum, quam potestatem Deus pater habet in Satanā, eandem etiam dedit unigenito filio suo Domino nostro Iesu Christo. Quæcunq; enim, inquit, ille fecerit, hæc itidem & filius facit. Pater enī diligit filium, & omnia demōstrat ei, quæ ipse facit. Videamus igitur nūc, quàm potenter Christus filius Dei in Satanam dominetur, & quàm impotens sit corā Christo Satan, alioqui potentissimus, imo uideamus potius, q̃ ex diametro inter se pugnent Satan & Christus. Totus Satan non est nisi uoluntas & libido nocēdi ac perdendi, quēmādmodum supra demonstrauimus. Totus autem Christus non est nisi uoluntas & promptitudo benefaciēdi & seruandi. Sic enim Deus dilexit mundū, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam. Non enim misit Deus filium suum in mundum, ut condemnet mundum, sed ut seruetur mundus per eum. Nam hanc seruādi uoluntatem declarat etiam in hoc dæmoniaco, quem statim, ut occurrisset, ad seruandum excipit.

Fides manet etiā ablatara tione humanā

Christi benigna uoluntas & prompta ad seruandum.

Christi potentia seruandi & benefaciendi.

Præcipiebat enim dæmonio dicés: Exi spiritus immunde ab homine. Adhæc totus Satan non est nisi potentia nocendi & perdendi. Totus autem Christus non est nisi potentia benefaciendi & seruandi, adeoq; hoc ipso perspicue comprobat Christus, se esse uere ab æterno naturalem Dei filium, q̃ non alieno, sed suo ipsius noie Satanam uincat, & uno uerbo domet. In hoc loco ait: Exi spiritus immũde ab homine, & Satan necesse habet obedire. In actis Apostolorum, Paulus cõuersus ad puellam habentem spiritum Phytonis, dixit: Præcipio tibi per nomen Iesu Christi, ut exeas ab ea. Quid factum est? exiit immundus spiritus eadem hora. Vides Christum non aliena, sed sua ipsius, hoc est, diuina uirtute in Satanã dominari. Sed nusq̃

Satanæ impotentia, si ad Christum conferatur.

fere manifestius prodit Satan impotentiam suam, si ad Christum conferatur, q̃ in hoc dæmoniaco, de quo nũc nobis sermo est. Operæpreciũ igitur est, ut uerba Satanæ diligẽtius excutiamus. Primum cum uidisset Iesum egressum de naui, occurrit ipsi, procidit ante ipsum, & horribili uoce clamat: Quid mihi tecũ est Iesu? Venisti huc ad cruciandum nos ante tempus, obsecro & adiuro te, ne me torqueas. Quæ facta & dicta quid aliud indicant, q̃ Satanæ potentissimi alioqui spiritus plane muliebrem impotentiam, si Christo opponatur? Satan ait: Obsecro, ne me torqueas. Quid audio ex te Satan? num tu, qui alios torquere soles, torqueris à Christo? Bene habet, tua ipsius confessione captus teneris, te esse coram Christo tam impotentem spiritum, ut ne unum quidem uerbulum eius sustinere possis. Deinde prodit etiam in hoc suam impotentiam, quòd cum interrogaretur, quod sit ipsi nomen, respondeat, legio. Est enim legio magnus & potens militum numerus in exercitu, quemadmodum supra indicauimus. Si ergo legio diabolorum nõ potest cõtra unum Christi uerbulum uel mutire, quis non palàm uideret, omnem Satanæ potẽtiam Christo Domino nostro subiectam esse. Cæterum, cum Satan semel

Abyssus perpetuus carcer Satanæ.

inceperit seipsum prodere, manifeste etiam iudicium perpetuæ suæ damnationis effutit. Rogauerunt enim illum, ne imperaret ipsis, ut in abyssum irent. Quid? ergo abyssus, hoc est, perpetuus interitus, uester carcer est, in quo perpetuo torquebimini? Hoc certe Christus etiam ipse aliàs testatur dicens: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Ac Petrus: Angelis, inquit, qui peccauerant, nõ pepercit, sed catenis noctis in tartarum præcipitatos, tradidit seruatos in iudicium. Postremo Satan impotentiam suam coram Christo in eo maxime omnium confitetur, quòd angeli eius rogant Christum, ut permittat ipsis in porcos ingredi. Erat enim ibi grex porcorum multorum pascentium in monte. Vide ergo quàm impotens spiritus sit Satan, si Christo opponatur. Tyrannus ille & ferriuorator, ac totius mundi domitor, ne quicquam quidem iuris habet in porcos, animal immũdissimum, nisi à Christo permittatur. Et permittit quidẽ hoc Christus. Vnde exierunt dæmonia ab homine, & intraueruut in porcos, & impetu abiit grex per præceps in stagnum, & suffocatas est. Sed quid cõmodi hinc Satanæ accedit? Fit quidem uoti sui compos in perdendis porcis, interim autem manifestissime declarat Iesum Christum potentissimum ipsius Dominum esse, ac se potestati Iesu Christi ita subiectum esse, ut ne hiscere quidem contra unum uerbulũ eius audeat. Adhæreamus igitur amicissimi per fidem Domino nostro Iesu Christo, ut per hunc semper à Satana tuti simus. Non enim hi tantũ in potestate Sata-

Satan cur homines ad insaniam adigat

næ sunt, qui manifesta insania à Satana exagitãtur, sed omnes homines, qui in peccatis concipiuntur & nascuntur, potestati Satanæ subiecti sunt. Et ob hanc potissimum causam permittitur interdum Satanæ, ut hominem ad insaniam adigat, quo in eo

quo in uno aut altero dæmoniaco admoneamur naturalis noſtræ olim captiuitatis, uidelicet, quòd natura ſimus filii iræ Dei, & traditi in poteſtatem Satanæ. Ac ſi permitteretur Satanæ, nõ unum aut alterum tantum hominem, ſed totum genus humanum ad eũ modum, quo dæmoniacos, exagitaret. Quod cum ipſi negatũ ſit, alia tamen uia in homines ſæuit. Vides hoc loco Chriſtũ permittere, ut dæmones in porcos abeant, ſed ut non eſt unum genus porcorum, ita nec unum eſt genus dæmonum. Sunt porci bruta animalia, ſunt & porci homines, ſuillam uitam ducentes. Et Satan quidem inſaniæ, ex hoc noſtro dæmoniaco eiectus, intrauit in gregem illum porcoꝝ, qui in proximo monte paſcebatur, & grex in ſtagnum præcipitatus ſuffocatus eſt, ſed ut Satan nõ eſt ſuffocatus, ita non omnes porci ſuffocati ſunt. Eſt enim & Satan ſcortationis, eſt Satan auariciæ, eſt Satan inuidiæ, eſt Satan arrogantiæ, & quis omnia Satanarum genera enumerare poſſet? Tot ſunt nobis Satanæ, quot peccata. Et hi non ingrediuntur quidem in porcos brutos, ſed ingrediuntur in porcos homines. Conferamus igitur breuiter dæmoniacum noſtrum à Satana inſaniæ obſeſſum, cum eo qui captiuus tenetur à Satana ſcortationis, aut alio id genus Satana. Dæmoniacus inſanus non utitur ueſtimẽto corporis, ſed nudus incedit. Dæmoniacus autem ſcortator induitur quidem ueſtimentis corpore, ſed expoliat ſeipſum ueſtimẽtis gloriæ & famæ ſuæ coram Deo & hominibus. Et ille quidem non manet in domo, ſed habitat in monumentis: hic autem ut maxime interdiu domi maneat, noctu tamẽ in plateis, uelut œſtro percitus, diſcurrit, ad fornices abit, & ad meretricum domos, quæ ſunt omnibus monumentis fœdiores, & ubi eſt iter ad infernum, diuertit. Ille, & ſi compedibus & catenis uinciat, diſcerpit tamen catenas, & compedes comminuit, neq; quiſquam poteſt eum domare: hic autem eo inſanior eſt, quo magis uidetur ſibi ſanus. Neque enim continetur parentũ minis, nec domatur publicis legibus, nec conſtringitur præceptis Dei, quæ ſunt ueluti compedes & catenæ, non obſequitur cognatorum precibus, non amicorũ admonitionibus, ſed potius Deum ipſum, parentes, cognatos & amicos derelinquit, quàm ut ſcortum derelinquat. Et ille lapidibus ſuum ipſius corpus concidit, hic autem ſcortatione interficit etiam animam ſuam. Quid hac inſania magis inſanum excogitari poteſt? Nam dæmoniacus ille noſter, de quo Lucas ſcribit, uno tãtum uerbo Chriſti à dæmone purgatus eſt: at qui ſcortationis dæmone captiuus tenetur, & ſi quotidie audiat uerbũ ſpiritus Chriſti: Scortatores & adulteri regnũ Dei non poſſidebunt, pergit tamen in ſcortatione ſua impudentiſsime. Eſt alius, qui laborat dæmone auariciæ, hic nihil ſanior eſt homine inſaniſsimo. Nam qui obſeſſus eſt dæmone externæ inſaniæ, ueſtimenta ſua diſrumpit, & nudus incedit: quid autem magis nudum auaro, cui tam deeſt quod habet, quàm quod non habet? Inſanus in monumentis, non in domibus habitat: auari autem ipſemet animus monumentum eſt, oſsibus mortuorum, hoc eſt, cupiditate alienarum hæreditatum & opum fœtidiſsimum. Inſanus nullis compedibus tenetur, nullis uinculis domatur: auarus uero nullo Dei timore, nulla honeſtate, nulla amicitia continetur, quo minus impoſturas ſuas ſectetur. Si ſpes lucri affulget, ibi nec parentibus, nec liberis ſuis, imo nec ipſi Dño Deo ſuo parcit. Et ille quidẽ in obuios quoſuis inſilit, hic autẽ nullo nec religiõis nec honeſtatis reſpectu retinetur, quo minus quibus uis imponat. Et dæmoniacus ille noſter uno Chriſti uerbo curatur, auarus autem auaricia indies ſeipſum uincit, etiamſi ſubinde magis ac magis inculcetur ei ipſiſsimum uerbum Chriſti: Non poteſtis Deo & mammonæ ſeruire. Aus

Satanarũ multa genera.

Dæmoniacus ſcortator peior dæmoniaco inſano.

Dæmoniacus auarus homine inſaniſsimo inſanior.

ricia est idolorum cultus. Auari regnum Dei non possidebunt. Quid ergo auaro magis dæmoniacum? Idem planè sentiendum est de his, qui aliis Satanæ generibus obsessi sunt. Nam dæmoniacos scortationis & auaritiæ exempli gratia cõmemorauimus. Cum igitur peccatis obnoxii ab externis dæmoniacis nihil differant, imo multo deploratiores sint, propterea q̃ de his adhuc sit reliqua spes salutis, etiamsi moriantur in morbo insaniæ, de illis autem nulla sit spes, si moriantur in peccatis suis, necessariũ est, ut operam demus, quo à peccatis liberemur. Liberabimur autem à peccatis, si resipiscamus. Resipiscentia constat agnitione peccatorum, & fide in Christum, quòd propter hũc habeamus peccatorum remissionem. Et hæc fides affert secum studium bonorum operum, quæ Deus nobis præcepit. Fides autem uenit ex auditu Euangelii, quod est potentia Dei ad salutem omni credenti. Quare audiamus Euangelion Iesu Christi maxima omnium diligẽtia, ut per illud fide & spiritu sancto donati, Satanam peccatorum parẽtem è nobis eiiciamus, & ueram salutem consequamur, per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus laudandus in secula Amen.

A peccatis liberamur resipiscentia.

HOMILIA LXXXI.

VAE in historia dæmoniaci sequũtur, nunc precibus uestris adiuti explicabimus. Quod ut uiderũt factum, inquit Lucas, qui pascebant, fugerunt, & nunciauerunt in ciuitatem & in uillas. Exierunt autem, ut uiderent quod factum erat. Et uenerunt ad Iesum, & inuenerunt hominem sedentẽ, à quo dæmonia exierant, uestitum, ac sana mente ad pedes eius, & timuerunt. Nunciauerunt aũt illis & qui uiderant, quomodo sanus factus esset is, qui agitabatur à dæmonio. Et rogauerunt illum omnis multitudo Gadarenorũ, ut discederet ab ipsis, quia magno timore tenebãtur. Tractauimus antea Satanam, & ingenium ac uires eius, tractemus nunc Gadarenos, qui maluerunt regionem suam esse domicilium Satanæ, quàm Domini nostri Iesu Christi. Ac primum hi Gadareni, postq̃ omnem rem gestam de dæmoniaco explorarunt, nonnullam quidem modestiæ speciem exhibent, q̃ patiantur Iesum, gregis sui submersorem, illæsum abire, sed in hoc produnt maximam suam, dicam ne stulticiam, an insaniam, q̃ Iesum è finibus suis abire iubeant, & eiiciant. Venit enim Iesus ad ipsos, ut & ipsis impertiret salutem Euangelii, & redderet eos saluos. Et hanc aduentus sui causam mox declarauit in sanando dæmoniaco. Vide autem mihi ualde siniſtrũ Gadarenorum iudicium. Ex tanto miraculo non agnoscunt, Christum uenisse ad ipsorum salutem, ut concipiant fidem, sed potius existimant eum uenisse ad ipsorũ internicionem, & concipiunt tantum timorem ob eius præsentiã, ut putent, si hic hospes diutius apud se maneat, Satan non tantum iumẽta ipsorum, oues & boues, quemadmodum porcos, uerumetiã seipsos unà omnes perditurus sit. Quare quo quo modo possunt, maximam operam dant, ut hunc hospitem, ipsis minime gratum, è finibus suis quamprimum expellant. Rogauerũt illum, inquit Euangelista, omnis multitudo Gadarenorum, ut discederet ab ipsis, quia magno timore tenebantur, uidelicet, ne præsente eo & iumẽta & uitam amittant. Res est admiranda. Hi Gadareni timuerunt quidem hactenus dæmoniacum, ut nemini patuerit tutus ad ipsum accessus, sed non ita timuerunt, ut ipsum, quamuis dæmonibus obsessum, è regione sua eiicerent: nunc autem liberatorem dæmoniaci ita horrent, ut nullam

Christum Gadareni è finibus suis eijciunt.

nullam sibi securitatem polliceri queant, nisi hunc è regione ipsorum expulerint. Et ut amplius quiddam dicam, non timuerunt hactenus in omnibus suis impietatibus & sceleribus, ne tam ipsi quàm iumenta ipsorũ à Satana corriperentur, & perderentur: nunc autem maxime omnium timent, ne hoc ipsis eueniat, præsente hospite Iesu Christo. Quid hoc populo magis insanum dici potest? Ac tolerabile esset, si soli Gadareni sic insaniissent, nunc autem, o rem deplorandam, Gadarenorũ insania totum terrarum orbem inuasit. Sũt enim multi hoc tempore magistratus, qui uehementer timent, ne si prædicationi Euangelii de Iesu Christo liberum cursum in regione sua permittant, maximis periculis obiiciantur, atque adeo à Satana ipso diripiantur, & non timent idem, si Euangelion Christi persequantur, si nõ ipsi tantum, sed etiam subditi eorum turpissimam in omnibus nefandissimorũ scelerum generibus uitam ducãt. Sunt & priuati homines, mercatores & negociatores, qui cũ admoneant de sectãda iusticia in cõtractibus suis ciuilibus, hoc unũ maxime timere solẽt, ne si in mercibus suis emẽdis & uendẽdis iusticiam sectentur, & impostoras fugiant, ad paupertatem & inediam redigantur, & non timent illud, si obuios quosq; impostoris decipiant, fœnore opprimant, nugentur & peierent. Quæ est hæc præpostera formido? an tutiores sumus iniusticia q̃ iusticia? an maiorem nobis salutem & securitatem pollicemur in sectanda uocatione Satanæ, q̃ in sectanda uocatione Dei patris, & Domini nostri Iesu Christi? Amabo te, quid unquam nobis mali fecit Dominus Deus noster, quòd ambulantes cum ipso, & in uocatione ipsius, non nisi præsentaneum exicium & perpetuam internionem nobis imaginemur? Re ipsa, inquis, experior, quòd quo quis magis pietatem & iusticiam sectatur, eo infœliciorem uitam ducat. Sed an existimas infœlicitatem piorum in hoc seculo esse perditionẽ, & nõ potius exercitium ad consequendam perpetuam fœlicitatem? Deus pater est eorum, qui credunt in ipsum, & sectantur iusticiam, quomodo igit̃ sineret eos in afflictionibus perire, ac nõ multo magis per afflictiões ad ueram salutem ad serere? Homò pater castigans filium suum uirga, nõ perdit, sed seruat, ac erudit filium, & putas tu Deum patrem abiicere filios suos in perpetuum interitum uirga tribulationis? An nescis, ducem exercitus obiicere fortiores milites maioribus periculis? & prudentes milites non sibi hoc ignominiæ, sed laudi, non ignauiæ, sed uirtuti deputãt. Quòd est igitur peruersum illud iudicium, existimare eos, qui à summo omnium imperatore afflictiõibus obiecti sunt, exicio potius, q̃ gloriæ & saluti destinatos esse? Obsecro autem te, ostende uel unum saltem eorum qui iusticiam sectati sunt, cui Deus non pro momentanea infœlitate maximam fœlicitatem reposuerit? Ioseph continẽtur aliquandiu in carcere, ut adulter, sed idem mox magno honore educitur, & creatur princeps Aegypti. Iobi auferũtur omnia bona, sed paulopost restituuntur ipsi duplicia. Dauid eiicitur à Saule in exilium, sed ab exilio in regiam maiestatem exaltatur. Daniel obiicitur leonibus, sed mox in summum Persarum principem constituitur. Quòd si uero Dominus Deus noster non rependit infœlicitatem fœlicitate in hoc seculo, at reliquum est aliud seculum, in quo infœlicitas huius seculi tanto maiori fœlicitate rependitur, quanto grauior est infœlicitas, & quanto diutius differtur fœlicitas. Dixit Deus: Liberabo populum meum ex omnibus tribulationibus eorũ, & putas Deum fore mẽdacem? Cœlum & terra transibunt, uerba autem Dei non transibũt. Et ut prophe ta ait: Montes commouebuntur, & colles contremiscent, misericordia autem mea non recedet à te, & fœdus pacis meæ non mouebitur, dixit miserator tuus Dom

Christus à multis ejici tur.

Piorum infœlicitas in hoc seculo non est perditio.

nus. Vide mihi saltem Christum filium Dei, hûc enim cum humiliatus esset usq; ad mortem crucis, exaltauit Deus in summam sublimitatem, ac donauit illi nomen, quod est super omnẽ nomen, ut in nomine Iesu omne genu se flectat, cœlestium, terrestrium, & infernorum. Quod autem in capite, qui est Christus, gestum est, an non putas idem gerendum in membris Christi, qui sunt credentes in ipsum? Quomodo potest esse caput sine membris suis? Quare & si pii in hoc seculo affliguntur, tantum tamen abest, ut afflictionibus pereant, ut maiorem per ipsas salutẽ consequantur. Contra uero, quid unq̃ benefecit tibi Satan, q̃ pollicearis tibi maiorem securitatem & benedictionem in obsequio Satanæ, q̃ in obsequio Dei? Video, inquis, q̃ qui obsequuntur Satanæ, & comparant se ad iniquos mores huius seculi, fœliciſsimam in hoc seculo uitam ducant, & non solum magnam gloriam, sed etiam diuitias & uoluptates consequantur. Quid ergo? num existimas hãc impiorũ fœlicitatẽ fore purpetuã? an nescis totã Satanæ uoluntatẽ huc spectare, ut perdat? Quare, si cui bũfacit, nõ bũfacit ipsi, ut seruet, sed ut perdat. Quẽadmodũ enim homines saginant iumenta, non ad diuturnam uitam, sed ad lanienam, ita Satan saginat suos, nõ ad fœlicitatẽ, sed ad infernum. Et fures suspendendi in altũ ducuntur, non ut honorentur, sed ut ex laqueo deiiciantur, ita Satan tollit impios suos in altum, ut lapsu grauiore ruant. In obsequio igitur Satanæ tanto perniciosiorem maledictionem & interitum timeamus, quanto nobis fœlicior rerum successus in eo affulget. Sed redeamus ad Gadarenos. Quomodo ergo Christus gerit sese ad preces, hoc est, ad insaniam Gadarenorum? In eiiciendis dæmonibus uidimus omnipotentiam eius, nunc autem uidebimus tolerantiam & lenitatẽ eius. Ac alii fortasis iussissent legionem dæmonum è porcis exire, & ipsos Gadarenos inuadere, quod autorem salutis non solum non agnoscerẽt, sed etiam finibus suis expellerent. Inquisitores, ut uocant, hæreticæ prauitatis etiam combussissent ipsos, tanquam hæreticos. Iesus autem Christus, illæsis Gadarenis, conscensa naui, reuersus est in ciuitatem suam. Hæc est memorabilis tolerantia, qua CHRISTVS filius Dei patrem suum cœlestem propriissime refert. Nam cum tolerãtia inter uirtutes numeretur, ac uirtutes omnes sint in DEO patre perfectissimæ, manifestum est, etiam tolerantiæ uirtutem in DEO perfectissimam esse. Et palàm declarat eam, cum finit solem suum exoriri super bonos & malos, & pluuiam mittit super iustos & iniustos. Et cum Ioannes dicat: Deus charitas est, charitas autẽ sit patiens, & omnia sustineat, perspicue significat, DEVM longe omnium patientissimum esse. Quod igitur Deus pater in tolerandis malis agit, hoc idem agit nũc filius DEI, & quàmuis à Gadarenis eiectus, tantum tamen abest, ut uicissim malum inferat ipsis, ut potius omnes rationes excutiat, quibus ad huc possit saluti eorum subuenire. Nam si statim fulminibus & grandine perdidisset ipsos, nullus eorum ad resipiscentiam & æternam uitam peruenisset: nunc autem, quia uenit in hunc mundum, non perdere, sed saluare homines, & Gadareni formidant præsentiam eius, remittit ad ipsos hominẽ, qui à dæmonibus liberatus erat, ut uel hûc audiant, & salutẽ consequant, quemadmodum mox sequitur. Hæc tolerantiæ uirtus in CHRISTO ita obseruanda est, ut modis omnibus eam imitemur. Est enim necessaria uirtus, tum omnibus hominibus, tum præcipue patribus familias, magistratibus, & ministris Ecclesiæ. Vulgo dicitur: Summum ius, summa iniuria. Et quot mala tolerat Mose in sua Republica? quot infirmitates ferre CHRISTVS in suis Apostolis? Huc etiam pertinet, quod dicitur: Ar-

Impiorum fœlicitas non est perpetua.

Christi tolerantia & lenitas.

Tolerantia omnibus necessaria.

ticl

mici mores noueris,nō oderis. Non minus autem dici potest: Familiæ ,subditoꝝ, & auditorum uerbi Dei mores noueris,non oderis. Quare si rebus publicis & priuatis cōsultum esse uolueris,fac discas tolerantiam,qua uirtute non præterita tantum mala corriges,sed etiam in futurum multa commoda afferes. Tolerantia autē est,non ea,quam uocamus ignauiam,qua officium negligit,sed est uirtus,quæ conniuet quidem ad præsentia mala , quæ sine maiori incōmodo corrigi nō possunt, interim autem scrutatur & inquirit omnes iustas & legitimas rationes,quibus præsentia mala non sine magno cōmodo,aut si id fieri non potest,saltem sine incōmodo corrigi queant. Vnde,postquam Christus eiectus fuit à Gadarenis,non ita discedit, ut prorsus salutem eorum negligat, sed aliam uiam inquirit, qua ipsos seruet. Nam uir ille,à quo dæmonia exierant,Gaderenis suis Christum expellentibus uale de dissimilis,rogabat ipsum,ut cum eo esset, sed ablegauit eum Iesus dicens: Redi in domum tuam,& narra quæcunq; tibi fecerit Deus,quasi diceret: Sympatriotæ tui nolunt me audire, fortasis te audient, & salutem cōsequentur: me liberatorē timent,ne ob meam præsentiam pereant,te liberatum non timebunt. Quare uolo domum redeas,& beneficia Dei publice annuncies, ut tui audiant, & resipiscant. Hæc certe prudētissima ratio est,qua insania Gadarenorum corrigatur,& ad sanitatem reducat. Sed hic mihi uide admirabilem rerum dispensationem: Alius uocatus à Christo,uolens domum reperere,ac pietatis officio in sepeliendo parente defungi, prohibetur,& audit: Sequere me, & sine ut mortui sepeliant mortuos suos. Rursum alius uolens Christum sequi,non permittitur,sed ablegatur ad domum,& audit: Vade in domum tuam,& narra quæcunq; tibi fecerit Deus. Quid sibi uult illa uocationum diuersitas? Certe nihil aliud uult, q̄ ut doceat nos hoc solum bonū & iustum iudicare,quod uerbum Dei præcipit,& ut assuefaciat nos,in omnibus rebus sequi non consilia nostræ bonæ intentionis,ut uocant, sed uerbum diuinæ uocationis. Abraamo præceptum erat,ut mactaret filium suum Isaac,aliis parentibus prohibitum est. Abraam iubetur patriam suam relinquere,& in aliam terram proficisci,Israelitæ autem iubentur Aegyptum,alienam terram, relinquere, & in patriam suam migrare. Israelitis ex Aegypto proficiscentibus mandatur,ut spolient Aegyptios aureis & argenteis uasculis, aliis præcipitur,ne omnino furentur,aut quēquam spolient. In Euangelio mandat Christuu adolescenti, ut omnia bona sua uē dat,pauperibus distribuat,& ipsum sequatur. Aliis præcipitur: Ne des aliis facultates tuas,& annuos prouentus tuos ne effundas in crudeles. Et: Fontes quidem tui foras deriuentur & riui promanent in plateas,at tu dominus esto horum solus,non alieni tectm. Benedicetur enim fontibus tuis. Atque hoc plane illud est,quod lex dicit: Non facietis singuli, quod sibi rectum uidetur, sed quod ego tibi præcipio, hoc tantum facias Domino,nec addas quicquam,nec minuas. Exigit enim Dominus Deus noster,ut respiciamus, non in personalia sanctorum exempla, & alienas uocationes,sed in uerbum Dei,& in nostram ipsorum uocatiōem. Nam,ut in uno corpore diuersa membra diuersa etiam habent officia, nec posset salus corporis cōstare,si pes uellet fungi officio oculi,& oculus officio pedis: ita omnes pii in Christo quidē unū corpus sunt,inter se aūt sunt diuersa unius corporis mēbra,diuersa dona, & ut Paulus ait,diuisiōes ministerioꝝ & operationū. Vnde & is,q liberatus erat à dæmoniis,& si uidebat ipsi multo diuinius opus esse, in diuiduo comitatu Christū sequi,tamē iussus ad domū redire,obsequit uerbo Christi. Et abiit per totā ciuitatē,seu,ut Marcus ait,decapolim,prædicās quæcunq; sibi fecisset Iesus. Et mirabant.

Tolerantia uera.

Vocationum diuersitas.

Vocationis diuinæ uerbum solum respiciendum.

Hic ergo uide nunc, quantã utilitatem afferat tolerantia Christi, & obedietia eius, qui à dæmoniis liberatus erat. Si enim Christus statim, ut eiectus fuit à Gadarenis, regionem ipsorum fulminibus deuastasset, aut si dæmoniacus maluisset individuus comes Christo adhærere, quàm uerbo Christi iussus ad domũ redire, nullus Gadarenorũ Euangeliũ Christi audiuisset, nec quisq; eorũ salutem consequutus esset. Nunc autem, quia Christus patiens est, & dæmoniacus obediens, quid nisi salus Gadarenis afferturi? Sectemur igitur uirtutem tolerantiæ, sectemur & obedientiam, nõ nostrarum cupiditatum, aut alienorum exemplorum, sine uerbo Dei, sed nostrarũ uocationum ex uerbo Dei, ut ambulantes iuxta præscriptum uerbi Dei, quod est lucerna pedibus nostris, ad ueram salutem perueniamus, per Christũ Iesum Dominũ nostrum, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus laudandus in secula Amen.

HOMILIA. LXXXII.

Elicitur Christus è decapoli à turba Gadarenorũ, sed excipiẽ magna expectatione à turba Galilæorũ. Et factum est eñ, inquit Euangelista, cum rediisset Iesus, excepit illum turba. Erant enim omnes expectantes eum. Ac satisfecit etiam expectationi eorũ. Postq; enim rediisset, statim duo maxima miracula operatur, quorũ altero sanat mulierẽ hæmorrhoũsam, altero suscitat à mortuis filiã archisynagogi. Videamus igiẽ quomodo hæc gesta sint, & quid nos doceant. Et ecce uenit uir, cui nomen Iairus, & ipse princeps synagogæ erat, & cecidit ad pedes Iesu, rogans eum, ut intraret in domũ eius, quia unica filia erat ei, fere annorũ duodecim, & hæc moriebatur. Inter eundũ aũt comprimebant eum turbæ. Primũ omnium obserua mihi diligenter in hoc archisynagogo magnitudiné fidei in Christũ, quã Marcus pauło manifestius explicat: Procidit, inquiens, ad pedes eius, & deprecabatur eum multum, dicens: Filiola mea in extremis est, oro ut uenias & imponas illi manus, ut salua sit, & uiuat. Tametsi autem hic archisynagogus nondum attigerit eum gradum fidei, quem Centurio, qui dicebat: Domine non sum idoneus, ut tectum meũ subeas, imo tantum dic uerbum, & sanabitur famulus meus, tamen & hæc magna fides est, ꝙ credit Iesum posse sanare filiam, manus tantummodo impositione. Et hæc fides eo perducit hominem, ut q̃uis esset princeps synagogæ, & uir magni nominis, non tamen erubesceret coram toto populo ad pedes Iesu accidere, & uirtutem ac maiestatem eius publice confiteri. Discamus igitur energiam ueræ fidei, ꝙ ubi sit uera fides, ibi etiam sit confessio Christi. Quem autem Christi puduerit, eum uera fide carere manifestũ est. Deinde animaduerte etiam in Iairo magnitudiné στοργῆς, hoc est, affectus paterni in filiolam. Tanto enim ardore affectat salutem filiæ suæ, ut maluerit publice, præter decorum personæ suæ, fortunam suam deplorare, & Christo coram toto populo exponere, q̃ saluti filiæ deesse, adeoque haud obscure præfert, quòd mallet ipse potius obiici morti, quàm ut filiæ mortem uideat. Et hic est naturalis affectus parentum erga liberos, nec est per se impius, sed est bona Dei creatura. Dominus enim Deus noster creauit hunc affectum naturaliter in parentibus erga liberos suos, non tantum ob eam causſam, ut infantes, quoꝝ educatio constat magna cura, molestia, labore & sumptu, & ꝙ ad ipsorũ ætatẽ attinet, omni ope destituti sunt, habeãt qui ipsos sollicite foueant & educent, sed maxime omnium propter hanc causſam, ut in parentibus huius seculi haberemus qualecunq; exemplar eius affectus, quẽ gerit in filios suos Deus pater noster cœlestis. Etsi eñ Deus unum tantum

Fidei energia

στοργὴ parentum in liberos, bona Dei creatura

Dei patris affectus in nos filios suos.

tantum filium naturalem habet Dominum nostrum Iesum Christum, is tamen filius obedientia sua impetrauit, ut Deus tradiderit sese in patrem omnibus iis, qui in Christum credunt, ac agnoscat ipsos in Christo suo filios dulcissimos. Qualis autē sit affectus paternus, magis in parentibus sentiri, q̄ uerbis explicari potest. Parentes enim, quorum naturalis affectus non est subuersus, non tantum optant bona quæuis liberis suis, sed etiam, si queant, salutem ipsorum, sua morte redimunt. Et Christus ait: An quisquam est uestrum homo, qui si filius eius petierit panem, lapidem daturus sit illi? aut si piscem petierit, num serpentem porriget illi? Quare, cum Deus factus sit per Christum pater omnium eorum, qui in Christum credunt, talē quoque gerit affectum in ipsos, ut non tantum bene uelit ipsis, sed etiam quoquomodo possit benefaciat. Quid, ꝙ Deus affectu suo etiam naturalium parentum affectum superet? Dicit enim apud Esaiam: Nunquid obliuisci potest mulier infantem suū, ut non misereatur filio uteri sui? & si illa oblita fuerit, ego tamen, inquit Dominus, non obliuiscar tui. Et apud Matthæum: Si uos, cum sitis mali, nostis bona dona dare filiis uestris, quanto magis pater uester, qui est in cœlis, dabit bona, si postuletis ab ipso? Quid igitur times interitū in afflictionibus, in paupertate, in exilio, in morbo, in infamia, deniq; in morte ipsa? Putas ne Deum patrem non agnoscere filium suum, de profundis tribulationibus ex fide ad ipsum, Abba pater clamantem? Exaudit pullos coruorum, inuocantes ipsum, & non exaudiret filios suos, per unigenitum filium suum Iesum Christum auxilium implorantes? Sed hic Dei patris affectus erga nos, non tantum fidem, uerumetiam obedientiam fidei in nobis excitare debet. Filius enim honorat patrem, & obsequitur mandatis eius. Ergo si Deus pater est, & nos filii sumus, necesse habemus patrem honorare, & mandatis eius obedire. Atq; hæc sunt, quæ hactenus in archisynagogo Iairo nobis cognoscenda proponuntur. Sed priusquam Christus ad domum Iairi ueniat, & filiam eius sanet, miraculum in muliere hæmorrhousa operatur. Inter eundum enim turbæ coartabāt eum. Et mulier quæ erat obnoxia profluuio sanguinis ab annis duodecim, quæ in medicos impenderat omnem substantiam, nec ab ullo potuerat curari, accessit retro, & tetigit fimbriam uestimenti eius, & confestim stetit fluxus sanguinis eius. Et ait Iesus: Quis est qui mè tetigit? Negantibus autem omnibus, dixit Petrus, & qui cum illo erant: Præceptor, turbæ te comprimunt & affligunt, & tu dicis, quis me tetigit. Et dixit Iesus: Tetigit me aliquis, nam & ego noui uirtutem de me exisse. Videns autem mulier, quia non latuit, tremens uenit, & procidit ante pedes eius, & ob quam causam tetigerit eum indicauit coram toto populo, & quemadmodum confestim sanata sit. At ipse dixit ei: Filia, fides tua te saluam feciti Vade in pace. In huius mulieris historia principio obseruandum est, quòd quum de muliere dicit: Impenderat omnem substantiam in medicos, uel ut Marcus ait, multa fuerat perpessa à compluribus medicis, & insumpserat omnia sua, neque quicquàm adiumenti sensérat, sed magis in deterius uenerat, non damnetur medicina, & ordinarius usus eius. Vt enim uerba Petri dicentis aliàs: Per totam noctem laborantes nihil cepimus, non damnant laborem, ita nec ista Euangelistarum uerba de frustraneo sumptu in medicos impenso damnant medicinam. Est enim medicina donum Dei, & quemadmodum cibus & potus organa sunt diuinitus ordinata ad conseruandam uitam, ita & medicina organon est diuinitus ordinatum ad cōseruandam uitæ sanitatem, & ad mitigandum morborum dolorem. Ecclesiasticus ait: A Deo est omnis medela, & altissimus creauit de terra medicinā. Quis aūt donis Dei iustius

Medicina & ordinarius eius usus non damnatur.

Medicina tanquã Deo cõfidere impiũ est.

uteretᵉ, q̃ homo pius? Vnde & rex Hiskia, etsi habebat promissionẽ Dei, se adhuc quindecim annos uicturũ, utitur tamen medicina, quemadmodũ in Esaia capite tricesimo octauo scriptũ est. Non igitur damnanda est medicina, aut legitimus eius usus. Medicina autẽ tanq̃ Deo confidere, hæc demum impietas est. De rege Assa scriptura inquit: Aegrotauit Assa dolore pedum uehementissimo, & nec in infirmitate sua quæsiuit Dõm, sed magis medicorũ arte confisus est. Hic non damnat usus doni Dei, sed damnatur cõfidentia in donũ Dei. Vtendum igit est medicina tanq̃ dono Dei, sed confidendum est in solum Dominũ Deum nostrum, à quo solo medicina suũ incrementum & benedictionẽ accipit. Deinde, q̃ hæc mulier laborauerit fluxu sanguinis duodecim annis, & expenderit omnes opes suas in medicos, nihil autem adiumenti senserit, ad extremũ tamẽ uno fimbriæ Christi tactu sanitatẽ mirabiliter confecuta sit, admonet nos manifeste, q̃ non sit de salute desperandũ, etiamsi omnia naturalia deficiant. Vides hanc mulierem, nullas habebat amplius opes, quas in medicos conferret, & quanq̃ diuitias Crœsi possedisset, ac omnes è toto orbe terrarũ medicos conuocasset, eiusmodi tamen morbo laborabat, qui medicinæ usu magis augebatur q̃ tollebaᵗ. Quid ergo faceret? num de salute sua desperaret? Minime omniũ. Quod enim apud homines impossibile est, hoc apud Deũ non possibile tantum, sed etiam facillime fit. Nihil iuuant ordinaria & naturalia, noli animum despondere, sed eleua mentẽ tuam ad Dominum Deum nostrum, & inuoca ipsum ex fide, tunc ueniet tibi auxilium ex alto, Dominus enim Deus noster non tam miser saluator est, ut non nisi ordinaria & naturalia habeat ad conferendã afflictis salutẽ. Habet plura extraordinaria, q̃ mens humana capere possit, habet supernaturalia, habet cœlestia, quibus ex afflictione liberare potest. Mare rubrum, ad quod Israelitæ ab exercitu Pharaonis coartabantur, nec habebat pontẽ, nec nauigia, fiebat tamen ita permeabile, ut Israelitæ sicco pede transierint. In deserto nec erant agri, nec frumenta, inuenit tamen Deus rationem, qua Israelitas pasceret. Dauid in deserto Maon ab aduersario suo Saule ita concludebaᵗ, ut desperaret se posse euadere manus Saulis, sed quam rationem liberandi Dauid non inueniebat, eã Deus longe omnium sapientissimus inueniebat. Quid pluraᵗ uide mihi saltẽ hanc mulierem. Quod ad ordinaria & naturalia attinet, desperatũ erat de sanitate eius. Ergo sanitatem nunq̃ consequiturᵉ abfit. Quod apud medicos nõ inueniebat pharmacis & potionibus, hoc inueniebat apud Christum tactu ueftimenti eius. Attollamus igitur in afflictionibus oculos ad Dominum Deum nostrum, qui ut diues est in misericordia propter Christum Iesum filium suum, ita etiam sapientissimus est, in excogitandis rationibus, quibus nos in omnibus desperatis rebus seruet. Postremo, q̃ mulier, & pauper, & pudendo morbo affecta, restituitur sanitati per Christum, significat Christum non esse personarũ respectorem. Pergebat enim Christus ad archisynagogum, uirum magni nominis & dignitatis inter Iudæos, ut filiam eius seruaret. Ne igitur abiectiores homines suspicarentur se contemptos, miseretur Christus in itinere mulieris pauperis, immundæ, ac propter immundiciã inhonestæ, ut hoc exemplo omnibus miseris & abiectis hominibus spem faceret, se tãto gratiores esse Domino Deo nostro, quanto in hoc mundo abiectiores sunt. Sed quid illud est, q̃ Christus tam sollicite inquirit, quis tetigerit ipsum? num sensit uirtutẽ de se exire, & nesciuit quis ipsum tangeret? an hoc potius uoluit, ut hac inquisitione mulierẽ in publicum produceret, ac spectaculum ex ipsa faceret? ac facta est certe publicum spectaculum. Cum enim uideret, quòd non latuisset, uenit tremens, ac procidit ante pedes Iesu, & indicauit ei coram toto populo omnem ueritatẽ, ob quam causam tetigisset eum,

De salute non est desperandum, etiamsi omnia naturalia deficiant.

1 Sam. 23.

Christus non est προσωπολήπτης.

tetigisset eum, & quemadmodum confestim sanata fuisset. Quanto existimas pudore & cõfusione mulierem affectam fuisse, q̃ necesse habuit pudendum morbum suum manifeste coram toto populo confiteri? Sed bene habet, Christus coniicit eã in hanc confusionem, non ut afficiat ipsam ignominia, sed ut illustretur miraculum, & mulieris gloria commendetur. Atque hoc Domino Deo nostro solenne est, quod pudefaciat suos, ut glorificet eos. Ioseph coniiciebatur in carceres, ut adulter, qua infamia, quid potuisset nomini eius turpius accidere? sed hæc ignominia erat schola Iosephi, qua erudiebatur ad capessendam gloriam principatus in Aegypto. Dauid expellebatur in exilium, ut seditiosus, ut reus criminis læsæ maiestatis regiæ, quid potuisset ei ignominiosius accidere? sed hac ignominia exercebat Deus Dauidem ad exaltandum ipsum in fastigium regiæ maiestatis. Quid dicam de ipso Christo? Hic affectus est ignominiosissimo genere mortis, sed extulit illum Deus in summam sublimitatem, & donauit illi nomen quod est supra omne nomen. Quod igitur tunc in Christo adhuc implendum erat, hoc Christus qualicunque exemplo in muliere hæmorrhousa nunc declarat, & pudefacit eam publice, non ut perdat ipsam ignominia, sed ut gloria eam afficiat. Primum enim, postq̃ publice confessa est, & morbum, & sanitatem suam, audit à Christo: Filia. Quantus hic est honor, dici filiam Christi? quanta item fœlicitas? Ad filiam enim pertinet patris hæreditas. Cum igitur Christus uocet hanc mulierem filiam suam, significat ipsam hæredem esse omnium bonorum Christi, quæ sunt, remissio peccatorũ, uita æterna, & perpetua fœlicitas. Deinde iubetur bene sperare: Confide, inquit. Quantum solatium, quanta gloria est, ab ipso Christo consolationem accipere? Postremo cõmendatur fides eius: Fides, inquit, tua te saluã fecit. Nullus aũt maior potest honor alicui cõferre, quàm si fides eius à Christo cõmendetur. Cõmendatione enim fidei hominis in Christum, cõmendatur iusticia, salus, & perpetua fœlicitas eius. Hæc enim omnia ex fide in Christum homini contingunt. Quare cum fides mulieris commendetur, maiore gloria afficitur, quàm si ab omnibus aliis huius seculi maiestatibus commendetur. Sed quid est, quòd Christus dicit: Fides tua te saluam fecit? cur non potius ait: Fimbria uestimenti mei, aut mea ipsius uirtus saluam te fecit? Quòd non dicit, fimbria uestimenti mei saluam te fecit, in promptu causa est, quia Christus non uoluit instituere superstitiosam peregrinationem ad tunicam suam, sed potius uoluit nos ab ipsius tunica auertere, & ad discendam ueram fidem, ac cognoscendum se CHRISTVM, conuertere. Nam quemadmodum umbra Petri, & sudaria Pauli sanauerunt infirmos, non ad concipiendam superstitiosam fiduciam in umbram & sudaria, sed ad confirmandam ueram fidem, quæ in ipsum Iesum Christum, cuius Euangelion Petrus & Paulus prædicauerunt, habenda est, ita & mulier sanata est ex attactu fimbriæ uestimenti Christi, non ut externum illud uestimentum Christi in adorationem instituatur, sed ut ex hoc miraculo primum quidem confirmetur maiestas Christi, & Euangelii eius, uidelicet, quòd in solo Christo uera salus quærenda sit, deinde cõmendetur etiam autoritas sacramentorũ Christi, quæ cum sint uerbo Christi instituta, & promissionibus eius ornata, tanto diuiniora sunt uestimento Christi, quanto excellentius diuinum uerbum superat humanũ artificium. Baptismus enim, qui est sacramentũ Christi, hanc habet promissionem: Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit. Cœna Domini hãc habet promissionẽ: Hoc est corpus meũ qd̃ pro uobis tradit̃, hic est sanguis meus, q̃ pro uobis effundit̃. Tunica aũt Christi nihil eiusce modi p̃missionũ habet,

Deus pudefacit suos, ut eos glorificet

Christi filia.

Christus tantum ad fidem ueram nos hortatus est.

Sacramentorũ Christi autoritas.

Christi tunica.

sed hoc tantum habet, q̃ humano artificio fuerit inconsutilis, à summo contextã per totum, quemadmodum Ioannes scribit. Quare baptismus & cœna Domini incomparabiliter maiora atq; diuiniora sunt externa illa tunica Christi, & cum Christus sese totum per promissiones suas, non tunicæ (qua aliquoties tantum, ut aliàs sputo, tanq̃ organo ad ædenda miracula, quibus maiestas eius confirmaretur, usus est) sed sacramentis tradiderit, non peregrinemur superstitiose ad tunicam Christi, sed hoc miraculo per fimbriam tunicæ eius ædito admoneamur, ut Christũ ipsum per fidem amplectamur, ut Euangelion eius fide excipiamus, ut sacramentis nobis propositis in fide utamur. Per hæc enim tanta exibit uirtus Christi in nos, ut uerã salutẽ cõsequamur. Sed q̃ Christus ad mulierẽ dicit, fides tua, & nõ ait, uirtus mea te saluam fecit, non intelligas hoc dicto fidem ita prædicari, ut excludatur Christus & uirtus eius. & commendetur meritum humani operis, sed potius diuersum sentias, uidelicet, q̃ nomine fidei omne humani operis meritum excludatur, & omnis uana hominum imaginatio, quæ fit absq; uerbo Dei, reiiciatur, solus autẽ Iesus Christus & maiestas eius prædicetur, & sola fides in Christum pro legitimo organo, quo beneficiorum Dei participes reddimur, commendetur. Sunt enim, qui speratẽ se beneficia Dei consequi propter merita suorum sacrificiorum, & aliorum operũ legis, sed quoties Christus inculcat, fides tua te saluum fecit, toties etiam horum uanitãtem damnat. Fides enim, quam Christus cõmendat, solius gratiæ & misericordiæ fides est. Vbi autem prædicatur gratia & misericordia, ibi non prædicatur meritũ, &, ut Paulus ait: Si per gratiam, iam non ex operibus. Sunt alii, qui quamcunq; imaginationem putant esse ueram fidem, siue habeant si non habeant uerbum Dei, ut exempli gratia, alius imaginatur se amittere sapientiam, donum uidelicet Dei, si effundat sal in mensa positum, alius existimat se abluere peccata sua uenialia, quæ sic uocat, si aspergat se duabus aut tribus guttulis aquæ benedictæ. Hæc & id genus infinita alia non sunt fides, sed superstitio, idq; declarat Christus, cum toties prædicat fidem. Hi enim in quibus Christus commendat fidem, non crediderunt sine uerbo Dei, sed audiuerunt Euangelion de Christo, ac præsertim hanc concionem: Veni te ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego refocillabo uos. Ex hac & aliis concionibus Euangelii de Iesu Christo fidem cõceperunt in Christum. Sed & Paulus ait: Fides ex auditu est, auditus autẽ per uerbum Dei. Sunt & multi, qui putant sibi non opus esse credere in Iesum Christũ, sed existimant sibi satis esse, si credant in Deum, ut ipsi aiunt, creatorem cœli & terræ. Hoc iactant impii Iudæi, hoc iactãt incredulæ gentes, hoc & iactant Epicurei Christiani. Sed hos reiicit Christus, cum prædicat fidem eorum, in quibus miracula ædit. Nam qui consequuntur à Christo sanitatem mirabiliter, & quorum fidem commendat Christus, hi crediderunt, q̃ contingat ipsis salus propter solum Iesum Christum, ex mera gratia & misericordia eius. Cum igitur Christus prædicat fidem eorum, perspicue significat, adeoq; miraculis etiam testatur, q̃ salus contingat tantum propter ipsum, ex mera gratia & misericordia, & qui ueram salutem consequi uelit, necesse habeat in ipsum credere. Postremo sunt etiam, qui existimãt se participes fieri beneficiorum Dei per opera sua, ut uocant, operata, nimirum, si offerant obulum in missa, si abstineant ab esu carnium, si id genus alia opera faciant, sed Christus horum etiam superstitionem reiicit, cum fidem commendat. Hac enim fidei commendatione significat, solam fidem legitimum organon esse, quo participes efficiamur beneficiorum Dei, uidelicet, si credimus, q̃ contingant nobis beneficia Dei gratis, tantum propter Iesum Christum, ex mera gratia & misericordia Dei, quemadmodũ illi crediderũt, in quibus miracula

Fides sola organon ad consequenda beneficia Dei.

ædita sunt. Quare quoties Christus in miraculis suis inculcat nobis, fides tua te sal uum fecit, aut, fiat tibi secundum fidem tuam, toties erudiamur & admoneamur, ꝙ merita humana reiiciantur, quòd uanitas humanarum superstitionum damnetur, ꝙ solus Iesus Christus & misericordia Dei prædicetur, ꝙ fides in Christum ad legitimum organon, quo beneficiorum Dei participes efficimur, cõsecretur, ut ue ram salutem nostram, non nisi in solo Iesu Christo Domino nostro, per fidem quæ ramus, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus laudandus in secula Amen.

HOMILIA LXXXIII.

Ergit Christus, ab hæmorrhousa sanitati restituta, ad filiã archisynagogi à morte resuscitandam, pergemus & nos in eius miraculi explicatione: Adhuc eo loquẽte, uenit quidam ad principem synagogæ, dicẽs ei: Mortua est filia tua, noli uexare mãgistrum. Iesus aũt audito hoc uerbo, respondit patri puellæ: Noli timere, crede tantum, & salua erit. Et cum uenisset ad domum, non permisit intrare secum quenq̃, nisi Petrum, & Ioannem & Iacobum, & patrem ac matrem puellæ: Flebant autẽ omnes, & plangebãt illam. At ille dixit: Nolite flere, non est enim mortua puella, sed dormit. Et deridebant eum, scientes, ꝙ mortua esset. Ipse autem tenẽs manum eius clamauit, dicẽs: Puella surge. Et reuersus est spiritus eius, & surrexit continuo. Et iussit illi dare ad manducandum. Et stupuerunt parentes eius, quibus præcepit, ne alicui dicerent, quod factum erat. In hac historia primum omnium obseruandum est, Christũ non esse respectorem, aut, si mauis, contemptorem personarum. Antea restituit sanitati mulierem pauperem, & pudendo morbo affectam, ut pauperes hoc exemplo admonerentur, se non ita in conspectu Domini, ut in oculis huius seculi, contẽptos & abiectos esse. Nunc autẽ reuocat in uitam filiolam diuitis & clari inter Iudæos uiri, ut & diuitibus atq; claris hominibus significet, Dominum Deum nostrum nullum hominum genus reiicere, sed in quocunq; genere, qui timet ipsum & operatur iusticiam, is acceptus est illi. Nam, quemadmodum pauperes male in hoc seculo audiunt, ita diuites & potentes male in scriptura audiũt. Dives, inquit Christus, difficile intrabit in regnum cœlorum. Et facilius est camelum per foramen acus trãsire, q̃ diuitem in regnum Dei ingredi. Et Paulus: Videtis, inquit, uocationem uestram, ꝙ non multi potentes, non multi claro genere nati, uerum quæ stulta erant secundum mundum, delegit Deus. Non autem male audiunt propter ipsas, quas habent, diuitias & potentiam. Hæc enim, si legitime parta fuerint, dona Dei sunt, sed propter impietatem, & alia uitia, in quibus plerunq̃ diuites & potentes occasiõe donorum suorum uersantur. Christus igitur ut pauperibus ita diuitibus seruit, ut significet etiam diuitibus & potentibus patere regnum Dei, si donis suis in fide ex præscripto uerbi Dei utantur. Deinde discemus hic clarissimo exẽplo, quanta sit certitudo diuinarum promissionum, & admonemur, ut in fide uerbi Dei cõstemus, etiamsi tota rerum natura diuersum clamet. Hic enim archisynagogus, de quo nunc nobis est sermo, habuit promissionem uerbi Dei, tum generalem, cum Christus publice dixerat: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego refocillabo uos, tum priuat, cum Christus ab ipso rogatus tam officiose ipsum ad domum comitabatur. Hoc enim quid aliud erat, q̃ si disertis uerbis dixisset: Ego filiam tuam sanabo? Sed uide, ut tota rerum natura longe aliud præ se ferat, q̃ promissio Christi. Filia agebat iam animam, Christus aũt in itinere tam diu cum

Christus non est contẽptor personarum.

Diuites male audiũt in scriptura.

Promissionũ diuinarũ certitudo

cum muliere hæmorrhousa occupatur, ut interea temporis filia animam efflet, & uidebatur aut socordia & obliuio, aut contemptus, q̃ Christus maluerit in sanãda hæmorrhousa occupari, q̃ ad domum archisynagogi festinare. Quid enim tam nõ potuisset sanatio mulieris hæmorrhousæ differri, donec filia iam animam agẽs sanitati restitueretur? Si hæmorrhousa sustinuit duodecim annis profluuium sanguinis, certo nullo uitæ suæ periculo sustinuisset ipsum adhuc duodecim horis, aut diebus, in puella autem iam animam agente periculosa erat dilatio sanitatis. Adue nit & nuncius, qui mortem puellæ ita narrat, ut perspicue significet, promissionem Christi uanam esse: Mortua, inquiẽs, est puella, noli uexare magistrum, seu ut Marcus ait, quid ultra uexas magistrum? Quid dicam de funeris apparatu, qui & ipse manifeste arguebat uanitatem promissionis Christi? Cum enim archisynagogus ueniisset ad domum suam, inuenit oĩa ad funus apparata. Aderant ciues funus comitaturi, aderant tibicines, pro more eius gentis, quæ pro tintinabulis, quoꝝ usus apud nos est, tubis utebantur, omnes flebant & plangebant mortuam. Quid, q̃ & ipsum Christi uerbum, quo turbam alloquebatur, uidebatur significare de puellæ salute planè desperatum esse. Dicebat enim: Puella non est mortua, sed dormit. Quod uerbum, cum omnes riderent, nimirum de morte puellæ certissimi, potuisset archisynagogum omnino à fide alienare, quippe q̃ cogitasset, Christũ non posse aliter puellam sanitati restituere, nisi dormiat. Nunc autem, cum non dormiat, sed mortua sit, quemamodum omnes testantur, non posse ipsum ullam salutem conferre. Breuiter, omnia promissioni Christi aduersa apparent, & solum nudum promissionis uerbũ propositũ est. Quid igitur archisynagogus faceret? num maiorem fidem adhiberet externæ rerũ faciei, q̃ uerbo promissionis? Verisimile equidem est, ipsum in conscientia ad incredulitatem ualde sollicitatũ fuisse, sed ad primum nunciũ de morte puellæ audit à Christo: Noli timere, crede tantũ, & salua erit, & quod Christus dicit, ueꝝ manet, quod aũt ipsa rerũ natura præ se fert, & q̃d omnes ciues, qui in funere adsunt, sentiunt, uanũ esse ostenditur. Excitatur eñ puella à morte, perinde atq̃ è somno, & restituitur parẽtibus salua. Quid ergo de certitudine uerbi Dei dubitabis, etiamsi tota rerum natura diuersum præ se ferat, & impletio uerbi aliquandiu differatur? Nam hæc est solennis Dei cõsuetudo, q̃ multa diuersa permittat accidere, inter promissionẽ suã, & impletionẽ eius, ut longe aliud, q̃ promissum est, agere uideatur, idq̃ non fit temerario casu, sed prudenti consilio. Primũ eñ differt inter aduersa impletionẽ uerbi sui, ut nomen suũ tanto gloriosius reddat, quãto diutius impletio uerbi differt. Si eñ statim, rebus nondũ omnino desperatis, & adhuc ipsa natura aliquatenus saluis, succurreret, nõ agnoscerent mirabilia eius, sed salus magis naturæ q̃ clementiæ diuinæ adscriberet. Atq̃ adeo, quàm primum implores auxilium Dei, tu ipse Deum admones, non quidẽ expressis uerbis, sed ipso orationis spiritu, cuius sensum Deus nouit, ut auxilium suũ tãtisper differat, dum oĩbus desperatis, manifeste cognoscat auxiliũ ab ipso solo pfectum esse. Cum igitur mora diuini auxilii pertineat ad gloriã Dei amplificandã, & ipse orationis spiritus hanc morã ambiat, cur ppter eam iudicares promissionẽ Dei esse mendacẽ? Deinde, differt Deus impletionẽ uerbi sui, ut interea temporis fides credentis exerceat, ut postea maiori gloria coronet. Quod igitur tuo maximo cõmodo fit, cur ad tuũ maximũ incõmodum incredulitate abutereris? Adhæc, q̃ Deus differat impletionẽ uerbi sui, in oculis quidẽ nostris uidet esse ignaua tarditas, at nulla planè est tarditas in oculis Dei. Tametsi eñ, pro humanæ rationis arithmetica, unus dies constet multis horis, & unus annus constet multis diebus, adeoq̃ fieri

Deus aliquãdo differt impletionẽ uerbi sui.

adeoq; fieri ſoleat, ut in ferenda afflictione unus dies uideatur nobis toto anno longior eſſe, Dñs tamen Deus noſter longe aliam habet arithmeticã. Apud hunc enim, quemadmodũ Petrus ex pſalmo docet, unus dies perinde eſt, ut mille anni, & mille anni, ut unus dies. Oportet igitur nos, cum ſimus filii Dei, arithmeticã patris noſtri cœleſtis diſcere, ut non iudicemus Deũ tardum & ignauũ, in impletione uerbi ſui, ſed potius ut ſentiamus, omne Dei auxiliũ opportunũ & uelox eſſe, etiãſi poſt annorum myriades contingat, & mora eius non eſſe tarditatẽ, ſed maioris gloriæ, & illuſtrioris auxilii præparationẽ. Et quid? num exiſtimabis uerbũ Dei mendax eſſe, propterea q̃ rerũ natura uerbo Dei aliquandiu contraria appareat? An neſcis, rerũ naturam uerbo Dei creatam eſſe? Neceſſe igitur eſt, ſi alterutri pereundũ eſt, ut potius rerũ natura, quàm ut uerbum Dei pereat. Quare ſi habueris promiſſionẽ uerbi Dei, id quod habes in oĩbus caſibus & afflictionibus huius ſeculi, non deſpondeas animũ, etiamſi oĩa exiciũ minentẽ, non recedas à uocatione Dñi, ſed quẽadmodũ archiſynagogus noſter cum Chriſto pergit, & audit: Noli timere, crede tantum, & ſalua erit filia, ita pergas & tu in uocatione Dñi, nec quicquam timeas, ſed crede tantũ, quia adhuc uiſus, inquit propheta, procul, & apparebit in finẽ, & non mentietur. Si morã fecerit, expecta illũ, quia ueniens ueniet, & non tardabit.

Sed perſtringamus & reliqua, quæ in hac hiſtoria notatu digna ſcribũtur. Nam cũ omnes flerent & plangerent puellam mortuam, dixit Ieſus: Quid tumultuamini & ploratis? Nolite flere, puella non eſt mortua, ſed dormit. Quid ergo, inquies? an nõ eſt plorandũ in funere amici? De hac re ſæpenumero diximus, ſed quia nullus nec finis nec modus peccandi in celebrandis funeribus defunctorum, dicamus & nũc aliqua. Nam ut in aliis rebus, ita & in funeribus efferendis à regia uia aberrat, & aut nimiũ ad dextrã aut nimiũ ad ſiniſtrã declinat. Quando etiã adhuc ſeruiebamus ſuperſtitionibus ſophiſticis, ibi tum uidiſſes nos ita plangere mortuos, perinde ac ſi nõ ipſi tm̃ perpetuo periiſſent, ſed etiã Dñs Deus noſter defunctus efferretur, nũc aũt, cum ea ſuperſtitio aut potius gentilitas ex autoritate uerbi Dei reprehenſa ſit, uide, obſecro, quid fiat, defuncti efferũtur, perinde ac ſi eſſent cadauera porcorum aut aſinorũ, & qui comitant funus, tanta morũ petulantia incedunt, ut diceres, nõ funus ſed ludũ aliquẽ iocularem eſſe. Et, o mores, o ſecula, uxores, quæ efferunt defunctos maritos ſuos, exiſtimant ſe non ſatis Chriſtianas, niſi ſtatim poſt funus, aut in ipſo etiamnũ funere, alteri marito nubant. Quod igitẽ ad has laſciuas mulieres attinet, etſi per ſe non eſt impium, ſtatim poſt funus prioris mariti nubere, & Chriſtiana libertas etiã hic in neceſsitate locũ ſuũ habere debet, tm̃ in hac re piæ & honeſtæ mulieri, extra euidentẽ neceſsitatis caſum, magis conſiderandũ eſt, quod ſit perſonæ eius decorũ, & quid publica honeſtas exigat, q̃ quid ipſi ex libertate Chriſtiana liceat. Omnia licent, inquit Paulus, ſed non omnia expediunt. Nam contra publicos mores libertate extra neceſsitatẽ uti, non eſt libertas ſed licentia. Et extat in Romana rep. honeſtiſsima lex, in qua ea mulier infamis pronunciat, quæ nuptiarum feſtinationẽ non præſtiterit priori marito luctus religionẽ, quæ totius anni tẽpore continet. Eſt aũt tam honeſtis legibus, non ſolum propter iram, ſeu publicã pœnam, uerumetiã propter conſcientiã, ut Paulus ait, obediendũ. Sed de his nũc non eſt locus pluribus differendi. Quod aũt attinet ad ipſum funeris luctũ, non eſt dolendũ & lugendũ ex impietate, aut ſuperſtitione, quemadmodũ gentes infideles, quæ nõ credunt reſurrectionẽ mortuorũ, & quæ neſciũt Deum adhuc uiuere & curare humanas res, etiamſi amici noſtri moriãtur. De his etiã Paulus dicit: Ne doleatis, quemadmodum & cæteri, non habentes ſpem. De his & Chriſtus ait: Quid

Funera defunctorũ quomodo celebranda.

In funere quomodo lugendum & dolendum.

rumultuamini & ploratis? Est autem dolendū & lugēdum ex charitate, & ut Deō placet charitas in proximum, ita placent ipsi quoq; lachrymæ, quæ pro amico defuncto ex charitate profunduntē. Sic Abraam defleuit uxorē suam Saram, sic Ioseph planxit patrem suum Iacob, sic Dauid Saulem. Etsi enim hi uixerūt tempore ueteris testamenti, crediderunt tamen in Christum, & crediderunt resurrectionē mortuorum per Christum, & cum hoc crederent, nihilominus tamen planxerūt mortuos suos, nimirum non ex infidelitate, ut ethnici & hypocritæ, sed ex fideli charitate. Sic & ecclesia fecit magnum planctum super Stephanum, quem tamen certo sciebāt in Christo obdormisse. Quare, ut publica honestas, ita & charitas proximi exigit, ut funera amicorum nostrorum in Dño obdormiscentium conuenientibus luctibus decoremus. Quid aūt illa sibi uult cōcio, q̄ Christus ait: Puella nō est mortua, sed dormit? num mors ipsa non est nisi somnus? Hæc est ualde mirabilis cōcio, & quæ ex diametro pugnat cum humano captu. Vnde & qui in funere huius puellæ præsto aderant, deridēt Iesum, & concionem eius. Solenne autem est, ut Christus & Euangelion eius derideat ab hominibus huius seculi. Christus, inquit Paulus, Iudæis offendiculū, Græcis uero stultitia est. Prædicat enim afflictiones esse uoluptates, paupertatem esse diuitias, ignominiam esse gloriam, & mortem esse somnum, hoc est, requiem ab oibus malis, & refocillationē ad ueram uitā. Qua prædicatione quid apparet inter se magis pugnare? Sed rideat sane turba, Christus autem reipsa, adeoq; maximo miraculo comprobat, uerbū suū uerissimū, & risum turbæ uanissimum esse. Ingredit enim in domū archisynagogi, & eiectis oibus aliis, assumit ad se tantū tres discipulos suos, Petrum, Ioannem & Iacobū, item patrē & matrem puellæ, hos admittit in conclaue, in quo puella mortua iacebat, tanquā testes miraculi, & apprehēsa manu puellæ clamauit dicēs: טליתא קומי, Talitha Kumi, placuit enim Marco, ipsam etiam uocem Christi Syriaca lingua, qua Christus usus est, pōnere, & est, si interpreteris, puella surge. Ecce igitur rem stupendam. Puella cōfestim surrexit & ambulabat, & ut adhuc certiori argumento declararet, ipsam ad uocem Christi uere uiuam factam, iussit Christus illi dare, quod ederet. Hoc stupendo miraculo Christus nō solū cōprobauit maiestatē suam, q̄ sit potentissimus Dñs mortis, sed etiam cōfirmauit admirabilem illam concionē, q̄ mors non sit mors sed somnus, quæ cōtio extat etiam aliàs in scriptura. In Daniele capite duodecimo dicitur: Multi de his qui dormiunt in terræ puluere euigilabunt, alii in uitam æternam, alii in opprobrium, ut uideant semper. Et de Stephano scribitur: Obdormiuit in Domino. Paulus quoq; ait: Nolo uos ignorare de iis, qui obdormierunt. Vides, mortem somnum seu obdormitionem dici. Quid ergo est somnus? & quid sequitur somnum? Somnus requies est ab omnibus laboribus, qui & hominem ita refocillat, ut remittat ipsum multo quàm acceperat aptiorem & alacriorem ad operā sequētis diei. Est igitur & mors nihil aliud, quàm requies ab afflictionibus huius seculi, in qua mortui ita recreantur, ut ex ea resurrecturi sint longe omnium fœlicissimi, non in hanc caducam, ut fit in somno, sed in perpetuam uitam. Quid ergo est quod mortem tam horribiliter timeas, ut etiam ad nominis eius mentionem expallescas? Sed ut sunt duo hominum genera, qui sese ægro animo naturali somno tradunt, ita duo potissimum hominum genera sunt, qui mortem timidissime horrent: Alterum genus est puerorum, qui cum per ætatē nōdum intelligere possint, quantæ sint somni cōmoditates, ad lectum à parentibus portati, nō aliter se gerūt, quàm si ad crucem tollerentur. Alterum genus est potatorum & ebriosorum, qui cum sciant se ex intemperantia sua, pro præsenti pœna, non nisi furiales somnos, nocturnam

Christus & Euangelion eius deridetur ab hominibus

Mors, somnus est.

Mors quid sit uere.

nocturnam inquietem & uenientis diei dolores reportare, uix post medium etiam noctis ad capessendum somnum adigi possunt: Sic est genus hominum incredulorum, qui cum nondum didicerint aut intelligant, aut si intelligunt, nondum credant Euangelion Domini nostri Iesu Christi, in quo prædicatur, ꝙ Christus uicerit mortem, & consecrauerit mortem in benedictionem uitæ, non possunt persuaderi, ut mortem grato animo excipiant. Est & genus hominum peccatorum, qui cum peccatis & sceleribus suis ita immersi sunt, ut de resipiscentia ne cogitent quidem, & propter impœnitentiam præsentiant se in morte non dulciter quieturos, sed horribilia & furialia somnia habituros, & tandem in perpetuam damnationis dolorem resurrecturos, nulla ratione, nulla eloquentia adduci possunt, ut mortẽ obuiis, quod aiunt, ulnis amplectantur. Quid ergo faciendum? Qui ut pueri somnum, ita ipsi mortem horrent, hi discant Euangelion de Iesu Christo, & cõcipiant ex ipso fidem, ut sciant in morte, non Satanam & infernum, sed Christum & cœlũ peruidere. Nam Euangelion docet, ꝙ Christus uicerit mortem in resurrectionem ad sempiternam fœlicitatem. Publica quoq; gentium testimonia significant, mortem non esse mortem, sed somnum & recreationem uitæ. Hebræi enim uocant sepulturam בית חיים, hoc est, domum uiuentiũ. Græci uocant, κοιμητήριον, quod est, dormitorium. Germani uocant agrum Dei, uidelicet, in quem tot grana, fructũ in perpetuam uitam productura, seminantur & spargũtur, quot homines in Christo obdormiscentes sepeliuntur. Qui autem peccatores sunt, hi resipiscant è peccatis suis, portent in uinea, in uocatione Domini, laborem diei & æstus, & obediant Domino, tam in ferendis malis, q̃ in faciẽdis bonis. Sic eñ fiet, ut quod est fesso uiatori umbra, & sudanti agricolæ somnus, hoc illis erit hora mortis, nimirum gratissima requies ab omnibus afflictionibus, & efficacissima recreatio, ad sempiternã fœlicitatem. Cæterum, ꝙ Christus iubet hoc miraculum celare, & præcepit illis uehementer, quemadmodum Marcus ait, ne quis q̃ id sciret, non hoc uult, ut miraculũ istud non diuulgetur opportuno tempore. Nam CHRISTVS ædidit ob hanc præcipue causam miracula, ut essent publica testimonia doctrinæ suæ, & ad hoc miraculum admiserat tres præcipuos discipulos suos, ac parentes puellæ, ut haberet, qui de hoc miraculo publice testificarentur, sed iubet celare ad tempus, donec uel turba dilabatur, uel ipse alio discesserit. Sciebat enim turbam eiusmodi ingenio præditos, ut nunq̃ regia uia ambulare sciant, sed aut nimiũ ad dextram, aut nimium ad sinistram declinent. Et sicut antea, cum audirent à Christo, puellam non mortuam, sed obdormiisse, deridebant Christum, tanq̃ ridiculum quendam morionem, quod quidem nimis ad sinistrã peccabatur, ita postq̃ adhuc unà congregati audiuissent puellam à mortuis suscitatã, uix se continuissent, quin rapuissent ipsum, ac regem creassent, id quod etiam aliàs apud Ioannem capite sexto conabantur. Regnum autẽ Christi non est de hoc mundo. Et ueni, inquit, in hunc mundum, non ut mihi ministretur, sed ut ego ministrem aliis. Quare, cum iubet celare miraculum, hoc tantum quærit, ne occasio daretur imperitæ turbæ nimis ad dextram peccandi, & se externum regem creandi, sed ut paulo post, opportuno tempore diuulgatum, maiorem fidem doctrinæ Euangelii sui conciliaret. Reponamus igitur hoc miraculũ alta mente, ut ex ipso certificati, mortem nõ esse mortem, sed dulcissimum somnum ad æternã uitam, alacri mente mortẽ, suo tempore, diuina uoluntate aduenientem excipiamus, & per eam in exoptatissimã & diu expectatã fœlicitatem ingrediamur, per Iesum Christum Dominum nostrũ, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus laudandus in secula Amen.

Incredulí mortem, ut pueri somnũ timent

Peccatores impœnitẽtes mortẽ horrẽt

Sepultura domus uiuentiũ & sacrum κοιμητήριον.

Miracula cur à Christo ædita.

CAPVT NONVM

HOMILIA LXXXIIII.



ACTENVS Dominus noster Iesus Christus euangelicum negocium, ab eo tempore quo baptizatus est in Iordane, solus administrauit. Nunc autem, cum uidisset, quemadmodū Matthæus ait, turbas, affectu misericordiæ tactus est erga illas, quòd essent destituti ac dispersi, uelut oues nō habētes pastorem, ait ad discipulos suos: Ipsa quidē messis copiosa, cæterum operarii pauci. Rogate igitur Dominum messis, ut extrudat operarios in messem suam. Quod ergo fœlix faustumq; sit, ex hoc tempore emittit Iesus duodecim Apostolos, quos ante ea ex omni discipulorum suorum numero selegerat, & in symmystas suos cooptauerat, ut Euangeliō regni Dei, inter Iudæos, (ad gentes enim non nisi post missionem spiritus sancti emittuntur) adnunciarent: Conuocatis (inquit Lucas) Iesus duodecim Apostolis, dedit illis uirtutem & potestatem super omnia dæmonia, & ut languores curarent. Et misit illos (binos, ut Marcus addit) prædicare regnum Dei, & sanare infirmos. Hic primum uide mihi ingentē misericordiam Domini nostri Iesu Christi, qua homines errātes complectitur. Nam quemadmodum oues à stabulis errantes non quærunt ipsæ pastorem, sed nisi pastor eas quærat, & ad stabulum compellat, subinde longius uagantur, donec à lupis comprehensæ discerpantur, ita homines, postq; coniecti sunt per Adam in omnia errorum genera, non quærunt ipsi saluatorem, sed nisi saluator ipsos quærat, ab errore non reuertuntur, donec perpetua internicione pereāt. Iesus Igitur Christus salutis humanæ tā sitiēs est, ut nō expectet, donec legati urbiū Galilææ rum postulēt ab ipso parrochos aut ecclesiastas, qui adnuncient ipsis Euangelion, sed sua sponte emittat Apostolos suos, qui nihil tale expectantibus, ac ne requirentibus quidem, summam salutem afferrent. Hanc autem misericordiam Dei sæpenumero scriptura nobis cōmendat, ut nos ad mutuum amorem Dei inuitet, & ad præstā da obsequii officia tam clemēti salutis nostræ amatori accendat. In Esaia dicit Dominus: Inuentus sum ab his, qui non quæsiuerunt me, dixi, ecce ego, ecce ego inuētus sum à gente, quæ nomen meum non inuocauit. Idem significat Christus in parabola de homine relinquente nonaginta nouem oues in deserto, & quærente unā quæ perierat, quam inuētam magno gaudio in humeris suis reportat. Et ad Apostolos ait: Non uos me elegistis, sed ego elegi uos, & constitui uos ut eatis, & fructū afferatis. Ioannes quoque in priori sua epistola capite quarto scribit: In hoc, inquiens, charitas est, non q̄ nos dilexerimus DEVM, sed quòd ipse prior dilexerit nos, & miserit filium suum propiciationem pro peccatis nostris. Nihil igitur nobis beatius erit, si nos Dño Deo nostro, tā ardenter diligenti, & tā sollcite nos quærēti, obediētes p̄beamus. Nihil nobis cōtra infœlicius erit, si diligentē auersemur, & q̄rē tē longius fugiamus. Quærit aūt nos Deus, cū reuelat nobis uerbū suū, & p̄mittit clementiā suā, ut resipiscamus. Itaq; si nō finamus nos tūc inueniri in p̄misione clemētiæ, necesse habebim⁹ paulo post inueniri in seueritate iræ & grauitate supplicii.

Christi misericordia erga errantes.

Deus quærit nos reuelatione uerbi sui.

Quærebat

Quærebat quondam priſcum mundum per prædicationẽ Noe, quærebat Zodomitas per Loth, quærebat Iſraelitas ante deuaſtationem Hieruſalem per prophetas, quærebat poſtea Iudæos per Chriſtum & Apoſtolos eius, ſed cum hi omnes nollent inueniri miſericordia, neceſſe habebant inueniri crudelitate. Quærimur & nos hoc tẽpore, quo clementia Dei reuelatũ eſt nobis Euangelion de Ieſu Chriſto, & de uera iuſtificatione per fidem propter Chriſtum. Inueniamur igitur miſericordia Dei, nepereamus grauitate ſuppliciorũ eius. Deinde, q̃ Chriſtus emittit Apoſtolos ſuos, confirmat externum miniſterium Euangelii. Potuiſſet enim Chriſtus Euangelion regni Dei omnibus Iudæis clam ſine externo miniſterio inſpirare, aut augelos de cœlo mittere, qui Euangelion inter Iudæos prædicarent, ſed maluit uti miniſterio hominum Apoſtolorum, ut moneret nos, q̃ non debeamus, ſine externo uerbo Dei, occultas ſpiritus reuelationes, aut angelorum prædicationẽ de cœlo ambire, ſed q̃ Deus uelit nos ſaluos facere per externum Euangelion, ab hominibus Apoſtolis prædicatum, quod, ut Paulus ait, potentia Dei eſt ad ſalutem omni credenti. Audiamus igitur Euangelion, quod Apoſtoli prædicarunt, & hoc tanta obſeruantia audiamus, ut ſi augelus de cœlo aliud Euangelion prædicet, anathema ſit. Cæterum, quando Apoſtoli emittuntur, ut publici legati, (Apoſtolus cũ Latinis legatum ſignificat) neceſſe etiã eſt, ut à Chriſto pro more publicatum legationnm inſtruantur. Ad legationem autem requiritur, ut legati inſtruantur primum mandatis, ut ſciant quid in nomine legantis agere debeant, deinde literis fidei, quas uulgo uocant literas credentiæ, quibus præparent ſibi fidem apud eos, ad quos legati ſunt, poſtremo, commeatu, uiatico, & id genus aliis rebus ad profectionem neceſſariis. Videamus ergo nunc, quomodo Chriſtus ſuos legatos inſtruat. Ac primum hoc eſt mandatum, quod dedit Apoſtolis, ut prædicent regnum Dei: Profecti, inquiens, prædicate dicentes: Appropinquauit regnum cœlorum. Quid autem in his concionibus intelligatur per regnum Dei, ſeu cœlorum, ſupra explicuimus, ſed quia res eſt neceſſaria cognitu, non pigebit etiam nunc paucis perſtringere. Regnum Dei hoc loco non eſt intelligendum abſconditum illud regnum, quod Deus omnipotentia ſua adminiſtrat in cœlo & in terra. Hoc.n. regnum non iam primum appropinquauit ſeu aduenit, cum Chriſtus in hunc mundum aduenit, & Apoſtolos ſuos emiſit, ſed fuit iam inde ſemper ab initio conditæ creaturæ, & durabit perpetuo, ſed intelligendum eſt illud regnum, quod Deus per prophetas orbi terrarum in Meſsia ſuo promiſit. Propheta enim Daniel enumerat quatuor regna terræ, Babylonicum, Perſicum, Græcum & Romanum, quæ habent etiam conditiones terrenas. In his regnis iniuſticia regnat, & iuſticia opprimitur, in his regnis impii fœliciter uiuunt, pii autem affliguntur, in his regnis peccatur, bellatur, rapitur, peieratur, adulteratur, eſuritur, ægrotatur, occiditur, moritur, breuiter, in his regnis omnia malorum genera fiunt. His quatuor regnis terrenis addit quintum regnum, quod uocat regnũ Dei, ſeu regnum cœlorum, quod eſt regnum Meſsiæ, & quod longe aliis conditionibus à prophetis deſcribitur, quàm quatuor illa regna terrena. In hoc enim regno, per Meſsiam adminiſtrando, regnabit iuſticia, & opprimetur iniuſticia. In hoc regno pii uiuent fœliciter perpetuo, impii uero infœliciter, in hoc regno non peccabitur, non bellabitur, non rapietur, non peierabitur, non adulterabitur, non eſurietur, non ægrotabitur, non morietur, in hoc regno nullus erit iniuſtus, nullus peccator, nullus ſenex decrepitus, nullus pauper, ſed oẽs erunt iuſti & ſancti, oẽs erũt iuuenes & robuſti, oẽs erũt diuites & reges, breuiter,

Miniſterium externũ Euãgelij cõfirmatur à Chriſto

Regnum Dei quid ſit,

Regnorũ terræ adminiſtratio.

Regnum Dei & adminiſtratio illius.

in hoc regno non erit nisi perpetua eaq; fœliciſsima uita. De hoc regno intelligẽ dum eſt mandatũ Chriſti, quo Apoſtoli eius iubent prædicare regnum Dei. Cum enim Ieſus, qui eſt uerus Meſsias & legitimus huius regni adminiſtrator, aduenisſet, recte mandatur Apoſtolis, ut publice prædicent, regnum Dei iam aduenisſe, ſeu, ut Euangeliſtæ loquuntur, appropinquaſſe. Quomodo ergo, inquies, aduenit hoc regnũ Dei, quum nihil uideamus in conditionibus regnoꝝ huius ſeculi mutatum? adhuc bellatur & peccatur, adhuc homines ſe inuicem opprimunt & opprimunt, adhuc eſuritur & algetur, adhuc ægrotatur & moritur. Quis igitur crederet aduenisſe unà cum Chriſto in orbem terrarum regnũ illud Dei, de quo prophetæ tam magnifica uaticinati ſunt? Sed audi tu uiciſsim: Duo ſunt Meſsiæ aduentus, alter eſt in humilitate, alter in gloria & maieſtate. In priori igitur aduentu, quo emiſit legatos ſuos ad prædicandum regnum Dei, ut aduenit humilis, ita aduexit etiam ſecum regnum illud Dei humile, uidelicet, ut hoc regnum non conſtaret iam externa maieſtate in hoc ſeculo, ſed conſtaret publica prædicatione Euangelii de Meſsia, & cõprehenderetur non exteriori ſenſu, ſed fide. In poſteriori autem aduentu, quemadmodum Chriſtus aduenit in maieſtate, ita aduehet etiam ſecum regnum Dei in maieſtate, ut quod nunc in priori aduentu uerbis Euangelii publice prædicatur, & fide apprehendit, id tunc manifeſta maieſtate ſentiat, & perpetua fruitiõe poſsideat. Quare hoc nunc nobis agendum eſt, ut Apoſtolicæ legationi adhibeamus fidem, & reſipiſcamus à peccatis. Sic enim fiet, ut re ipſa in nobis ſuo tempore reueletur, quod nunc fide percipimus. Habes mandatum quod Chriſtus Apoſtolis in hac legatione dedit, ſed non ſufficit legatis dare mandatum, niſi addas etiam literas fidei, quas uocant literas credentiæ, quibus fit, ut mandatis & uerbis legatorum fides adhibeatur. Videamus igitur quas fidei literas Chriſtus ſuis legatis dederit. Dedit, inquit Lucas, illis poteſtatem & autoritatem ſuper omnia dæmonia, & ut morbos ac infirmos ſanarent. Hæ ſunt illæ fidei literæ quas Chriſtus legatis ſuis dedit. Etenim principes huius ſeculi ſolent literis legatorum ſuorum appendere ſigilla armorum aut nobilitatis ſuæ, nimirum ſignacula aut urſorum, aut luporum, aut leonum, aut ſtruthionum, aut aquilarum, aut aliarum id genus rapacium beſtiarũ. Raro enim uideas nobilium inſignia eſſe agnum aut columbam, ſed eo nobiliores ſe putant, quo horribiliores imagines pro inſignibus uſurpant, uidelicet armorum ſuorum figuris publice ſignificantes, quo plærunque ingenio prædíti ſint. Chriſtus autem, etſi fuerit princeps cœli & terræ, non uſurpauit tamen ulla armorum inſignia, pro more principum huius ſeculi, ad confirmandam autoritatem legatorum ſuorum, ſed uſurpauit illa inſignia, quæ reportauit à patre ſuo cœleſti in hunc mundum, hæc autem ſunt, poteſtas ſuper omnia dæmonia, & poteſtas ſuper omnes morbos & languores. Hæc igitur inſignia concedit nunc legatis ſuis uice literarum credentiæ utenda, ut his parent ſibi autoritatem & fidem apud auditores, & confirment prædicationem ſuam, q; ueriſsimum ſit, regnum Dei iam appropinquaſſe. Et hoc loco habes legitimũ uſum miraculoꝝ, quæ ab Apoſtolis ædita ſunt. Chriſtus eñ nõ cõtulit Apoſtolis donũ ædendoꝝ miraculoꝝ, ut ſignificet, Apoſtolos tanq̃ propiciatores & expiatores peccatorum noſtorũ inuocandos eſſe, quemadmodum hypocritæ ſentiunt, ſed ut hoc dono confirmetur ueritas Euangelii, quod Apoſtoli prædicarunt, uidelicet, quòd unus ſolus Ieſus Chriſtus, ut propiciator & expiator peccatorum noſtrorum, inuocandus ſit, & quòd propter ſolum Ieſum Chriſtum per fidem habeamus remiſsionem peccatorum, & uitam æternam.

Regnum Dei quomodo aduenerit.

Meſsiæ duo aduentus. Chriſti aduẽtus prior.

Chriſti poſterior aduentus.

Literæ credẽtiæ quas Chriſtus Apoſtolis dedit.

Miraculorũ ab Apoſtolis ædítorũ uſus.

De literis

De literit fidei,quas Christus legatis suis dedit,hactenus. Nunc audiamus quomodo instruat eos uiatico, cõmeatu, & aliis id genus ad profectionem & legationem necessari is,& ait illis: Nihil tuleritis in uia,neq; uirgam,neq; peram, neq; panẽ, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis. Hæc in Matthæo ita recitant: Ne possideatis aurum,neq; argentum, neq; æs in crumenis uestris, neq; peram ad iter,neq; binas tunicas,neq; calceaméta,neq; uirgam. A pud Marcũ aũt ita legit: Et præcepit illis, ne quid tollerent in uiam, nisi uirgã tantũ,non peram,non panem, non in zona æs, sed calcearentur sandaliis, & ne induerentur binis tunicis. Quid autem sibi uolunt hæc inusitata præcepta? An non omnia, quæ hic prohibentur, legatis peregre profecturis necessaria sunt? Virga seu baculus in hoc necessarius est, ut quis eo innitatur,quo expeditius iter faciat. Pera seu mantica in hoc cõmoda est, ut uel panis,uel aliud quippiam in ea reponatur, cum non semper in itinere parata sint diuersoria,ubi panem & alia ad uictum necessaria emas. Est & pecunia necessaria, quæ in crumenis ad zonas seu cingulos alligatis gestatur. Calceamenta quoq; non quæuis domestica,sed bene consuta requiruntur ad profectiones. Necessariæ etiam sunt binæ tunicæ in honesta legatione,quarum altera utaris in itinere aduersus iniuriam imbrium, altera autem honestiori utaris in eo loco, in quo legatio peragenda est. Quid ergo est, q̃ Christus prohibeat legatis suis, ne quid tale in legatione sua gestent? Num per se impium est, possidere aurum aut argentum, aut baculum in itinere,aut in legatione ecclesiastica? cur ergo & Christus loculos habuit, in quibus Iudas itineris sumptum ferebat? cur tolerat, ut mulieres secum proficiscãtur, quæ subministrant ipsi & discipulis de facultatibus suis, si aurum & argentum in itinere legationis ecclesiasticæ gestare malum est? & cum præcipiat, ne tollant uirgam,quid est,q̃ apud Marcum concedat,ut sumant, uirgam? prohibet etiam calceamenta,cum apud Marcum sandalia concedantur. Et in actis Apostolicis capite duodecimo scriptum est,Petrum habuisse sandalia,dicẽte angelo,subliga sandalia tua. Quid q̃ etiam binæ tunicæ prohibentur,cum Paulus, qui etsi non sit de numero duodecim Apostolorum,inter primos tamen præcipuus est,testetur se penulam habere,in posteriori epistola ad Timotheum capite secundo? Dispiciẽdum igitur est,quid sibi uelit Christus his uerbis,quandoquidem uidemus Apostolos nõ obseruasse illa iuxta ὄρος. Sunt qui sentiunt,hæc præcepta fuisse personalia & tẽporalia, Apostolis tantum in hac prima legatione data,postea autem iterum abrogata. Nam quæ apud Matthæum præcedunt,uidentur perpetuitatem horum præceptorum tollere. Dicit. n. Christus: In uiam gentium ne abieritis, & in ciuitatem Samaritanorum ne ingrediamini. Quod præceptum obseruatum quidem est in hac prima legatione, sed postquam spiritus sanctus in die pentecostes missus est, Apostoli prædicauerunt Euangelion tam inter Samaritanos, q̃ inter gẽtes. Sic etiã existimant quidam, Christum hac tantum uice uetuisse Apostolis, ne panẽ, aut aliquid aliud pro uiatico secum sumant, deinceps autẽ hoc præceptũ abrogatũ esse. Et hæc quidem sententia non est absurda. Sunt & hypocritæ, qui ex his mandatis instituerunt regulas monasticas,& nec utuntur integris calceamentis, nec attingũt pecuniam, existimantes se his Deo ita seruire, ut horum merito expient peccata sua,& consequantur uitam æternam, sed uanitas illorum manifestior est, quam ut redargui debeat. Nam si quis omnes huius negocii, quod Christus hic tractat, circumstantias probe expenderit, inueniet Christum hoc loco non cõdere nouas leges, nec instituere nouum ordinem monasticũ, sed conferre suam paupertatẽ cum

Viaticum & cõmeatus quo Christus Apostolos instruxit.

Christus in ministerio suo pecunia usus est.

moribus principum huis seculi, qui in negociis suis legatos emittunt, ut sit sensus: Ego emitto nunc uos ad obeundam legationem longe omniũ maximam & excellentissimam, ut publice adnuncietis, regnum illud cœlorum, quod tanto tempore expectatum est, iam aduenisse. Ipsa autem legationis ratio postularet, ut instruerem uos cõmeatu & ornatu tanta legatione digno. Videtis enim, quot rebus principes huius seculi legatos suos ad profectionem præparent, numerant legatis suis pecuniam auream, argenteam, & æream, offerunt eis aut baculos, quibus in itinere innitantur, aut gladios, quibus se à latronibus defendant, dant calceamenta, quæ sunt ad conficiendum iter apta, addunt binas tunicas, alteram ambulatoriam, sic enim uocare libet eam tunicam, qua uiator in itinere aduersus imbres & niues utit, alteram ciuilem, qua legatus honeste in eo loco, ubi legatio peragẽda est, incedat, breuiter, principes huius seculi ornant legatos suos non iis tantum rebus, quæ ad profectionem necessariæ sunt, sed etiam quæ externo apparatu cõmendant dignitatem legationis, sed quam pecuniam ego uobis legatis meis numerarem, aut quas tunicas darem, cum ego ipse tam pauper sim, ut non habeam ubi reclinem caput meum? Necesse igitur habeo, præ paupertate mea, uos emittere sine baculo, sine pera, sine pane, sine numis, sine calceamẽtis & tunicis, ac ut maxime possim uobis uirgam & sandalia, quæ nullo pene sumptu parabilia sunt, subministrare, tamen alia, quæ uidentur ad legationem magis necessaria, non est opis meæ uobis prabere. Si quis uestrum è suis bonis quicq̃ harum rerum possidet, per me sane uti licebit, sed tale quiddam à me non expectet, quippe cp ego ipse, ad defungendam legationem patris mei, omnium pene rerum indigus obambulem. Habes paraphrasim uerborum Christi, qua sententiam ipsorum à uero nõ abhorrentẽ explicari agno sces, si perpenderis primũ, cp perã, panẽ, pecuniã, calceamenta & tunicas in legationibus, siue ciuilibus siue ecclesiasticis, gestare per se non sit impium, deinde cp Christus ipse in ministerio suo pecunia usus sit, adhæc, cp apud Marcum uirga, quæ sine pecunia parabilis est, concedit, præterea cp Christus tam pauper in hoc seculo fuerit, ut non habuerit ubi reclinaret caput suum, postremo, cp infra dicit ad discipulos: Quando misi uos sine sacculo & pera & calceamentis, num quid defuit uobis, quibus uerbis haud obscure significat, se pauperiorem quidem fuisse, quàm ut potuerit ipsis magnam uim pecuniarum ad obeundam legationem suam subministrare, nihilominus tamen se effecisse, ut necessitatibus ipsorum nihil unquàm defuerit, & mox subindicat, ipsos habuisse sacculos & peras, sed aliunde acceptas: Qui habet, inquiens, sacculum, tollat, similiter & peram, & qui non habet, uendat tunicam suam & emat gladiũ. Sed, quid si Christus his uerbis: Ne quid tuleritis in uiam, neq; uirgã, neque perã &c. conferat etiam non tantũ paupertatẽ, sed etiam legationem suam cum legatione principum huius seculi, ut sit sensus: Ego emitto uos ad prædicandum regnum Dei, & ipsa legationis ratio postularet, ut numerarem uobis pecuniam & alia necessaria, sicut faciunt principes huius seculi suis legatis, sed nolite errare, longe alia est ratio legationum ciuilium, quàm huius legationis. In legationibus enim ciuilibus necessarius est magnus sumptus & apparatus, ut legatio ipsa externa specie & maiestate commendetur. Vestra autem legatio nihil plane horum apparatuum indiget, quippe quæ ipsa rerum suarum maiestate illustrabitur. Potuissent ergo Apostoli adhæc obstrepere, ac dicere: Quid? extrudis ne nos prorsum inermes, indigentes, inopes & nudos? quis defendet nos ab hostibus? quis ab imbribus & frigoribus? quis à fame & inedia? Huic obiectioni ac sollicitudini occurrit ipse Christus, ac

Christi summa paupertas.

Legatio Apostolorum excellentior legationibus ciuilibus.

ctus, ac primum, cum ait: Ne quid tuleritis in uiam, satis perspicue significat his qui credunt in ipsum, & norunt ingenium eius, quòd non debeant derebus ad legationem necessariis solliciti esse. Etsi enim ea nunc in emissione non subministrentur, non deerunt tamen opportuno suo tempore, modo ipsi legatione sua fideliter defungantur. Deinde addit etiã Christus manifestas promissiones, tam de defensione ab hostibus, quàm de uictu & amictu. Ac de ipsorum quidem defensione apud Matthæum sic ait: Cum tradiderint uos, ne sitis solliciti, quomodo aut quid loquamini. Dabitur enim uobis in illa hora, quid loquamini. Non.n. uos estis illi loquentes, sed spiritus patris uestri, qui loquitur in uobis. Et iterum: Ne metuatis uobis ab his, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed metuite magis illum, qui potest & animam & corpus perdere in gehenna. Nonne duo passeruli minuto asse ueneunt? & unus ex illis non cadet in terram sine patre uestro. Vestri uero etiam pili capitis omnes numerati sunt. Ne igitur metuatis, uos pluris estis, quàm multi passeruli. His promissionibus munit Christus Apostolos suos fortius, quàm si adhibuisset ipsis exercitum innumerabilium ac fortissimorum militum. De uictu autem & amictu ait: Dignus est operatius cibo suo, hoc est, operarii estis, quare sitis tantum solliciti de opera & labore uestro conficiendo, curam autem uictus & amictus ei relinquite, ad cuius uocationem laboratis, is non sinet uos aut fame aut frigore perire. Et iterum: Primum quærite regnum Dei, & iusticiam eius, & hæc omnia adiicientur uobis, hoc est, iussi uos prædicare regnum Dei, hæc est uocatio, hoc opus, hic labor uester est. Itaque si hoc regnum diligenter prædicetis, & in uocatione uestra iuste ac fideliter ambuletis, omnia, quæ uobis tam adiuictum quàm ad amictum necessaria sunt, abundanter subministrabuntur. Et rursus: Nonne anima pluris est, quàm cibus, & corpus pluris, quàm indumentum? qui ergo dedit corpus & animam, quomodo idem non daret indumentum & cibum? Aciteę: Vertite oculos ad uolatilia cœli, cognoscite lilia agri quomodo crescant, & quanquàm illa nec serant, nec metant, nec conuehant in horrea sua, pater tamẽ uester cœlestis alit ipsa. Et hæc & si non laborant, neque nent, ne Salomon tamen sic in omni gloria sua amictus fuit, ut unum ex his. Quòd si Deus sic uestit hæc, an non multo magis uobis id faciet? Sed huc etiam pertinent hæ promissiones, quæ datæ sunt non tantum ipsis discipulis, sed etiam discipulorum benefactoribus. Quicunque, inquit Christus, ad bibendum dederit uni ex pusillis his poculum aquæ frigidæ tantum nomine discipuli, amen dico uobis, non perditurus est mercedem suam. His & aliis id genus promissionibus CHRISTVS maius & copiosius uiaticum Apostolis suis dedit, quàm si dedisset ipsis crumenas multis aureis numis plenas. Potuisset enim raptor quispiam aureos auferre, & fieri solet, ut & si legatis tuis multam uim pecuniarum dederis, non tamen in sumptum sufficiat, nullus autem prædo potuit Apostolis has promissiones rapere, & ex his tanta rerum abundantia contigit ipsis, ut nihil unquam eis defuerit. Sic.n. ipsi Apostoli ingenue fatẽtur: Quando misi uos, inquit Christus, sine sacculo & pera & calceamentis, nunquid defuit uobis? responderunt illi, nihil. Habes igitur quo uiatico & cõmeatu Apostoli à Christo ad prædicandum regnum Dei emissi sunt. Reliquum nunc est, ut ex his etiam nos admoneamur, quo abiiciamus præposteram nostrã curam de parando uictu, & assumamus legitimam curam de seruanda & exequenda uocatione Dei. Vulgaris enim hominũ morbus est, ꝙ primam omnium curam uictus,

Defensio ab hostibus promittitur Apostolis.

Victus & amictus nõ deest Apostolis

Regnum Dei ante omnia quærendum.

postremam uero, imo plane nullam, habeant curã sectandæ uocationis Dei. Christus autem docet nos in Apostolis suis, ꝙ debeamus primum omnium quærere regnum Dei, hoc est, uocationem, ad quam diuinitus ordinati sumus. Hoc si fecerimus diligenter & ex fide, omnia nobis ad uictum & amictum necessaria adiicientur. Nam ꝙ hæc ita sese habeant, confirmauit Deus magnis & stupendis miraculis. Abraam secutus est è patria sua uocationem Dei ad terram alienam, num ergo fame periit? Sed scriptura ait de Abraamo: Erat diues ualde in possessione auri & argẽti, tantũ abest, ut inedia perierit. Quid Iacob? cum ad uocationem Dei fugeret fratrem suũ Esaũ, & proficisceretur in exiliũ, num famelicus interiit? sed audi ipsum ab exilio reuertentem, quid de hac re dicat: In baculo meo, inquit, transiui Iordanem istum, & nunc cum duabus turmis regredior. De Israelitis autem in deserto pastis notior est historia, ꝙ ut pluribus referri debeat. Hi cum sectarentur uocationem Dei ex Aegypto ad desertum, necesse habuit cœlum potius contra naturam manna pluere, & petra aquam fundere, ꝙ ut sectantes uocationem Dei fame morerentur, unde dictum est: Non in solo pane uiuit homo, sed in omni uerbo quod procedit de ore Dei. Quid autem dicam de Elia, cui uocatiõem Dei sectanti coruus quotidie panem ad torrentem Carith afferebat. Discamus igitur primam omnium curam habere de sectanda uocatione Dei, ut non solum contingat nobis necessarius uictus in hac corporali uita, sed etiam perpetua salus in futuro seculo, per Iesum Christũ Dominũ nostrum, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus laudandus in secula Amen.

HOMILIA LXXXV.

QVid sibi uelit Christus, cum Apostolos legates suos absq; uirga, pera, pane, pecunia, & aliis id genus ad profectionẽ necessariis emittat, satis in præcedenti homilia explicatum puto. Nunc instituit Christus Apostolos in ciuilitate morum, quos apud hospites suos, ad quos diuerterint, obseruare debeant, ut sciant non solum quid prædicandum sit publice, sed etiam qua morum honestate uiuendum sit priuatim cum hospitibus. Et ait: In quamcunq; domum intraueritis, ibi manete, & illinc exeatis: Hoc apud Matthæum ita legitur: In quamcunq; ciuitatem, aut uicum fueritis ingressi, exquirite quis in ea sit dignus, atq; illic manete, donec exeatis. Quid autem illud sit, Lucas postea clarius explicat dicens: Nolite transire de domo in domum. Est igitur sententia: Si dignum, honestum & probum hospitem nacti fueritis, manete tantisper in domo eius, dum legationem & negociũ uestrum in urbe confeceritis, atq; alio profecturi sitis, in ea domo manete, donec urbem aut uicum exieritis. Nolite subinde mutare hospitiũ in eadem urbe, sed uno hospitio cõtenti sitis. Honestissimũ præceptũ, quo Christus admonet Apostolos, primũ ne in hospitem peccent, uidelicet, ne discessu suo coniiciant hospitem in infamiã, ꝙ aut sordidus sit, aut impius, deinde, ne & ipsi frequenti hospitiorũ mutatione præbeant de se suspicionẽ, ꝙ magis sectentur delicias & uoluptatẽ gulæ, ꝙ pietatẽ & uocationẽ Dei, postremo, ne iudicẽtur inconstantes, ac per hoc male audiat etiã ipsum Euangelion. Nam quemadmodum incessus modo tardus, modo citus, arguit hominẽ uarium & mutabilem, ita frequens hospitiorum mutatio indicat animum leuem & inconstantem. Quare Apostoli honeste admonentur, ut in ea domo maneant, ad quam diuerterũt, donec cõfecto negocio ex urbe proficiscant. Quod Apostolis dictũ est, hoc idẽ nobis omnibus dictum existimemus, non solum ut nõ mutemus

Hospitia non subinde in eadem urbe mutanda.

frequenter

frequẽter artifices, aut seruitutes. Sunt enim quidam tam morosi homines, qui subinde mutent artifices, uerbi gratia, sutores, sartores, & id genus alios, ac modo hũc sartorem, modo alium, paulopost alium ad conficiendas sibi tunicas seligunt. Sũt & serui, qui subinde alios atq; alios dominos sibi conquirunt. Hæc facta, & si per se non sint peccata mortifera, arguunt tamen leuem, inconstantem & morosum animum. Cum autem Christus exigat hoc loco ab Apostolis suis hanc morum ciuilitatem, ut nõ subinde mutent hospitia, manifeste declarat, q̃ non tantum exigat operа in lege Domini præcepta, sed q̃ etiam exigat honestã ciuilitatem externorũ morum, & q̃ hæc ciuilitas ita placeat Domino Deo nostro, q̃ per eam uelit clemẽter dare benedictionem bonæ inter homines famæ, quæ est donum Dei minime contemnendum. Sed quid faciemus, inquit Apostoli, si ad urbem quandam appulerimus, & non recipiamur? num detrahemus ignem de cœlo, & comburemus eã urbem, quemadmodum Zodoma combusta est? aut quẽadmodum Elias quinquagenarios combusit? aut iubebimus ut terra dehiscat & deglutiat eos? aut alia mala imprecabimur? De hac ergo re audi nunc Christum: Quicunq; non receperint uos, exeuntes de ciuitate illa, etiam puluerem pedum uestrorum excutite in testimonium aduersus illos. Necessarium præceptum. Apostoli enim existimabant regnum Christi esse de hoc mundo, & legerant apud prophetam Esaiam de aduentu Messiæ: Cognoscetur manus Domini in seruis suis, & indignabitur inimicis suis, quia ecce Dominus in igne ueniet, & quasi turbo quadriga eius, reddet in indignatione furorem suum, & increpationẽ suam in flamma ignis, quia in igne Dominus diiudicabit, & in gladio suo ad omnem carnem, & multiplicabũtur interfecti à Domino. Ex hoc & aliis prophetarum locis putabant fore, ut qui Christũ & Euangelion non agnoscerent, statim externo supplicio afficiẽdi essent, atq; adeo ex primo aduentu Christi faciebant nouissimum aduentum eius. Christus autẽ auocat ipsos ab hac opinione, & præcipit eis, non ut contemptores Euangelii perdant incendio, aut uirulentis conuiciis humano more proscindant, sed ut abeant ex ciuitatibus ipsorum, & excutiant puluerem pedum suorum, in testimonium aduersus illos, hoc signo publice testificantes, uel q̃, sicut ipse excutiant puluerem de pedibus suis, ita Deus excutiat contemptores Euãgelii ab omni clementia sua, uel q̃, sicut ne pulueris quidem impiorum, qui in plateis sparsus est & nullius momenti reputatur, participes esse uelint, ita nihil uelint commune cum impiis Euangelii contemptoribus habere, & q̃ omnem culpam perditionis à se in caput impiorum excutiãt & reiiciant. Et quod Christus hoc loco Apostolos facere iubet, hoc etiam post missionem spiritus sancti usurpatum fuit. Nam cum Antiochenses eiecissent de finibus suis Paulum & Barnabam, abierunt illi excusso puluere pedũ suorum in eos, quemadmodum in actis Apostolicis capite decimo tertio scriptum est. Quid hoc, inquies, genus ultionis? hæccine satis sufficiens est pœna impietatis, uidelicet excutere puluerem in impios? an non impii uidentes tale spectaculum magis ridebunt, q̃ resipiscẽt? quid enim incommodi afferret ipsis pulus ex aduerso proiectus, nisi forte tenebras oculis ad tempus offundat? Satis quidem ridiculum est spectaculũ, si externa tm̃ conspicias, sed Christus aliàs addit horrendũ supplicium: Dico uobis, inquiens, q̃ Sodomis in die illo erit remissius q̃ ciuitati illi. Ridẽt & hoc impii, quoties appellatur ad iudicium Dei, sed tempus erit, quo impius ipsorum risus uertetur in perpetuum fletum. Quid enim? an existimant iudicium Dei non futurum? Deus iamdudum iudicauit orbem terrarum diluuio, Zodomam & finitimas urbes incendio, Pharaonem submersione, Iudæos deuastatione, & dispersione.

Ciuilitas externorum morũ Deo grata

Apostolorum opinio de regno Christi.

Iudicium Dei generale futurum.

sione in omnes gentes, & putas non fore generale iudicium Dei aduersus omnes impios? De generali Dei iudicio aduersus impios concionantur prophetæ, prædicat ipse Christus, testificantur Apostoli, & tu audes tibi polliceri impunitatem impiorũ? Nã q̃ Deus differat, nõ est tarditas, quemadmodum Petrus ait, sed patientia, dum non uult ullos perire, sed omnes ad pœnitẽtiam recipere. Et Paulus: Cogitas, inquit, q̃ tu suffugies iudicium Dei? aut diuitias bonitatis illius ac tolerãtiæ lenitatisq̃ contemnis, ignorans, q̃ bonitas Dei ad pœnitentiam te inuitat? sed iuxta duriciam tuam & cor pœnitere nescium colligis tibi ipsi iram in die iræ, quo patefiet iustum iudiciũ Dei, qui redditurus est unicuiq̃ iuxta facta sua. Noli igitur sermonem de futuro Dei iudicio ridere, sed time, & resipisce, ut per Christum seruetis. Habes nunc Apostolos, mandatis, literis fidei, cõmeatu, doctrina ciuilitatis ac modestiæ instructos. Illi ergo egressi, circumibant per castella euangelizãtes & curãtes ubiq̃. Exemplum obedientiæ in Apostolis, exemplum etiam diuinæ potentiæ in Christo Iesu, q̃ non ipse tantum, sed Apostoli etiam in nomine ipsius miracula ædiderint. Hinc factum est, ut maior subinde fama de Iesu percrebuerit, ita ut etiam in aulam Herodis peruenerit. Sed quo longius spargebatur, eo incertiora & inconstantiora de Christo dicebantur. Sic enim sequitur: Audiuit autem Herodes retrarcha omnia, quæ fiebant ab eo, & hæsitabat, eo quod diceret à quibusdã Ioannes surrexit à mortuis, à quibusdam uero, Elias apparuit, ab aliis autẽ, prophetа unus de antiquis surrexit. Et ait Herodes: Ioannem ego decollaui. Quis est autẽ iste, de quo ego talia audio. Et quærebat uidere eum. Ex hoc primum discendũ est, quàm uarium & mutabile semper sit fama, & quòd acquirat quidem uires eundo, sed magis ficta quàm uera nũciet. Vides hoc loco, famam de Iesu multa quidẽ spargere, sed nondum tamen uera prædicare. Iesus ab aliis dicitur Ioannes, ab aliis Elias, ab aliis propheta quispiam, à mortuis excitatus. Quotusquisq̃ autem est, qui dicat ipsum esse Christum seu Messiam? Hic fama, cum ueritas dicenda esset, pisce magis muta est. Caue igitur inconstanti famæ credas, sed ut recte iudices, ueritatẽ inquiras. Deinde in Herode multa obseruanda ueniunt. Nam Herodes retrarcha occiderat Ioannẽ Baptistam iniquissime, quẽadmodum supra ostensum est, ac intereà quidẽ temporis secure uixit, nunc aũt, postq̃ fama nunciat Ioannem à mortuis resurrexisse, ibi tum tanto mentis horrore comprehenditur, ut iam gladium cerui ci suæ impendere putet. Cum eñ dicit: Ioannem ego decollaui, quis est aũt iste, de quo ego talia audio, uerba sunt plena timoris, & hanc habent sententiã: Fortasis Deus resuscitauit nunc Ioannem, ut uindicet iniuriam sibi à me tyrannicissime illatam, fortasis nunc nõ solum regno sed etiam uita mea ab ipso priuabor. Quo mẽnũc uertam? quem implorem? ad quẽ cõfugiam? Si Ioannes à mortuis resuscitatus est, nusq̃ ne apud exteros quidẽ tutus ero. Si enim Deus potuit Ioannem è uita reuocare, qui non possit etiam efficere, ut ego dem Ioanni dignas pœnas proscelere meo, ad quamcunq̃ regionem aufugiam. Hic ergo primum uide mihi, q̃ secura sit mẽs peccatoris, priusq̃ iudicio Dei percellat. Herodes enim, postq̃ occidit Ioanẽ, contemnit scelus suum, & quia homines negligunt ac obliuiscuntur, existimat etiam Deum sceleris oblitum. Sic Cain contemnit fratricidiũ suum, nunquid custos, inquiens, fratris mei sum ego? sic Dauid desῖgnato adulterio & homicidio securus erat: uarius, inquiens, est euentus belli, & nunc hunc, nunc illũ consumit gladius, sic Iudas uendito Christo negligebat peccatũ suum summa securitate, dicẽs, nunquid ego sum Rabbi? Sed quid? num quia caro negligit peccatum, Deus etiam negligit? nihil minus: Ad Cain enim dicit: Nonne si bene egeris erit oblatio, sin autem

Apostolorũ obedientia.

Fama inconstans.

Peccatorum mens secura ante sensum diuini iudicij

sin autem male, peccatum quiescet, donec reuelet? Et Salomon: Peccator, inquit, etsi centies mala faciet, & diu uiuat, tamen cognoui, quòd bene erit timẽtibus Deum, & his qui uerentur faciem eius. Et nõ bene erit impio, & dies eius, qui sunt sicut umbra, non differentur. Deinde animaduerte, q̃ timida, q̃ formidolosa, q̃ inquieta sit mens male sibi conscia, postq̃ iudicio Dei perculsa est. Herodes non magno fuisset terrore correptus ad famam multorum hostium in fines regni sui incurrentium, ad famam autẽ Ioannis à mortuis resuscitati, qua reuelatur ipsi iudiciũ Dei, tanta formidine cõprehenditur, ut de salute sua etiamnũ desperet. Sic Adam ad uocem Dei in paradiso fugit, sic Cain ad iudicium Dei uagus & profugus in terra oberrat, & ad quemuis strepitũ, tanq̃ gladiũ ceruici suæ imminentẽ, exhorrescit, sic Ahitophel, sic Iudas iudicio & reuelatiõe peccatorũ suorum in cõscientia ita exterrẽtur, ut se ipsos suspendãt. Sic & apud Mosen de peccatoribus dicit: Dabo pauorẽ in cordibus eorum, terrebit eos sonitus folii uolantis, & ita fugient, quasi gladium. Et iterum: Dabit tibi Dominus cor pauidũ, deficiẽtes oculos, & animam consumptam mœrore, & erit uita tua quasi pendẽs ante te. Cum igitur tam horrendũ sit iudicium mentis male sibi cõsciæ, quid faciemus? Resipiscamus in tempore malo, agnoscamus peccatum nostrum, audiamus Euangelion de Iesu Christo, & adhibeamus ei fidem. Sic enim non solum consequemur remissionem peccatorũ propter Christum, uerumetiam uincemus omnes terrores conscientiæ, & iudicium Dei saluti euademus. Adhæc, uide hoc loco, q̃ impotens, q̃ imbecillis sit iniquitas, etiamsi regia maiestate munita fuerit. Herodes fuit potẽs tetrarcha, & principali exercitu stipatus, attamen quia fuit obrutus iniquitate, quam in Ioannem designauerat, ita exarmatus est, ut non potuerit forti animo leui rumusculo de Ioanne resistere. Nec id quidem mirum uideri debet. Inquitas enim exarmat hominẽ omni diuino præsidio. Vbi autem non est diuinum præsidium, quid humana potẽtia est nisi umbra, & quod multo uanius est, somnium umbræ? Quare caue inique agas fiducia humanæ potẽtiæ, ne simul & diuina & humana potẽtia priueris. Postremo adnotabis, q̃ potens sit innocẽtia, etiamsi, ut ita dicam, sepulta fuerit. Ioannes Baptista fuit uir lõge omnium innocẽtissimus, quem Herodes iam ante decollauerat, & discipuli ipsius sepeliuerant, nihilominus tamen sanguis eius Herodem ita affligit, ut etsi magno exercitu munitus sit, ad nomen tamen eius expalleſcat, & mortem ipsam sibi iam iam impẽdere existimet. Sic & sanguis innocẽtis Abeliã mortui ita affligit Cainum, ut nusq̃ ipsum securum ambulare permittat. Tantæ potentiæ est innocẽtia, quippe quæ habeat à parte sua statẽs non solum omnes angelos Dei, uerumetiam Deum ipsum, omnipotentem rerum gubernatorem. Quid aũt fortius & potentius eo, quod habet Dominum Deum adiutorem? Quare si iniuria affectus fueris, & desideras iuxta spiritum Dei aduersarios ulcisci, non referas iniuriam iniuriæ, nõ rependas malefacta malefactis, non proscindas inimicos conuiciis, sed uiuas innocenter, reddas bonum pro malo, & intercedas pro aduersariis apud Deũ, quo ultionis genere potentius conuinces aduersarios, q̃ si omnia bellica tormẽta admoueris, & eris per innocentiam terribilis, nõ solum regibus & principibus huius seculi, uerumetiam ipsis dæmonibus. Sed uideamus nunc, quid Herodes in tanta trepidatiõe agat, quibus modis formidini suæ cõsulat. Quærebat, inqt Lucas, uidere eũ. Quam ob causſam? ut agnosceret, num Ioannes esset. Quid tum postea? num ut iterũ, quoquomodo posset, occideret ipsum, quo incolumitati suæ & regni sui consuleret? Certe hoc est fere humanæ maliciæ ingeniũ, ꝙ ad agnitionem peccati nõ resipiscat, sed conetur admissum peccatum maiori peccato contegere. Sic Dauid

Mentis male sibi conscię timiditas, agnito iudicio Dei.

Iniquitatis imbecillitas.

Innocentiæ potentia.

Humanæ maliciæ ingeniũ.

uoluit adulterium suum homicidio expiare, sic adultera Aegyptiaca uoluit adulterium suum, ad quod Iosephum sollicitauerat, mendaciis, calumniis, & falsissimis criminationibus celare, sed ut nec nigrum nigro, nec cœruleum cœruleo delere potes, ita nec peccatum peccato expiatur, imo augetur potius quàm expurgatur. Quare si peccasti, non addas peccatum peccato, sed resipiscas. Sola enim resipiscentia fiet, ut tegas admissum peccatum, & cõsequaris remissionem peccatorũ. Hæc de Herode. Redeamus autem nunc ad Apostolos. Et reuersi, inquit, Apostoli narrauerunt illi, quæcunq; fecerunt. Et assumptis illis, secessit in locum desertũ ciuitatis, quæ uocatur Bethsaida. Quid sibi Christus hoc secessu suo uelit, fortasis nõ curiose dubitari potest. Et ecce, quæ de Herode præcedunt, nonnihil significant Christũ secessisse, ut declinaret insidias Herodis. Vnde & in Matthæo capite decimo quarto discipuli nunciant ipsi Iesu, Ioannem ab Herode decollatum, quod cũ audisset Iesus, secessit illinc in naui ad desertum locum seorsim. Ergo ne Christus timet mortem, & fugit? Non est timiditas, sed prudentia, uitare pericula mortis, cum legitime facere poteris. Vt enim fortis uiri est, illatam mortem constanti animo ferre, ita cauti & prudentis est, nõ se temere periculis mortis exponere. Secessit & ob hanc caussam, ut ipse cum discipulis aliquantũ à laboribus quiesceret. Hanc enim secessus caussam Marcus exponit, dicens: Cõgregantur Apostoli ad Iesum, ac renunciarũt ei omnia, & quæ egissent, & quæ docuissent. Et ait illis: Venite uos soli seorsim in locum desertum, & requiescite pusillum. Erant enim qui uenirent & abirent multi, ac ne cibum quidem capere uacabat. Ex his perspicue uides, Christum secessisse cum discipulis, non tantum ad deuitandas insidias Herodis, uerum etiam ad captãdam requiem à laboribus. Quid ergo? Christus ne sectatus est ignauum ocium? Imo sectatus est negocium. Secessit enim, non ut omnino à labore cessaret, sed ut hoc secessu sese ad maiorem laborem capessendum & sufferendum pararet. Est ocium ignauum, quo inertes parant se non ad negocia, sed ad delicias & uoluptates. Est ocium honestum, & necessarium, quo boni uiri reddunt sese aptiores ad negocia & uocationes suas sectandas. Tale ocium nõ solum suasit, sed etiam mãdauit Deus in lege, dum instituit sabbatum, & iubet in eo non hominem tantũ uerumetiam iumenta quiescere. Obediamus igitur mandato Dei & exemplo Christi, ut suo tempore ociemur non ad luxum, quod impii & ignaui solent, sed ad pietatem, ut nunq; minus ocioſi simus, quàm cum ocioſi, in Christo Iesu Dño nostro, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus laudandus in secula Amen.

Peccatum nõ expiatur peccato.

Christi secessus ad euitandas insidias Herodis.

Ocium ignauum.

Ocium honestum à Deo mandatum.

HOMILIA. LXXXVI.



Miraculum, quod sequit de quinq; panibus & duobus piscibus, tanto altiori mente reponendũ, & maiori fide obseruandum est, quanto diligentius illud, non Lucas tantũ, sed omnes quatuor Euangelistæ descripserunt. Nam præter hoc, q̃ reuelat nobis perspicue maiestatẽ Christi, testificatur etiam & confirmat ueritatem earum promissionum, quas Deus ambulantibus in uocatione sua de uictu dedit. Perstringemus igitur primum historiam miraculi, deinde explicabimus etiam usum eius. Postq̃ Apostoli reuersi sunt à legatione sua: Iesus assumptis illis, secessit in locum desertũ ciuitatis, quæ uocat̃ Bethsaida. Quod cum cognouissent turbæ, secuti sunt illum. Quid ergo Christus? Num quia secesserat ad captandam requiem à laboribus, repellit nunc turbam importune obstrepentem? Hic quidem solennis mos est principum huius seculi, ut exhibeant sese,

beant ſeſe, præſertim abiectis hominibus, aditu difficilimos. Chriſtus autem maluit requiem ſuam derelinquere, q̃ ſalutem populi negligere: Et excepit illos, ac (ut alius Euangeliſta ait) affectu miſericordiæ tactus eſt erga eos, qui erant uelut oues non habentes paſtorem: Et loquebatur illis de regno Dei, & eos, qui curatione indigebant, ſanabat. Eſt autem hic miſericordiæ affectus in Chriſto non oſcitanter animaduertẽdus. Etſi enim Chriſtus aſcenderit in cœlum, & ſederit ad dextrã Dei patris, ac abiecerit humanas infirmitates, & mortalitatem, non tamen abiecit uirtutes animi, ſed tanto maiores eas poſsidet, quãto illuſtriori maieſtate apud patrem ſuum in cœlis præditus eſt. Inter uirtutes autem animi nõ minimum locum obtinet miſericordia, qua quis aliena, perinde ac ſua ipſius, calamitate afficitur. Quare, qua miſericordia uidemus Chriſtũ hoc loco erga miſerũ & errabundũ populũ tangi, eadem ipſum iam in cœlo regnãtem adhuc præditum eſſe ſentiamus. Habemus, inquit Apoſtolus, pontificẽ, nõ talem, qui nõ poſsit affici ſenſu infirmitatum noſtrarum, ſed tentatum per omnia iuxta ſimilitudinem abſq; peccato. Accedamus igitur cum fiducia ad thronum gratiæ, ut conſequamur miſericordiam, & inueniamus gratiam ad opportunum auxilium. Dies aũt cœperat declinare & accedentes duodecim, dixerunt illi: Dimitte turbas, ut euntes in caſtella, uillaſq; uicinas diuertant, & inueniant eſcas, quia hic in loco deſerto ſumus. Hic iam explicant Apoſtoli ingens, ut putãt, prudentiæ ſuæ ſpecimen. Erat enĩ immenſa populi multitudo, uiri fere quinquies mille, præter mulieres & pueros. Appetebat ueſpera, locus erat deſertus, & procul à uicis & oppidis ſemotus. Non habebant ipſi, niſi quinq; panes hordeaceos & duos piſces. Quid ſi uenerit etiam ipſis in mẽtem duricies populi, quam aliquando Moſe in deſerto expertus erat? Cum enim Moſe populum Iſrael ex Aegypto eduxiſſet in deſertum, & illi non haberent, quod ederent ac biberẽt, paulum abfuit, quin fuiſſet ab ipſis lapidatus. Hoc idem fortaſsis etiam Apoſtoli ſibi ab hac turba mutuebant, ſi non darent illis quod ederent. Quare exiſtimant ſe prudentiſsime facturos, ſi admoneãt Chriſtum, ut dimittat turbas. Videmus, inquiunt, te mentis tantũ curam agere, non aũt uentris, ſed quid profuerit, ſi mens ſaciata eſſet, & corpus interim fame interiret? num expectabunt hic in deſerto, donec columbæ aſſatæ in ora ipſorum aduolent? Veſpera eſt, locus deſertus eſt, populus durus eſt. Quare uidetur nobis conſultiſsimum, ut dimittas turbã, quo abeant in finitima caſtella, & coemant ſibi cibos, cras, ſi libet, ad concionẽ tuam reuerſuri. Hæc ſi extrinſecus cõſideres, uidentẽ prudentiſsime cõſulta, ſed ſi propius introſpexeris, inuenies hanc prudentiam non eſſe, niſi arrogãtem ſtulticiam & eximiam incredulitatẽ. Nam cũ Apoſtoli admoneant Chriſtum tanto ſuperciliõ, de dimittenda turba, quid aliud eſt, q̃ quòd ſignificent ſua opinione, Chriſtum adeo incogitantem eſſe, ut nullam habeat curam ſalutis populi, & neceſſe ſit, ut ipſi leges rerum agendarũ præſcribantur: ſe uero Apoſtolos tanta prudentia prædi tos eſſe, ut ſciant, quid ad populi ſalutẽ conducat. Quid aũt? Sentire Chriſtũ eſſe de ſalute populi incogitantem, Chriſto leges rerum agẽdarũ præſcribere, & ſe prudentiorẽ Chriſto iudicare, an non hæc eſt arrogantiſsima ſtulticia, & ſtultiſsima arrogantia? Sed & incredulitatẽ ſuam prodũt Apoſtoli. Paulo ante enim audierãt: Primum quærite regnum Dei, & iuſticiam eius, & hæc omnia adiicientur uobis. Et cum iuxta hoc uerbum uocatione Chriſti ſeruirent, nihil defuit ipſis. Nunc aũt & ſi uidebant populum quærere regnum Dei, obliti tamen diuinæ liberalitatis, exiſtimant populum in deſerto fame moriturum. Videbant item eo ipſo tempore, Chriſtum non ſolum prædicare Euangelion ſuum, ſed etiam infirmos ſanare. Et

Chriſti miſericordia.

Apoſtolorum arrogãs prudentia, & eximia incredulitas.

sanabat,inquit Lucas, eos, qui curatione indigebant. Qui ergo abigebat uerbo ægritudinem à corpore,num is non poterat etiam famem à stomacho abigere? qui maiora præstabat,minora non poterat? Adhæc sciebant Israelitas,qui duce Mose,uocationem Dei ex Aegypto in desertum secuti fuerant, manna cœlitus misso pastos esse in deserto,quanto magis illis de uictu bene sperandum erat, qui secuti fuerant Christum in desertum. Apostoli igitur, consilio suo, non prudentiam sed stulticiam, non pietatem, sed incredulitatẽ suam declarant.Quid aũt ad hæc Christus? Scilicet delectatus tanta consiliariorum suorum prudentia, respondet ipsis ridicule,ut prudentiam ipsorum magis prouocet: Vos, inquiens, date illis, quod edant. Videtis me occupatum prædicando Euangelio, & sanandis ægrotis. Vestrum aũt duodecim sunt,uestrum igit erit,de uictu curare, ego solus his duobus curis sufficere non possum. Hæc cum εἰρωνικῶς dicta sint, aperuerunt tamẽ Apostolis latissimum explicandæ prudẽtiæ suæ campum. Dicebant enim: Nõ sunt nobis plures,q̃ quinq; panes,& duo pisces. Nisi nos eamus & emamus in omnem hunc populum escas. (Erant aũt fere uiri quinq; millia.) Hoc est: Sapiẽter sane mandas nobis,ut tantæ turbæ cibũ subministremus,sed unde,obsecro, accipiemus? an promemus è nostro penu? Sed quinq; tm̃ panes & duos pisces habemus. Hæc q̃d sunt, inter tam multos? Ememus nec? Sed ducentorũ denariorũ, hoc est, uiginti quinq; aureorum numorũ panes nõ sufficiũt eis, ut unusquisq; pusillũ quiddã accipiat. Quis aũt nobis tantam pecuniæ uim subministraret? Quare quo diutius deliberamus, hoc consultius nobis uidet,ut dimittas turbam,ne si fame irritentur, lapidibus nos obruant. Vides Apostolos prudentiam suam etiamnum ostentare, sed quo prudentius sese agere putant,hoc magis produnt stulticiam & incredulitatem suam. Quid enim? num cuius nomine & iussu paulo ante eiecerant dæmonia, & sanauerant morbos,eius etiam iussu non sperauerint se aut inuenturos aut accepturos, quod turbæ ad uescendum ꝓponerent? In nuptiis Canæ Galilææ uiderunt Christum solo uerbo aquam in uinum mutasse,quod tamen non usq; adeo necessariũ erat,siquidẽ & aqua sitim extinguit,& nunc in necessitate non inueniret, quo succurreret eorũ fami, qui audiendi uerbi Dei gratia ad desertũ confluxerant? Nõ solum aũt Apostoli hac in parte peccarunt,uerum etiam nos planè in eodem, q̃d aiũt, luto hæremus. Cum enim aut nimia pluuia,aut nimia siccitas agros corrũpit, mox sublatis in cœlum oculis, præscribimus Domino Deo nostro leges, quibus hunc mundum administrare debeat,& impudenter pronunciamus, nisi Deus breui tẽpore aurã mutet,non iumenta tantũ,sed homines etiã fame interituros. Quid aũt hoc aliud est, q̃ arrogare sibi maiestatem prudentiæ rerum administrandarũ supra Dñm Deũ nostrũ? Quid emm̃? nũ si omnes agri perirẽt,& nec pluuia nec siccitas terram tẽperarent,nõ haberet Deus alias ratiões,quibus hoies & iumẽta seruaret? Quid? an nescit,q̃bus rebus opus habeamus? aut si scit, nõ fauet nobis? aut si fauet, nõ potest præmole aliorũ negociorũ, necessaria nobis administrare? Absit,ut hæc uel per somniũ nobis in mentẽ ueniãt. Dñs Deus noster,uetus admodũ paterfamilias est,& administrauit iã mundũ plus q̃ q̃nq; millibus annorũ,ipsoq; rerũ usu edoctus,optime nouit,quid familiæ suæ necessariũ sit. Quare nõ opus habet nostro cõsilio,multo minus imperio nostro. Adde huc, q̃ per Christum ita nobis placatus sit,ut etiamsi nos extrema quæq; meriti simus ꝓpter peccata nostra, malit tm̃ nobiscũ agere secundũ misericordiã suã, q̃ secundũ pctã nostra. Et quanq̃ sit negocios issimus oĩm rerũ administrator, nõ tm̃ ita in aliis occupatus est,ut nõ in numerato habeat etiã pilos capitis nostri. Quid igit times,ne Deus salutis nostræ oblitus sit? Finge etiam extrema,uũdelicet, q̃ moriendũ nobis sit fame, num ideo animũ despon

Incredulitas & arrogãtia hominum.

Deus & potest & uult nos seruare, etiamsi oĩa deficiant.

debis? num existimas Deũ ne in morte quidẽ inuentuꝝ rationẽ, qua nos seruet? At Christus filius eius ideo mortuus est, ut & in media morte salus esset his, q̃ in Christũ credũt. Tot sancti mortui sunt in Christo, & nullus illoꝝ periit, ergone nũc abbreuiata est manus Dñi, ut nõ possit in morte seruare? Abiiciamus igit̃ temerariã illã impudentiã, qua Dño Deo nostro leges agendaꝝ reꝝ præscribere solemus, & faciamus quod est nostri officii. Est aũt nostri officii, nõ arrogare nobis senatoriã maiestatẽ in cõsilio Dei, sed obedire mandatis Dei, nõ imperare Deo, sed seruire Deo, & precari Deũ, ut det nobis panẽ quotidianũ. Hoc eñ si ex fide precati fuerimus, nec pluuia nec siccitas opportuno suo tẽpore nos deerũt. Et ad hãc modestiã uocat nos etiã exemplũ Apostolorũ. Cũ. n. hi multis uerbis ostẽtassent suã prudentiã, & tantũ nõ arrogassent sibi dominiũ supra Christũ, mox tamẽ redigunt̃ in ordinẽ, & necesse habent sese nõ solũ Christo submittere, sed palã etiã stultescere. Ait. n. Christus ad ipsos: Facite illos discũbere, in singulo quoq; discubitu quinquagenos. Hoc multo magis ridiculũ apparet, q̃ q̃ antea iussit turbis dare escã. Quid enim discumbentibus ciborũ apponerẽt? num fœnũ? num ligna? num lapides? Sed intelligunt Christũ seriã rem agere, quare abiiciũt nũc prudentiã suã, & stultescũt. Et fecerũt ita, quemadmodũ mandatũ erat. Ac discubuerũt omnes. Iesus aũt acceptis quinq; panibus & duobus piscibus respexit in cœlũ, & benedixit illis & fregit, & distribuit discipulis suis, ut ponerẽt ante turbas. Et manducauerũt omnes, & saturati sunt. Et sublati sunt, quod superfuit illis fragmentorũ, cophini duodecim. Hoc est stupẽdum illud miraculum de quinq; panibus & duobus piscibus, quod omnes quatuor Euangelistæ diligenter cõmemorant. Ac descriptum quidem est uerbis simplicissimis, sed res ipsa maxima maiestate constat. Quantas, obsecro, uerborum ampullas Ethnicoꝝ historiographi proiecissent, si tale quid apud ipsos cõtigisset? No shoc miraculũ ita admirabimur, ut maxime oĩm usum eius cognoscamus. Quis aũt usum eius nos melius docere poterit, q̃ is qui miraculũ ædidit, Iesus Christus Dñs noster? Primũ igitur docet Christus apud Ioannẽ, cap. 6. q̃ hoc miracnlo reuelauerit maiestatem suam, & testificatus sit, se uere esse panẽ illum, qui de cœlo descenderit, & saciet mentes omnium in ipsum credentium ad sempiternam uitã. Cum. n. turba post ædítum hoc miuaculum, iterum quæreret Iesum, ait ad ipsos Iesus: Amen amẽ dico uobis, quæritis me, non quia uidistis signa, sed quia comedistis de panibus, & saturati estis. Operemini non cibum qui perit, sed qui permanet in uitam æternam, quem filius hominis dabit uobis. Et mox: Ego sum panis uitæ. Qui uenit ad me non esuriet, & qui credit in me, non sitiet unq̃. Sed quid plura cõmemorem? totum sextum capnt in Euangelista Ioanne explicat usum huius miraculi, uidelicet, q̃ Iesus Christus sit panis uitæ, ex quo qui edit, uiuat inæternũ: Edit autem, qui credit in ipsum, Hæc, inquit, est uoluntas eius, qui misit me, ut omnis qui uidet filium, & credit in eũ, habeat uitam æternã, & ego suscitabo eum in nouissimo die. Deinde, ostendit Christus & aliũ huius miraculi usum, apud Marcũ, cap. 8. Cũ. n. discipuli obliti fuerãt panes sumere, nec haberent secum in naui præter unum panem, ac disputarẽt de panis indigentia, audiũt à Christo: Quid disputatis, q̃ panes nõ habetis? nondũ animaduertitis, nec intelligitis? Adhuc obcæcatũ habetis cor uestrũ, oculos habẽtes nõ cernitis, & aures habẽtes, nõ auditis, & nõ meministis? Cum quinq; panes fregissem in homĩm quinq; millia, quot cophinos fragmentorũ plenos sustulistis? Dicũt ei: Duodecim. Cũ aũt septẽ in quatuor millia, quot sportas ex reliquiis fragmẽrorũ tulistis? Illi uero dixerũt, septem. Et dixit illis: Qui fit, ut nõ intelligatis? His uerbis admonet nos Christus de alio usu huius miraculi, uidelicet, q̃ hoc miraculum de quinque

Deo non præscribendæ leges rerũ agẽdarum.

Miraculi de quinq; panibus & duobus piscibus usus.

panibus,& duobus piſcibus,ſit cœleſte ſigillũ,quo cõfirmanť illæ promiſsiões de uictu,quas Deus oĩbus ambulãtibus in uocatiõe Dei pollicitus eſt. Nã quẽadmodũ Dñs cleméter largiť floribus cãpi ſuũ ueſtitũ,tametſi neq; laborẽt neq; neant,& uolatilibus cœli ſuũ uictũ,& ſi nullũ colant agrũ,ita pactus eſt oĩbus hoĩbus,qui ambulãt in uocatiõe Dei,ſatis ſufficienť uictũ. Literæ aũt huius pacti ſunt promiſsiones,quæ in ſcriptura de uictu continentur. In pſalmo 33. dicit: Timete Dñm oẽs ſancti eius,qm̃ non eſt inopia timẽtibus eũ. Diuites, (hoc eſt,qui ex impoſturis diuitias congregãt) eguerũt & eſurierũt,inquirẽtes aũt Dñm nõ minuent omni bono. Et pſalmo. 36. Iuuenior fui,& ſenui,& nõ uidi iuſtũ derelictũ,nec ſemẽ eius quærens panẽ. Tota die miſeretur & cõmodat,& ſemẽ illius in benedictiõe erit. Et in Prouer. cap. 10. Nõ affliget Dñs fame animã iuſti (hoc eſt) ſectantis ex fide uocationẽ Dei,inſidias aũt impioꝝ ſubuertet. Ac Matthæi,cap. 6. Primũ quærite regnũ Dei,& iuſticiã eius, & hæc omnia adiicient uobis. Hæ & innumeræ aliæ promiſsiões in ſcriptura ſunt literæ pacti, quo Deus recepit ſe oĩbus in diuina ſua uocatiõe ambulantibus ſufficientẽ uictũ datuꝝ. Et quanq̃ ueraciſsimus Dñs Deus noſter tantã fidẽ apud nos habere debeat,ut nuda uerba eius obediẽter excipiamus,tamẽ ut fidẽ noſtrã fortius muniat,adiecit literis pacti ſui certiſsima adeoq; cœleſtia ſigilla. Hæc aũt ſunt manifeſta miracula,q̃ Dñs in his ædidit,qbus in diuina uocatiõe ambulãtibus,uictũ mirabili quodã modo tribuit,q̃ quoniã ſæpe cõmemorauimus,nõ eſt opus nũc ea repetere. Inter iſta aũt miracula,hoc eſt,ſigilla literaꝝ pacti de uictu,nõ poſtremũ locũ obtinet hoc miraculũ, qd nũc de quinq; panibus & duobus piſcibus tractamus. Nã qd Moſe de mãna in deſerto ſcribit,hoc idẽ de iſto miraculo intelligendũ eſt,uidelicet, q Chriſtus cibauerit quinq; millia hoĩm,quinq; panibus & duobus piſcibus,ut oſtenderet nobis,q nõ in ſolo pane uiuit homo,ſed in omni uerbo, quod egredit de ore Dñi.

Deus iuxta promiſsiones ſuas largitur uictum omnibus in uocatione Dei ambulantibus.

Contra tentationes de uictu remedia.

Quid ergo faciamus? Cũ Satan ſollicitat nos ad inobedientiã huius præcepti: Nõ fureris,quo etiã omnes impoſturæ prohibent,ac denegat nobis uictũ,& minat mortẽ famis,niſi hominibus imponamus, & nugis ac peiuriis operã demus,cõfeſtim arripiendũ eſt hoc miraculũ,& cõfirmanda eſt fides noſtra aduerſus Satanã, ut in uocatiõe Dei perſeueremus. Quemadmodũ enim is, cui debitor impudẽter denegat annuũ redditũ, literis & ſigillis confirmatũ,non ita deſpondet animũ, ut putet ſibi fame moriendũ,nec ita inſanit,ut ſtatim debitorẽ uiolentia inuadat, hoſtiliter deprædet,aut crudeliter occidat,ſed pfert literas cõtractus ſui,& pbe cõſpicit ſigilla,ut ex his certificet de iure ſuo, & qd debitor impudẽter negat, hoc ipſe legitime apud iudicẽ extorqueat. Sic & noſtri erit officii,ut ſi improbus Satan denegauerit nobis in cõſcientia uictũ à Deo promiſſum,niſi furemur,aut impoſturis operã demus, pducamus literas diuini pacti,& inſpiciamus ſigilla, quæ ſunt miracula,quibus fidẽ noſtrã ita muniamus, ut excuſſo Satanæ ſpũ, ſolã Dei uocationẽ ſectemur,& qd Satan iubet dolis & peiuriis parare, hoc paremus p fidẽ in obediẽtia Dei, per Chriſtũ Ieſum Dñm noſtrũ,q eſt unà cũ Patre & Spũ ſancto Deus laudãdus in ſecula Amen.

HOMILIA LXXXVII.



IN hac cõcione tria potiſsimũ,ueſtris p̃cibus adiuti,tractabimus. Primũ,qs ſit uerus ille Meſsias ſeu Chriſtus in ppheris pmiſſus. Deinde,qua uia,quoue modo Chriſtus in gloriã & maieſtatẽ ſuã intrauerit. Poſtremo qua uia,aut quo modo Chriſtiani participes fiant gloriæ & maieſtatis Chriſti Dñi ſui. In his cognoſcẽdis sũma ſalutis noſtræ pẽdet. Quare tãto diligẽtius obſeruãda ſunt,quãto gratior nobis eſt ſalus noſtra. Sic ergo Lucas ſcribit:

Et factum est, cũ Iesus solus esset orans (in partibus Cæsareæ, quæ cognominatur Philippi) erant cum illo discipuli, & interrogauit illos dicens: Quẽ me dicunt esse turbæ? At illi respondentes dixerunt: Ioannẽ Baptistã, alii autem Eliam, alii aũt, q̃ unus propheta de prioribus surrexit. Admirabitur fortasis quispiã, qui fiat, q̃ Christus tam sollicite scrutetur de fama nominis sui. Nequaq̃ aũt suspicandum est, q̃ ex carnali quadã ambitione fecerit. Quid enim humana laude delectaret is, qui habebat æternam omnipotentemq̃ gloriam apud Deum patrẽ suũ? aut quid auram populare captaret is, qui cum in forma Dei esset, non arbitratus est rapinã, se æqualem Deo, sed assumpta serui forma, exinaniuit se sua sponte? Nec scrutatur aliorum de se sentenciã ex ignorantia. Qui enim erat scrutator cordiũ, quomodo non potuisset etiam oris sermones cognoscere? Viderat Nathanielẽ sub ficu, prius quã accesserat ipsum. Sciebat Lazarũ mortuũ, lõge iuxta externã speciẽ absens. Quo modo ergo potuisset ignorare hominũ de se opiniones? Scrutatur aũt, primum, ut hac occasione seipsum Apostolis suis manifestius explicet, ac ipsos de conditione maiestatis suæ plenius erudiat. Oportebat enim Apostolos, futuros totius orbis cõcionatores, in cognitiõe Christi maxime omniũ eruditos esse. Deinde, inquirit hominum de se opinionẽ, ut cum uarias inuenerit sententias, offendiculo imbecilliũ medeatur, & quæ sententia sectanda sit, perspicue doceat. Sunt enim, qui cum audiant uarias sententias de religione, in tantũ stupore cõiiciuntur, ut palam affirmẽt, se nullam religionẽ tantisper sectaturos, dum concordi omniũ sententia decernat quæ sit uera religio. At hi plurimũ errant, & si in hoc stupore perrexerint, nullã unquam salutẽ consequentur. Nunquam enim non sunt uariæ opiniones de religiõe inter homines, & semper uerbo Domini contradictũ est, contradicetur q̃, quamdiu hoc seculũ steterit. In Aegypto, Mosi prædicãti uerbũ Dei resistebãt sacerdotes Aegyptiorum. In Israel prædicabat uerbum Dei Elias, & habuit aduersarios sacerdotes Baal. Ieremiæ contradicebant pseudoprophetæ. Christo ipsi resistebant Pharisæi. Apostolis repugnabant non tantum pseudo apostoli, uerum etiam contradicebat totus terrarum orbis. De secta ista, iniquiunt, notum est nobis, quòd ubiq̃ ei contradicitur. Post Apostolos contradictum est uero uerbo Dei, non tantum persecutionibus tyrannorum, sed etiam impiis doctrinis hæreticorum. In regno Papistico uisa quidem est concordia religionis, cum omnes adorabant missam, tanquam sacrificium pro peccatis uiuorum & mortuorum, sed hoc illud fuit, quod CHRISTVS in Euangelio dicit: Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet. Vbi enim Satan in doctrina publica dominatur, ibi prudenter cauet, ne multæ externæ dissensiones oriantur. Neque enim multas excitat hæreses uel in Turcismo, uel in Iudaismo huius temporis, propterea q̃ in illorum religionibus publice dominetur. Sic & in Papistico regno custodiuit atrium suum, ut ea quæ possideret, in pace essent. Vbi autem fortior eo superuenerit, ibi tum cœlum terræ miscet, si quo pacto fieri posset, ut è suo regno non pellatur, ut non iam aliud certius oppressi uerbi DEI & regnantis Satanæ argumentũ sit, quàm publica de religione concordia, & non sit aliud manifestius emergentis in lucẽ uerbi Dei signũ, q̃ publica de religione discordia. Nam si unquam reuelato uerbo Dei speranda esset publica & generalis cõcordia de religiõe in orbe terrarũ, quo tẽpore magis ea sperãda fuisset, quã eo, quo Iesus Christus Dñs noster inter homines uixit, & Euãgelion suũ prædicauit? Est em̃ Christus filius Dei, & ipsum uerbũ

Christus de fama nominis sui sollicite scrutatur.

De religione semper sunt uariæ opiniones inter homines.

Act. ultimo.

Discordia de religiõe emergentis uerbi Dei signum.

Dei, per quod omnia creata sunt, nec ullus uel propheta uel apostolus potuit Christum prædicando uerbo Dei æquare. Quo autem tempore unquam grauiores de religione dissensiones fuere, quàm cum Christus Euangelion suum prædicauit? Vide mihi saltem, quàm diuersæ fuerint hominum sententiæ, etiam de ipsomet Christo. Alius sentiebat ipsum esse Ioannem Baptistam, alius Eliam, alius Ieremiã, alius unum alium quendam de numero ueterum prophetarum. Et hæ erant opiniones eorũ, qui uidebantur de Christo bene sentire. Erant & alii in populo præcipui, qui habebãt Christum pro uini potore, amico publicanorum, Samaritano, & à Beelzebub obsesso. Quid his opinionibus magis inter se diuersum? Cum autem nunquam tam bene in rebus humanis actum sit, ut ad unũ oẽs homines recte de Christo sentirent, & ueram religionem concorditer amplexi fuerint, quid futurum censes eo seculo, quo abundat iniquitas, & refriguit charitas multorum? Nihil nouum, inquit Salomon, sub sole erit, quia nec uetus Satan, nec uetus Adam, ueteres suos astus, dolos, & impietates abiicient. Quare qui spe publicæ concordiæ in religione resipiscẽtiam suam differunt, næ illi manifestissime pudefient, ac perpetuo peribunt. Quid ergo in tanta hominum dissensione faciẽdum est? Hic obserua mihi Apostolos, & imitare exemplum ipsorum. Hi enim non petunt religionem suam de Christo ex uulgi opinionibus, alioqui necesse habuissent tot opiniones de Christo concipere, quot erãt hominum conuenticula, sed petunt eam ex doctrina & miraculis Christi. Iesus enim dixit illis: Vos autem quem me esse dicitis? Respondens autem Simon Petrus dixit: Christum Dei. Hæc est uera sententia & religio de Iesu filio Mariæ, nimirum, quòd sit Messias seu Christus filius Dei uiuentis. Et hanc religionem conceperant Apostoli, non ex uulgi sermonibus, non ex humana ratiõe, sed ex Euangelio Christi, per spiritum sanctum. Vnde apud Matthæum Iesus respõdet Petro: Beatus es Simon Bar Ioannis, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui est in cœlis. Cæterum, quia apud Matthæum alia quædam adduntur, quæ ad huius loci explicationem plurimum faciũt, perstringemus & illa breuibus, ut uerum Christianæ doctrinæ & confessionis scopum percipiamus. In Matthæo autem Christus ita pergit: At ego uicissim tibi dico, ꝙ tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferorum non ualebunt aduersus illam. Et dabo tibi claues regni cœlorum. Quicquid alligaueris in terra, erit alligatũ in cœlis, & quicquid solueris in terra, erit solutum in cœlis. Vt hæc perspicue, quantum Dñs dederit, interpretemur, principio obseruandum est, ꝙ hæc confessio, Iesum esse Christum, filium Dei uiuentis, sit epitome, compendium, summa, & scopus totius Euangelii, & doctrinæ Christianæ. Nã si Iesus est Christus ille in prophetis promissus, mox cõsequitur, ꝙ in hũc Iesum cõpetant omnia, quæ prophetæ de Messia uaticinati sunt, uidelicet, ꝙ ipse portauerit iniquitates hoĩm, ꝙ sedeat super solio Dauid & super regnũ eius, & cõfirmet illud in iudicio & iustitia usq; in sempiternũ, quòd adnunciauerit miseris Euangelion, ꝙ prædicauerit captiuis indulgentiam, & clausis apertionem, breuiter, ꝙ in ipso benedicãtur omnes gẽtes terræ, quæ in nomen eius credunt. Deinde, Iesum sentire Messiam seu Christum esse, nõ est sententia ex humana carne nata, sed ex spiritu sancto concepta. Dicit enim Christus hoc loco: Caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus cœlestis. Et aliàs: Nemo uenit ad me, nisi pater meus traxerit eum. Et Paulus: Nemo, inquit, potest dicere Dominum Iesum, nisi per spiritum sanctum. Ac multi quidem sunt, qui has literas & syllabas, (Iesus est uerus Messias) cogitant in corde, & loquũtur ore, ac putant se ita sentire, quin & ipse Satan optime nouit Iesum esse Christum, qui tamen

& spiritu

Iesus Christus filius Mariæ uerus Messias & filius Dei uiuẽtis.

Euangelij totius summa et scopus.

Fides uera in Christum contingit tantum per spiritum sanctum.

& spiritu sancto & salute caret, sed nos loquimur de uera fide, quæ certe non potest haberi in Christum, nisi per spiritum sanctum. Ea enim est fides uera, quæ constanter credit, q̃ is Iesus sit Christus, hoc est, expiator peccatorum, & saluator, non tantum aliorum, sed etiam meus ipsius. Hæc autem de Iesu Christo sentire & credere, in medio peccatorum, mortis, & inferni iudicio, non est humanarum uirium, sed exigit potentiam spiritus sancti. Quare ubi non est spiritus sanctus, ibi non est etiam uera cognitio Christi, nec uera fides in Christum. Quomodo ergo, inquies, consequemur spiritum sanctum, ut & ueram fidem in Christum concipiamus? Hic iam ad explicandum ministerium Euangelii descendendum est. Euangelii enim prædicatio organon Dei est, quo Deus spiritum sanctum & fidem in Christũ effundit. Fides, inquit Paulus, ex auditu est, auditus autem per uerbum Dei. Hoc autem loco, quem nunc de confessione Apostolorum tractamus, promittit Christus publicam institutionem & confirmationem prædicationis Euangelii sui, in toto orbe terrarum, aduersus omnes inferorum portas. Videamus igitur hanc institutionem, ut quod sit legitimum organon, quo spiritus sanctus datur, perspiciamus. Ac primũ, Petrus quidem solus respondet Christo: Tu es Christus filius Dei uiuentis, sed non respondet solo suo nomine. Non enim solus Petrus, sed omnes Apostoli interrogati erant à Christo, quid de ipso sentirent: Vos autem, inquit, quem me esse dicitis? Igitur, quemadmodum in uniuersum omnes Apostoli à Christo interrogati erant, ita & Petrus, non solo suo ipsius, sed omnium nomine respondet: Tu es Christus, hoc est, nos omnes Apostoli tui, uno ore, unanimi consensu cõfitemur, te esse uerum illum Messiam à prophetis promissum. Et hoc etiam comprobat aliorum Apostolorum taciturnitas, qui certe ad hanc Christi interrogationem non continuissent ora sua, nisi Petrus omnium ipsorum nomine confessus esset. Est & aliàs Petrus Apostolorum os, ut quod ipse affirmat, nomine omnium suorum symmystarum affirmet, quemadmodum habes in Actis Apostolicis, capite secundo. Deinde, Christus in responsione sua unum quidem Petrum nominat, sed non uni tantum Petro respondet. Nam responsio Christi respicit confessionem Petri. Petrus autem non suo tantum nomine cõfessus est, sed nomine omnium Apostolorum. Quare & responsio Christi ad omnes pertinet Apostolos, non ad unum tãtum Petrum. Sed & ipsa responsionis Christi capita perspicue indicant, responsionẽ Christi ad omnes Apostolos pertinere. Dicit enim Christus: Beatus es Simon Bar Ioannis, quia caro & sanguis nõ reuelauit tibi, sed pater meus cœlestis. Num uero Iesum esse Christum, soli Petro manifestauerat pater? an non & reliquis Apostolis? num solus Petrus beatus est, q̃ in confessione Christi non sectatus sit carnem & sanguinem? an non & reliqui Apostoli propter eandem causam beati fuerint? Ex mox addit: Quicquid alligaueris in terra, erit alligatum in cœlis, num hoc in solum Petrũ competit? an non postea omnibus Apostolis dictum est: Quorumcunq; remiseritis peccata, remittuntur eis, quorumcunq; retinueritis, retenta sunt? Cum igitur præcipua responsionis CHRISTI capita ad omnes Apostolos pertineant, manifestum est, CHRISTVM hoc loco non uni tantum Petro, sed omnibus Apostolis sub nomine Petri respondisse. Atq; hoc tanto dilucidius erit, quanto diligentius obseruatur quid Christus hoc loco per petram, super quam ædificauit ecclesiam suam, & per claues regni cœlorum intelligat. Petra enim super quam, tanquàm fundamentũ, ædificata est ecclesia CHRISTI, nõ est uel ipsa persona Petri, uel alius quispiam homo. Non enim iustificatur in conspectu Dei omnis uiuens, & Petrus ipse mox Satan uocatur, & paulo post abnegat Christum, quomodo igitur

Euãgelij prædicatio organon ad consequendum spiritum sanctũ & ueram fidẽ concipiendã.

Confessio Petri nomine omnium Apostolorum.

Ecclesiæ Christi petra

posset ecclesia Christi constare, si esset ædificata super hominem peccatorem, & Satanæ obnoxium: sed petra seu fundamentum ecclesiæ est Christus ipse, & publica prædicatio Euangelii de Christo. Ecclesia enim nõ alia re constat, q̃ potẽtia Christi per prædicationem Euangelii. Fundamentum, inquit Paulus, aliud nemo potest ponere præter hoc quod positum est, quod est Iesus Christus. Et alias: Iam (inquit) non estis hospites & incolæ, sed conciues sanctorum ac domestici Dei, superstructi super fundamentum Apostolorum ac prophetarum, summo angulari lapide ipso Iesu Christo. Clauis autem regni cœlorum non est humana aliqua potestas, sed organon illud, quo ianua regni cœlorum aperitur. Vna autem tantum est ianua, & unum ostium, quo in cœlum peruenitur, Iesus Christus Dominus noster. Ego, inquit, sum ostium, per me si quis introierit, seruabitur. Hoc ostium non reclu ditur, nisi uirtute spiritus sancti, per externã prædicationẽ Euangelii de Iesu Christo. Euangelion enim aperit & reuelat Christum, nec quis ad Christi cognitionem peruenire potest, nisi prædicatione Euangelii. Prædicatio igitur Euangelii. Christum aperiens, clauis illa est, qua regnum cœlorum recluditur. His obseruatis, manifestum nunc est, primum q̃ Christus his uerbis: (Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Et, tibi dabo claues regni cœlorum) non significauerit, se ædificaturum ecclesiam super personam Petri, & claues regni cœlorum ad solum Petrum pertinere, sed quia confessio Petri est summa Euangelii de Christo, & prædicatio huius Euangelii, in totũ orbem terrarum spargendi, cõmendanda erat non uni Petro, sed omnibus Apostolis, significat potius & promittit, se ædificaturum ecclesiam suam super Euangelion, per omnes Apostolos prædicandũ, & eo ipso daturum omnibus Apostolis claues regni cœlorum, quo ipsis publicam Euangelii prædicationem commendaturus sit. Et quod hic promittit, hoc etiam post resurrectionem suam reipsa præstat. Accipite, inquiens, Spiritum sanctũ, quoscunq; remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorũcunq; retinueritis, retenta erunt. Et iterum: Ite in orbem uniuersum, & prædicate Euangelion omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Qui autem non crediderit, condemnabitur. Deinde, manifestum est ex hoc loco, q̃ probe & firmiter fundata sit in orbe terrarum prædicatio Euangelii de Christo. Dicit enim Christus: Portæ inferi nõ præualebunt aduersus eam. Sunt autem portæ inferi, omnes potestates & uires principis huius seculi, qui est Satan, siue quas habet in malis suis spiritibus, siue quas habet in malis hominibus huius seculi. Quare quantumcunq; insaniat Satan, uel persecutionibus tyrannorum, uel impiis doctrinis hæreticorum, non tamen potest efficere, ut prædicatio Euangelii de Iesu Christo in orbe terrarum in totum abrogetur. Obscurari quidẽ potest Euangelion, sed extingui non potest. Qui enim dixit: Portæ inferi non præualebunt aduersus illud, satis potens est, ut uerbum suum impleat. Postremo, cum prædicatio Euangelii de Christo sit fundamentum ecclesiæ, & claues regni cœlorum, manifestum est, q̃ sit etiam organon illud, quo nobis donatur spiritus sanctus, & quo concipimus ueram fidem in Iesum Christum. Capessamus igitur Euangelion, hoc loco à Petro nomine omnium Apostolorum confessum, & postea ab omnibus Apostolis in toto orbe terrarum prædicatum, ut ex ipso fidẽ & spiritum sanctum accipientes, ueram salutem consequamur. Habes ex confessione Apostolorum, quis sit uerus Messias, seu Christus, per quem nobis uera salus cõtingat. Videamus nunc, qua uia Christus in gloriam & maiestatem suam intrauerit. Sequitur:

Clauis regni cœlorum.

Claues regni cœlorum ad omnes Apostolos pertinent.

Portæ inferi.

Fundamentũ prædicatiõis Euangelij in terris firmissimum.

„ At ille interdicens, præcepit, ne cui diceret hoc, dicens, quia oportet filium hominis multa pati, & reprobari à senioribus & principibus sacerdotum & scribis,

& scribis, & occidi, & tercia die resurgere. Quid hoc, inquies? num Christus præ
cipit ne Apostoli loquantur ueritatem? An non angeli adnunciauerunt pastoribus, hunc Iesum esse Christū saluatorē, & pastores statim diuulgauerunt istud? Non ne & Magi, qui uenerant ab oriente, publice Hierosolymis de hoc Christo prædicauerunt? Iam & Simeon atq; Hanna prophetissa in ipso templo Hierosolymitano concionati sunt, hunc Iesum esse Christum. Quid dicam de Ioanne Baptista, qui in hoc missus erat, ut testaretur hūc esse Christum? An non & cæci & alii infirmi uociferabuntur palàm, ipsum filium Dauid, quo uerum Messiam significant? Quid q̄ ipsemet Iesus, & aliàs sæpe, & coram concilio pontificum, ingenue cōfitetur & affirmat, se esse Christū? Quid ergo illud sibi uult, q̄ tam seuere hoc loco præcipit Apostolis, ne dicant, se esse Christum? Sed facile respōderi potest, si huius negocii circumstantiæ considerentur. Primum enim Christus non iubet Apostolos suos mentiri, & negare, si interrogentur, ipsum esse Christum. Quomodo enim iuberet mētiri, qui est ipsa ueritas? Deinde, iussit celare aut dissimulare, ipsum esse Christum, non q̄ hoc debeat semper occultū & absconditū manere. Nihil enim ad salutem tam necessario manifestum esse debet, q̄ Iesum esse uerum Messiā, nihil post missionem spiritus sancti tam crebro, & tam perspicue diuulgatum atq; inculcatū est: sed iubet nondū palàm hoc prædicare, donec Apostoli de uera regni Christi ratione, per resurrectionem & spiritum sanctum, melius erudiantur, q̄ nunc sentiūt.

Apostolorum carnalis opinio de Christo.

Nam Apostoli in hac erant opinione, q̄ Christus esset externa maiestate in orbe terrarum dominaturus, & q̄ ob eam causam mox profecturus esset in Hierusalem, ut ibi inchoaret externum regnum, & subiiceret sibi omnes gentes, opprimeret quidem aduersarios externis uiribus, seruaret autem suos, qui ipsum agnoscūt, ab omnibus aduersis & calamitatibus huius seculi. Hæc autē opinio de Christo & regno eius planè carnalis & falsa est. Prudēter igitur præcipit Christus Apostolis, ne prædicent ipsum esse Christum, uidelicet, ne talem prædicent Christum, qualem ipsi imaginantur, nimirum, externum regem & monarcham in hoc seculo. Hoc enim nō esset Christum, sed seditionem prædicare. Ac nihil aliud uult sibi Christus hoc præcepto, q̄ ut Apostolos admoneat, quo prius discant, quid uere de Christo & regno eius, non iuxta carnales imaginatiōes, sed iuxta scripturas recte intellectas, sentiendum sit, ne pro Christo seditionem in Galilæa & Iudæa doceant. Docere em̄ Euangelion de Christo, non recte intellectum, nō solum est periculosissimum; sed etiam perniciosissimum.

Christus passionē & mortē suam Apostolis præ dixit.

Vnde & Christus ab hoc loco incipit concionari de sua passione, cruce, & morte, ut auocet Apostolos à carnali sua imaginatione de Christo & regno eius, & doceat ipsos, q̄ uenerit in hūc mundum, non ut regnet in hoc seculo secundum externam regum maiestatem, & fruat externa huius seculi fœlicitate, sed ut omnia aduersa huius seculi patiatur, à potentissimis, sapientissimis, & sanctissimis huius seculi abiiciat, capiat, crucifigatur, & occidatur, atq; per hæc ad uersa, crucem & mortem, intret in regnum, nō externū huius seculi, (hoc enim ad reges & principes huius seculi pertinet,) sed in regnum spirituale, & cœleste, quod, ut nullum un q̄ finem habebit, ita manifeste reuelabitur in nouissimo die, quo iudicabuntur uiui & mortui. Oportet, inquit, filium hominis multa pati, & reprobari à senioribus, & principibus sacerdotum & scribis, & occidi, & tercia die resurgere, hoc est: uos Apostoli recte quidem sentitis me esse Christum, sed imaginamini regnum meum esse de hoc mundo. Si autem talem opinionem publice prædicaretis quid reliquum esset, nisi ut totam Galilæam & Iudæam ad seditionem aduersus legitimos suos magistratus concitaretis, præsertim, si ad hanc doctrinā tam stupēda

miracula, quanta à me & uobis nomine meo ædita sunt, accederent? Quare uolo, ut in hac sententia, me esse Christum, persistatis quidem, sed priusq̃ hoc publice doceatis, recte uobis discendum & intelligendum est, qualis sim Christus, & quale sit regnum meum. Arrigite ergo aures: Non sum talis Christus, qui sit externum regnum in Hierusalem occupaturus, sed qui sit multa passurus, à senatoribus, principibus sacerdotum, & scribis, reprobandus & occidendus. Hæc erit fortuna regni mei in hoc seculo, & per hanc fortunam, ingrediar in regnum meum. Resurgam enim iterum tercia die à morte, & intrabo in regnum cœleste & perpetuum, quod prædicabitur quidem per Euangelion in toto orbe terrarum post resurrectionem meam, reuelabitur autem reipsa in eo die, quem pater nouit. Sed quid est? an non potuisset Christus alia uia intrare in gloriam & maiestatẽ suam, q̃ per passionem & crucem? Potuisset quidem. Dicit enim ad Petrum: An putas, q̃ nõ possim nũc rogare patrem meum, & exhibebit mihi plus q̃ duodecim legiones angelorũ? Sed magnæ sunt causæ propter quas Christus uiam passionis elegerit. Primum enim, uoluntas patris fuit, ut Christus pateretur, & passione sua pro peccatis hominum satisfaceret. Venit autem Christus in hunc mundum, non ut faceret suam uoluntatem, sed illius, à quo missus erat. An non bibam, inquit, poculum, quod dedit mihi pater? Deinde scriptura palàm docuit, Christum oportere pati. Quomodo, inquit, implebuntur scripturæ q̃ sic oportet fieri? Et aliàs: Sic scriptũ est, & sic oportebat Christum pati. Postremo, in hoc seculo ita comparatũ est, ut nemo quicquã excellens & magnificum consequatur, nisi magno labore & sudore. Christus autẽ assumpsit carnem & sanguinẽ huius seculi, quibus etsi non assumpserit peccatum, assumpsit tamen alias huius seculi conditiones, proprietates & infirmitates. Recepit igitur in se pro conditione huius seculi maximos labores & sudores, hoc est, passionem, crucem & mortem, ut per ea summam gloriam & maiestatem regni sui consequeretur. Habes, qua uia, quoue modo Christus intrauerit in regnum suum. Audiamus nunc, quod tercio loco proposuimus, qua uia hi, qui in Christum credunt, maiestatis Christi participes reddantur. Et ut hoc dilucidius explicemus, iterum addemus hic aliqua ex Matthæo. Cum enim Christus indicasset Apostolis passionem, crucẽ & mortem suam, abduxit ipsum Petrus seorsum, & cœpit illum increpare dicẽs: Propicius tibi sis Domine, nequaquam erit tibi hoc. Tu, qui aliis saris ad modum sapis, & alienis incõmodis probe consulis, qui fit, quòd in rebus tuis propriis sic cæcutias? Quid sibi uult importuna illa tua humilitas, qua obiicias te manibus pontificum, & prohibes, ne gloriam nominis tui palàm prædicemus? Num conueniet, ut Messias tam turpiter, tam ignominiose tractetur? Qui potes uerbo efficere, ut dæmones fugiant, ut tempestates maris sedẽtur, ut ægritudines à corporibus discedant, quomodo non eadem uerbi potentia efficies, ut aduersarii tui aduersum te ne mutire quidem audeant? Moneo igitur te amice & candide, ut non sis adeo negligẽs salutis tuæ, quin potius permittas, ut nos diuulgemus te esse uerum Messiam, quo omnes aduersarii maiestate nominis tui terreantur, & tu regnũ tuum summa tranquillitate & fœlicitate inuadas. Christus autem respõdet Petro ad hæc seuerius & acrius, quàm unquã aliàs: Vade, inquiens, post me Satana, obstaculo es mihi, quia non sapis ea quæ sunt Dei, sed ea quæ sunt hominum. Atq; adeo hac occasione docet Christus, quòd non ipse tantum uia passionis intraturus sit in maiestatem regni sui, sed quòd omnes qui in ipsum credunt, necesse habeant, eadem uia incedere, si cupiunt maiestatis suæ participes fieri. Hæc autem doctrina,

Via Christi qua in gloriã suam intrauit

Passionis uiã quare Christus elegerit.

Maiestatis Christi participes quomodo reddamur

ut est co-

ut est cognitu ualde necessaria, ita maxime obseruanda est. Apostoli enim nihil aliud sperabant, quàm se unà cum Christo in hoc seculo glorioſos, potentes & fœlices fore, ac cum ipso, in hac terra, principali maiestate regnaturos. Eadem etiam est sententia omnium carnalium Christianorum, qui existimant, aut se non debere affligi aduersis, quòd credant in Christũ, aut si affligũtur, uana esse, quæ de Christi uictoria super afflictiones prædicantur. Proinde, Christus auocat ab hac opinione discipulos suos, ac omnes Christianos, & docet, quòd sicut ipse per crucem ingrediatur in regnum suum, ita necesse habeant omnes discipuli & credentes in ipsum, per crucem participes regni sui fieri. Et conuocatis non solum Apostolis suis, uerũ etiam alia auditorũ suorum turba, ait ad omnes: Si quis uult post me uenire, ab neget semetipsum & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me. Hoc est, sequimini fortasis me, non ut iusticiam coram Deo, & ueram salutem habeatis, sed ut consequamini fœlicitatem huius seculi, ut ducatis in bonis dies uestros, ut sine labore contingant uobis diuitiæ, sanitas, honor, potestas, & quicquid est humanæ fortunarum: ego autem longe aliud edico uobis, nimirum, quòd qui uoluerit post me uenire, & maiestatis meæ particeps fieri, is necesse habebit multa aduersa pati, abnegare seipsum, & tollere crucem suam quotidie, atq; ita me sub cruce sua sequi. Hæc uerba, etsi dura uideantur, habent tamen admixtam multam humanitatem. Si quis uult, inquit, post me uenire. Neminem cogo, neminem crinibus attraho, uoluntarium & spontaneum peto, sed neminem etiam excludo, si quis, siue uir, siue mulier, siue magistratus, siue priuatus, siue adolescens, siue senex, siue Iudæus, siue Græcus, breuiter, quisquis, cuiuscunq; generis, status, conditionis, & ætatis fuerit, & uoluerit post me uenire, hoc est, maiestatis meæ particeps fieri, hunc recipiam, sed ea cõditione, ut abneget semetipsum. Quid autem est abnegare semetipsum? Hic uide mihi, quid sit abnegare alium, & mox manifestum erit, quid sit abnegare semetipsum. Abnegare igitur alium, fratrem, puta, aut seruum, aut alium quendã, est ipsum ex animo ita abiicere, ut prorsus non requiras, aut tua negocia negligas, etiamsi uideas ipsum uel cædi, uel uinciri, uel conculcari, uel etiam trucidari. Sic & seipsum abnegare, est sua bona ita despicere, ut etsi auferantur, non tamen uocationem tuam & confessionem Christi negligas. Constituimur autem ex corpore & anima, & habet unaquæq; pars, sua bona, quibus accedunt & ea, quæ uocantur fortunæ bona. Animæ bona sunt, prudẽtia, scientia, eruditio, iusticia, & id genus alia. Abnegare igitur semetipsum, est animæ suæ bona ita fastidire, ut etiamsi auferantur, & iudicemur aut stulti, aut indocti, aut iniusti, aut alio animi uicio obnoxii, nõ tamẽ derelinquamus Christũ, & uocationẽ eius. Corporis bona sunt, sanitas, fortitudo, pulchritudo, & id genus alia. Abnegare igitur semetipsum, est bona corporis sui ita contẽnere, ut etsi auferantur, non tamẽ reddamus malum pro malo, nec abnegemus Christum, sed in Christi confessione & uocatione eius persistamus. Bona fortunæ sunt, diuitiæ, potentia, nobilitas, & multa id genus alia. Abnegare igitur semetipsum, est bona fortunæ suæ ita negligere, ut etiamsi auferantur, non tñ discedas à confessione & uocatione Christi. Potest & ipsis sanctorum exemplis perspicuum reddi, quid sit abnegare semetipsum. Iob erat uir locupletissimus, & pulchra prole beatissimus, sed his omnibus spoliabatur. Quid ergo faciebat? num propter tantam infœlicitatem insaniit? num Deo & hominibus maledixit, aut male fecit? Minime omnium, sed ait: Dominus dedit, DOMINVS abstulit, sit nomen Domini benedictum. Hac uoce declarauit, quid sit abnegare semetipsum,

Abnegare alium.

Abnegare semetipsum.

Iob seipsum abnegauit.

nimirum, quòd nihil aliud sit, quàm animum à suis bonis siue corporis, siue animi, siue fortunæ ita liberum habere, ut non mouearis ad perpetrandam iniquitatem, etiamsi auferantur. Dauid rex fuit potentissimus, sed eiicitur è regno à suo ipsius filio. Quid ergo agit? num propterea abnegat Deum, & seipsum ex arbore suspendit? nihil minus, sed ait: Si inuenero gratiam in oculis Domini, reducet me. Sin autem dixerit mihi, non places, præsto sum, faciat quod bonum est coram se. Hic iterum uides, abnegare semetipsum esse animum à suis bonis ita abdicatum habere, ut si habueris, iuxta uoluntatem Dei utaris, si amittas, moderate feras, nec propter eam causam aduersus Deum pecces. Cum igitur CHRISTVS iubet eum, qui uult post se uenire, abnegare semetipsum, manifeste exigit, ut quicunque uoluerit esse particeps regni sui, & unà cum ipso intrare in gloriam maiestatis suæ, non polliceatur sibi in hoc seculo multas externas fœlicitates, sed potius despondeat & abdicet animum ab his fœlicitatibus, & præparet sese ad sufferendas quasq; in hoc seculo afflictiones. Vnde & additur: Et tollet crucem suam. Cur dicit, suam? Non necesse habet quis meam crucem tollere, ego ipse meam portabo. Is autē qui uult post me uenire, suam portet crucem, sicuti ego meam portabo. Quid ergo est crucem suam tollere? Non est, seipsum flagellis cædere, corpus suum nimia inedia excruciare, aut seipsum occidere. Vt enim seipsum occidere, quod hæretici, quos Circumcelliones uocant, fecisse leguntur, non est crucem CHRISTI tollere, sed crudele homicidium designare, ita seipsum flagellis cædere, quod scriptura sacerdotes Baal fecisse testatur, non est crux CHRISTI, sed martyrium Satanæ. Tollere autem crucem suam, iuxta Christi sententiam, est ea aduersa patienter tolerare, quæ propter confessionem CHRISTI, propter iusticiam, aut propter quoscunque alios casus accidunt. In hoc enim seculo ita comparatum est, ut cum semper miseria miseriam trudat, potissimum tamen immineant aduersitates, cum confitemur Christum, & sectamur uocationem Dei. Nunc periclitatur corpus ægritudine, nunc aduersarius inhiat opibus nostris, nunc calumniator sordidat famam nominis nostri Et propter Christum, nunc spoliamur bonis, nunc eicimur in exiliū, nunc obiicimur ipsi etiamnū morti. Has cruces iubet nos Christus tollere, non eas, quas nobis nostra sponte ex superstitione imponimus, sed quas nobis Dominus Deus noster immittit. Quoties autem, inquis, tollendas? nū semel tm̄, aut iterum? Minime, sed quotidie, quotidie, inquam, non uno tantum die. Non semel tantum, sed semper, donec in hoc seculo uixeris. Quid ergo? num satis est, aduersa semper pati? Nihil minus. Nam si passio per se sola sanctificaret, Satan lōge omnium sanctissimus esset, quippe qui necesse habet damnationem inæternum pati. Additur ergo: Et sequatur me. Quid est CHRISTVM sequi? Primum quidem est in Christum credere, quòd propter ipsum habeas remissionem peccatorum & uitam æternam. Deinde est uocationi eius obedire. Vocauit autē nos Christus generaliter ad obediendum legi & uerbo DEI, specialiter autem uocauit unumquenq; ad sua personalia officia. Alium quidem iussit omnia sua uendere, & dare pauperibus ac se sequi. Alium iussit domi suæ manere, & adnunciare mirabilia Dei, alium uocauit ad Apostolarum, alium ad alia officia. Et præter hæc alius uocatus est ad Magistratum, alius ad agrum colendum, alius ad exercendum artificium, breuiter, tot sunt fere personales uocationes, quot sunt homines. In his omnibus uocationibus Christus ita sequendas est, ut obediamus legi DEI & uerbo Christi. Sed quid hoc, inquies? exigit ne Christus, ut omnes, qui post ipsum ueniunt, affli-

Dauid abnegauit semetipsum.

Crucē suā tollere quid sit?

Christū se qui est credere in Christum & uocatiōi eius obedire.

unt, affligant, excrucientur, & omnibus aduersis obiiciantur? quid ergo miserius est Christiano? quid? an hoc non est deterrere potius à Christianismo, q̃ inuitare? Ergo ne probius consulent saluti suæ, qui sinũt Christum unà cum cruce sua ualere, & sequuntur mundum, ut tanta aduersa effugiant? Aut, quid si eam rationẽ inire queamus, ut & simul Christum sequamur, & externam fœlicitatem huius seculi retineamus? Vt ad ista respondeamus, obserua, Christum nõ exigere, ut te ipsum temere afflictionibus exponas, nec, si quæ tibi bona contigerunt, non utaris. Nam prudentia, sanitas, diuitiæ, imperia, honores, & id genus alia, sunt bonæ Dei creaturæ, & dona Dei, quomodo igitur non posset Christianus his, si cõtigerint, uti? At si res ita sese tulerit, ut aut Christus abnegãdus est, & peccãdum in Deum, aut amittẽda sunt bona huius seculi, ibi tum locum habet illud, quod aliàs dicitur: Nemo potest duobus dominis seruire, & exigit Christus, ut potius omnia nostra, etiam ui tam amittamus, quàm ut Christum abnegemus, & aduersus Deum peccemus. Atque hoc quidem præceptum longe omnium durissimum, & conditio Christianorum miserrima esset, si non repositum esset suum autoramentum, & si non esset uita post hãc uitam. Gratias autem agimus Deo per Iesum Christum Dominum nostrum, quòd omnia aduersa, quæ accidunt nobis propter Christum, aut propter obedientiam, quam Deo præstamus, ita in Christo Iesu consecrata & sanctificata sint, ut magis per ipsa cõseruemus uera nostra & æterna bona, quàm ut amittamus ea. Sic enim sequitur: Qui enim uoluerit animam suam saluam facere, perdet illam. Qui autem perdiderit animam suam propter me, saluam faciet illam. Quo modo hæc, in quies, conueniunt? qui seruat, perdit, qui perdit, seruat, an non hoc ænigma est? Explicemus igitur, Domino adiuuante, hoc ænigma, & perspicue uidebimus, Christianorum cruce nihil esse fœlicius, impiorum autem prosperitate nihil esse infœlicius. Nam cum Christus iussit, abnegare semetipsum, & crucem suã tollere, num existimas ipsum magis exicium, quàm salutem discipulos suos docuisse? Absit longissime, quin potius eo ipso docuit ueram uiam & rationẽ, qua quis perpetuam salutem, & æternam maiestatem consequatur. Qui enim, inquit, perderit animam suam propter me, hoc est, qui maluerit uitam suam extremis periculis obiicere, & derelinquere, quàm me abnegare: quid? num amittet uitam suam? Videtur quidem iuxta externum oculorum conspectum amittere, tantum tamen abest, ut uere eam amittat, ut potius seruet & reponat eam in sempiternam fœlicitatem. Nam quomodo posset quis amittere, quod reponit in manũ Dei? Potest ne fidelior & diligentior esse repositi custos, quàm Dominus Deus pater noster cœlestis? At qui relinquit potius uitam suam, quàm ut me filium Dei abneget, is deponit uitam suam in manum Dei, quomodo igitur non seruaretur in sempiternã fœlicitatem? Et ne quis de certitudine huius uiæ ad salutem dubitet, Christus ipse filius Dei in hac ambulauit uia, ut maluerit uitam suam amittere, & mortem crucis subire, q̃ aduersus Deum patrem suum peccare, & uoluntati eius resistere. Quò ergo Christus in hac uia peruenit? num ad perpetuam internicionem? Sic quidem uisum fuit Pontificibus & Pharisæis, sed audi tu psalmum, in quo Christus ita loquit: Non derelinques animã meam in inferno, nec dabis sanctum tuũ uidere corruptionem. Notas mihi fecisti uias uitæ, adimplebis me lætitia cum uultu tuo, delectati ones in dextera tua usq; in finem. Audi & Paulum Apostolum: Christus factus est obediens usque ad mortẽ, mortem autem crucis. Quapropter & Deus extulit illum

Afflictionibus nemo se temere exponat.

Vitã amittere propter cõfessionẽ Christi est seruare uitam.

Christus per mortem ad æternam gloriam intrauit.

in summam sublimitatem, ac donauit illi nomen, quod est supra omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu se flectat cœlestium, terrestrium & infernorum. Vides ad quantam fœlicitatem Christus euaserit per uiã amissionis uitæ suæ. Quod autẽ in Christo, capite, gestum est, an non idem in membris quoq; suis fiet? quomodo caput non traheret post se etiam membra sua? Volo, inquit Christus, ut ubi ego sum, illic sit & minister meus. Et Paulus: Si cõmortui, inquit sumus, & cõuiuemus, si sufferimus, & conregnabimus. Proinde hi uere seruant uitam suam, qui malunt eã amittere, quàm Iesum Christum abnegare. Quod de amittenda uita, & confitẽdo Christo dictum est, hoc etiam intelligendum est de amittendis aliis bonis, & sectanda uocatione Dei. Nam qui maluerit derelinquere diuitias, aut honores, quàm abnegare Christum, aut aliis in rebus aduersus Deum peccare, tantum abest, ut amittat diuitias, & id genus alia bona, ut potius ea lucretur. An non CHRISTVS ueritas est? Certe est. Is igitur dixit: Omnis qui reliquerit domos aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & uitæ æternæ sortietur hæreditatem. Ex altera autem parte, qui uoluerit animã, hoc est uitam suam seruare, abnegatione Christi, & maluerit CHRISTVM abnegare, quàm uitam suam amittere, num is saluabit & retinebit animam suam? Minime omnium, sed tanto magis perdet eam, quanto impudentius Christum abnegauerit. Ac uidebitur quidem abnegatione Christi saluti uitæ suæ consulere, sed audi quid sequatur: Quid proficit homo, si lucretur uniuersum mundum, seipsum autem perdat, & detrimentum sui faciat? Perdit autem seipsum, quisquis abnegauerit CHRISTVM. Additur enim: Nam quẽ mei meorumq; sermonum puduerit, huius & filius hominis pudebit, cum uenerit in maiestate sua, & patris, sanctorumq; angelorum. Nunc ergo cõfer mihi, quid is, qui abnegat Christum lucretur, etiamsi uniuersum mundum lucretur, & quid uicissim amittat. Lucratur autem, si multum, diuitias. Quid tum postea? num habet fœlicitatem, quia habet diuitias? Imo diuitiis nihil infœlicius. Diuitias comitantur curæ, noctes insomnes, labores, odia uicinorum, interim & extrema uitæ pericula. Diues erat Nabal, sed diuitiæ eius adduxerunt ipsum in repentinam mortẽ, & sempiternam maledictionem. Duo erant diuites, quorum in Euangelio fit mentio. Horum alter uescebatur quotidie splendide, uestiebaturque honorifice, sed postea anima eius in infernũ sepelitur. Alter statuebat se præ opum multitudine maiora horrea ædificaturum, & postea in bonis dies suos ducturum, sed eadem nocte ad æternam damnationem rapitur. Breuiter, etiamsi Crœsi diuitias lucreris abnegatione Christi, necesse tamen habebis eas paulopost derelinquere, id quod comprobant omnium diuitum exempla. Aut lucraris imperium. Quid ergo? nũ ideo fœlix, quia imperator aut rex es? Vide mihi Saulem & multos alios reges. Si Saul non fuisset rex, fortasis nunc uiueret fœlix, cum DOMINO Deo nostro. Acquisito autem regno, acquisiuit etiam sibi infernum. Ierobeam rex fuit Israelis, sed regnum fuit ipsi occasio, qua in extremam internicionẽ abductus est. Et quid? etiamsi fueris rex Salomone sapientior, NebucadNezare potẽtior, & Alexandro fœlicior, necesse tamen habes uel tandem regnum relinquere. Vides enim reipsa, nullum regem, quantumuis potentem aut fœlicem, perpetuo in hoc seculo regnare. Aut lucraris uoluptatem aliquam corporalem. Sed quid corporalis uoluptas aliud est, quàm tristiciæ & doloris procemium? In diebus Noë, & in diebus Loth dabant hoies operam uoluptati, sed quid accidit? repentinus superuenit interitus.

Diuitiarum infœlicitas.

Imperia & regna multis fuerũt exicio

Voluptas corporalis tristitiæ procæmiũ

Fieri enim

Fieri enim non potest, ut perpetua sit uoluptas huius seculi. Et hæc, si optime uerterit, consequeris per abnegationẽ Christi. Sed cogita mihi etiam, quid uicissim amittas. Abnegatione autem Christi, amittitur Christus. Vno uerbo omnia dixi. Quid enim salui, amisso Christo? Christus est sapientia, iusticia, sanctificatio & redemptio nostra. Amisso igitur Christo, amittitur sapientia, quid ergo reliquum erit, nisi stultitia? amittitur iusticia, quid ergo remanet, nisi peccatũ? amittitur sanctificatio, quid igitur relinquit, nisi prophanæ sordes? deniq; amittitur redemptio, quid ergo supereſt, nisi extrema & perpetua internicio atq; damnatio? En, quàm probe saluti suæ consulat, qui, ut uitam & alia bona huius seculi seruet, Christum abnegat. Quod autem de abnegatione Christi dicitur, hoc etiam intelligendum est, de quibusuis peccatis, quæ aduersus uerbum Dei designantur. Sunt enim, qui in mercimoniis suis emendis & uendendis malunt operam dare imposturis & peiuriis, ut lucrentur diuitias, quàm legem Dei sequi & iuste agere, ne in damnum conijciantur. Sunt alii qui iniuria affecti, malunt seipsos uindicare, ut retineant gloriam nominis sui, quàm ultionem Deo relinquere, ne nomen ipsorum male audiat. Sed amabo te, quid lucrantur isti peccato suo, & quid uicissim amittunt? Lucrantur, si multum, opes, aut gloriolam famæ, quibus tamen nihil magis euanidum est. Amittunt autem per peccatum, Dominum Deum suum. Quo amisso, amittitur perpetua salus & fœlicitas. Quid igitur hominibus, abnegantibus Christum, & peccantibus aduersus Deum, stultius? Rursum, quid hominibus confitentibus Christum, periculo etiã uitæ suæ, & sectantibus uocationẽ Dei, quamuis periculo olim fortunarũ suarum, prudentius? Illi enim, quod quærunt, amittunt, & quod seruant perdunt. Hi autem, quod amittunt, inueniunt, & quod perdunt, seruant. Retribuetur enim ipsis abundantissime, cum uenerit Iesus Christus Dñs noster in maiestate sua, qui est unà cũ Patre & Spiritu sancto Deus laudãdus in secula Amen.

Christo amisso omnia sunt amissa.

Peccatis nihil lucri acquiritur.

HOMILIA LXXXVIII.



VIta hactenus mentio regni cœlorum facta est, multa his qui Christum cõfitentur promissa sunt, & paulo ante iussit Christus eum, qui uelit post ipsum uenire, abnegare semetipsum, & tollere crucem suam, propterea q; quem pudeat ipsius & sermonum eius, huius etiam pudeat filium hominis, cum uenerit in maiestate sua, & patris, sanctorumq; angelorum: qui autem confiteatur ipsum coram hominibus, illum etiam uicissim confiteatur filius hominis coram patre suo in regno cœlorum. Atq; hæc quidem promissio mercedis regni cœlorum & diuinæ maiestatis, pro iis aduersis, quæ propter confessionem Christi sufferenda sunt, uerbis suis amplissima, sed interim in Christo, ne humana quidem maiestas, aut terrenum regnum, reipsa apparebat. Obambulabat enim Christus, quantum ad externum habitum attinebat, rerum omnium indigens, miser, pauper & contemptus. Ac tantum aberat, ut rebus ipsis maiestatem quandam præ se ferret, ut etiam eam maiestatem, quam sibi ex æditis miraculis comparabat, noluerit uulgari. Præcepit enim discipulis suis, ne cui dicerent, se esse Messiam. Potuissent igitur discipuli siniſtram de ipso suspicionem concipere, ac ita secum musitare: Audimus quidem te uerbis multa promittere, sed nihil uidemus te reipsa præstare. Inculcas maiestates diuinas, & regna cœlorum, sed nec priuati quidem reguli maiestatem & regnum in te uidemus. Iubes nos

Christi paupertas & indigentia.

certa,hoc est,opes,& uitam,quæ iam possidemus,relinquere,& incerta,ea nimirũ, quæ tu pleno ore iactas,sequi.Quid ergo? Putas ne nos tam stultos fore,ut uanis spe bus illecti, coniiciamus nosmetipsos ob incertissimas promissionum tuarum am pullas,in præsentaneum exicium?Sed Christus omniũ cordium scrutator, occurrit mox carnalibus illis suspicionibus, ac recipit, sese manifestissimis argumentis, adeoq; rebus ipsis declaraturum & comprobaturum,q; ipse præditus sit diuina ma iestate,& q; habeat in manu sua regnum cœlorum,quod & cõmunicare uelit oĩbus in ipsum credentibus. Et ait: Dico uobis uere,sunt aliqui hic stantes,qui non gu stabunt mortem,donec uideant regnũ Dei. Quidam interpretãtur hunc locum generaliter de omnibus in Christũ credentibus,q; quicunq; credat in Christũ,non uideat mortem inæternum,ac etiamsi mortuus fuerit,uiuat tamen.Bona sentẽcia, & non reiicienda.Alii interpretantur regnum Dei,de reuelatiõe regni Christi,post ascensionẽ eius in cœlum,& missionẽ spiritus sancti.Tunc enim & discipuli manife ste cognouerunt ueram rationẽ regni Christi,& Apostoli uulgauerunt regnum illud per prædicationẽ Euangelii in totum orbem terrarũ.Est & hæc sententia com moda,& minime contemnenda.Sed quia mox post hæc uerba,in omnibus Euangelistis,in quibus scripta leguntur,sequitur historia de transfiguratione Domini nostri Iesu Christi in monte Galilææ,ideo uidentur proprie de transfiguratione intel ligenda esse. In transfiguratione enim Christus manifestauit maiestatem regni sui coram tribus discipulis,& præbuit eis gustum gaudii regni cœlestis,quemadmodũ iam indicabimus.Quod igitur Christus dicit:Sunt aliqui hic stantes, qui nõ gusta bunt mortem,donec uideãt regnum Dei,uel, ut Matthæus scribit, donec uiderint filiũ hoĩs uenientẽ in regno suo, hanc habet sentẽciam: Ego multa uerba hactenus feci,de maiestate & mercede regni cœlorum,quam in me habituri sunt,quotquot in me credunt,& me sequunt,quæ quoniam nõ sentiuntur nunc aperte,possent fortasis uana uobis uideri.Ego igitur non simpliciter,sed etiam iureiurando affirmo, me quosdam ex uobis hic stantibus (intelligit autem, Petrum, Iohannem, & Iacobum) ueluti publicos testes electurum, quos adhuc uiuentes introducam in regnũ cœlorum,ut capiant gustum futuræ fœlicitatis,ac reipsa uideant,me summa prædi tum maiestate,& communicaturum omnibus in me credentibus perpetuum gaudium, & honorem regni cœlorum, ut quod ipsi uideant & reipsa sentiant, postea omnibus palàm opportuno suo tempore testificentur.Quod ergo Christus iuramẽto etiamnum facturum sese recipit,hoc paucis post diebus reipsa præstat. Sic enim scribit Lucas: Factum est post hæc uerba,dies fere octo,& assumpsit Petrum & Iohannem & Iacobum,& ascendit in montem ut oraret.Et factum est,dum oraret, spe cies uultus eius altera,& uestitus eius albus & refulgens. Et ecce duo uiri loquebantur cum illo.Erant aũt Moses & Elias uisi in gloria,& dicebant excessum eius, quẽ completurus erat in Hierusalem. Hæc est historia transfiguratiõis Domini nostri Iesu Christi,in qua multa obseruatu digniss ima sunt.Primum,ut nec minutiora prætereamus,hic mons,in quem Christus transfigurandus ascendit,iudicatur esse Thabor,qui alio nomine Itabyrius uocatur,& situs est in Galilæa. Deinde assumit Christus secum in hunc montem,tres tantum discipulos, ut haberet sufficientes testes reuelationis maiestatis suæ. In ore enim duum,inquit lex, aut trium stat omne testimonium. Adhæc,priusquàm transfiguratur,orat.Legitur autem frequentissime orasse,qui tamen nullum unquàm peccatum fecerat. Sed quia assumpserat humanas infirmitates, orauit, ut & nobis impetraret spiritum orandi & clamandi in infirmitatibus nostris, Abba pater, & exemplo suo prouocaret nos ad frequentem orationem.

Mons Thabor.

Christus cur tres tantũ discipulos in transfiguratione secum assumpserit.

orationem. Deinde, dum orat, transfiguratur, idq; hoc modo factũ est. Species uultus eius facta est altera, & splenduit sicut sol. Vestimenta autem eius facta sunt splendida & candida ualde, ueluti nix, quàm candida non potest facere fullo super terram, quemadmodum Marcus ait. Hæc est transformatio, qua Christus aliquo modo maiestatem suam reuelat, & immortalitatem ac fœlicitatem suam ostẽtat. Atq; hanc quidem formam potuisset Christus semper ab initio natiuitatis suæ in hac terra gestare atq; ostentare, quippe qui cum de spiritu sancto conceptus sit, & peccatũ non fecerit, semper potuerit immortalitate & fœlicitate frui. Sed maluit semetipsum exinanire, & formam serui assumere, ac sese humilem & obediẽtem præbere usq; ad mortem crucis, ut nos & à peccatis in iusticiam, & ab humilitate ad cœlestẽ sublimitatem efferret. Nunc autem transformat sese, hoc est, assumit ad tempus formã immortalitatis, & perpetuæ fœlicitatis coram tribus suis discipulis, ut declararet, se uerum esse Messiam illum, qui non solum in se præditus sit diuina maiestate, & perpetua fœlicitate, sed etiam communicaturus sit fœlicitatem omnibus in ipsum credentibus, atq; adeo Christus hac transformatione manifeste comprobat, quòd etsi uideatur homo quispiam abiectus, contemptus, & damnatus, tamen si aperias ipsum, uideas plane eum esse reipsa, quem aliàs sese uerbis prædicauit: Ego sum, inquiens, lux mundi. Ego sum uia, resurrectio & uita. Ac Paulus, ipse est (inquiens) iusticia, sanctificatio & redemptio nostra. Et iterum: In ipso sunt thesauri sapientiæ & scientiæ Dei. Cæterum cum Christus transformaretur, non solus conspectus est, sed uisi sunt cum ipso, duo uiri in gloria & maiestate, Mose & Elias. Ac nisi me mea fallat coniectura, existimo horum duorum corpora, præter multas alias causas, etiam in hunc præcipue usum, à terris ante generalem resurrectionem ablata & reseruata esse, ut hoc loco in transformatione Christi non uiui tantum, sed etiã in gloria & maiestate iterum apparerent. De Mose enim scriptura dicit in Deuteronomio capite tricesimo quarto, q; mortuus quidem sit, & sepelierit ipsum Dominus, sed nullus hominum cognouerit sepulchrum eius. Vnde ex hac apparitione, de qua hic fit mentio, manifestum est, corpus Mosi non computruisse in terra, sed translatum fuisse ad immortalitatem & gloriam perpetuæ fœlicitatis. De Elia quoque scriptura testatur, quòd raptus sit in curru igneo per turbinem in cœlum, quemadmodum scriptum est in quarto libro Regum capite secundo. Qui ergo ante tot seculà in cœlum ad immortalitatem unà cum corpore translati sunt, nunc iterum apparent in maiestate fœlicitatis suæ, cum Christo. Ecquid hic negocii agunt? Colloquuntur (inquiunt Euangelistæ) cum Christo, & adnunciauerunt ipsi excessum (hoc est, passionem & mortem), quem completurus erat in Hierusalem. Quid? nihil ne iucundius potuerunt adnunciare Christo, quàm ærumnas, contumelias, dolores, cruces & mortes? Hic nihil erat, nisi cœleste gaudium, & in tanto hoc gaudio præcipuus sermo est de afflictionibus & cruce? quomodo hæc conueniunt? Sed huius rei nulla te admiratio capiet, si consideres, quorum nomine & persona, Mose & Elias cum Christo colloquantur. Mose enim legislator est. Gerit igitur personã legis. Elias aũt in ordine prophetarũ præcipuus est. Gerit igit̃ personã prophetarũ. Scopus autem totius legis & omnium prophetarum est, ut Christus non dominetur in hoc seculo secundum externam maiestatẽ, sed multa aduersa, adeoq; mortem ipsam in hoc seculo patiatur, & per passionem ac mortem ingrediatur in gloriam suam. Nam Mose prædicauit de passione Christi, in omnibus sacrificiis suis. Effundere enim sanguinem ouis aut bouis, in sacrificium, nihil aliud est, quàm

Transfiguratio Christi.

Christus cum transfiguratus.

Mose ad immortalitatem translatus.

Elias in curru igneo raptus in cœlũ.

Mose & Elias Christo passionem ipsius adnunciant.

Legis & omnium prophetarum scopus

concionari, Christum esse pro peccatis passurum. Sic & prophetæ hoc unum de regno Christi maxime omnium docuerunt, quòd regnum Christi non sit de hoc mundo, sed quòd Christus per mortem ingressurus esset in maiestatẽ suam. Quorum omnium testimonia, quæ in scriptura extant, hic iam recensere nimis longum esset. Sed prophetas hoc præcipue tractare, Christus ipse non tam ante, q̃ post resurrectionem suam testatur: O stulti, inquiens, & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt prophetæ. Nonne hæc oportuit pati Christum, & intrare in gloriam suam? Et exorsus à Mose & omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de ipso erant. Et mox: Necesse fuit impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Mosi & prophetis & psalmis de me. Et Sic scriptũ est, & sic oportebat Christum pati. Cum igitur præcipuus scopus sit legis & prophetarũ, Christũ in hoc seculo passurum, & per passionem in maiestatem suam intraturum, optime conuenit, ut Mose & Elias in apparitione sua de passione Christi prædicarẽt. Quid enim aliud loquerentur, q̃ quod antea scriptis suis, hoc est, in lege & prophetis extaret? quis enim credidisset ipsos esse, Mosen & Eliam, si quic̃ aliud prædicassent. Atq; hic ut perspicacissime ita & artificiosissime occurrit humanæ curiositati. Solemus enim sæpe conqueri, q̃ nemo redeat ex mortuis, qui nobis annunciet, quid illic inter mortuos rerũ agatur, ac infidelitati nostræ hanc præcipue causam præteximus, q̃ nullus ex mortuis resurgat, qui indicet, quid nobis in alio seculo paratum sit, alio qui nos libenter morituros. Quanq̃ autem hæc querela arguat insciti am & incogitantiam nostram, q̃ habeamus Iesum Christum filium Dei, qui non solum resurrexit à mortuis, sed etiam post resurrectionem apparuit discipulis suis, ac indicauit nobis per Apostolos suos omnia, quæ nobis ad salutẽ necessaria sunt. Quo solo Christo, iure deberemus esse contenti, quippe in cuius ore nullus unq̃ inuentus est dolus: nihilominus tamen Dominus Deus noster tam clemens, & tam sollicitus nostræ salutis administrator est, ut præter Christum, etiam alios duos ex mortuis, Mosen uidelicet & Eliam, hoc loco ad nos remittat, qui nos certificent, de rebus ad salutem nostram pertinentibus. Quid ergo hi nos docent? Primum, quia gerunt personas legis & omnium prophetarum, & colloquuntur cum Iesu transformato de excessu eius in Hierusalem, ipso facto palàm testificantur, hunc Iesum esse uerum illum Messiam, quem lex & prophetæ adnunciarunt. Alioqui enim, cur, quòd lex & prophetæ de passione Messiæ uaticinati sunt, ipsi in hunc Iesum transtulissent, & tam familiariter cum ipso, ut uero Messia, collocuti essent? Deinde, quia apparent cũ Iesu Christo, non simpliciter, sed in gloria & maiestate, perspicue demonstrant, non solum esse uitam, post hanc uitam, in qua ipsi hactenus uixerunt, sed etiã repositam esse perpetuam fœliciratem omnibus in Christũ credentibus. Nisi enim esset uita post hanc uitã, quomodo hi tot annis post mortẽ aut immutationẽ ipsorũ incolumes permansissent? & nisi in Christo reposita esset gloria fœlicitatis, unde his tanta gloria contigisset? Postremo, quia prædicant Christo de passione & morte sua, palàm significant, regnũ Christi nõ esse de hoc mundo. Alioqui em̃, legiones angelorũ, & ministri Christi fortissime decertarẽt, ne ipse traderet Iudæis in mortem. Sed quia Mose & Elias adnunciãt Christo excessum, quẽ cõpleturus est in Hierusalẽ, ostendunt Christũ summam quidem maiestatẽ habere, sed eam minime reuelandam, nisi per afflictiões & mortẽ. Neq; em̃ recitant illa Christo, tanq̃ ignoráti, sed recitant ea audientibus tribus discipulis, ptopter nos, ut disceremus, quis esset scopus legis & prophetarũ. Hæc sunt, quæ Mose & Elias apparitiõe sua nos docẽt, quæ tanto diligentius nobis obseruanda sunt, quanto maiorẽ nobis utilitatem ad

Mose & Elias ex mortuis resurgentes quid nos doceant?

retundendam

rétundendã carnalé noſtram curioſitatem afferunt. Habes enim iam tres mortuos, qui ex alio mundo in hunc mundũ redierunt, & ea, quæ ſunt ſalutis noſtræ, adnuntiauerunt. Horũ præcipuus eſt Ieſus Chriſtus, qui poſtq̃ reſurrexit à mortuis, nihil rerum ſalutariũ nobis obticuit. In hoc aũt loco redeũt Moſe & Elias, qui tam rebus q̃uerbis exponunt nobis ſtatũ huius & alterius ſeculi. In ore uero duum aut trium ſtat omne teſtimoniũ. Quare ſi his nullam adhibueris fidem, nulla iam ſalutis tuæ ſpes reliqua eſt, etiamſi ab una parte omnes angeli, ex altera, omnes ſancti in Domino mortui, ſenſibiliter apparerẽt. Huc adde, q̃ etſi oẽs angeli & ſancti in hoc mundo nobis apparerent, non tamẽ poſſent nobis aliud prædicare, q̃ quod tam Chriſtus, q̃ Moſe & Elias hoc loco prædicarunt, uidelicet, q̃ Ieſus ſit uerus Meſsias, quòd ſit alia eaq̃ perpetuo fœlix uita poſt hanc uitã in Chriſto Ieſu, & q̃ ad fœlicitatẽ alterius uitæ non perueniat, niſi per uarias tribulationes & cruces huius ſeculi. Hæc, in quam, in ſumma, & non diuerſa, poſſent nobis angeli & ſancti de rebus ad ſalutem noſtrã pertinentibus prædicare. Quòd ſi uero his diuerſa prædicarent, neceſſe haberemus ipſos pro anathemate iudicare, tantũ abeſt, ut liceret nobis fidem ipſis adhibere. Quid ergo nunc incredulitati tuæ prætexes, quo minus Chriſtũ ſequaris? Si te hactenus remorata eſt promiſsionũ Chriſti de alia uita incertitudo, at nunc in uitet te certitudo. Quid enim poteſt eſſe certius, quã quod hoc loco Moſe & Elias, ac poſtea Ieſus ipſe Chriſtus à mortuis reſurgens teſtificati ſunt? An times, ne ſi ſequaris Chriſtum, diuitiis tuis priueris? Sed ita ſequeris theſaurum, non terrenarum, ſed cœleſtium & perpetuo durabilium diuitiarum. Times, ne honore & potentia tua deſtituatis? quis autem maior honor, quæ maior potentia contingere poteſt, q̃ quæ eſt in Chriſto Ieſu? Times, ne amittas uitam corporalem? Sed illum ſequeris, qui eſt perpetua uita & fœlicitas. An non omnes negociatores in iudicio Dei reſurgẽt, & condemnabunt nos, q̃ cum ipſi ob paruum admodum lucellũ huius ſeculi, expoſuerint maximis periculis, non ſolum omnẽ ſubſtantiã, ſed etiam uitam ſuam, nos aũt tam ignaui, tam muliebres fuerimus, qui propter Chriſtũ, hoc eſt, propter ſummam iuſticiam & fœlicitatẽ, recuſauerimus uel etiam teruncium periculis obiicere? Excuſari fortaſsis poſſet impietas, ſi, ut in negociationibus ciuilibus iter ſæpe incertum, & lucrum multo incertius eſt, ita & in ſequendo Chriſto iter incertum, & terminus itineris incertus eſſet. Nunc autem, quæ poteſt obuerti excuſatio? Iter certiſsimum eſt, nimirum, fides in Chriſtum, & obſeruatio mandatorum Dei. Sic cũ dicit: Qui in me credit, habet uitam æternam. Et aliàs: Si uis ingredi in uitam, ſeruа mandata Dei. En itineris certitudinẽ. Eſt & terminus huius itineris certiſsimus, uidelicet, uita æterna & fœlicitas perpetua, id quod in hac Moſi & Eliæ apparitione, & in Chriſti transformatione, ac poſtea reſurrectione, firmiſsimis argumentis comprobatum eſt. Quid fuit in hoc ſeculo afflictius ipſo Moſe? Etſi enim primum quidem enutriebatur tanquàm filius regis, poſtea tamen neceſſe habuit, derelicta aula exulem & paſtorem ouium agere. Et cum eueheretur in ducatum Iſraelis, tanta ſæpe diſcrimina paſſus eſt, ut exclamauerit ad Deum: Obſecro, ut interficias me, ne tantis malis afficiar. Quorſum autem ceſſerunt ipſi tantæ afflictiones? num in perniciem? Nihil minus, ſed in maximam gloriã. Et nunc appatet in maieſtate apud Chriſtũ, quam non hoc tantũ tẽpore habuit, ſed poſſedit ab eo tẽpore, quo hac corporali uita defunctus eſt, & poſsidebit eam perpetuo. Elias etiã, etſi clariſsimus propheta fuerit, in hoc tamen ſeculo tantas ſuſtinuit afflictiões, ut animæ ſuæ mortem optaret: Sufficit, inquiens, mihi Domine, tolle animã meã. Sed tantũ abfuit, ut hæ

Promiſsionũ Chriſti de alia uita certitudo.

Iter certiſsimũ in ſequendo Chriſto.

Itineris ad Chriſtum terminus, uita æterna.

afflictiones oppreſſerint ipſum, ut potius per eas in ſummam gloriam & fœlicitatem, in qua nunc apud Chriſtum apparet, euaſerit. Quid autem dicemus de ipſo Ieſu Chriſto? qui cum factus eſſet obediẽs uſq; ad mortem crucis, exaltatus eſt in ſummam ſublimitatem, & donatus eſt nomine, quod eſt ſupra omne nomen. Quid amplius requiris? habes itineris certitudinem, habes & termini certitudinem. Quis igitur alius, præter teipſum, accuſandus eſt, ſi ad hunc terminum non peruenias? Proinde, ne tua ipſius culpa pereas, da operam, ut Chriſtũ per tela, per ignes, per omnia rerum diſcrimina ſequaris. Cæterum, poſtq̃ pro noſtra mediocritate explicuimus transformationem Chriſti, & apparitionẽ Moſi ac Eliæ, uideamus etiam, quid interim cum tribus diſcipulis agatur, qui ad hoc ſpectaculum à Chriſto in montẽ ducti erant. Sic ergo ſequitur: Petrus uero, & qui cum illo erant, grauati erant ſomno. Et euigilantes, uiderunt gloriam eius, & duos uiros, qui ſtabãt cum illo. Et factum eſt, cum diſcederent ab illo, ait Petrus ad Ieſum: Præceptor, bonũ eſt nos hic eſſe, & faciamus tria tabernacula, unum tibi, & unum Moſi, & unum Eliæ, neſciens quid diceret. Hic mihi primum in Petro & aliis duobus Apoſtolis uide humanam ignauiam & ſocordiam ad conſequenda cœleſtia. Chriſtus enim duxit hos diſcipulos ſecum in montem, ut explicaret maieſtatem ſuam coram illis, & exhiberet ipſis guſtum perpetuæ fœlicitatis. Quid ergo illi interim agunt? nũ unà cum Chriſto orãt? Quid? orant? ne Chriſti quidem exemplo prouocantur ad orandum, ſed dormiũt. Quantum igitur in ipſis fuit, digni fuiſſent tam iucundo transfomationis ſpectaculo priuari, & perpetuo ſomno opprimi, ſed præter meritum ſuum expergefiunt, & uident maieſtatem Chriſti, & gloriam Moſi ac Eliæ. Hoc exemplo admonemur, gloriam fœlicitatis non contingere nobis merito noſtræ uigilãtiæ aut iuſticiæ, ſed tantum gratia & clemẽtia Dei, propter Chriſtum. Quid enim mereremur tam ſomnolenti? num ſomnus meritum eſt? aut quid mereremur in peccatis concepti & nati? Dices autem: Dormiamus ergo, ut & nos conſequamur ſomno fœlicitatem. Abſit. Imo uigilemus. Nox enim progreſſa eſt, dies autem appropinquauit. Nã q̃ Apoſtoli dormierunt, ignauiæ fuit. Quòd autem contigit ipſis ſpectaculum fœlicitatis, gratiæ Dei fuit, quæ in Apoſtolis propter hoc reuelata eſt, ut nos ab ignauia cauea mus, ut opera tenebrarum abiiciamus, & arma lucis induamur, ne ſi ignauiã ſectemur, tentemus Deum, obiiciamus nos periculis, & pro merito noſtro in periculis pereamus. Deinde, quod antea Moſe & Elias apparitione ſua teſtificati ſunt, uidelicet, in Chriſto Ieſu eſſe ſummam fœlicitatem, hoc idem nunc ipſo trium Apoſtolorum ſenſu reuelatur. Petrus enim exclamat: Præceptor, bonũ eſt nos hic eſſe, faciamus tria tabernacula, hoc eſt: Valeat Galilæa, cum uoluptatibus ſuis, ualeat Hieroſolyma cum honore, principatu, & maieſtate ſua, imo ualeat totus mundus unà cũ omni ſua terrena fœlicitate. Hic ſentio ueram eſſe fœlicitatem, hic mihi perpetuũ elegerim habitaculum, nec iucundius mihi unq̃ ſpectaculum, nec fœliciorem uitã optauerim, q̃ conſpectu ueſtræ illius maieſtatis ſemper frui. Hac uoce perſpicue declarat Petrus, q̃ ipſe, unà cum aliis duobus Apoſtolis, admiſſus ſit ex hoc ſpectaculo in fructum cœleſtis gaudii, & perceperit guſtum perpetuæ beatitudinis, quæ habet in Chriſto Ieſu. Quid ergo adhuc de futura uita, & cœleſti gaudio dubitas? Ante redierunt duo ex mortuis, Moſe & Elias, ac manifeſte oſtenderunt, eſſe aliam uitam poſt hanc uitam, & ſummam fœlicitatem in Chriſto conſtare. Nũc habes tres Apoſtolos adhuc uiuentes, qui ipſo ſenſu ſuo percipiunt guſtum cœleſtis fœlicitatis. Si ergo mortuis non credideris, ſaltem uiuentibus credas, ut ad ſectandam uocationem Chriſti excitẽris. Poſtremo, obſerua iterum in Petro, ſtuporem humanæ carnis,

Humana ignauia in conſequẽdis cœleſtibus.

Fœlicitatis gloria nobis ex mera gratia cõtingit.

carnis, ad percipiendam ueram salutis doctrinam. Etsi enim Petrus antea manifestis uerbis audierat à Christo, q̄ per crucem esset uia ad gloriam perpetuæ beatitudinis, & iam Mose ac Elias perspicue indicauerant, Christo moriendum esse Hierosolymis, ac per mortem, maiestatem eius reuelandam, nihilominus tamen adeo stupidus est, ut nōdum intelligat, ueram regni Christi rationem, sed hoc unū quærat, ut in hoc seculo accipiat brabeum ante certamen, ut habeat uitam ante mortē, maiestatem ante humilitatem, adeoq̄ cœlum ante infernum. Exclamat enim: Faciamus hic tria tabernacula, qua uoce significat, se non amplius hinc discessurum, sed perpetuo hac fœlicitate fruiturum. Non intelligit autem perpetuam fœlicitatem nō contingere ante infœlicitatem, & regnum Christi non nisi per crucem ac mortē reuelari. Ac tolerabile quidē esset, si unus tm̄ Petrus hoc stupore affectus fuisset. Nunc aūt, tāta est humanæ carnis cæcitas, ut is morbus oēs hoies occupet: Nō estem̄, qui natura sua non horreat crucem, & qui nō maluerit de fœlicitate huius seculi, in fœlicitatē futuri seculi, uno momēto, pro carnis suæ libidine transire, quā ante futuram fœlicitatem, afflictiones & mortem in hoc seculo ferre. Sed hic affectus in nobis corrigendus est. Nam & lex & prophetæ, & ipse etiam Christus, manifeste testantur, regnum Christi non esse de hoc mundo, sed in regnum eius ingrediendum esse per crucem. Omnino igitur in hoc seculo ferenda est crux, ut, siquidem simul cum Christo patimur, unà cū ipso etiam glorificemur. Sed in hoc trāsformationis spectaculo, reliquum adhuc est, quod est longe omnium obseruandissimū. Audiuimus enim Christum manifestasse tribus discipulis maiestatē suam, ac exhibuisse ipsis gustum futuræ beatitudinis, quæ in ipso habetur, audiuimus Mosen & Eliam unà cum Christo in maiestate uisos, illum nomine legis, hunc nomine prophetarum, ut Christus haberet testimonium, se illum esse Messiam, quem lex adumbrat, & quem prophetæ prædicant. Audiamus autem nunc testimoniū cœlestis, diuinæ ac paternæ uocis, qua è cœlo delapsa manifestissime comprobat, hunc Iesum Christum solum illum esse, qui plenitudinem omnium bonorum Dei in se possideat, ut ea omnibus in ipsum credentibus communicare uelit. Nam cū Petrus, discedentibus Mose & Elia, exclamaret, sibi optimum uideri, ut maneāt, se tria tabernacula ædificaturum: Ecce adhuc illo hæc loquēte, facta est nubes, & obumbrauit eos. Timuerunt autem, intrantibus illis in nubem. Et uox facta est de nube dicens: Hic est filius meus dilectus, ipsum audite. Et dum fieret uox, inuentus est Iesus solus. Et ipsi tacuerunt, & nemini dixerunt in illis diebus quicquam ex his quæ uiderant. Principio, quòd uox Dei patris reueletur ex nube, planè conuenit cum ueteri consuetudine, qua Deus seipsum reuelauit. Cum enim quondam Israelitæ proficiscerentur ex Aegypto, præcessit eos Deus, noctu quidem columna ignis, interdiu aūt nube, quēadmodum in Exodo capite decimo tercio scriptū est. Et postea, cum Salomon dedicaret templum suum, impleta est domus Dei nube, ne possent sacerdotes Dei stare & ministrare propter caliginem. Compleuerat enim gloria Domini domum Dei. Tunc Salomon ait: Dominus pollicitus est, ut habitaret in caligine. Sic enim Leuitici decimo sexto scribitur: In nube apparebo super oraculū. Huc facit etiam illud psalmi: Nubes & caligo in circuitu eius. Quod Paulus exponēs: Lucem, inquit, habitat inaccessam, quem nemo hominum uidit, nec̄ uidere potest. Quare & hoc loco Deus seipsum uoce sua manifestaturus, nubē secum adducit. Deinde q̄ discipuli timuerint, obumbrante ipsos nube, significat, uiuēte adhuc mortali ista carne, nullam fœlicitatem in hoc seculo durabilem esse. Paulo enim ante gustauerunt discipuli cœlestem beatitudinem, sed ecce, q̄ facili

Carnis humanæ stupor ac cæcitas.

Crux necessario ferenda.

Dei patris uox ex nube reuelatur.

Fœlicitas nulla in hoc seculo durabilis.

momento à sensu huius gaudii deiiciuntur. Paulo ante uidebãtur sibi in medio cœlo deambulare, nunc autem aduenientе nube ita terrentur, perinde ac si in infernum ingrediendum esset. Non igitur pollicearis tibi in hoc seculo diututnam fœlicitatem, sed sentias, in hoc seculo, mortificandum esse carnem uariis afflictiõibus, quas Deus immittit, ac interdum quidem contingere nobis gustum quendam cœlestis gaudii, in hac uita, sed ueram, firmam, & perpetuo duraturam fœlicitaté non contingere, nisi per afflictiones & mortem, post hanc uitam, propter Iesum Christum Dominum nostrum. Post hæc, uox patris è nube audita, maxime omnium obseruãda est. Dicit enim: HIC EST FILIVS MEVS DILECTVS, IN QVO MIHI BENE COMPLACITVM EST. IPSVM AVDITE. Pauciſsima audis uerba, sed quæ cõprehendunt in se, non solum summam totius Euangelii de Christo, uerumetiam totam salutis nostræ rationem. Mendacii est, pluri ima, & sesquipedalia effundere uerba. Veritatis autem est, ut simpliciſsima, ita & pauciſsima loqui. Cum igitur Deus pater noster cœlestis longe omnium ueraciſsimus sit, paucis etiam sententiam animi sui absoluit. Cæterum, legimus in Euangeliſtis, cœlestem uocem ter auditam esse, qua pater de Iesu testificatus est, q̃ sit uerus Messias filius Dei uiui. Primum, cum Ioannes baptisasset Iesum, ecce uox de cœlo audita est: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacitum est. Deinde eadem uox auditur hoc loco, in transformatione Christi. Tercio, Christus in Ioanne capite duodecimo precatur, dicens: Pater illustra nomen tuum. Venit ergo uox de cœlo, dicens: Et illustraui, & rursus illustrabo. De hac uoce Christus ait: Non propter me hæc uox uenit, sed propter uos. Quod ergo de hac dictum est, idem etiam de priori intelligendum est, uidelicet, q̃ non tantum propter Christũ sed maxime omnium propter nos dictum sit: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacitum est, ipsum audite, ut ex hac uoce discamus, quis sit uerus Messias, & in quo salutem nostram quærere debeamus. Et hãc uocem etiam Petrus, qui fuit huius transformationis & maiestatis αὐτόπτης, ac uocis huius auditor, diligenter nobis inculcat: Non arte, inquiens, compositas fabulas secuti, notam uobis fecimus Domini nostri Iesu Christi uirtutem & aduentum, sed qui oculis nostris aspeximus illius maiestatem. Acceperat enim à Deo patre honorem & gloriam, uoce ad illum delata huiusmodi à magnifica gloria: Hic est ille filius meus dilectus, in quo mihi complacitum est. Et hanc uocem nos audiuimus è cœlo delatam, cum essemus unà cum illo in monte sancto. Et Ioannes in prima epistola, capite primo ait: Quod erat ab initio, quod audiuimus, quod uidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ cõtrectauerunt de sermone uitæ, & uita manifestata est, & uidimus etiam, testamur & annunciamus uobis uitam æternam, quæ erat apud patrem, manifestata est nobis. Hactenus Ioannes. Qui locus, etsi totum negocium, quod de Christo, & ante passionem, & post passionem gestum est, complectatur, tamen, quia transformatio inter præcipuas reuelationes maiestatis Christi, haud quaq̃ postrema est, Ioannes de transformatione etiã ac de uoce, tempore transformationis de cœlo audita, loqui uidetur. Sed iam ipsam uocem perstringamus, ut quid sibi ea uelit Dominus Deus pater cœlestis, paulo apertius cognoscamus. Si autem rem probe perpenderimus, hoc maxime omnium uult pater hac uoce declarare, & comprobare, q̃ hic Iesus uerus sit Messias ille filius Dei, in quem lex respicit, & quẽ pphetæ adnunciauerũt. Nec usq̃ aut unquã alius Messias quærẽdus sit, q̃ hic Iesus, nec alteri cuipiam maiestas Messiæ tribuenda, q̃ huic Iesu, nec in alio salus, in Messia promissa, speranda, q̃ in hoc Iesu. Nam in hac patris uoce de cœlo delata, con

Dei patris uox ter audita in nouo testamento.

2. Petri. 1.

delata, continentur tria selectissima selectissimorum prophetarũ oracula & uatici nia de Messia, saluatore mundi. Dauid enim, in psalmo secundo, in persona Messiæ ita loquitur: Dñs dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te. Esaias autẽ capite quadragesimo secundo de Messia ita ait: Ecce puer meus, suscipiam eũ, cõplacuit sibi in illo anima mea. His accedit & Mose, qui in Deuteronomio capite decimo octauo de Messia sic uaticinatur: Prophetam de gente tua & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dñs Deus tuus. Et addit: IPSVM AVDIES. Hæc sunt præcipua præcipuorũ prophetarũ, Dauidis, Esaiæ & Mosi, oracula de Messia Ex his igitur contexit Dñs Deus noster uocem suam, & congerit ea in unum acer uum, ac effundit ea super hunc Iesum, ut palàm demonstret ac testificetur, nullũ alium, præter hũc Iesum, uerum esse Messiam illũ, de quo in lege & prophetis scrip tum est: Hic, inquiens, hic Iesus, est filius meus dilectus, in quo mihi complacitum est, IPSVM AVDITE. quasi ita diceret: Hic Iesus est ille, quem per os Dauidis uocaui filium meũ, quẽ per Esaiam uocaui electũ, in quo mihi sit complacitum, & quẽ solũ iussi per Mosen audire: quid ergo manifestius, quid dilucidius est, q̃ ipsum esse uerũ Messiam? Si autem est uerus Messias, quid amplius inquiritis? quid adhuc saluti uestræ deest? Ego respexi hactenus ab orbe cõdito super filios hominum, sed inter hos non inueni, nisi filios Adam, & mancipia Satanæ. Nunc autem, o spectaculum iucundissimum, inuenio inter homines eum, qui est uere filius Dei, in quem Satan nihil prorsum iuris habet. Respexi hactenus super homines, sed nõ inueni inter ipsos tam dilectũ, in quo mihi complacitum esset. Inueni quidẽ Adamum, Noë, Abraamum, & quosdam alios, sed ut hos mihi gratos & iustos facerẽ, necesse habui prius peccata ipsis remittere, & ex misericordia eos iustos reputare. Nunc aũt inuenio hunc Iesum, tanta iusticia & sanctitate præditũ, ut non ex gratia mea (ut ita loquar) sed ex suo ipsius merito mihi lõge oĩm acceptissimus sit, in quo solo cõplaceat sibi anima mea. Et hactenus quidẽ audiuistis Mosen, audiuistis prophetas, ut ex ipsis uoluntatẽ Dei de salute uestra disceretis, nũc aũt, HVNCAVDITE, quia in hunc, quẽ modo mea ipsius uoce & testimonio declaro, respexerũt Mose & pphetæ. In hoc oĩm meã uoluntatẽ, in hoc oĩa ad salutm uobis necessaria cognoscetis. In hũc ego meipsum ita captiuũ tradidi, ut qd̃ ipse iudicat, meũ sit iudicium, quod ipse loquit, meũ sit uerbũ, qd̃ ipse docuerit, mea sit doctrina, quod ipse decreuerit, meũ sit decretũ. Breuiter, quod ipse uelit & faciat, mea sit uolũtas & factũ. Audiamus igitur pauciss imis, quid Iesus uoluerit, docuerit & fecerit. Voluit autẽ, ut omnis qui credit in ipsum, adoptetur in filiũ Dei, docuit, q̃ omnis qui credat in ipsum, habeat uitam æternam, fecit, ut passione sua expiarentur peccata nostra, & placaretur pater, ut quotquot in ipsum crederent, haberent remissionẽ peccatorũ, & placatũ patrem in cœlis, atq; acciperent unà cum ipso hæreditatem oĩm cœlestiũ bonorũ. Hæc uoluit, docuit & fecit Iesus Christus. Hæc ergo uult & facit etiam Dominus Deus noster in cœlo. Ac Deus per se quidẽ seueriss ime iudicat de hominibus, quia pronunciat omnes homines perpetuæ damnationi obnoxios, propterea q̃ nullus hominum legem Dei perfecte impleat. Nunc aũt, quia omne iudiciũ dedit filio suo Iesu Christo, longe clementior sententia de hominibus auditur. Iesus enim hanc sententiam pronunciauit: Omnis qui credit in filium Dei, non peribit, sed habebit uitã æternã. Quid ergo adhuc de salute tua dubitas? quid afflictiones times? quid mortem horres? an non audis Iesum esse Messiam, & hunc Messiam oĩbus in ipsum credentibus dare salutem & uitam æternam? Crede igitur & saluus eris. Sed etsi iam testimonio transformationis, & cœlestis uocis comprobatũ

Dauidis uaticiniũ de Messia.

Esaiæ oraculũ de Messia.

Mosi uaticinium de Christo.

Christus solus audiẽdus.

Christi uolũtas, doctrina & facta.

sit, Iesum esse uerum Messiam, adhuc tamẽ scrupulus restat, qui tres discipulos tor quet, propterea quod audierant, Eliam uenturũ ante Messiam, nondum tamen uiderant Eliam in terris, inter homines agentem, & prædicatione sua de Messia publice testificantẽ. Sed hunc quoq; scrupulum eximit Christus discipulis suis, ut omnino q̃ certissimi reddantur, seipsum esse uerum Messiam. Quod ut cõmode explicemus, perstringemus prius ea, quæ post auditam è nube uocem, Euangelistæ conscribunt. Cum discipuli (inquiunt) hæc audissent, prociderunt in faciẽ suam, & territi sunt uehemẽter. Quis enim ad tantæ uocis maiestatẽ non obstupesceret? Et accedens Iesus tetigit illos, dixitq̃: Surgite, & ne timeatis. Vbi uero sustulissent oculos suos, neminem uidebant, nisi Iesum solum. Quo ergo peruenerunt Mose & Elias? abierunt iam ante, & reliquerunt solum Iesum, ut discipulis significaretur, hãc cœlestem uocem, nec ad Mosen, nec ad Eliam, sed ad solum Iesum factam esse, ut scire mus hunc solum Iesum, esse filium Dei dilectum, in quo sit Deo complacitum, & quem audire debeamus. Cæterũ, cum iam, omnibus transactis, descẽderent de mõte, præcepit illis Iesus dicens: Ne cui dixeritis uisionem, donec filius hois à mortuis resurgat. Ergo discipuli non prædicabunt ueritatem? Quod supra diximus, quando Christus post confessionem Apostolorũ uetuit ipsis, ne palàm concionẽtur ipsum esse Messiam, hoc idem & nunc dicendum est. Non iubet Christus Apostolos ueritatem reticere, & mendacium docere, sed iubet prius ueritatem recte discere & intelligere, q̃ alios doceãt. Veritatẽ eñ docere falso intellectam, quid aliud est docere q̃ mendacium? imo ueritatem mendaciis conditam docere longe pernicioſius est, q̃ nudũ & apertum mendacium sine ueritate docere. Apostoli autem uidebant quidem Iesum esse Messiam seu Christum, & hæc est ueritas, sentiebãt autẽ Messiã in hoc seculo, pro externa regum maiestate dominaturum, & potentissimum in hac terra heroem futurũ, qualis quondam fuit uel Dauid, uel Salomõ, uel Cyrus, uel Alexander Magnus. Et hoc est mẽdacium. Si ergo Christus permisisset Apostolis, ut hoc falso sensu prædicarent ipsum esse Messiam, quid factum esset? Nonne Apostoli docuissent potius defectiouem à legitimis magistratibus, & concitassent magis seditionem, q̃ prædicassent Euangelion regni Dei? Quare, cum Christus iubet Apostolos tacere, ne dicant, se esse Messiam, prius q̃ à mortuis resurgat, non iubet ueritatem tacere aut abnegare, sed iubet prius ueritatem recte intelligere, & expectare, donec misso spiritu sancto, rectam cognitionem regni Christi percipiant, ut postea magno totius orbis cõmodo ueritatẽ recte intellectam publice doceant. Memorabile præceptũ, quo unusquisq; admonetur, ut prius sit catechumenus, q̃ catechista, discipulus q̃ doctor. Ac hi tres Apostoli, quod ad hanc quidem rem attinet, obsequuntur præcepto Christi, & tacuerunt, nec ulli dixerunt in illis diebus quicquam ex his quæ uiderant, sed in descensu demonte, interrogauerunt Christum dicentes: Cur igitur scribæ dicunt, q̃ Eliam oporteat uenire prius? hoc est, uidemus nunc reipsa te esse uerum Messiam, quid ergo nobis de scribarum doctrina sentiendum est, qui docuerunt q̃ oporteat prius uenire Eliam, & uerã religionẽ restituere, q̃ Messias aduenerit? Vidimus quidẽ nunc tecũ Eliam, sed is mox ex oculis nostris euanuit. Scribæ aũt nobis talẽ Eliam adumbrarunt, qui priusq̃ aduenerit Messias, concionibus suis conuersurus sit cor patrum ad filios, & omnia in integrũ restauraturus. Quid ergo? mendaces ne sunt scribæ ac pharisæi, etiam hac in parte? Ad hæc respondet Iesus dicens: Elias quidẽ ueniet prius, & restituet oĩa. Cæterũ dico uobis, Eliã iã ueniſſe, & nõ agnouerunt eũ, sed fecerũt in eo q̃cũq; uoluerũt. Sic & filius hois passurus est ab illis. Q̃d Christus de Elia discipulis respon

Christus cur uetuerit Apostolis dicere ipsum esse Messiam.

pulis respondet, hanc habet sententiam. Scribæ recte in hac parte docuerunt, Eliã uenturum ante Messiam, & restauraturum ueram religionẽ ad consequendam perpetuam salutẽ. Sic enim in Malachia capite quarto scribitur: Ecce ego mittam uobis Eliam prophetã, anteq̃ ueniat dies Dñi magnus & horribilis, & conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorũ. Atq; hactenus quidem scribæ uera docuerunt. Ego aũt absoluam doctrinam ipsorũ. Nam, Eliam, de quo Malachias uaticinatus est, & quem scribæ uenturum prædicauerunt, dico uobis iam uenisse. Vt enim hoc negocium recte intelligatis, Ioannes Baptista, Elias ille est, quem Malachias & scribæ futurum adnunciarunt. Malachias enim non ita intelligẽdus est, q̃ Elias ille Thesbites sit resuscitandus ante aduentum Messiæ, ut iterũ inter homines uitam agat, sed q̃ Ioannes Baptista præcessurus sit Messiã, in spiritu & uirtute Eliæ, ut Ioannes merito dicatur, alter ipse Elias. Non est igitur alius Elias, post Ioannem expectandus, sed is solus pro Messia agnoscendus est, quem Ioannes Messiam demonstrauit. Habes nunc testimonio transformationis Iesu, testimonio apparitionis Mosi & Eliæ, testimonio cœlestis uocis, è præcipuis præcipuorũ prophetarum oraculis contextæ, & testimonio Ioannis Baptistæ, nimirum Eliæ illius, apud Malachiam, q̃ solus hic Iesus, uerus sit Messias, de quo lex & prophetæ prædicauerunt. Reliquũ igitur nunc est, ut si cupimus esse grati Dei, iusti coram Deo, filii Dei, dilecti Dei, & hæredes Dei, agnoscamus hunc Iesum pro uero Messia, audiamus ipsum, credamus in ipsum, & obsequamur uerbo eius, ut cũ ipso glorificemur, qui est Dñs noster, unà cũ Patre & Spiritu sancto Deus laudãdus in secula Amen.

Elias uenit ante Christũ.

Ioannes Baptista est Elias præcedens Christum.

HOMILIA. LXXXIX.



Declarauit antea Iesus trãsformatione sua in monte Thabor, se uerũ esse Messiam, in lege & prophetis adnunciatũ. Nũc idem declarat eiectione dæmonis ex adolescente lunatico. Sed hic protinus, scio, quos dã tacite reclamare. Quid hoc, quòd nobis toties inculcatur, Iesum esse Christum? quis de hoc in ecclesia dubitat? an iudicas nos catechumenos esse ex gentibus, aut Iudæis, aut Turcis? quasi uero non didicerimus & crediderimus istud iam inde ab incunabilis nostris? Ad hos placandos, paucis respondebo, me optare quidem, ut hoc etiam in uẽtre matris cognitũ sit, sed quid illud est, q̃ facta tam longe dissideant à uerbis? cõfitemur quidẽ uerbis, Iesum esse Christũ, facta autem palàm clamant, nos reipsa alios Christos colere. Alius enim sperat se consecutũ remissionẽ peccatorũ, merito sacrificii sui, alius putat se expiaturũ peccata sua merito peregrinationis suæ, alius pollicetur sibi gratiam Dei propter dignitatem bonorum suorũ operũ, alius existimat se meriturũ uitam æternam, carnali sua iusticia. Rursum, alius manifeste exercet usuras, alius publice operam dat impostũris, alius perfricta fronte scortatur, alius sectat ebrietatẽ, alius alii, imo non uni, sed horrendis quibusq̃ sceleribus obnoxius est. Transferre aũt meritũ remissionis peccatorũ & uitæ æternæ, in propriam suam iusticiam, & permittere, ut peccatũ in corpore suo dominetur, nihil aliud est, q̃ ipso facto abnegare Iesum esse Christũ. Meri em remissionẽ peccatorũ, & uitam æternã, maiestas est, quæ ad solũ Iesum Christum pertinet, & ubi est fides in hunc Christum, ibi etiam mortificant opera carnis. Nemo, inquit Paulus, potest dicere Iesum Dñm, nisi per spiritũ sanctũ. Et Ioãnes: Omnis, inquit, qui credit Iesum esse Christum, ex Deo natus est. Qui aũt habet spiritũ sanctũ, & natus est ex Deo, non peccat. Ad salutẽ igitur nostram necessarium

Christus est Messias liberans homines à tyrannide Satanæ.

est,ut ſemper inculcetur,Ieſum eſſe Chriſtum, quo id, quod uerbis confitemur,re ipſa in corde noſtro per ſpiritum ſanctũ radices figat,& nos in nouos hoies transformet. Cõmodum aũt offertur nunc nobis lunaticus, in quo curando Ieſus manifeſte confirmat,ſe eſſe Meſsiam illũ,non qui in hoc ſeculo pro maieſtate externorũ regum dominaturus ſit,ſed qui uincat Satanam,liberet homines à tyrannide Satanæ,adeoq; aſſerat ipſos in perpetuam libertatem & fœlicitatem. De hoc Lucas ita ſcribit: Factum eſt ſequenti die,deſcẽdentibus illis de monte, occurrit illi turba multa. Et ecce uir de turba exclamabat dicens: Magiſter,obſecro te, reſpice ad filiũ meum,quia unicus eſt mihi,& ecce ſpiritus apprehẽdit eum, & ſubito clamat, & elidit & diſsipat eum cum ſpuma, & uix diſcedit dilanians eum. Et rogaui diſcipulos tuos,ut eiicerent illũ,& nõ potuerũt. Hic mihi primũ uide,q̃ nihil proſpere geratur abſente Chriſto. Chriſtus enim uix dum unum aut alterum diem abfuerat à diſcipulis ſuis, & ecce diſcipuli non poſſunt unũ duntaxat immundũ ſpiritũ ex adoleſcente lunatico eiicere. Tu ne ergo ſperares, te aliquid fœliciter geſturũ, abſente Dño? Neq; qui plantat,inquit Paulus,neq; qui rigat, eſt aliquid, ſed qui dat incrementum,Deus. Et in pſalmo: Niſi Dñs ædificauerit domum, in uanum laborant,qui ædificant eam. Niſi Dñs cuſtodierit ciuitatẽ,fruſtra uigilat,qui cuſtodit eam. Ac Dñs, quod quidem ad eſſentiam eius attinet, ſemper & ubiq; præſens eſt Quod aũt attinet ad gratiam & benedictionem ſuam, non eſt præſens, niſi ubi eſt uerbum eius,fides,& obedientia. Quare,ſi cupimus benedictionem Dei in operibus noſtris,obſeruemus uerbum Dei,adhibeamus ei fidem, & obediamus uocationi eius. Sed prius q̃ explicemus reliqua,perſtringemus quæ Marcus hoc loco addit: Cum ueniſſet,inquit,ad diſcipulos,uidit turbam multam circũ illos,& ſcribas diſputantes cum eis. Et protinus uniuerſa turba cum uidiſſet eum,obſtupuit,& accurrentes ſalutauerũt eum. Et interrogauit ſcribas: Quid diſputatis inter uos? Ex his & quæ ſequutũr,uerbis apparet,ſcribas ex eo, q̃ diſcipuli non potuerint eiicere ſpiritum immundũ,occaſionem ſumpſiſſe calumniandi & ridendi,non diſcipulos tãtum,ſed etiam totam doctrinam Euangelii, adeoq; ipſum Chriſtũ: Videte qualẽ magiſtrum ſequamini. Promiſit uobis donũ ædendorũ miraculorũ,nũc aũt, quia non poteſt præſtare,quod promiſit, ſubduxit ſeſe à uobis, & reipſa declarat,ſe impoſtorem eſſe,ac fumos uendere. Quòd ſi in hac re fefellit uos,quomodo non etiã in tota Euangelii ſui doctrina falleret uos? Hæc aut his non diſsimilia ſcribas obiecisſe diſcipulis, apparet non tantum è uerbis Marci,uerumetiã ex ipſo impiorum ingenio. Natura eñ impietatis eſt,ex uno & altero priuati hominis delicto,uniuerſam profeſsionẽ & religionẽ condẽnare. Cuius rei exemplũ etiã hac noſtra tẽpeſtate ædiſ. Nam cũ nonnulli,qui Euangelion de Ieſu Chriſto profitent, impuram uitam ducant, ſtatim tota Euangelii doctrina in calumniã rapit & condemnat. Ac peccãt quidẽ grauiſsime,qui impuritate uitæ ſuæ occaſionẽ dant impiis, Euangelion calũniandi,quẽadmodũ etiã Apoſtoli peccauerunt, q̃ incredulitate ſua, quæ non potuerunt ſanare lunaticum,præbuerint occaſionẽ ſcribis, ridendi Euangelion,& condemnandi Chriſtũ,attamen ineptiſsime,addo & impiiſsime agunt,qui ex uno aut altero priuati hominis delicto, totum doctrinæ ac religionis genus dãnant. Quod eñ ullũ tam piũ, tam ſanctũ doctrinæ genus extat, inter cuius diſcipulos non reperiant, quidã mali? aut quæ uitæ conditio tã honeſta eſt, in qua nõ magna hoim pars inhoneſte uiuat? Scilicet,quia Cain occidit fratrẽ ſuũ Abel,nũ ideo ipſa fraternitatis cognatio dãnanda eſt, aut oẽs fratres homicidæ ſunt? Num quia Dauid rex & ꝓpheta deſignauit adulteriũ & homicidium,ideo totus regius & propheticus ordo,imo totus Iſraeliticæ reip. ſtatus cõculcandus & condemnãdus

Christo abſente nihil proſpere geritur

Deus ibi præſens ubi uerbum eius & fides eſt.

Impietatis natura.

Religiõis aut doctrinæ totum genus nõ damnandum propter aliquorum delicta.

est? Quid his iudiciis esset iniquius? Quare scribæ, qui propter errorem Apostolorũ totã Euangelii doctrinã reiiciũt, non tñ inique iudicant, sed etiam à cõmuni hoĩm sensu aberrant. Cæteꝝ, cũ discipuli suo ipsorũ errore pudefacti, à scribis irriderentᵉ, cõmodũ aduenit Christus, unà cũ tribus Apostolis, quos secũ in montẽ duxerat, & cũ animaduerteret, disceptationẽ inter discipulos suos & scribas fuisse, interrogauit, qd negocii esset, de quo cõtenderẽt. Hic, cũ discipuli pudore obticescerẽt, qꝑ frustra tentassent dæmoniũ eiicere, obticescerẽt & scribæ, qꝑ Iesum tanꝙ impostorẽ calũniati essent, ecce uir ille de turba, (qui huic disceptatiõi occasionẽ dederat, rẽ, ut erat, exposuit Christo,) exclamabat dicens: Magister, obsecro te, respice ad filium meũ, quia unicus est mihi, & ecce spiritus apprehendit eũ, & subito clamat, & elidit & dissipat eũ cũ spuma, & uix discedit dilanians eum. Et rogaui discipulos tuos, ut eiicerent illũ, & nõ potuerũt. Hoc disceptatiõis argumentũ est: Obtuli discipulis tuis filiũ meũ lunaticũ, quia dæmonio miserrime affligiᵉ, ut dæmoniũ eiicerent, sed sed quia illi conatu suo frustrati sunt, ridentur nunc à scribis. Tu igiᵉ, si quid potes, effice, ut filius meus, quẽ unicũ habeo, à Satana liberetᵉ. Respondẽs aũt Iesus dixit: O generatio infidelis & peruersa, usqꝫ quo ero apud uos, & patiar uosᵉ Hoc dicto uidetᵉ Christus & discipulos suos, & scribas, & ipsam etiã turbam increpare, & incredulitatẽ oĩm arguere. Vos scribas alloquor: Quid hoc, qꝑ propter unum errorẽ discipulorꝫ meorũ, me ipsum, & doctrinã meã condẽnetis? An tot signa & miracula ante ædita, uana sunt? an quia discipuli fallunt, fallet & præceptor? Quid si Satanas uos ipsos inuasissetᵉ, qꝑ id peruersissime interpretemini, quod licet optime interpretariᵉ An non potuissetis culpam reiicere uel in obsessi indignitatẽ, uel in parentis incredulitatẽ, uel in discipulorũ insciitiam? Sed hoc unum est Satanæ artificium, ut in peiorem partẽ quæuis interpretetᵉ. Vos contrà discipulos alloquor: Vbi est & uestra fides? an non antea toties dæmones expulistis, infirmos curastis, leprosos sanastis? Quid non potestatis contuli uobis? quæ miracula nõ ædidistis? ubi ergo nunc est fides uestra? quãdiu tantũ stuporẽ in uobis sufferam? quamdiu tantam ignauiã tolerabo? Sed & uos, hoĩm turbã, alloquor: Quid sibi hæc uult uestra oscitãtia? an non reipsa experti estis, qꝑ liberi & amici uestri à uariis morbis, nõ tam à me, qꝙ à discipulis meis curati sint? qui ergo fit, qꝑ tam cito à fide defeceritis, & in sententiã scribarum cõcesseritis? Quid faciã? tanto tẽpore prædicaui inter uos Euangelion, & cõfirmaui autoritatẽ eius tantis miraculis, nullã tamen adhuc firmam inter uos fidẽ reperio. Quo igiᵉ me uertã? nũ quia uos cessatores & neglectores officii uestri estis, negligã & ego meũ officiũ, & finam uos unà cum uestra incredulitate & morbis uaⁱlereᵉ nũ, quia fructus non respondet labori, ociabor? Absit à me longissime. Si uos no lueritis uestrum officium facere, ego tamen meum faciam officium, & meæ seruiam uocationi. Adduc ergo filium tuum huc. Memorabile exemplum, quo admonemur, ut etsi alii suam uocationẽ negligant, nos tamen nõ negligamus nostram. Et quanꝙ fructus non respondeat labori, tamen in labore legitime demandato pergendum est. Quid. n. ad nos aliorum cessatio? Dominus Deus noster non iussit nos in aliena cessatorũ exempla, sed in suum ipsius uerbũ respicere. Et aliena peccata non excusant nostra, sed potius accusant, & grauiora multitudine sua reddunt. De fructu aũt laboris nostri, quid sollicitisumus? Non respondet legitimo labori fructus corã hoĩbus, at respondet ei corã Deo. Nihil ne fructus afferre iudicas, uocationẽ Dei sectatiᵉ imo hoc ipsum satis fructus est, Deo gratũ officiũ præstare. Tota Asia deficiebat à Paulo, qui Euãgelion ex uocatiõe Christi diligentissime prædicauerat. Nosti, inquit Paulus, quòd auersati fuerint me omnes, qui sunt

Satanæ artificium.

Vocationẽ suam quisqꝫ sedulo curare debet etiã cessantibus alijs

2. Timo. 1.

in Asia, num Paulus ideo defecit à sua uocatione, & nihil fructus è suo labore percepit? Absit. Non pudet, inquit, me Euangelii Christi. Et noui certus q̃ sum, q̃ is cui credidi, potens sit depositum meum custodire in illũ diẽ. Et iterũ: Certamen bonũ decertaui, cursum cõsummaui, fidẽ seruaui. Quod superest, reposita est mihi iusticiæ corona, quã reddet mihi Dñs in illo die, qui est iustus iudex. Non solũ aũt mihi, sed & oĩbus qui diligũt aduentũ eius. Quare, etsi alii suũ officiũ negligant, & nos uideamur frustra in uocatiõe nostra sudare, nos tamen nostr̃ faciamus officiũ, & nostrã sectemur uocationẽ, ut si nõ in hoc seculo, ac saltẽ in futuro fructũ laboris nostri per
» cipiamus. Porro, cum lunaticus iussu Christi adduceret, & accederet, laniauit il
» lum dæmoniũ, & dissipauit. Hoc apud Marcũ sic explicatur: Viso illo, cõtinuo spiritus discerpebat eum. Et prolapsus in terra uoluebat spumans. Et interrogauit patrẽ illius: Quantũ tẽporis est, q̃ hoc accidit ei? at ille dixit, à puero. Et frequẽter illum, & in ignẽ abiecit, & in aquas, quo perderet eum. Hic mihi primũ obserua crudelitatẽ & tyrannidẽ Satanæ. Tota enĩ uolũtas Satanæ huc solũ spectat, ut perdat homines. Et quanta est uoluntas eius perdendi, tanta etiã est potestas eius, si non diuina potentia opprimat. Vide enim mihi, q̃ misere hunc adolescentẽ tractet. Nunc iactat ipsum in ignẽ, nunc in aquã, nunc ita lacerat & discerpit illũ, ut spumet ac dẽtibus suis stridat, nunc in terrã deiicit, ut uelut saxum uoluat, & hæc omnia agit, ut adolescentẽ perdat. Et talẽ affectũ non in hunc tantũ adolescentẽ gerit, sed exprimit potius in hoc adolescente, qualẽ affectũ gerat erga omnes hoĩes, nimirũ, q̃ lem per obambulet, tanq̃ leo rugiens, & quærat, quẽ deuoret. Non est igit̃, q̃ ignauus torpescas, & somnies Satanã stertere, sed expergiscẽdũ tibi est, & inuocãdus est Christus, ut crudelitatẽ Satanæ cõpescat, & nos à tyrannide eius liberet. Deinde obserua, Satanã multo magis, q̃ antea, furere, cum adolescens ad Christum adduceret. Cum accederet, inquit Euangelista, elisit illum dæmon, dissipauit & discerpsit ipsum, ut prolapsus in terra uolueret spumans. Horrendũ spectaculũ, sed hoc spectaculo satis perspicue significat Satan, nullã sibi communionẽ & concordiã esse cum Christo, & maiestatẽ Christi tanto propiorẽ esse, quanto magis Satan insanit. Si insaniit in Pharisæis & pontificibus, quando Christus iudicio Pilati obtrudebatur. In propinquo enim erat gloria resurrectionis Christi. Sic insaniit in Iudæis & gentibus, quando Apostoli prædicauerunt Euangelion Christi, post missum spiritũ sanctum. Tunc enim incipiebat maiestas Christi toti orbi reuelari. Sic & hoc tẽpore insanit in ministris suis, aduersus Euangelion, propterea q̃ sentiat, gloriam Christi prædicatione Euangelii in Ecclesia promouere. Quid ergo propter afflictiones à Satana excitatas sollicitaris existimare, Euangelion Christi non uere in orbe prædicari? quin potius sentiendũ est, insaniã & furorẽ Satanæ manifestũ argumentũ esse, q̃ uerũ Euangelion in ecclesia prædicet, & maiestas Christi illustretur. Iam & illud nõ est oscitanter considerandũ, q̃ Christus non statim liberet adolescentẽ à dæmonio, sed interim sermonẽ quærit, & cum patre adolescentis disputat, quantũ tẽporis sit, q̃ hoc acciderit ei, adeoq̃ ita se gerit, perinde ac si non uellet, aut non posset adolescentem liberare à dæmonio. Quibus rebus exprimit solennẽ consuetudinẽ Dei in seruandis & liberãdis afflictis. Dñs enĩ Deus noster, etsi promiserit liberationẽ ex afflictionibus, non tamẽ mox inuocantẽ se liberare solet, sed connuet aliquandiu ad afflictiones, interdũ etiã augeri permittit, & omnino longe aliud agere uidet, q̃ meditari salutẽ. Ergo ne obliuiscẽ promissiõis & misericordiæ suæ? Nihil minus. Nam quanto diutius differt liberationem, tanto illustriorem salutem meditatur, & affert, id quod non solum sacræ scripturæ exemplis, uerum etiam nostræ

Satanæ crudelitas.

Satanæ nulla cum Christo concordia.

Satanæ furor argumentum præsentiæ Christi.

Deus aliquãdiu differt liberationem.

etiam noſtræ ætatis experientia ſæpenumero cõprobauit. Eſt enim auxiliũ Dei, ut granũ iniectum in agrũ, quo etſi agricola aliquandiu caret, interim tamen ita fœnerat, ut ſuo tẽpore aliud ferat fructũ trigecuplum, aliud ſexagecuplũ, aliud centuplũ: ſic & auxiliũ diuinitus promiſsum tanto maiori uſura ad credentẽ redit, quanto diutius differẽ. Quare etſi non mox poſt inuocationẽ nominis Dei ſentias auxiliũ cœleſte, nõ tamẽ deſpõdeas animũ, ſed tanto certiorẽ & gratiorẽ expectes ſalutẽ, quãto diutius auxiliũ Dei differri uideatur. Porro, cũ Chriſtus diu ſermonẽ quæreret, nec adoleſcentẽ ſtatim à dæmonio liberaret, mora etiã ipſi parenti adoleſcentis moleſta fit. Vnde inſtat & urget: Age, inquiens, ſi quid potes, ſubueni nobis, miſertus noſtri. Sed uiciſsim etiã Chriſtus urget, & exigit fidẽ, dicens: Illud ſi potes credere, hoc eſt, ego quidẽ poſſum uobis ſubuenire, ſi ſaltẽ tu potes credere. Omnia enim poſsibilia credenti. Admirabile dictũ, quo homo credens conſtituit pene in Deũ, ut ita loquar, omnipotentẽ. Ergo ne credã aquam eſſe uinũ, lapidẽ eſſe panem, cœlũ eſſe terrã, & hæc mox ita erunt? Nihil minus. Quid ergo dicit? Omnia poſsibilia credenti? Haud obſcurũ quidẽ eſt, contẽptores uerbi Dei nimis ridicule de hoc dicto Chriſti loqui, ac ſi quando uiderint piũ quempiã pane, uino, pecunia, & id genus aliis neceſſariis rebus indigere, ſtatim ſolent ipſi hoc dictum obiicere, quin credis, inquiunt, aquã eſſe uinũ, lapidẽ eſſe panẽ, puluerem terræ eſſe numos. Tuus enim ille Chriſtus dixit, omnia poſsibilia credenti? Sed ualeat impietas. Nos tanto diligẽtius hoc dictum excutiemus, quanto contẽptius ab impiis ridet. Chriſtus enim hoc dicto nõ loquitur de opiniõe humana, quã quis concipit ſine uerbo Dei, ſed loquit de fide, quæ ex uerbo Dei concipit. Dicit enim: Credenti, credenti, inquã, omnia poſsibilia. Non poteſt aũt eſſe fides, niſi ſit uerbũ Dei. Fides, inquit Paulus, ex auditu eſt, auditus aũt per uerbũ Dei. Cum ergo Chriſtus dicit, omnia poſsibilia credenti, nõ intelligit ſimpliciter omnia, quæ humano animo allubeſcũt, ſed omnia quæ uerbo Domini promiſſa ſunt, & fide ex uerbo Dñi cõcipiuntur. Non eſt aũt uerbo Dñi promiſſum, ꝙ ad cuiuſuis uoluntatẽ aqua debeat mutari in uinũ, aut lapides in panes, ſed quo tẽpore Chriſtus inter homines uerſatus eſt, publica & generalis promiſsio, oĩbus tam corpore q̃ animo afflictis, propoſita erat: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & EGO REFOCILLABO VOS. Et iterum: Spiritus Domini ſuper me, propterea ꝙ unxit me, ad euangelizandum pauperibus miſit me, ut ſanem contritos corde. His & aliis id genus dictis promiſit Chriſtus oĩbus ægrotis ſui temporis, admirabilem ſanitatẽ, ſi credant. Quare, quocunq; quis morbo detinebat, etiamſi alioqui impoſsibile erat, ut humana ope ſeruaret, tamẽſi credebat Chriſto, poſsibile fiebat, ut ſanitatem etiamnum repentinam conſequeret. Cæterum, hæ promiſsiones, de corporalibus morbis admirabiliter ſanandis, non fuerunt generales omnium temporum, ſed tantum ad tempus Chriſti & Apoſtolorum eius in hoc propoſitæ ſunt, ut publica & generalis prædicatio Euangelii de Ieſu Chriſto, his miraculis, ceu cœleſtibus teſtimoniis, cõfirmaretur & obſignaret. Sunt enim miracula Chriſti & Apoſtolorũ eius, quemadmodũ ſæpenumero demonſtrauimus, cœleſtia teſtimonia, & diuina ſigilla Euãgelii de Ieſu Chriſto. Quare, ſicut infirmis, qui tẽpore Chriſti morbis afflicti ſunt, omnia, quæ ipſis Chriſtus de recuperanda ſanitate uerbo ſuo promiſit, poſsibilia per fidẽ fuerũt, ita his miraculis comprobatũ eſt, ꝙ omnia ea, quæ in Euangelio generaliter oĩbus omniũ ſeculorũ credentibus in Chriſto Ieſu promiſſa ſunt, & alioqui impoſsibilia uidentur, per fidem tamen poſsibilia fiant. In Euangelio autem promiſſa eſt omnibus credentibus in Chriſtum remiſsio peccatorũ & uita æterna, quæ impoſsibile eſt ut quis ſua ipſius

Omnia poſsibilia credẽti.

uirtute & iusticia cõsequi possit. Ex miraculis igit eorum, qui sanitati admirabiliter per Christũ restituti sunt, manifestũ est, ꝙ omnibus in Christum credentibus possibile fiat, ut per fidẽ consequantur remissionẽ peccatorum & uitam æternam, aliaq; omnia bona, quæ in Euangelio promissa sunt. Atq; hæc est uera huius dicti sententia, credenti omnia fiunt possibilia. Sed dubitauerit quispiam, quid sibi uelit Christus, ꝙ exigat fidẽ à parente, pro sanitate filio impetranda. Si credis, inquit, possum filium tuum sanare. Ergo ne aliena fides alteri prodest? Eligamus igitur unũ quempiã bonum hominẽ, qui pro nobis credat, & nos interim indulgeamus genio, itaq; aliena fide consequemur salutẽ? Aut credamus & nos pro Iudæis & Turcis, & mox illi salutẽ consequentur? Fit aũt sæpe mentio de aliena fide. Quare paucis hoc loco explicabimus, quatenus aliena fides alteri prosit. Sunt enim duplicia bona: Quædã sunt eius generis, ut possint haberi sine fide, exempli gratia, sanitas corporis, diuitiæ, prudentia, pax ciuilis, & id genus alia. Hæc possunt aliena fide impetrari, etiãsi is, cui impetrantur, nullam habeat fidẽ. Sic Loth impetrauit Zoaritis incolumitatem, ne unà cum Zodoma & Gomorra incendio perirent. Sic decẽ iusti potuissent Zodomitis impetrare ne interirent. Sic Mose impetrauit Pharaoni liberationem à multis suppliciis, quæ in Exodo cõmemorantur. Sic Iudæi iubent orare pro pace Babylonis. Sic Paulus iubet orare pro magistratibus, qui eo tẽpore adhuc erãt Ethnici & increduli. Potest enim magistratus esse prudens reip. administrator, potest & regio in ciuilibus rebus florere, etiamsi nec magistratus nec populus ueram fidẽ habeant. Quædam sunt bona, quæ non possunt haberi, nisi propria habeatur fides. Huius generis sunt, remissio peccatorum, & uita æterna. Et hæc bona non possunt aliena fide impetrari, nisi is pro quo ex fide orat, propriam quoq; fidem consequat. Cum igit sanitas mentis, qua carebat adolescens à dæmonio correptus, cuius hic fit mentio, inter ea bona contineat, quæ possunt sine propria fide haberi, non absurde factũ est, ꝙ Christus exigat parentis fidẽ, ut filius sanitatẽ consequatur. Quod autem ad ueram salutem, uidelicet, remissionem peccatorum, & uitam æternã consequendam attinet, ibi non sufficit aliena fides, sed necessario requiritur etiam propria fides. Qui enim non credit iam condemnatus est, inquit Christus. Et apud Ieremiam ait Dominus: Si steterint Mose & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum. Quam ob rem? Quia indurauerunt facies suas supra petram, & noluerunt reuerti. Quare, si ueram consequi salutem uolueris, non est, ut alienam tantum fidem & orationem Domino Deo nostro obtrudas, sed necesse habes ipse fidem capessere, & ex fide resipiscere, ut per fidem, non alterius, sed tuam ipsius, in conspectu Dei habeas remissionem peccatorum, & uitam æternam. Expositis breuibus, quæ sit alienæ fidei ratio, nunc perstringamus eriam ea, quæ parens adolescentis Christo respondet. Cum enim Christus dixisset: Illud si potes credere, omnia possibilia credenti, confestim exclamans pater pueri cum lachrymis, ait: Credo Domine. Succurre increditati meæ. Obseruandum, & à nobis omnibus usurpandum dictum. Fides. n. non est sita in humana potestate, nec potest humanis uiribus parari, sed est donum Dei, de cœlo descendens, & nobis per auditum uerbi Dei uirtute spiritus sancti communicabile. Et quanquàm homini diuinitus communicetur, tamen quia homo carne & sanguine præditus est usque ad mortem, semper solet esse imbecillior, & imperfectior, q̃ Deus exigit. Quicquid aũt uere salutis cõsequimur à Deo, hoc cõsequendũ est per fidẽ, propter Christũ. Omnia, inquit, quæcunq; petieritis in deprecatiõe, credẽtes accipietis. Et aliàs: Impossibile est Deo sine fide placere. Semp igit usurpãda nobis est hæc oratio; Succurre increditati meæ, ut tanto

Fides aliena quatenus alteri prosit.

Bona quædã possunt haberi sine fide.

Bona quæ nõ possunt haberi sine propria fide.

Fides donum Dei.

ut tanto maiora bona cõsequamur, quanto auctior nobis reddit fides. Porro, cum Christus aliquandiu traxisset sermonẽ cum parente adolescentis à Satana obsessi, rẽ ipsam uel tandẽ aggredit, & increpauit spiritum immundũ, & sanauit puerũ, & reddidit illũ patri suo. Hoc Marcus ita explicat: Cum uidisset Iesus, qꝓ turba simul accurreret, increpauit spiritũ immundũ, dicens: Spiritus mute & surde, ego tibi impero, exi ab eo, & ne post hac ingrediaris in illũ. Et cũ clamasset spiritus, multumq; discerpsisset eũ, exiuit, & factus est tanq; mortuus, adeo, ut multi dicerẽt, mortuus est. At Iesus correpta manu illius, erexit eum, & ille surrexit. Stupendũ miraculum, quo perspicue declarat, & hunc Iesum esse uerũ Messiam, quia Satanæ dominat, & Satanã ad unum tantũ uerbum Iesu tam impotentẽ fieri, ut etiamsi rumpat, necesse tamen habeat ab homine discedere. Sed quia aliàs de potẽtia Christi, & impotentia Satanæ disseruimus, his nunc omissis, persequemur ea, quæ Matthæus & Marcus addunt, & à Luca omissa sunt. Nã cum Iesus ingressus esset domũ, discipuli illius interrogabant eũ seorsum, dicentes: Quare nos nõ potuimus eiicere dæmoniũ? Iesus aũt dixit illis: Propter incredulitatẽ uestrã. Amen quippe dico uobis: Si habeatis fidẽ sicut granũ sinapis, dicetis monti huic, demigra hinc illuc, & demigrabit, neq; quicq; impossibile erit uobis. Huic etiã cõuenit, qd postea dicit: Si habueritis fidẽ, & nõ hæsitaueritis, nõ solũ hoc qd accidit ficui, facietis, uerumetiã si monti huic dixeritis, tollere, & proiice te in mare, fiet. Quid hoc, inquies? nũ fides, etiã parua sicut granũ sinapis, potest transferre montes, aut proicere montes in mare? Cũ aũt nullus hoim uiuat, qui hoc aut fecerit, aut etiã sese facturũ præsumere audeat, dicemus ne nullũ esse hoẽm in ecclesia, qui uel paruã habeat fidẽ? Hoc certe impiũ esset, de ecclesia Christi sentire. Quid ergo est, si habeatis fidem sicut granũ sinapis, dicetis monti huic, demigra, & demigrabit? Respondeo. Hoc dictũ Christi, quantũ quidem attinet ad principalem eius sententiam, non est generale, sed personale, & respicit Christus hoc dicto non ad quosuis homines in ipsum credẽtes, sed ad Apostolos, & ad propriam Apostolorum uocationẽ. Respicit item ad eos discipulos, qui uocationem Apostolis similem habuerunt. Nam cum Christus emitteret Apostolos suos ad prædicandum regnum Dei, uocauit etiam ipsos ad ædenda miracula, & dedit eis potestatẽ aduersus spiritus immundos, ut eiicerent eos, & sanarẽt quẽuis morbum, & quemuis languorem. Ad idem quoq; officium ædendorũ miraculorum uocauit & multos alios discipulos, in quibus sunt septuaginta illi, quos post duodecim Apostolos ad prædicandum Euangelion regni Dei emisit. In quibus apud Marcum dicitur. Signa eos qui crediderint, hæc subsequentur: Per nomen meum dæmonia eiicient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent, & si quid letale biberint, non nocebit eis. Super ægrotos manus imponent, & bene habebũt. De his ergo, quorum personalis & specialis uocatio est, miracula ædere, loquitur Christus hoc loco, & ait: Amen dico uobis, qbus uobis? nimirũ, qui specialiter uocati, & personaliter designati sunt ad ædẽda miracula, his, inquã, dico: Si habueritis uel saltẽ paruã fidẽ, sicut granũ sinapis, dicetis mõti huic: demigra hinc illuc, & demigrabit, neq; quicq;, quod ad uocationẽ uestrã in ædẽdis miraculis attinet, impossibile erit uobis. Ergone, inqes, hoc dictũ Christi ad nullos alios credẽtes pertinet, q; ad eos, qui specialiter dono ædendorũ miraculorũ ornati sunt? Ad nullos certe alios ita ptinet, ut liceat cuiq; temere, sine singulari uocatiõe Dei, conari mõtes trãsferre, & in mare piicere. Sed qa donũ miraculorũ Apostolis & multis aliis cõcessũ fuit, ut publica uerbi Dei ꝓdicatio cõfirmaret, & in uerbo Dñi promittit unicuiuis,

Vnusquisq; in uocatione sua potest maxima per mediocrem fidē efficere.

ambulanti in legitima Dei uocatione, auxilium diuinum, ideo quemadmodum iuxta hoc dictum Christi, Apostoli uel parua fide præditi, maxima miracula, ad ipsorum uocationem pertinentia, ædere potuerunt, ita & iuxta idem dictum Christi unusquisq; in legitima & personali sua uocatione ambulans, potest maxima quæq;, ad suam uocationem pertinentia, eaq; alioqui impossibilia, per mediocrem saltem fidem efficere, & pro suo modo ac ratione montes transferre. Quod ut magis perspicue intelligamus, uno aut altero exemplo declarabimus. Impossibile uidetur, si uulgarem humanarum rerum cursum consideres, ut triginta millia hominum superent centum millia. Iam si legitimus quispiam magistratus nō habeat nisi triginta millia uirorum, necesse tamen habeat ex uocatione sua bellum gerere cum centum millibus latronum, quid faciat? num abiiciat hastam, & derelinquat uocationē suam legitimam? Nequaquam, sed concipiat ex promissionibus Dei fidem, & pergat ex fide in sua uocatione. Sic enim fiet, ut sicut Apostoli in sua uocatione potuerunt transferre montes, uel parua fide præditi, ita & magistratus in sua uocatione, fidem tantum sicut granum sinapis habens, montes ac moles latronum submoueat, & admirabilem uictoriam ex ipsis reportet. Impossibile etiam uidetur, ut pauco sumptu numerosā familiā nutriatur. Iam si pauper quispiam paterfamilias magnā habeat liberorum multitudinem, & interim non queat, nisi paucissimos panes labore artificii sui comparare, quid faciat? num faciat se ex trunco pensilem? num ab uxore & liberis profugiat? Absit, sed ponat sibi ob oculos promissiones Dei de uictu, concipiat ex ipsis fidem, & pergat ex fide in labore artificii sui. Sic enim fiet, ut quemadmodum Apostoli potuerunt, uel mediocri fide, montes in mare proiicere, ita paterfamilias possit parua etiamnum fide totam famis molem à familia sua depellere, & liberos suos admirabiliter enutrire. Quare, etsi hoc dictum Christi: Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, transmigra, & transmigrabit, proprie & principaliter pertineat ad Apostolos, quorum uocatio erat, externa miracula in nomine Christi ædere, tamen quia miracula Apostolorum sunt sigilla ueritatis diuinarum promissionum, & Deus omnibus legitimis uocationibus admirabile suum auxilium promisit, sentiendum est, q; iuxta hoc dictum Christi, unusquisq; possit admiranda, non quidem ea, quæ ad alienam uocationem, sed ea quæ ad suam propriam uocationem pertinent, per fidem mediocrem efficere. In eadem etiam sententia accipiendum est, quod Christus hoc loco addit: Hoc genus, inquiens, dæmoniorum, non egreditur, nisi per deprecationem & ieiunium. Christus enim hoc dicto non loquitur de battologia & ieiunio hypocritarū. Cum enim hæc damnentur & displiceant Deo, quomodo possent expellere dæmones? Deinde non cōmendat merita humanorū operum, uidelicet, q; meritis precum & ieiuniorum possint eiici dæmones? Non enim iustificatur in conspectu tuo omnis uiuens. Et: Cum omnia feceritis, dicite, serui inutiles sumus. Adhæc, non instituit hoc dicto generalem ordinem eiiciendorum dæmonum, ita ut quicunq; orer acie iunet, possit dæmonium ex homine admirabiliter expellere, sicut Christus & Apostoli expulerunt. Hoc enim donum fuit ad tempus tantum ecclesiæ datum, donec autoritas & ueritas Euangelii confirmaretur. Sed hoc dicto docet Christus Apostolos, quomodo dono & uocatione sua fœliciter uti possint & debeant. Nam qui uocatus est ad ædenda miracula, nō debet in suas uires, sed in Dōm cōfidere, & ipsum ex fide inuocare, ut det incrementū suum. Aedere.n. miracula non constat humana uel potentia, uel iusticia, sed diuina potentia & misericordia. In lege autem, cū publice necessarium esset diuinum auxilium, decernebatur publicum ieiunium, nō

Miraculorū ædendorum dono quomodo fœliciter utendum.

ut merito

ut merito ieiunii peccata expiarentur, sed ut hoies ieiuni aptiores essent ad agnoscendam suam indigentiam, & ad inuocandam diuinam clementiam. Sic rex Iosaphat, cum hostes repentino incursu terram eius deuastarent, prædicauit ieiunium in uniuerso Iuda, & contulit se totum ad rogandum Dominum, quemadmodum in secundo libro Chronicωv capite uicesimo scriptum est. Sic Niniuitæ, cum audirent ciuitatem ipsorum post quadraginta dies perituram, prædicauerunt ieiunium, quemadmodum in Iona scribitur. Christus igitur docere uolens discipulos, quomodo fœliciter munere suo in ædendis miraculis defungantur, affirmat Satanam non eiici, nisi oratione & ieiunio, quibus uerbis significat, miracula ex uocatione ædenda esse, non fiducia carnalium suarum uirium, sed fiducia & inuocatiõe diuini nois. Qui eñ ad ædenda miracula uocatus est, & abiecta sui fiducia, inuocat Dñm ex fide, intantum non frustrabitur conatu suo, ut etiam si iuberet montem se proiicere in mare, cõfestim fieret. Non existimes autem Apostolos tantum hoc dicto doceri, quomodo prosperum habeant successum suæ uocationis, sed docentur omnes homines, qua ratione fœliciter in uocatione, nõ dico, aliena, nemo eñ alienam uocationem temere usurpare debet, sed in sua ipsorum ambulent. Etsi eñ honesto quodam dono uel ingenii uel corporis præditus sis, & habeas legitimã functionis tuæ uocationẽ, fieri tamẽ nõ potest, ut semper habeas fœlicem rerũ tuarum euentum, nisi abnegata uirtute tua, in solum Dominum confidas, & Dñm ex fide inuoces. Est quispiam, exempli gratia, dono prudentiæ ornatus, attamen prudentia eius non potest esse semper fœlix, præsumptione suarum uirium, crapula & ebrietate, sed fit fœlix oratione & ieiunio, hoc est, sobria fide & inuocatione diuini nominis ex fide. Alius quispiam uocatus est ad administrãdam remp. Hic certe non fœliciter administrabit suam functionem ignauia, potatione, & somno, sed oratione & ieiunio, hoc est, ieiuna, diligenti, & fideli inuocatiõe nominis Dei. Hoc igitur dictum Christi: Genus illud dæmoniorum non eiicitur, nisi deprecatione & ieiunio, alta mente reponendum est, ut ex ipso unusquisq; discat, qua ratione fœlicem uocationis suæ euentum consequi possit. Atq; hæc quidem de sententia eorũ uerborum, quibus Christus discipulos suos ad capessendam fidem hortatus est, dicta sufficiant. Audiamus autem nunc paucis, quomodo doceat discipulos recte de regno suo sentire. Sequitur eñ in Luca: Stupebant autẽ omnes, super magnificẽtia Dei. Sed omnibus mirantibus super omnibus quæ faciebat, dixit ad discipulos suos: Ponite uos in auribus uestris sermones istos. Filius enim hominis, futurum est ut tradatur in manus hominum. At illi ignorabant uerbum istud, & erat uelatum ante eos, ut non intelligerent illud, & timebant eum interrogare de hoc uerbo. Hic iterum, ut aliàs sæpe, erudit Christus discipulos suos de uera regni sui ratione. Nam cũ Iesus tot & tam stupẽda miracula æderet, habitus est tam à discipulis suis, quàm à uulgo hominũ, pro uero Messia per prophetas promisso. Et hactenus quidem non male sentiebant, sed præter hoc, sentiebant regnũ Messiæ fore in hac terra corporale, pro regum huius seculi maiestate, & pollicebantur sibi, si Iesu adhærerent, nescio quas, fœlicitates, & maiestates terrenas. Hæc autem opinio de regno Messiæ planè carnalis erat. Proinde auocat Christus discipulos suos ab hac opinione, & quo tempore tantam sibi gloriam ex miraculis comparabat, ut putaretur Messias, eodẽ planè concionatur discipulis suis de passione & cruce sua: Obseruate, inquiens, hoc diligentissime, q̃ filius hominis, quem uos nunc agnoscitis Messiam, tradetur in manus hominum. Quibus uerbis prespicue docet, se non regnaturum in hoc seculo gloriose, pro maiestate regum huius seculi, sed potius in


In uocatione sua qua ratione quilibet fœliciter ambulet.

Regni Christi administratio.

afflictiõibus, ignominia, contẽptu, & cruce uitam suã transacturũ. Filius hoĩs, inqt, tradet in manus hoĩm, nõ regnabit super hoies potenter, iuxta potentiã seculi huius, sed magis hoies regnabunt super ipsum, & ita capiẽt & opprimẽt ipsum, perinde ac si esset omniũ hominũ impotentissimus. Quid ergo adhæc discipuli? Ignorabant (inquit Lucas) uerbũ istud, & erat absconditũ ab illis, ut nõ intelligerent illud. Multis uerbis, adeoq; cum admiratione quadam explicat Euangelista stuporem discipulorũ. Nam hæc opinio, de externo regno Messiæ in hac terra, adeo infixa erat discipulis, ut ne clarissima quidẽ ac maxime oĩm perspicua uerba de passione Messiæ intelligere potuerint. Cum enim de regno Messiæ dictum esset: Dominabitur à mari usq; ad mare. Et: Regnum eius, regnum sempiternum, non potuerunt in animum inducere, ut aliquid mali Messiæ inferretur. Ac tolerabile quidẽ est, q; pauci aliquot discipuli carnale tãtum regnum Messiæ, ante missionem spiritus sancti, somniarint, hoc autem deplorandum est, q; postq̃ spiritu sancto reuelatum est, regnum Christi esse spirituale, maxima hoĩm pars non quærat in Christo, nisi regnum carnale, & fœlicitatem terrenam. Si quis premitur paupertate, & in uocatione Christi nõ statim consequitur aureos mõtes, existimat nugas esse, quic quid de maiestate Christi prædicatur. Si quis afficitur ægritudine corporis, & non mox adipiscitur, ad inuocationem nominis Christi, sanitatem, Euangelio Christi medium digitum ostendit. Si mors accesserit, & non confestim reipsa uel ipsis manibus tangat uita, exclamare solent, o uanitatem Christianismi. Quid autem his opinionibus magis impiũ? num Christus nõ regnat, quia externis sensibus regnũ eius non cõprehendis? num mendax est Euangelion Christi, quia manus tua nõ tangit res in Euangelio promissas? At non uenit Christus in hunc mundũ, ut proponat tibi regnum suum oculis uidẽndum, & manibus palpandum, in hoc seculo, sed nunc quidem uerbo Euangelii audiendum, & fide concipiendũ, in futuro aũt seculo reipsa percipiendum. Quare hoc unum age, ut ex Euangelio regnum Christi fide comprehendas. Sic enim fiet, ut quod nũc corde credis, in futuro seculo nõ solum corde, uerumetiam oculis, manibus, pedibus, adeoq; omnibus corporis & animæ uiribus fruaris, per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est unà cum Patre & spiritu sancto Deus laudandus in secula Amen.

Fœlicitas terrena non quærẽda in Christo.

HOMILIA. XC.



TSi Christus sæpenumero docuit discipulos suos, regnũ suũ nõ constare externa huius seculi maiestate, nec esse de hoc mundo, tamen quanto magis per miracula reuelabatur, ipsum esse Messiam, tanto pertinatiorem opinionem concipiebant discipuli, regnum eius fore in hoc seculo carnale. Quare cũ ipsi partim cognati Christi, partim electi à Christo erant in apostolos, pollicebantur sibi, nescio quas, maximas in hoc seculo maiestates, propter Messiam suum. Ac aliàs quidem Ioannes & Iacobus filii Zebedæi petunt à Christo, ut alter à dextris, alter à siniſtris eius in regno suo sedeat. Nunc autem Lucas dicit, q; intrauit cogitatio in discipulos, quis eorum maior esset. Perstrinxit aũt Lucas hoc negociũ breuissimis. Quod igitur de hoc loco deest, ex aliis Euangelistis, quantum ad huius negocii explicationem satis est, complebimus. In Marco. n. & Matthæo ita legit: Iesus uenit Capernaũ, & cũ ueniſſet in domũ, interrogauit illos, quid in itinere inter uos disputabatis? At illi siluerũt. Nam disputabant inter se, quis maximus esset in regno cœlorum. Principio igit, ut huius disputationis

Regnum cœlorum.

rationis statum intelligamus, uidendum erit, quid hoc loco per regnum cœlorũ significet. In hac eñ disputatione, non loquunt discipuli, de futura illa fœlicitate, qua sancti in altero seculo fruunt, sed intelligunt per regnum cœlorũ, regnũ illud Messiæ, quod prophetæ scripserunt in terra futurum. Daniel enim scripsit de quatuor monarchiis terræ, & addit, q̃ Deus cœli suscitaturus sit in diebus regum illorum, regnum, quod in æternum non dissipabitur, & regnum eius alteri populo nõ tradetur. Hoc negocium, per Messiam in terra inchoandum & administrandum, uocatur hoc loco regnũ cœlorum, quẽadmodum etiam aliàs indicauimns. Cum igitur discipuli existimarent regnum illud Messiæ, seu cœlorum, externum & carnale, pro maiestate regum huius seculi fore, disputant & contendunt inter se, quis inter ipsos maximus post Messiam princeps in hoc regno futurus esset. Habes in discipulis exemplum non solum humanæ cæcitatis, q̃ discipuli, toties de conditione regni Christi eruditi, ueram eius rationem adhuc ignorent, sed etiam humanæ ambitionis, q̃ discipuli de primatu inter se contendant. Atq; hoc quidẽ exemplum non proponitur imitandum, sed potius cauendum, uidelicet, ut in discipulis agnoscamus uitia carnis nostræ, & tanto diligẽtius studeamus ea per fidem expurgare, quanto tenacius carni nostræ adhærent. Sed quid ad hanc cogitationem & disputationem Christus? Vt aliàs sæpe ita & nunc auocat discipulos ab hac carnali opinione. Quanq̃ autem nos uideamur nunc post tot annos, quibus Christus in cœlum conscendit, & spiritum sanctum misit, probe cognoscere, q̃ Christus nõ sit externus rex, ac sentiamus hãc discipulorum disputationem, & Christi doctrinam, nihil propemodum ad nos pertinere, tamen si diligenter nos excutiamus, profecto inueniemus nos planè eodem morbo laborare, quo discipuli laborarunt. Alius enim, postq̃ Euangelion audit, existimat sibi concedi licentiam agẽdi quidquid uis. Alius putat, ex Euangelio omnes omnium opes, agros, uineas & pecunias publicas & communes fieri. Alius opinatur sibi ex Euangelio licere ab omnibus mutuum sumere, nihil autem cuiq̃ reddere. Alius existimat, Christum debere externo suo auxilio statim in afflictione præsto adesse, & liberare, ac nisi fecerit, exclamat totum Euangelion uanissimum esse. Sunt item, qui propterea q̃ gloriantur se Apostolorum successores, usurpent sibi potestatem trãsferẽdi regna, & pro libidine sua deponendi ac reponendi reges in thronos maiestatis suæ. Hæc certe omnia nihil aliud sunt, q̃ existimare regnum Christi esse de hoc mundo. Cum igitur eodẽ morbo, quo quondam discipuli, etiam nunc laboremus, necessarium est, ut quod Christus hoc loco discipulos docet, diligẽtissime obseruemus. Docet autem illos, q̃ regnum suum non constet tali conditione, in quo alter alterum externa maiestate superet, sed cõstet potius contemptu, ignominia, aduersis, afflictionibus & persecutionibus in hoc seculo perferendis. Atq; id adeo docet, exemplo pueri. Videns enim cogitationem cordis illorum, apprehendit puerum, & statuit illum iuxta se, & ut ait Matthæus, in medio illorum, & dixit: Amen dico uobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut pueri, non ingrediemini in regnum cœlorum. Huc pertinet & illud, quod postea Lucas capite uicesimo secũdo in eadem disputatione à Christo dictum esse scribit: Reges gentium dominantur eis, & qui potestatem habent super eas, benefici uocantur, uos autem non sic. Hæc dicta Christi si cõtuleris, hanc habent sententiam: Veni in hunc mundum, non ut faciam uos reges & principes secundum externam maiestatem huius seculi. Hic enim mundus antea satis superq̃ principum ac dominorum habet, & in quamcunq̃ regionem, in quamcũque ciuitatẽ, in quamcunq̃ uillã diuerteris, ibi dominũ inuenies. Sed ueni potius

Humanæ mẽtis cæcitas et ambitio.

Puerorum cõditio in hoc seculo.

ut faciam uos pueros. Nisi efficiamini sicut pueri, non intrabitis in regnum cœlorum. Videamus ergo, quæ sit puerorum conditio, ut & intelligamus, quæ sit cõditio discipulorum Christi in hoc seculo. Primum, pueri nullo honore in hoc seculo afficiuntur, nec admittũtur ad gerendos magistratus, sed traduntur pædagogis & eruditiuntur uirgis. Quamdiu (inquit Paulus) hæres puer est, etiamsi fuerit dominus oĩm, nihil tamẽ differt à seruo: ita & cum uenerit Christus, ut faciat ex discipulis suis pueros, uenit ut faciat ex ipsis, nõ reges & principes, sed seruos, abiectos, contemptos, & omnibus afflictionibus obnoxios. Deinde pueri ita in se quoque affecti sunt, ut nec honorem nec potentiam ambiant, nec aliis sua bona inuideant, sed sua sorte contẽti adolescant: ita & cum Christus statuit puerũ inter discipulos, perspicue significat, se non uelle, ut discipuli sui honorem & potentiam in hoc seculo ambiant, sed uelle potius, ut imitentur affectũ puerorum. Adhæc, pueri aut uerbis aut factis male tractati, non referunt uel maledicta uel malefacta, sed inuocant auxilium parentis, & facilime remittũt offensam, ac uel pomo aut piro placantur. Sic uult & Christus discipulos suos affectos esse, uidelicet, ut sint pueri, nõ quidem sensibus, ut Paulus ait, sic enim perfecti esse debent, sed malicia. Quid hoc uero, inquies? Cũ Christus uoluit discipulos suos ueram sententiam de regno suo, & modestiam ac humilitatem docere, non potuit honestius ac dignius exemplum, q̃ pueros proponere? Qui hoc conuenit, q̃ totius orbis concionatores remittantur ad præceptores pueros? Potuisset quidem remittere eos, uel ad patriarchas uel ad prophetas, ac dicere: Nisi efficiamini sicut Abraam, qui necesse habuit patriam suam derelinquere, uel sicut Ioseph, qui in carceres coniectus est, uel sicut Ieremias, qui lapidibus obrutus est: sed maluit remittere eos ad pueros, ut quod doceret præsenti exẽplo, tenacius inhæreret. Ac ne quẽ pudeat exẽpli puerorũ, Christus dignitatẽ puerorũ grauissime explicat. Etsi eĩ pueri in hoc seculo stulti, abiecti, & contẽpti uideant, apud Dñm tamẽ maxima est puerorũ dignitas. Sunt quidẽ pueri, quantũ ad ipsorũ natiuitatẽ attinet, in peccatis cõcepti, nati, & filii iræ, sed quantũ attinet ad ipsorũ creationẽ & curã, quã Deus ipse pro pueris gerit, maximæ sunt dignitatis. Quod ut explicet Christus, primũ accipit pueros in ulnas, & imponit manus super illos, quæ sunt magnæ dilectionis erga pueros significationes. Deinde cõmẽdat eos ab angelorũ cura dicens: Angeli eorum in cœlis semper uident faciẽ patris mei, qui est in cœlis. Adhæc, pmittit ipsis regnum cœlorum: taliũ, inquiens, est regnũ cœlorum. Postremo ostendit, q̃ ipse & pater sese pueris ita tradiderint, ut qui benefecerit pueris, Deo patri & filio eius benefaciat, qui malefecerit pueris & filio eius male

Pueri Apostolis præceptores propositi.

Puerorum dignitas.

» faciat: Quicunq; inquiens, receperit puerũ hũc nomine meo, me recipit. Et qui
» cunq; me receperit, recipit eum qui me misit. Et hæc quidẽ Lucas scribit. Apud Matthæũ uero addit: Videte ne contẽnatis unũ ex his pusillis: Qui offenderit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collum eius, ac demergatur in profundũ maris. Quid potuisset de dignitate puerorũ honestius dici? Pueris ordinati sunt angeli in custodes. Et Deus pater ac filius eius ita sese coniunxerũt pueris, ut sibi illatũ iudicent, quicquid uel boni uel mali pueris inferas. Quare neminẽ debet puerorũ ita pudere, ut nõ agnoscat ipsos præceptores, & non uitam suam ad ipsorũ exemplũ cõparet. Sed quod Christus dicit: Quicunq; receperit puerũ hunc nomine meo, me recipit, latius patet, q̃ qd'tãtum ad hoc argumentũ, quod in hoc loco tractatur, referri possit. Nam hoc dicto admonentur primum magistratus, ut magna cura instituant scholas, in quibus pueri & adolescentes bonas literas ac pietatẽ discant. Deinde admonentur pædagogi

Puerum nomine Christi recipere quid significet.

& ludima

& ludimagistri,ut pueros fidei suæ commissos omni,qua possunt,diligentia in bonis literis & pietate erudiant. Adhæc,admonẽtur & magistri artificiorũ,ut pueros disciplinæ suæ traditos fidelissime,non artificium tantũ,sed etiam timorẽ Domini doceant.Quid autem dicam de ipsis puerorum parentibus? Hos non solũ dictũ illud Christi,sed etiam ipsa natura monet,ut liberos suos in timore & correptione Domini maxima sollicitudine educent. Postremo admonentur omnes seniores, uiri & mulieres,ut magnam habeant in uita sua rationem puerorum,uidelicet ne quid aut inhonestũ,aut turpe,aut scurrile,quo tener adhuc animus offendi possit, coram pueris uel dicant uel faciant,sed ut uitæ suæ honestate etiam pueros ad sectã dam honestatẽ inuitent.Omnes hi audiant grauissimam uocem Christi,qua beneficium pueris præstitũ,sibi & patri præstitũ iudicat,qua item negligentiã,incuriam, & offendiculum pueris exhibitum, tanti reputat,ut iudicet dignũ submersione in mare.Expedit ei,inquit,ut suspendatur mola asinaria in collũ eius,& demergatur in profundũ maris.Et hæc quidem de pueris, ad quorũ exemplũ reuocauit Christus discipulos suos,de primatu contendentes,& docuit eos,q̃ uenerit,non ut efficiat ipsos principes huius terræ,sed pueros,hoc est, humiles,cõtẽptos & abiectos. Addit aũt puerorũ exẽplo obseruandã sentẽtiam,qua perspicue explicat ueram regni sui in hoc seculo rationem.Et ait: Qui minor est inter uos oẽs,hic maior est. ¶¶

Quod Christus exemplo in puero demonstrauit,hoc nunc uerbis exponit: Puer & in suis ipsius & in huius mũdi oculis minor est, attamen magnus coram Deo reputat̃,quemadmodũ iam indicauimus. Sic ergo sese habet ratio regni Christi in hoc seculo, q̃ qui minor,hoc est,abiectus & contẽptus est, is in regno Christi magnus est.Quare qui uoluerit magnus fieri, non contendat de primatu aut externa dignitate,sed fiat minor,contẽptus & abiectus.Memorabilis doctrina, qua erudimur quæ sit recta uia ad consequendam ueram dignitatem & sublimitatẽ in regno Christi.Longe enim alia est cõditio regnorum huius seculi, q̃ regni Christi seu cœlorum.In regnis huius seculi maior habetur,qui est potẽtior,ditior, numosior,honestior,prudentior,& aliis claris uirtutibus nobilior.In regno autem Christi maior est, qui est impotentior,pauperior,inhonestior,imprudentior,ignobilior & abiectior.Scriptura enim dicit: Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cœlo & in terra.Et iterum:Sacrificiũ Deo,spiritus cõtribulatus,cor contritũ & humiliatum Deus non despicies.Ac rursus:Spiritus Domini super me,eo q̃ unxerit me.Ad euangelizandum pauperibus misit me,ut mederer cõtritis corde,& prædicarẽ captiuis indulgẽtiam. Et mox:Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum & contritum spiritu,& trementem sermones meos? Et in Euangelio: Beati pauperes spiritu quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Et rursus: Non ueni ad uocandum iustos,sed peccatores ad pœnitentiam.Ac Paulus: Videtis,inquit,uocationem uestram,q̃ non multi sapientes secundum carnem,nõ multi potentes,non multi claro genere nati, uerum quæ stulta erant secundum mundum delegit Deus,ut pudefaceret sapientes, & quæ erãt imbecillia in mundo delegit Deus, ut pudefaceret ea quæ sunt robusta.Quem autem Deus respicit,quem eligit,propter quem Christũ misit,propter quem Christus uenit,multo certe & maior & dignior est eo quem Deus despicit,quem pudefacit,& cui officium Christi nihil cõfert.In regno igitur Christi maior est,qui est minor, & honestior aut dignior, qui est inhonestior & indignior. Et cũ ita res sese habeat,necesse est,ut qui uoluerit in regno Christi mganus fieri,fiat minister,& qui uoluerit primus esse,fiat seruus. Quid ergo ad hæc dicemus? num quia Christus dicit seueniſſe,ut ex discipulis su-

Christi regnum in hoc seculo.

Dignitas uera in regno Christi.

is suis,nõ principes huius seculi,sed pueros,& discipuli Christi necesse habent,si uo lunt magni in regno Christi esse,minores & abiectiores fieri,nullus ne Christianus potest esse princeps huius seculi? & si quispiam in hoc seculo aut princeps,aut honestus,aut prudẽs,aut clarus fuerit,an necesse habebit se principatu abdicare,inhonestam uitam ducere,peccare,stulte agere,uirtutes suas abiicere, & infamiæ studere,ut in regno Christi magnus fiat? absit.Primum enim, quemadmodũ Christus non uenit,ut faciat ex discipulis suis principes,ita nõ uenit, ut principibus auferat suos principatus.Nam quos Deus principes creauit,eos Christus, quantum ad regnum suum in hoc seculo,& ad prædicationẽ Euangelii attinet,principes permittit.Sed hoc sentit Christus,se non uelle, quod quis prætextu Euangeli & Christianismi regnum in hoc seculo occupet.Aferre quidem potest,ut quis uel hæreditate,uel legitima successione,uel legitima electione,uel donatione,uel aliis legitimis & ordinariis rationibus principatũ consequatur, & sic consecutũ gerat. Dicit enim: Principes gẽtium dominantur eis,hoc est, in hoc seculo sunt ordinarii principes, qui dominantur populo,hos nolo è principatu suo per uos deturbari. Et Paulus: Non est potestas,inquit,nisi à Deo.Et: Dei minister est,ultor ad iram ei,qui,quod malũ est,fecerit.Sed hoc ferre nõ potest,ut quis non legitimis rationibus, sed prætextu tñ uel Apostolatus,uel discipulatus Christi,uel fidei in Christum, regnũ huius seculi inuadat,& legitimos principes aut eiiciat,aut trucidet.Regnũ enim meum,inquit,non est de hoc mundo.Et filius hominis non uenit, ut sibi ministraretur,sed ut ipse ministraret.Aciterum: Filius hominis non uenit ad perdẽdum animas hominum,sed ad seruandum. Quod si Christus ipse non usurpauit sibi regnũ terrenum prætextu officii sui,ad quod è cœlo in terram missus erat, quãto minus licet Christianis usurpare terrena imperia,prætextu fidei suæ in Christum.Sufficit, inquit Christus,discipulo ,ut sit sicut præceptor ipsius & ut seruus sit sicut dominus ipsius.Quare uehementer errant Romani Pontifices ,q̃ prætextu ministerii sui Apostolici ,de quo se iactant , usurpent sibi tantam potestatem in reges & principes, ut pro libidine sua hos è sede maiestatis suæ deiicere,illos aũt reponere conentẽ.Habeant sane Romani Pontifices eam maiestatem, quam publicis & legitimis ordinationibus,ac consensu monarcharum possident ,sed q̃ usurpent sibi potestatem super reges & principes,prætextu tantum officii sui Apostolici, hoc demum Christo aduersum est.Errat etiam turpiter & impie utraq; factio Anabaptistarum ,quorum alii sentiunt,nulli Christiano licere magistratũ gerere,alii sentiunt, sibi regnũ huius seculi,prætextu Christianismi deberi. Deinde cum Christus iubet, eum qui uoluerit in regno suo maior esse,minorem fieri,non uult,ut quis abiiciat principatum,dignitatem,honorem,uirtutem,bonam nominis famam, & alia illustria dona,quæ legitime habet,ac exponat se sordibus,ignominiæ,uitiis,infamiæ & obscuro uitæ generi.Paulus eñ, qui è spũ Christi locutus est, ait: Vnus quisq; maneat in ea uocatiõe,qua uocatus fuit.Et iterũ: Quæcunq; sunt uera,quæcunq; honesta,quæcunq; iusta,quæcunq; pura, quæcũq; accõmoda,quæcunq; boni nois,si qua uirtus, & si qua laus,hæc cogitate et facite. Sed hoc potius sentit Christus, q̃ is quidẽ,qui forte sua minor,abiectus ,& contemptus in hoc mundo est,nõ despondeat animũ, propter suam humilitatem,sed confidat potius,q̃ à Deo maxime omnium respiciatur,ille aũt qui in hoc seculo magnus est,uel potentia,uel prudentia,uel alia uirtute ac dono Dei, non tollat crista propter magnitudinem & amplitudinem suam,non contemnat præ se alios,non insultet aliorum humilitati,sed potius deiici ãt sese animo,agnoscat suam abiectionẽ,qua corã iudicio Dei natura sua præditus est,& tanto

Christianis licet esse principes.

Vocationem & dona sua nemo temere abijciat.

est,& tanto magis seruiat aliis pro sua uocatione,quanto illustriori dono à Dño ornatus est. Nam si ad hunc modũ faciat sese minorẽ, certe non tam magnus est corã seculo isto,quin multo maior fiat corã Deo. Qui.n.se humiliat,inquit Christus, exaltabit. Humiliat aũt sese, non qui abiicit legitimã suam uocationẽ,sed qui in uocatione sua aliis fideliter,iuxta uerbum Dñi,seruit. Et Paulus: Vos Dñi,inquit,æquitatẽ & æquabilitatẽ seruis exhibete, scientes q̃ & uos habeatis Dñm in cœlis. Non ait:uos domini abiicite dominiũ,sed finit eos dominiũ retinere, & instituit ipsos, q̃ æque,q̃ iuste,& q̃ pie sese in dominio gerere debeant. Ac iterũ: His,inquit,qui diuites sunt in præsenti seculo præcipe,quid:ut abiiciant diuitias:minime,sed ne elato sint animo, neq; spem ponãt in diuitiis incertis, sed in Deo uiuente, qui præbet nobis omnia affatim ad fruendũ,ut benefaciant,ut diuites sint bonis operibus,ut faciles sint ad imparciendũ. Et qui ita se gerũt,hi etsi magni sunt in hoc seculo, tamẽ quia faciũt se pro sua ratione minores,fiunt quoq; magni in regno Christi. Sic magnus erat Abraam,si nõ apud alios,certe apud suam familiã,& faciebat se ipse minorem. Quomodo:nũ abdicabat se officio & dignitate patrisfamilias:ne quaq̃,sed deiiciebat se corã Deo,dicens: Puluis & cinis sum,ac interim toti familiæ pro sua uocatione seruiebat. Fit ergo magnus quoq; corã Deo, & audit: In gentẽ magnã faciam te, reges ex te egredientur. In semine tuo benedicentur omnes gentes. Sic Dauid magnus erat in hoc seculo,quia fuit regia maiestate præditus,sed quia agnoscebat se coram Deo minorem, & seruiebat maiestate sua omnibus subditis suis, uidelicet, dum Israelitas ab hostibus defenderet,& esset terrori male agentibus, laudi uero & tranquillitari bene agentibus, fit etiam magnus coram Domino, & audit: Inueni Dauid seruum meum, oleo sancto meo unxi eum: Manus mea auxiliabit ei,& brachium meum confirmabit eum. Quare,siue quis minor fuerit coram mundo,bene cõfidat,& credat in Christum,sic enim erit in regno Christi maior. Siue quis magnus fuerit in mundo,abiiciat se coram Deo,seruiat aliis sua magnitudine, & credat in Christum. Sic.n.& ipse magnus fiet in regno Christi. Habes Christum non uenisse in hunc mundũ,ut faciat ex discipulis & Christianis suis principes huius seculi, sed seruos. Occasione autem huius uocabuli: NOMINE MEO, cum Christus dixit: Quicunque recipit puerum hunc nomine meo,incidit Ioanni, quòd prohibuerint quendam in nomine Iesu dæmonia eiicientem. Et dixit: Præceptor, uidimus quendam in nomine tuo eiicientem dæmonia,& prohibuimus eum,quia non sequitur nobiscum. Hoc est, Dixisti nunc, quòd quicunque recipiat puerum nomine tuo,te recipiat. Ergo ne male egimus, q̃ non receperimus etiam hunc, qui in nomine tuo eiiciebat dæmonia? Prohibuimus cũ cum,quòd non agat nobiscũ commune contubernium. Hic iterum habes errorem discipulorum de regno Christi. Sicut enim existimarunt,regnum Christi fore externum & terrenum,ita putauerunt congregationem eorum, qui Christum agnoscant, externam & corporalem fore, ut qui in ea congregatione extrinsecus urrsaretur, is esset membrum ecclesiæ Christi, qui autem non uersaretur in ea externa congregatione, is non habendus esset pro membro ecclesiæ. Accesit huic errori fortasis etiam affectus ambitionis. Cum enim uiderent alium quendam, qui non erat de ipsorum contubernio, in nomine CHRISTI dæmonia eiicere, timuerunt, si pergeret, etiam alios hoc idem tentaturos, quod si fieret, iam actum fore de maiestate ipsorum, quam sibi in regno CHRISTI pollicebantur. Sic enim unusquisque, non Apostolorum tantum,sed etiam aliorum in nomine CHRISTI dæmonia eiicientium,regnum in hoc seculo affectabit. Quomodo autem regna & principatus huius seculi tam

Humiliare sese,quid sit.

Abraam cum esset magnus, factus est minor.

Dauid agnoscit se minorẽ.

Apostolorum error de regno Christi.

multis sufficerent? ac omnino necessariũ fieret, ut si regna huius terræ inter omnes illos distribuẽda essent, minima regna, & angustissimis terminis conclusa cõstituerentur. Vbi enim, inquiũt, multi sunt hæredes, ibi angusta est hæreditas. Quare, ne Apostoli magnitudine maiestatis suæ destituerent, prohibent hominẽ illum, à cõtubernio ipsorũ alienũ, ne in nomine Christi dæmonia eiiciat. Sic Iosua rogat Mosen, ut prohibeat Eldad & Medad prophetantes in castris, uidelicet, timens ne propter illos maiestas Mosi & septuaginta seniorũ periclitarerur, quẽadmodũ scriptum est in quarto libro Mosi, capite undecimo. Sic discipuli Ioannis monent præceptorem suũ, ut prohibeat Iesum, ne baptizet: Rabbi, inquiunt, qui erat tecũ trans Iordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce is baptizat, & omnes ueniunt ad eum. Quibus uerbis significãt, se timere, ne si Iesus pergat, autoritas Ioannis præceptoris sui prorsus euanescat. Atq; adeo uulgaris hominum morbus est, q; existimẽt, aliorũ gloriam, suam esse ignominiam, alioq; cõmoda, sua esse incõmoda, aliorũ salutẽ, suũ esse exicium. Iesus igit reuocat discipulos suos ab errore, dicens: Nolite prohibere. Qui.n.nõ est aduersum uos, pro uobis est. Hoc uerbo docet Christus, primũ q; ecclesia regni sui non constet in externa hominũ congregatione, sed in spirituali consensu fidei. Habent quidẽ, qui Christũ agnoscunt, externas cõgregationes, in quibus audiãt prædicationẽ uerbi Dei, & sumant sacramenta, sed quia in his multi mali & coram Deo increduli sunt, externa cõgregatio nõ potest uera ecclesia ita cẽseri, ut omnes in ea sint uera membra Christi, & omnes extra eã sint à Christo alieni. Nam, ut quispiam sit uerũ ecclesiæ Christi membr, non necessario requiritur, ut uersetur in externo collegio uel Apostolorũ, uel huius aut alterius congregationis discipulorũ Euangelii, sed sufficit, ut eundẽ Christũ agnoscat, idem nomen Christi confiteat, eandẽ doctrinam Euangelii & fidẽ amplectat. Vnde ait Christus: Nolite prohibere, nolo quenq; reiiciatis aut condẽnetis, ob eam tantũ causam, q; non uersetur in externo uestro cõtubernio. Qui enim nõ est aduersum uos, pro uobis est, hoc est, qui non resistit Euangelio uestro, qui nõ persequitur doctrinã uestrã, sed profitetur idẽ Euangelion, idem nomẽ Christi, & eandẽ doctrinã, is est pro uobis, etiamsi nõ ducat uitã suam in externa uestra cõgregatione. Non eñ ueniet, inquit Christus aliàs, regnũ Dei cum obseruatiõe, neq; dicent: ecce hic aut ecce illic, hoc est, populus regni Messiæ nõ erit talis externa cõgregatio, qualẽ uobis imaginamini, uidelicet, ut Messias in unum quendam locum contrahat ingentem exercitum, quo sit occupaturus regnũ totius orbis terrarum, & qui tantus sit exercitus, ut manifeste obseruari & agnosci possit, q; sit exercitus Messiæ, ac de quo dicatur, ibi uere esse Messiam & populum Messiæ, eumq; uere saluum fore, qui se isti exercitui adiungat, non talis, inq;, congregatio erit, sed erit congregatio in unitate spiritus. Vnum corpus, inquit Paulus, & unus spiritus, quemadmodum & uocati estis in una spe uocationis uestræ. Vnus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus & pater omnium. Quare qui ueram & eandem cum orthodoxis fidem in Christum habet, nõ est propter eam causam damnandus, quòd non in eadem externa congregatione cum Apostolis, aut hac uel illa ecclesia uersetur. Deinde docet etiam Christus hoc loco, aliena dona non esse inuidia, æmulatione & ambitione in regno suo insectanda. Qui non est, inquit, aduersum uos, pro uobis est. Cui datum est donum, quod non est uestro dono contrarium, sed simile & conueniens, is non oberit, sed proderit potius dono suo uocationi uestræ. Longe enim alia ratio est regni Christi, quàm regnorum huius seculi. Nam in hoc seculo, quo latius princeps quispiam dominatur, eo angustiores sunt termini finitimorũ principum. Et quo regnũ in hoc seculo

inter plures

Ecclesia Christi non est externa hominũ congregatio.

Ecclesiæ Christi membrum quid sit

Ecclesia Christi est congregatio in unitate spiritus.

Dona aliena in regno Christi non sunt inuidia insectanda.

inter plures diuidit, hoc anguſtiores regni fines unicuiq; cedũt. In regno aũt Chriſti, tanto maius regnum unuſquiſq; conſequitur, quanto latius alter dominatur, & quo maior eſt huius uirtus, eo maiorem fructũ uirtutis ille percipit. Etenim, ut Paulus ait, per unum ſpiritum nos omnes in unum corpus baptizati ſumus. In corpore autem ſi quod donum uni membro contingit, num alteri detrimẽto eſt? Si oculo, uerbi gratia, contingit donum uidendi, hoccine damnum eſt manui aut pedi? aut ſi caput corona regia ornetur, hoccine erit manui aut pedi dedecori? Minime omnium, ſed alterum membrum tanto maiorem utilitatem conſequitur, quanto maiori uirtute aut honore alterum præditum eſt. Idem plane accidit in regno Chriſti, q; quanto illuſtrior maieſtas uni cõtingit, tanto maior utilitas in alterum permanat. Num obfuerit nobis, q; Chriſtus, qui eſt caput regni ſui, dominatur in cœlo & in terra, in morte & in uita? minime uero obeſt: ſed eo magis nobis prodeſt, quo latius Chriſtus dominat. Nũ damno eſt reliquæ Eccleſiæ, q; pauci diſcipuli Chriſti ornati fuerint uirtute ædendorum miraculorũ? Nihil minus: ſed quo ornatiores fuerunt uirtutes Apoſtolorum, & aliorum quorundam diſcipulorum, eo maiorem honorem & utilitatem reliqua eccleſia conſecuta eſt. Non inuideamus igitur aliis ſua dona, ſed agnoſcamus potius ex ipſis diuinam clementiam & liberalitatem, & commendemus eam gratiarum actione, ut quod aliis benigne à Domino datum eſt, in noſtram quoque utilitatem cedat, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui eſt unà cum Patre & Spiritu ſancto Deus laudandus in ſecula Amen.

HOMILIA XCI.

HActenus deſcripſit Lucas curſum Euangelicum in Galilæa, tetrarchia Herodis. Cum. n. Chriſtus educatus eſſet in Nazareth, urbe Galilææ, & baptizatus à Ioanne in Iordane, fluuio Galilææ, inchoauit etiam miniſterium Euãgelii in Galilæa. Nunc autem deſcribit Lucas profectionẽ Chriſti à Galilæa in Iudæam, præfecturam Pilati, ut in Iudæa non ſolum prædicaret Euangelion de regno Dei, ſed etiam ut offerret illic ſacrificium pro peccatis noſtris, ad quod faciendum, è cœlo in terram miſſus erat. Audiamus igitur, quid in ea profectione actum ſit. Factum eſt, dum complerentur dies aſſumptionis eius, (hoc eſt, dum inſtaret tempus, quo per paſsionem aſſumendus erat è terra in cœlum) & ipſe faciem ſuam firmauit, ut iret in Hieruſalem. Et miſit nuncios ante cõſpectum ſuum. Et euntes intrauerunt in ciuitatem Samaritanorum, ut pararent illi hoſpitium. Et non receperunt eum, quia facies eius erat euntis in Hieruſalem. Vt certius cognoſcamus, quid ſibi uelint Samaritani, q; Chriſtum è ciuitate ſua excludant, principio obſeruandum eſt, quòd Chriſtus profectus ſit è Galilæa in Iudæam magno comitatu. Comitabantur. n. ipſum, non ſolum duodecim Apoſtoli, uerumetiam multi alii diſcipuli, è quibus mox deſignat ſeptuaginta, quos emittit ad prædicandum Euangelion regni Dei. His acceſſerũt etiam mulieres quædam, quæ miniſtrabant Chriſto & diſcipulis eius de facultatibus ſuis, quẽadmodũ poſtea ſcribitur capite uiceſimo tercio. Deinde uidendũ erit, qui fuerint Samaritani, quos Ieſus neceſſe habebat in profectione ad Iudæã præterire. Acſi placet, ab ouo, quod dicitur, repetere, Samaritani dicti ſunt, à monte Somer, in quo Amri rex Iſrael ciuitatẽ eiusdem nominis extruxit. Nam cũ regnũ Iſraël poſt Salomonem diuideretur in duo regna, uidelicet in regnum Iuda, & in regnum Ephraim,

Chriſti comitatus.

Samaritani qui fuerint.

illius metropolis manſit Hieruſalé, huius aũt metropolis facta eſt ciuitas in monte Somer ſeu Samariæ ædificata: unde & hoc regnum dictum eſt regnum Samariæ. Poſtquam aũté Salmanaſſar rex Aſſyriorũ deuaſtaſſet regnum Samariæ, & abduxiſſet filios Iſrael captiuos in Aſſyrios, deduxit è Babylone & aliis nationibus gentes in Samariã, ut eam terrã pro filiis Iſrael habitarent. Sed cum hæ gentes non agnoſcerent uerũ Deum Iſrael, ac habitarent in ea terra, quæ cultui ueri Dei deputata erat, leones admirabiliter à Domino immiſſi interfecerunt habitatores. Itaq; ut incolumes in ea terra habitarẽt, coacti ſunt legitimũ ueri Dei cultũ à ſacerdotibus Iſraelitis diſcere, & in regione Samariæ obſeruare. Sed cum eſſent impiæ gentes, ita cultũ ueri Dei receperunt, ut interim etiã colerent deos ſuos fictitios, quẽadmodũ ſcriptum eſt in quarto libro Regũ, capite decimo ſeptimo. Iam cũ inter eas gentes remanſerit ſpecies quædã legitimi cultus diuini, uerſimile eſt, multos Iſraelitas, quorum patres antea à Salmanaſſar in captiuitatẽ Aſſyriacam abducti erãt, rediiſſe ad Samariã, qui cum gẽtibus in Samariã tranſlatis in unũ corpus ita coaluerũt, ut poſtea unà omnes retulerint originẽ ſuam ad Ephraim & Manaſſe filios Ioſeph, ac ædificauerint templum in monte Garizin, ad imitationẽ templi Hieroſolymitani, iactantes ſuum templum multo ſanctius eſſe Hieroſolymitano, propterea q̃ in eo loco patriacha Iacob Deum coluerit, quemadmodum in Ioanne capite quarto ſcriptum eſt. Atq; hi Samaritani hoc ingenio prædíti fuerunt, q̃ cũ Iudæi haberent clementes monarchas, uel Perſas, uel Græcos, uel Romanos, finxerint ſe etiam Iudæos. Cum uero Iudæi haberent monarchas infeſtos, abnegarũt ſe Iudæos. Hinc tam irreconciliabile odium inter Iudæos & Samaritanos ortũ eſt, ut apud Iudæos piaculũ fuerit cũ Samaritanis cibo ueſci. Nõ eñ habẽt, inquit mulier apud Ioannẽ, Iudæi cõmercium cũ Samaritanis. Non.n. alio loco ducebãt Samaritanos, q̃ hæreticos, & ueræ religionis abnegatores. Habes qui fuerint Samaritani. Nunc igit perſpicuũ eſt, quid ſibi uelint Samaritani, q̃ noluerint Ieſum cum comitatu ſuo excipere hoſpicio. Erat.n. Ieſus Iudæus, & facies eius, inquit Euangeliſta, erat euntis ad Hieruſalem, ubi Iudæi habitabant. Quare excludunt Ieſum aut odio Iudæorũ, aut timore proditionis, ne uidelicet ciuitas à tot hoſpitibus Iudæis, expulſis ciuibus, occupet. Sed quocunq; animo aut cauſa Samaritani Ieſum cũ comitatu ſuo excluſerint, profecto magiſtratus quidem officium eſt, tempore belli, aut aliis periculoſis temporibus rationem aduenarum & hoſpitum habere, ut alii admittantur, alii excludant, non eſt autem cõfidendum in talem ordinationem. Niſi enim Dominus, inquit, cuſtodierit ciuitatem, fruſtra uigilat qui cuſtodit eam. Nam ubi Dominus non cuſtodit urbem, ibi idem plane accidere ſolet, quod Samaritanis, Chriſtum, ſalutem ſuam, excludentibus, accidit, nimirum, ut excludantur, qui reipub. ſummam ſalutem afferunt, & admittantur, qui reip. ſummam afferunt perniciem. Quid ergo ad hanc inhumanitatem Samaritanorum, Chriſtus & diſcipuli eius? Sequit: Cum uidiſſent autem diſcipuli eius Iacobus & Ioannes, dixerunt: Domine, uis dicamus ut ignis deſcendat de cœlo, & conſumat illos, quemadmodũ & Elias fecit. Hæc uerba teſtantur, diſcipulos non ſolũ maxima ira in Samaritanos accenſos, ſed etiã exiſtimaſſe, ſe præſtare obſequium Deo, ſi urbem illam unà cum ciuibus ſuis incendio perdant. Primum enim ponunt ſibi ob oculos inhumanitatem Samaritanorum, q̃ excludant homines innocentes. Deinde etiam impietatem, q̃ excludant Ieſum uerum Meſsiam, ſeruatorem mundi. Adhæc, reuocant in memoriam, q̃ Samaritani ſint hæretici, & peiores pene gentibus. Poſtremo allegant exemplũ Eliæ. In quarto enim libro Regum, capite primo, ſcriptum eſt, q̃ Elias iuſſerit ignem de cœlo deſcen-

Odium inter Iudæos et Samaritanos.

Samaritani excludunt Chriſtũ cum comitatu ſuo.

Aduenarũ et hoſpitum ratio habenda periculoſis tẽporibus.

cœlo descendete & deuorate duos quinquagenatios, qui a rege Ahasia missi erãt, ut ipsum ad supplicium raperent. Ex his cogitabant discipuli, se non solum quod iustum est, uerumetiam singularem cultum DEI facturos, si Samaritanos igni deuastent, tantum abest ut existimauerint se hoc affectu peccare. Atq; tales quidem fuerunt Ioannes & Iacobus. Non est autẽ inter homines nouum aut insolens. Vulgaris hic carnis morbus est, ꝙ existimet licere mala pro malis referre. Nam cũ ex lege docetur proximo benefaciendum esse, unusquisq; hoc tm̃ consyderare solet, non quid ipse debeat proximo suo tam inimico quàm amico, sed potius quid ipsi à proximo debeatur. Itaq; si quis contra quàm lex docet iniuria afficitur, æquissimi iuris esse putat iniuriam referre, ac seipsum uindicare. Et siquidem hoc nequit fieri factis, usurpamus ramen uerbis uindictam. Alius imprecatur aduersario oĩa morborum genera: alius iniuriatorem diris ita deuouet, ut imprecetur capiti eius centum millia diabolorum, adeoq; perpetuos inferni ignes. Et hæc non simplici ter fiunt, sed etiam iustissime fieri iudicantur. Quid em̃ inquiunt, cur me prior læsit? cur innocenti mihi, imo benefactori tantam iniuriam aut cõtumeliam intulit? Et quomodo non liceret mihi quod prophetis licuit? Eliza derisus à pueris, male dixit ipsis in noĩe Dei. Et uenerunt ursi ac lacerauerũt quadraginta duos pueros. Et Samson de Philistinis ait: Sicut fecerũt mihi, ita feci eis. Si sanctis uiris licuit male facere & maledicere, cur idem mihi non liceret tantis tamq; atrocibus iniuriis affecto? Habes uulgarem carnis morbum, quo priuatæ uindictæ cupiditas non solũ non iniusta, sed etiam Deo grata iudicatur. Audiamus igitur quid Iesus discipulis suis respondeat, & quod illis respondet, hoc etiam nobis eodem plane morbo laborantibus dictum esse sentiamus. Et conuersus increpauit eos dicens: Nescitis cuius spiritus estis? Filius hominis non uenit animas perdere, sed saluare. Et abierunt in aliud castellum. Quod Christus dicit: Nescitis cuius spiritus estis, primum potest simpliciter dictum intelligi, ut sit sensus. Habetis quidẽ zelum Dei, sed non secundum scientiam. Quod inhumanitas Samaritanorum uobis displiceat, nõ improbo, sed ꝙ cupiatis illorum inhumanitatem alia inhumanitate, imo crudelitate, uindicare, hoc demum improbo. Peccant ipsi, fateor, sed ꝙ uicissim & uos peccetis cupiditate uindictæ, tanto magis reprehensibiles estis, quanto iustius uos facere arbitramini. Si mihi semper ignis deiiciendus esset, quoties peccant homines, ubi satis ignium inuenirem? aut quibus relinqueretur spaciũ pœnitentiæ? Et quod amplius est, an non & uos ipsi nunc igni arderetis, aut paulo post igni obruerem-nie? Nunc enim peccatis cupiditate uindictæ aduersus uerbum Dei, quod iubet etiã inimicis benefacere. Paulo post peccabitis ambitione, cum postulaturi estis, ut alter ad dextram meam, alter ad sinistram meam in regno meo sedeat. Peccabitis etiam defectione à meipso, tempore passionis meæ. Conferte nunc delicta uestra cum inhumanitate Samaritanorum, & inuenietis uestra peccata, illorum peccata, non dicam æquare, sed etiam superare. Illi me excludunt e ciuitate sua: uos sæpe me per incredulitatem e corde uestro excluditis. Illi nunc non recipiunt me in urbem suam, sed quanto obsecro tempore, uos non recepistis me in corda uestra? Illi, qui nunquam me receperunt, excludunt: uos me nunc recipientes, excludetis postea uel fuga uel abnegatiõe. Quid ergo uobis salutis relinqueretur, si mox post peccatum ignis de cœlo plueret? Quare non intelligitis uestrum spiritum, uestrum animum, uestrum desyderium, & cupiditatem tam malam esse, ut si æquo iure inter peccatores promoueret, non Samaritanis tantum, sed etiam uobis ipsis, ac toti humano generi exicium afferret. Deinde, potest etiam interrogandi figura legi:

Vindictæ priuatæ cupiditas à carne licita existimatur.

"
"
"

Legis doctrina.

Nescitis cuius spiritus estis? hoc est: An nescitis cuius doctrinæ discipuli, & cuius religionis professores sitis? Primum enim estis discipuli legis. Docui autem uos ex lege, ꝙ non tantum amicis, uerumetiam inimicis benefaciendum sit: Dixi uobis, cũ legem interpretarer: Diligite inimicos uestros, bene percemini deuouentibus uos, benefacite iis qui uos odio prosequunt, breuiter, sitis perfecti, sicut pater uester, qui est in cœlis, perfectus est, qui finit solem suum exoriri super malos & bonos, & pluuiam mittit super iustos & iniustos. Nunc ergo uidete mihi, quomodo spiritus, animus, & conatus uester, cũ hac legis doctrina cõueniat. Deinde estis discipuli MEI, qui sum filius ille hominis, qui Messias seu Christus uocatur. Filius autẽ hominis, non uenit ad perdendum animas hominum, sed ad seruandum. Et aliàs: Non misit Deus filium suum in mundum, ut condemnet mundum, sed ut seruetur mũdus per eum. Hæc uerba Christi diligentissime obseruanda, ac semper nobis ob oculos ponenda sunt. Primum enim docent, ꝙ nulli pio Christiano, quatenus est Christianus, liceat malum malo referre. Siue enim legem siue Euangelion spectes, priuata uindicta prohibita est. Deinde docent, ꝙ regnum Christi non sit de hoc mundo, & Christus non sit terrenus magistratus. Nam si esset terrenus magistratus, necesse haberet ex officio suo inobedientes punire, & sceleratis animam, hoc est, uitã gladio auferre. Non frustra, inquit Paulus, gladium gestat, nam Dei minister est, ultor ad iram ei qui quod malum est, fecerit. Cum autem Christus dicat, se non uenisse ad perdendum animas hominum, sed ad seruandum, perspicue indicat, officium externi magistratus in hoc seculo sibi non esse commendatum, nec regnum suũ esse terrenum. Quare nulli hominũ licet, prætextu Christianæ religionis, aut Apostolici muneris, regnum in hoc seculo usurpare, & ciuilem magistratum occupare. Postremo hæc uerba Christi maximam afferunt consolationem conscientiæ in omnibus afflictionibus. Explicant enim proprium & legitimum officium Christi, uide licet, ꝙ non perdat, sed seruet. Ergo, si peccata te condẽnant, quid desperas? Christus non perdit, sed seruat. Crede igitur in Christum, & remittentur tibi peccata. Si stipendia peccati, hoc est, afflictiones, paupertas, morbus, infamia, exilium, mors, & infernus te uexauerint, quid animum despondes? Christus non perdit, sed seruat, & in propheta dicitur: Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed magis ut conuertatur & uiuat. Crede igitur in Christum, & saluus eris. Sed quid dicemus ad exemplum Eliæ, quod Apostoli citant? An non licebit Apostolis, ac ipsi Christo, quod licuit Eliæ? Hic mihi animaduertendum est, alias esse uocationes generales, quibus omnes generaliter tenentur, alias personales, quæ nec ad exemplũ trahuntur, nec personam transgrediuntur. Quod igitur Elias occidit quinquagenarios igni è cœlo demisso, personalis fuit uocatio, qua iussus fuit per spiritum sanctum quinquagenarios, irrisores, contemptores, & blasphemos in diuinam maiestatem, igni perdere. Dicebant enim ad Eliam: Homo Dei, rex præcepit ut descẽdas, hoc est: Gloriaris de Deo tuo, ꝙ seruet te ac liberet ex omnibus periculis. Vbi ergo nũc est ille Deus tuus, qui te e manu nostra & regis liberare possit, en teneris nunc captiuus. Confidis in Deum, liberet te, si uult, imo, si potest. Quid autẽ est blasphemia in Deum, si hæc non est? Quare, iussit spiritus sanctus Eliam hos blasphemos igni perdere, ut omnes irrisores uerbi Dei, & blasphemi in Deum haberent exemplum timoris Dei, & resipiscerent. Sic ex personali uocatione maledixit Eliza pueris deridentibus ipsum, & uenerunt duo ursi, ac lacerauerũt quadraginta duos pueros. Sic Petrus occidit uerbo suo Ananiam & Sapphiram ex personali uocatione, quemadmodum scriptum est in Actis Apostolicis capite quinto. Sic & legitimus magistratus

Christianis non licet malum malo referre.

Christus non est terrenus magistratus.

Christi proprium officium, seruare.

Vocatio generalis & personalis.

magistratus occidit ex personali uocatione malefactores & seditiosos. Non licet autem his, qui generali tantum uocatione tenẽtur, ut personalem uocationem in exemplum trahant. Cum igitur generalis uocatio Christi & Apostolorum fuerit, legi Dei obsequi, inimicis benefacere, & animas hominum seruare, nõ perdere, nõ licuit ipsis, sine speciali & personali uocatione, exemplum Eliæ sectari, ac Samaritanos igni perdere. Sic nec ipsi Eliæ, cum teneretur generali tũ uocatione sua, licuit regẽ Ahabũ & reginam Iſabellã perdere, & si persequerent ipsum, sed necesse habuit pro persecutoribus orare. Sic nec ciuili magistratui licet quenquã occidere, cũ in generali tm̃ uocatione uersat. Quid ergo dicemus de Christo? an nõ personalis eius uocatio est, iudicẽ esse uiuorũ & mortuorũ? Recte, sed interim obseruandũ est, duos esse aduẽtus Christi. Alter est in humilitate, quo aduẽtu expiauit passione sua pctã hoim, & recõciliauit hoies Deo patri. Et de hoc aduentu uerũ est, quod Christus dicit: Si quis audierit uerba mea, & non crediderit, ego non iudico eum. Non em̃ ueni ut iudicem mundum, sed ut seruem mundum. Alter aduentus est in gloria & maiestate, qua ueniet cum hortatu & uoce archangeli, & tuba Dei descẽdet de cœlo, & mortui in Christo resurgẽt primum, deinde nos qui uiuemus, qui reliqui erimus, simul cum illis rapiemur in nubibus in occursum Domini in aëra. Et in hoc aduẽtu iudicabit Christus uiuos & mortuos, ac impiis quidem dicet: Ite maledicti in æternũ ignem: piis autem dicet: Venite benedicti patris mei, possidete regnum paratum uobis ab exordio mundi. Resipiscamus igitur in primo aduẽtu Christi, quo homines bonitate & longanimitate Christi ad pœnitentiã inuitantur, & benefaciamus non benefactoribus tantum, sed etiam malefactoribus, ut in secundo eius aduentu, quo ueniet iudicaturus orbem, unà cum ipso in perpetuum regnum recipiamur. Cæterũ, in hoc itinere, quo Christus è Galilæa in Iudæam profectus est, multa etiam alia obseruatu dignissima contigerunt. Sequitur enim: Factum est aũt ambulantibus illis in uia, dixit quidam (scriba) ad illum: Sequar te, quocunq; ieris. "

Vocatio Christi & Apostolorum generalis.

Christi aduentus humilitatis.

Christi aduentus gloriæ.

Ex uerbis, quibus Christus huic scribæ respondet, manifeste apparet, q̃ quẽadmodum Apostoli quærũt in Christo regnum corporale, ita & hic scriba quærit in Christo terrenas diuitias, & pollicetur sibi magnam in hoc seculo maiestatem, tũ honoris, tum potestatis, si Christo adhæreat. Sperabat enim Christum in hac terra corporaliter dominaturum, & sciebat prophetam Esaiam, nomine Christi, omnibus Christum agnoscentibus promittere, ac dicere: Pro ære afferam aurum, pro ferro afferam argentũ, pro lignis æs, & pro lapidibus ferrum. Et in Amos: Ecce dies uenient, dicit Dominus, & comprehẽdet arator messorem, & calcator uuæ mittentem semen. Et stillabust montes dulcedinem, & omnes colles culti erunt. Hæc igitur, & id genus multa alia, cum sciret scriba de Christo dicta esse, & coniiceret ex multis miraculis, hunc Iesum esse Christum, promisit sibi in Christo ingentes diuitias, & ait: Sequar te, quocunq; ieris. Eodem planè affectu, multi hoc tempore Euangelion agnoscunt. Primum enim audiunt perspicuam interpretationem legis, q̃ lex Dei exigat non opera ficticia, sed opera uera charitaris, q̃ sit mutuo dandum, nihil inde sperandum, q̃ sit dandum omni petenti. Deinde audiunt magnificas promissiones Euangelii, q̃ qui in Christum credunt, fiant non solum filii, sed etiã hæredes Dei, & cum Deus possideat omnes thesauros seculi, necesse est, ipsos quoq; per Christum omnes huius seculi thesauros possidere. Agnoscunt igitur Euangelion, non ut consequantur iusticiam, sed ut consequantur opes, non ut obediant uocationi diuinæ, sed ut seruiant uentri suo. Quod ergo Christus scribæ respõdet, hoc illi sibi quoque responsum sciant. Dixit enim Iesus: Vulpes foueas habent, "

Affectus hom nũ hoc tempore Euangelion agnoscentium.

» & uolucres cœli nidos, filius autem hominis non habet, ubi reclinet caput suũ.

pau
in hoc
o-

Vanissima est spes & expectatio tua, scriba. Filius enim hominis, quem tu affectu consequendarum diuitiarũ sectari cupis, multo pauperior est, non dicam extremæ sortis hominibus, sed ipsis etiam bestiis. Vulpes habent suas foueas, & uolucres suos nidos, at filius hominis tanta paupertate præditus est, ut nec proprium habeat locum aut lectum ubi caput reclinet. Quid ergo diuitiarum ex tam paupere homine sperares? Scribitur quidem de Messia, q̃ sit dominaturus a mari usq; ad mare, & q̃ Deus subiecerit ei uolucres cœli, pisces maris, & pecora campi, adeoq; sit Dominus cœli & terræ. Sed tẽpore carnis suæ abnegauit hanc maiestatem, & suscepit tantam paupertatem, ut indigẽtia etiam ipsas bestias superet. Hic ergo iterũ obserua, q̃ cũ Christus dicit, filium hominis non habere ubi reclinet caput suum, perspicue significet, regnum suum non esse de hoc mundo. Si enim esset de hoc mundo, necesse haberet omnes huius seculi diuitias, regiões & agros possidere. Nunc aũt cum affirmat se nec tantillum proprii loci possidere, in quo reclinet caput suum, quis nõ uideret, regnum eius non esse terrenum? Iam si regnum Christi non est terrenũ, certe non uenit Christus, ut mutet externum statum huius seculi, sed quia rex est spiritualis, uenit ut mutet statum spirituum, hoc est, ut auferat Satanæ suam tyrannidem, ut expiet peccata coram Deo, ut pacificet Deũ cum homine, ut purget conscientiam hominis, ut largiatur spiritum sanctum, ad obediendum uocationi Dei, ut post hanc uitam tribuat uitam & fœlicitatem sempiternam. Nam quod ad externum huius seculi statum attinet, quemadmodum in priori aduentu Christi nihil mutatum est in externo illo cœlo & in terra, (Vt enim antea, sic & nunc, sol, luna & stellæ lucent, nox & dies uicissim sibi succedunt, & terra gramina, herbas & arbores producit) ita non hoc agit Christus, ut prætextu Christianismi, ciuilis hoim cõditio mutetur. Dives est quispiam, nõ exigit Christus, ut externe pauper fiat, si modo alioqui possit diuitias bona conscientia, & in pietate retinere. Pauper est quispiam, non uenit Christus, ut reddat ipsum externe diuitem. Rex est quispiam, nõ exigit Christus, ut regnũ abiiciat, si modo alioqui possit regnũ legitime retinere. Seruus est quispiam, non uenit Christus, ut creet ex ipso dominũ aut regem huius terræ. Vir est quispiam, non uenit Christus, ut faciat ex ipso mulierem. Mulier est, nõ uenit Christus, ut faciat ex ipsa uirum, breuiter, non uenit Christus, ut mutet externam hoim formam, & ciuilẽ ipsorũ cõditionem. Exigit quidẽ, ut unusquisq; in ciuili sua cõditione Deo obediat, & ferre potest, ut qui nõ est dives, legitime dives fiat, & qui non est rex, legitime rex fiat, sed ut prætextu Christianismi, ciuilis conditio mutetur, hoc certe non exigit. Dicit enim Paulus: Vnusquisq;, ut illum uocauit Dñs, ita ambulet. Circumcisus aliquis uocatus est? ne accersat præpucium. In præputio aliquis uocatus est? ne circumcidat. Circumcisio nihil est, & præpuciũ nihil est, sed obseruatio mandatorũ Dei. Et iterum: Non est Græcus & Iudæus, circumcisio & præpucium, seruus, liber, masculus, fœmina, sed omnia in omnibus Christus. Nihil igit̃ minus licet Christiano, q̃ in Christo, p̃textu Christianæ fidei, externas diuitias, honorẽ & potentiã q̃rere. Cur ergo oramus: Panẽ nostrũ quotidianũ da nobis hodie? Nõ oramus id carnali, sed spirituali affectu, & qa Christus hoc iussit petere, & quia uitæ nostræ necessarium est, ut habeamus panem quotidianum, & quia Deus promisit, se nostris necessitatibus subuẽturum. Sed quid illud est, q̃ Christus cõiecit se in tantam paupertatem, ut paupertate etiam bestias superauerit? num hoc ideo factum est, ut declararet suo exemplo oẽs homines necesse habere, si uolunt esse Christiani, ut externe pauperes fiant? Minime oĩm. Ostendimus enim antea, q̃ Christus

Christus mutat statum spiritũ non externum huius seculi statum

Christus non uenerit ad mutandã externam & ciuilem hominum conditionem. Sed Christus factus est pauper, primum, ut reipsa declararet, regnum suum nõ esse de hoc mundo, quemadmodum antea ostendimus. Deinde, ut paupertate sua expiaret corã Deo pctã nostra, & redderet nos, non quidé in hoc seculo, sed in futuro seculo diuites. Postremo, ut ostenderet, ꝙ paupertas nõ ita Deo displiceat, quéad modũ displicet mũdo. Hic em̃ mũdus, ut sentit diuitias Deo plurimũ placere, ita sentit paupertatẽ Deo summe displicere. Christus igit cõiecit sese in extremã paupertatẽ, ut reipsa ostenderet, nõ tã diuitias, q̃ paupertatẽ Deo gratã & acceptã esse. Quæ cum ita sese habeant, reliquum est, ut unusquisq; Deo in sua conditione seruiat. Ac diues quidem non sit elato animo, sed in fide Christi diuitias suas administret. Pauper autem, nec diripiat alienas facultates prætextu Christianismi, nec despondeat animum suum in paupertate, sed confidat Deo per Christũ, & ambulet in uocatiõe Dei. Sic enim & diues & pauper, ueram salutem, quod unum maxime omnium quæritur, in Christo Iesu consequentur. Atq; hic quidem scriba suum habet responsum. Audiamus ergo nunc, quid de alio quodam discipulo actũ sit.

Christus cur se in tantam paupertatem coniecerit?

"Dixit aũt Iesus ad alterum: Sequere me. Ille autem dixit: Domine, permitte mihi
"primum, ut eam & sepeliam patrem meum. Dixit ei Iesus: Sine ut mortui sepeliant
"mortuos suos, tu autem uade & annuncia regnum Dei. Quid hoc, ꝙ Christus prohibet, ne discipulus patrem sepeliat? nonne sepelire patrem, opus est charitatis? Ita sane. Et cum Deus præcipit parentes honorandos, mandat etiam honore sepulturæ afficiendos. Dauid cõmendat ciues Iabes Gilead, ꝙ sepelierint dominũ suum Saulem, quemadmodum in secundo libro Regum cap. secundo scriptũ est. Quomodo igitur in filio non esset cõmendandum, ꝙ cupiat defunctum parentẽ sepelire? Cur ergo discipulum suum ab hoc humanitatis officio auocat? Non auocat Christus, quod condemnet aut ipsam sepulturã, aut officia humanitatis, quæ sepeliendis mortuis præstantur. Nam & patriarchæ cõmendantur, ꝙ maiores suos honeste sepelierint, & scriptura testatur, religiosos uiros sepeliisse Stephanũ, sed auocat, ꝙ cõdemnet præposterum studium discipuli, ad prædicandum Euangelion uocati. Vulgaris enim non tam huius discipuli, q̃ oĩm morbus est, ꝙ quæ sunt grauiora legis relinquunt, minutiora autem studiose sectantur, & ut Christus ait, excolant culicem, camelum autem deglutiunt, atq; adeo, quæ sunt personalis uocationis, ea longe minoris momenti generali uocatione ducũt. Christus autem, uult quidem ut munitissima quæq; legis & generalis uocationis faciamus, sed si ita res sese tulerit, ut necesse sit alterũ omittere, quo alterũ fiat, ibi tũ seueriſsime exigit, ut omittamus potius minutiora legis q̃ grauiora, & sectemur magis, quæ sunt personalis, q̃ quæ sunt generalis uocationis. Sic generalis est uocatio, ut salutemus amicos: est enim charitatis opus, sed si hoc officium impedierit legationem Apostolicam, quæ est personalis uocatio, ibi magis exequenda est legatio, q̃ officium salutationis. Vnde Christus dicit ad legatos suos: Neminem per uiam salutaueritis, hoc est, non diuertatis salutandi gratia ad amicos uestros, ne legatio uestra & prædicatio Euangelii hac mora impediatur. Sic generalis est uocatio, parentibus & magistratibus obdire, sed si acciderit, ut nõ possimus simul personali uocationi Dei, & parentibus ac magistratibus obedire, ibi tum audimus: Qui patrem & matrẽ plus amauerit, q̃ me, nõ est me dignus. Et: Oportet Deo magis obedire, q̃ hominibus. Cum igit discipulus ille, de quo nunc nobis sermo est, designatus esset personali uocatione, ad prædicandum Euangelion regni Dei, maiorem aũt curam haberet sepeliendi patris, quod erat generalis tantum uocationis, q̃ prædicãdi Euangelii,

Vocatio personalis magis sectanda q̃ generalis.

iure optimo reprehenditur,& audit:Sine ut mortui sepeliant mortuos suos, tu autem uade & annuncia regnũ Dei,hoc est, prædica Euãgelion, ꝙ aduenerit regnũ Messiæ,quod dicit regnũ Dei. Circumfer & accõmoda hoc dictum Christi ad singulas hoim uocationes,tum publicas,tum priuatas,& uidebis hoc dicto oẽs homines admoneri,ut minutiora quidem legis & uocationis suæ non negligant, si cõmode fieri potest,grauiora aũt uocationis maxime oĩm obseruent.Principi,exempli gratia,licet quidẽ uenari feras, sed si uenandi studio negligat administrationẽ reip.ibi tũ audit à Christo:Sine ut feræ uenent feras suas,tu aũt administra remp. Ciui licet quidẽ,& honestũ est,sagittãdi studio sese exercere,sed si præ hoc studio negligat exercitium artificii sui,& curã administrandæ familiæ suæ,ibi tum audit:Sine,ut sagittarii excutiant suas sagittas,tibi aũt curæ sit familia tua.Petro Apostolo licuit pisces capere,sed cũ uocaretur à Christo ad Apostolatũ,potuisset dici, sine, ut piscatores suos capiant pisces,tu aũt prædica Euangelion. Atq; adeo hoc dicto unusquisq; monet,ut grauiora uocationis suæ præponat minutioribus,si hæc cum illis fieri non possint.Sed audiamus nunc & tercium discipulũ. Et ait alter:Sequar te Dñe,sed permitte mihi primũ renunciare his,qui domi meæ sunt. Ait ad illum Iesus:Nemo mittens manũ suam ad aratrũ,& aspiciens retro, aptus est regno Dei. Etiam hũc reprehendit Christus. Sed quam ob causam? nũ ꝙ cupiat domui suæ disponere,& familiã ordinare,ac ualedicere? at boni & prudentis patrisfamilias est,ut abiturus familiã ordinet,ne se absente,uxor & liberi incõmodũ aliqd propter patrisfamilias incuriam,patiantur. Ad Ezechiã iam moriturũ dicit: Dispone domui tuæ. Et Paulus iubet in eligendo episcopo rationẽ habere, num bene præsit domui suæ. Non igit reprehendit Christus hoc loco officiũ & uirtutẽ boni patrisfamilias,sed ut in priori discipulo,ita & in hoc reprehendit præposterũ ordinandæ familiæ studium. Primũ em̃ hic discipulus maiorẽ habebat curam familiæ suæ,q̃ eius uocationis, quam à Christo audiebat, deinde timebat, ne si uocationi Christi,rebus in familia sua adhuc incõpositis,obsequeret, familiam suã maximis periculis obiiceret.Maluit igit negligere uocationem Christi,q̃ familiã.Postremo persuadebat sibi,ꝙ posset simul utrisq;,tam familiæ q̃ uocatiõi Christi, satisfacere. Qui aũt sic affectus est,nunq̃ fideliter in uocatione Dei constat.Ait ergo Christus: Nemo mittens manũ suam ad aratrũ,& aspiciẽs retro ,aptus est regno Dei.In agricultura,qui aratrũ tenet,necesse habet, ut oculos suos recta præse dirigat. Nam si oculi passim uagentur,& retrospexerint,sulci minime recti impriment:ita is nunq̃ fœliciter seruiet regno Dei,hoc est,prædicando Euãgelio, qui subinde respicit ad familiam,ad cognatos,ad principes huius seculi,& ad pericula huius uitæ, qui timet,ne si uocationi prædicandi Euangelii seruiat,damnũ rerũ suarum patiat,quique cõfidit se ita industriũ esse,ut possit simul utrisq; officiis,sine alterius incõmodo,satisfacere. Etenim, ratio quidẽ familiæ & aliarũ reꝝ in hoc seculo habẽda est, dum hoc permiserit pietas,sed qui timore damni domestici,& periculorũ corporalium, uocationẽ prædicandi aut confitendi Euangelii aut negligit aut abiicit, næ is in multo maiora pericula & damna sese coniicit.Quod em̃ timet impius,autore Salomone,hoc accidit ei.Et iam non solũ bona corporalia,sed etiã cœlestia amittit.Metuite,inquit,magis illũ,qui potest & animã & corpus perdere in gehẽna.Ac licebit quidẽ simul & familiam,adde etiam magistratum ciuilem, si legitime obuenerit,administrare,& officio prædicandi Euangelii fungi,quamdiu alterum alteri non est impedimento.Sic enim utrunq; officium administrauit Mose,sic & Samuel,sic & multi sancti episcopi,qui simul & patresfamilias,& prædicatores Euangelii fuerunt

Vocationis cuiusq; grauiora præponẽda minutioribus.

Vocatio prædicandi Euangelij non negligenda propter rei familiaris studiũ.

fuerũt, de quibus Apostolus dicit: Qui suæ domui bene præsunt, qui liberos habẽt in subiectione cum omni reuerentia. Sed si res ita sese tulerit, ut aut uoceris ad Apostolatũ, hoc est, ad talem functionem Euangelii prædicandi, ut non in una tamũ ecclesia manendum, qualis est uocatio priuatorum ecclesiastarum aut episcoporũ, sed per orbem terræ percurrendũ sit, qualis fuit uocatio Apostolorum, & aliorum quorundam discipulorum, aut eiiciaris propter prædicationem & confessionem Euangelii è familia, patria, aut ecclesia tua in exilium, ibi tum audis: Nemo potest duobus dominis seruire. Non potestis simul & familiæ & Euangelio seruire. Aliò enim trahit administratio familiæ, aliò prædicatio Euangelii. Quare aut derelinquenda est familia, ut retineatur Christus, aut derelinquẽdus est Christus, ut retineatur familia. Sed qui derelicto Christo, retinet familiam, is nõ retinet eam, sed magis amittit eam. Nam ut Christus de anima seu uita hominis, ait: Qui inuenerit animam suam, uidelicet abnegatione Euangelii, perditurus est eam, ita & de familia dicendum est: Qui inuenerit familiam suam, nimirum abnegatione Euangelii, perditurus est eam. Cæterum, q̃ Christus ait: Nemo qui manu sua admota aratro, respexerit ἀ tergo, aptus est regno Dei, usurpant etiam hypocritæ ad comprobandã monasticam superstitionẽ, & docent ex hoc loco, monachos exiticios, quos nocãt, non posse salutem consequi, propterea quòd cum admouerint manus suas ad aratrum monasticæ professionis, respiciant ἀ tergo, & abiiciant monachatũ. At tu obserues, monasticam religionẽ, qualis multis annis in ecclesia regnauit, & quæ promittit sibi remissionem peccatorum & salutem propter merita operum suorum, nec esse, nec hoc loco dici, aratrum, quo diuinus ecclesiæ ager colitur, sed si ei rei uerum uocabulum imponere uolueris, uocanda potius est abominatio desolationis, & deuastatio ecclesiastici agri. Paulus enim dicit: Cum in uobis sint sectæ, nõne carnales estis, & secundũ hominem ambulatis? Etenim cum dicat aliquis, ego quidẽ sum Pauli, alter uero, ego Apollo, nonne carnales estis? Et aliàs: Quicunq; per legem iustificamini, ἀ gratia excidistis, hoc est, quicunq; speratis remissionem peccatorum propter merita operum, ἀ Christo defeciſtis. Aratrum autem, de quo Christus in præsentia loquitur, prædicatio est Euangelii de Christo. Nam, quòd hanc per aratrum intelligat, manifestum est ex eo, quòd hunc discipulum uocauerit ad prædicandum Euangelion. Neq; enim aliud quicq̃ est, quo ager dominicæ ecclesiæ coli possit, q̃ prædicatione Euangelii. Vnde & Paulus dicit, se plantasse, Apollo autem rigasse, sentiẽs se prædicatione Euangelii ecclesias coluisse. Quare, cũ monachi abiiciunt ex fide monasticas superstitiones, & sectantur Euangelion Christi, quod docet, salutem contingere nobis tantum propter Christum, per fidem, non respiciunt ἀ tergo, nec retrahunt manus ab aratro Christianæ ecclesiæ, sed recta eò respiciunt, quo respiciendum est, & abiiciunt putridum aratrum superstitionis, ac recipiunt integrum & perfectum aratrum ueræ & legitimæ religionis. Cum aũt & nos huic integro & perfecto aratro manus admouerimus, & Euangelion Domini nostri Iesu Christi, abiectis superstitionibus, agnoscamus, agite amicissimi, memores simus uxoris Loth, quæ è Zodoma fugiens, retrospexit, & mutata est in statuã salis, memores simus & huius discipuli, qui ἀ Christo reiicitur, quòd retrospexerit in familiam suam, & recta pergamus post aratrum Euangelii de Iesu Christo, ut in agro DOMINI laborantes, fructum perpetuæ salutis percipiamus, per eundẽ Iesum CHRISTVM DOMINVM nostrum, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto DEVS laudandus in secula Amen.

Monastica religio quid?

Euãgelij prædicatio aratrum, quo ecclesia colitur.

CAPVT DECIMVM

HOMILIA: XCII.



IN PRINCIPIO præcedentis capitis ſcriptum eſt, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtũ emiſiſſe duodecim legatos, quos Apoſtolos uocauit, in Galilæam, ut Euãgelion de regno Dei prædicarent, & miraculis confirmarent. Nunc autẽ, cum proficiſceretur è Galilæa in Iudæam, & animaduerteret ingens hominum deſideriũ audiẽdi Euãgelii, præter duodecim Apoſtolos, ſeligit ex omni diſcipulorum ſuorũ numero etiam alios ſeptuaginta, quos ad prædicandũ Euãgelion emittit. Audiamus igitur, quibus mandatis, quibus item prærogatiuis hi ſeptuaginta ad functionem Euangelii ablegentur. Poſthæc (inquit Lucas) deſignauit Dominus & alios ſeptuaginta, & miſit illos binos ante faciem ſuam, in omnem ciuitatem & locum, quo erat ipſe uenturus. Vt in eligendo Apoſtolorum numero, ita & in eligẽdo numero ſeptuaginta legatorum, obſeruat Chriſtus ſolennem gentis ſuæ morem. Inter Iudæos enim, ut duodenarius numerus, ita & ſeptuagenarius publicæ autoritati conſecratus eſt, idq; hinc adeo euenit, uel q̃ Iacob cũ ſeptuaginta animabus, ut ſcriptura loquitur, in Aegyptũ profectus eſt, uel q̃ ſeptuaginta ex oĩbus tribubus ſeniores electi ſunt qui unà cum Moſe Iſraeliticam remp. adminiſtrarent, quemadmodum in Numeris, capite undecimo ſcriptum eſt. Iam & hac re cõſulit Chriſtus autoritati legationis ſuæ, q̃ non emittat ſingulos ſolos, ſed binos & binos. Vnus enim uir, inquiũt, nullus uir, ſed iuxta legem, in ore duum aut trium ſtat omne teſtimonium. Addit etiam rationem, ob quam tot paria legatorum emittat. Dicebat enim illis: Meſſis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo Dominum meſsis, ut extrudat operarios in meſſem ſuam. Pauca uerba audis, ſed multa hic obſeruanda ueniunt. Primum, multitudo eorũ, qui deſyderant Euangelion, uenuſta admodum metaphora nomine meſsis exprimitur. Nam in agricultura, ſua ſunt tẽpora & progreſſus, donec fruges matureſcãt, & meſsis adueniat. Principio ager proſcinditur aratro, deinde ſeminatur, poſt ſemen in gramen erumpit, & in ariſtam excreſcit, ad extremum, fructus matureſcit, ſuccidĩtur, & in horreum conuehitur. Adeundẽmodum cultura dominici agri ſua habet tempora, ſuos progreſsus & incrementa. Initio Moſe proſcidit agrum Domini aratro legis. Deinde prophetæ ſeminauerunt. Poſt, tempore Ioannis Baptiſtæ, apparuerũt ariſtæ. Poſtremo cũ aduenĩſſet Chriſtus, & emiſiſſet Apoſtolos, aduenit & meſsis, & incepit triticum conuehi in horreũ Dei. De hac meſſe Chriſtus aliàs Apoſtolis ſuis concionatur: Attollite, inquiens, oculos ueſtros, & uidete regiõnes, quoniam albæ iam ſunt ad meſſem. Et qui metit, mercedem accipit, & congregat fructum in uitam æternam, ut & qui ſeminat, ſimul gaudeat, & qui metit. In hoc eñ eſt ſermo uerus, q̃ alius eſt qui ſeminat, alius qui metit. Ego miſi uos ad metendum, quod uos non laboraſtis. Alii laborauerũt, & uos in labores eorum introiiſtis. Huc facit etiam, quod Ioannes concionat: Ventilabrũ, inquiens, in manu Chriſti, & repurgabit aream ſuam, & cõgregabit triticũ ſuum in horreum, paleam autem exuret igni inextinguibili. Cum igitur tempus quo prædi

Septuagenarius numerus apud Iudæos.

Agri dominici cultura.

quo prædicatur Euangelion de Iesu Christo, tempus messis sit, uidendum erit, quæ sint frumenta illa, quæ conuehantur in horreum Dei. Frumenta igitur sunt, partim homines ipsi, qui per prædicationem Euangelii congregantur in horreum ecclesiæ Christi, partim ea sunt bona, quæ homines ex Euangelio per fidem colligunt. Ecquæ sunt illa? num tale triticum, aut hordeum, quo uenter pascitur? Talia certe frumenta quærebat scriba ille, ad quem dictum est: Vulpes foueas habent, & uolucres cœli nidos, filius autem hominis non habet ubi reclinet caput suum. Talia multi alii in Euangelio quærunt, qui cum admoneantur ad sectandum Euangelion de Christo, impudenter affirmant, se tale duntaxat Euangelion approbare, quo abundantia frumenti & uini paratur, & quo efficitur, ut omnia uili precio constent. Sed hi uicissim audiant, quod Paulus scribit: Escæ uentri destinatæ, & uenter escis. Deus autem hunc & illas abolebit. Et iterum: Regnum Dei non est cibus ac potus, sed iusticia, pax & gaudium in spiritu sancto. Frumenta igitur, quæ pii in messe Euangelii colligunt, spiritualia sunt, uidelicet, primum quidem, iusticia coram Deo & hominibus, quorum alterum fit per fidem propter Christum (Iustus enim ex fide sua uiuit,) alterum per obedientiam & fructus fidei, deinde, uita æterna & gaudium cœleste. Hæc sunt frumenta illa, quæ ex messe Euangelii colliguntur. Sed ut in messe corporali frumenta non sine magno sudore & labore in horrea congregantur. Noctu enim diuque uigilandum est, ardor solis interdiu ferendus est, manus callis obdurandæ sunt: ita dum frumenta spiritualia colligas, multa aduersa toleranda sunt. Quanto autem plus laboraueris, & quanto maiora aduersa tuleris, tanto plura frumẽta in horreum tuum conueches: Quare, cum nunc sit tempus messis nostræ, nec ociemur, nec stertamus, sed labores messis alacri animo capessamus. Qui congregat, inquit Salomon, in messe, filius sapiens est, qui autem stertit æstate, filius confusionis. Et: Vade ad formicam, o piger, & considera uiam, ac disce sapientiam, quæ cum non habeat ducem nec præceptorem, nec principem, parat in æstate cibum sibi, & congregat in messe, quod comedat. Sed ut redeamus ad propositum, obseruandum est deinceps, q̃ cum Christus dicit: Rogate Dominum messis, ut extrudat operarios suos in messem, haud obscure significet, concionatores Euangelii non decuti, ut aiunt, ab arboribus, sed necesse esse, ut è cœlo precibus impetrentur. Ergone, inquies, nullam dabimus operam literis, non erudiemus adolescentes in sacra scriptura, sed cum opus habebimus ecclesiasta, fundemus publicas preces, & mox de cœlo nobis mittet ecclesiastes? Sic quidem imperiti existimant, sed bonis longe aliud sentiendum est. Cum enim Christus iubet nos petere ecclesiastas seu concionatores Euangelii è cœlo, non reiicit, sed præintelligit humana nostra officia, quibus Ecclesiastæ parantur, & addit his preces, ut ea, quæ nos agimus, suum habeant incrementum. Est enim tum magistratus tum priuatorum parentum officium, ut quoquo modo possint, iuuentuti consulant, quo in literis erudiantur, & ad ministerium prædicandi Euangelii præparentur. Non existiment autem, se omnes officii sui numeros absoluisse, etiamsi iuuẽtus probe erudita fuerit, sed necesse habent preces addere, ut Dñs det incrementũ, & quos nos erudiuimus, ac in ministeriũ ecclesiasticũ uocauimus, eos spiritu suo illustret, quo Euãgelion syncériter annunciẽt, & ecclesiã Dñi fideliter administrẽt. Ego inquit Paulus, plãtaui, Apollo rigauit, sed Deus dedit incrementũ. Itaq; neq; qui plãtat est aliquid, neq; q rigat, sed q dat incrementũ, Deus. Ergo nec est plantandũ, nec rigandũ? Absit ut hoc sentiamus. Mox eñ sequit: Vnusquisq; suã mercedẽ accipiet, iuxta suũ laborẽ;

Frumẽta quæ in horreũ Dei cõuehantur.

Aduersa multa ferenda, anteq̃ fructum colligas.

Concionatores Euangelij à Deo impetrantur.

Scholarũ conseruatio pertinet ad curam magistratus & parentũ.

Etenim Dei ſumus cooperarii, Dei agricolatio, Dei ædificatio eſtis. Quare in uocandis miniſtris eccleſiæ, ita orandum eſt, ut interim nos noſtrum officium faciamus, & ita noſtrum officium faciendum eſt, ut interim etiam oremus, quo Deus incrementum & benedictionem ſuam ad laborem noſtrum conferat. Eſt et illud hoc loco obſeruandum, q̃ non ſimpliciter dicitur: Rogate Dominum meſsis, ut operarios emittat, ſed ut ἐκβάλῃ, hoc eſt, eiiciat, & extrudat. Nemo enim, qui intelligit grauitatem miniſterii prædicandi uerbi Dei, ſua ſponte illud ambit, ſed neceſſe habet diuino ſpiritu impelli, ac etiamnum cogi. In quas formas non uertebat ſeſe Moſe, quibus modis non tergiuerſabatur, donec magnis etiã miraculis impelleretur, ut capeſſeret uocationem prædicandi uerbi Dei coram Iſraelitis & Pharaone? Quid Ieremias? cum uocaretur ad prædicandum uerbum Dei: Ah Domine Deus, inquit, ecce neſcio loqui, quia puer ego ſum. Nec id mirum quidem eſt, q̃ qui ſint ſanæ mentis, detrectent officium prædicandi uerbi Dei. Dicit enim Dominus per Ezechielem: Si dicente me ad impium, morte morieris, non adnũciaueris ei, neq; locutus fueris, ut auertatur à uia ſua impia, & uiuat, ipſe impius in iniquitate ſua morietur, ſanguinem autem eius de manu tua requiram. Quanta uero pericula in hoc ſeculo habeat officium prædicandi Euangelii, nec Chriſtus ipſe diſsimulat, cum e
,, mititt legatos ſuos ad prædicandum Euangelion. Dicit enim: Ite, ecce ego mit
,, to uos, ſicut agnos inter lupos. Lupi ouibus natura infeſti ſunt, & oues aduerſus luporum ſæuiciam plane inermes ſunt. Cum ergo Chriſtus dicit: Ecce ego mitto uos, ſicut oues in medio luporũ, quid aliud eſt, q̃ ſi diceret, ego mitto uos prorſum inermes inter infeſtiſsmos & crudeliſsimos hoſtes? Quid autem pacis, quid tranquillitatis, quid ſalutis, inrer tales hoſtes ſperates? At hoc, inquis, non eſt uocare Apoſtolos, ſed deterrere potius, ne apoſtolatum ſuſcipiant. Fateor, ſatis durum uerbum eſt: Ego mitto uos, ſicut agnos inter lupos, ſed Apoſtolis & diſcipulis dictu neceſſarium fuit, & addit etiam Chriſtus ſatis magnificas promiſsiones, quibus fidem ipſorum conſeruet, & in uocatione Dei retineat. Nam prophetæ multa iucunda & præclara uaticinati ſunt de pace & fœlicitate regni Meſsiæ. Multiplicabitur, inquit Eſaias, imperium eius, & pacis non erit finis. Et iterum: Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit. Ac mox: Delectabitur infans ab ubere ſuper foramina aſpidis, & in cauerna reguli, qui ablactatus fuerit mittet manũ ſuam. Non nocebunt & non occident in uniuerſo monte ſancto meo. Cum igitur duodecim Apoſtoli & ſeptuaginta legati emitterentur à Chriſto, ut prædicarent, regnum Meſsiæ iam appropinquaſſe & adueniſſe, monentur de futuris afflictionibus ac perſecutionibus, ne ſomniarent regnũ Meſsiæ corporale, & ne exiſtimarent prophetas in iis locis, in quibus de regno Meſsiæ uaticinantur, loqui de externa pace ac trãquillitate huius ſeculi. Ac profecto hoc dictum Chriſti: Ego mitto uos ſicut oues in medio luporum, perſpicue docet & interpretatur, q̃ ubicunq; prophetæ regnum Chriſti deſcribunt, non ſit intelligendum, de externa maieſtate & fœlicitate in hoc ſeculo, ſed de ſpirituali & perpetua maieſtate, nunc quidem per Euangelion prædicata, in nouiſsimo autem die toti orbi ſenſibiliter manifeſtanda. Nam ſi regnũ Chriſti eſſet de hoc mundo, Chriſtus non emitteret Apoſtolos ſuos, ſicut oues inter lupos, ſed efficeret potius, ut maxima uenerationeab omnibus hominibus exciperẽtur, & reuerendiſsime, ut ſummi regis legati, tractarentur. Nunc autem obiicit eos maximis periculis: Tradent, inquit, uos in concilia, & in conciliabulis ſuis flagris cædent uos, quin & ad principes ac reges ducemini propter me, in teſtimonium ipſis ac gentibus.

Miniſterij prædicandi uerbi Dei grauitas,

Pax & fœlicitas regni Meſsiæ,

Prophetarũ ſcripta de regno Meſsiæ non ſunt de corporali maieſtate intelligenda.

ac gentibus. Et aliàs: Venit tempus, ut quisquis interficiat uos, uideatur cultũ præstare Deo. Quare, ut regnum Christi non est de hoc mundo, ita nec prophetæ, de regno Christi scribentes, intelligendi sunt de corporali huius seculi maiestate & felicitate. Cæterũ, quod Christus A postolis concionatur, idem etiam cõcionatur omnibus priuatis hominibus, uerbo A postolorum credentibus. Mittuntur enim & hi pro sua uocatione, sicut agni inter lupos. Nam & ipsi necesse habent per multas afflictiones ingredi in regnum Dei. Quòd si uero tam A postoli, q̃ discipuli eorum emittuntur, uelut oues inter lupos, quantum ergo peccant, qui prætextu A postolatus aut Euangelii, non uelut oues inter lupos, sed uelut lupi inter oues uersantur? quoꝝ alii impia doctrina & crudeli tyrannide oues diripiunt, alii simplices quosq̃ prætextu Euangelii mutuum postulando, expilant. Deinde prædicit Christus legatis suis, se mitrere ipsos, uelut oues inter lupos, ut hac occasione moneat eos, quo sibi prudenter caueant ab impiis, & ut promissis animos eorum aduersus futura peri cula confirmet. In Matthæo enim, postq̃ dixit: Mitto uos sicut oues in medio luporum, mox addit: Estote ergo prudentes ucluti serpentes, & simplices sicut columbæ. Aiunt serpentes capiti suo prudenter cauere, ac totum corpus ictibus obiicere, tantum ut caput saluum retineant. Est & hoc prudentiæ, q̃ cum homines natura dissideant cum serpentibus, diligenter cauent serpentes, ne cicurentur, & ne cum hominibus domesticum contubernium agant. Intelligunt enim natura, sibi inter homines plane nihil salutis relictum esse. Hanc prudentiam iubet Christus A postolos suos imitari, ut quæuis pericula subeant, ut caput, quod est Christus, saluum cõseruent, & quia sciunt in impiis naturale esse odium aduersus uerbum Dei, nunquã ita cicurentur, ut contrahant familiaritatem cum impiis, nec aliter sibi ab ipsis caueant, quàm serpentes ab hominibus, & à uoce incantantium sapienter, quemadmodum psalmus loquitur. Attamen ne A postoli existimarent, hoc dicto concedi sibi potestatem negligendi suam uocationem, aut acuendi linguas suas, uelut serpentes in aduersarios, statim addit Christus: Et simplices sicut columbæ. Serunt quidam, columbas tantæ esse simplicitatis, ut imperiosos mares, subinde etiam iniquos, patientissime ferant, nec relinquãt domũ suã, nisi aut cœlibes aut uiduæ. Ad hãc igit simplicitatẽ uocat Christus A postolos suos, ut etsi multis malis afficiantur ab aduersariis, non tamen derelinquant suam uocationem, nec referant mala, sed ita sibi caueant ab impiis, & ut nihilominus officium legationis iuste perficiant. Cæterum, quo constantius A postoli pericula perferant, & in uocatiõe Dei perdurent, adiicit Christus magnas promissiones: Cum tradiderint uos, inquiens, ne sitis solliciti, quomodo, aut quid loquamini. Dabitur enim uobis in illa hora, quid loquamini. Et iterum: Ne metuatis uobis ab his, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Nonne duo passerculi minuto asse ueneunt? & unus ex illis non cadet in terram sine patre uestro. Vestri uero etiam pili capitis numerati sunt. Ne metuatis igitur, uos pluris estis q̃ multi passerculi. Habes Christum discipulos suos non exponere tantum periculis, uerumetiam munire promissionibus, & seruare. Videamus nunc quæ mandata ipsis in legatione obseruanda proponat: Nolite portare sacculum, neque peram, nec calceamenta. Idem plane mandatum fuit duodecim A postolis, quemadmodum antea capite nono expositum. Aut enim simpliciter in hac prima tantum legatione uetat Christus sacculum portare & perã, ut manifesto legationis apparatu significetur, regnũ suum non esse de hoc mundo. Alioqui cũ necesse habuisset legatis suis multã pecuniæ uim administrare,

Serpentũ prudentia Apostolis proponitur.

Columbarum simplicitas Apostolis imitanda.

“
“

& precioſis tunicis,& calceamentis ornare. Ut uetat tantum ſollicitudinem,ſignificans ſe quidē pauperiorē eſſe q̄ ut poſsit eos pro more huius ſeculi, multo auro, aut precioſis ueſtibus ornare, daturū tamen operam, ut etſi nec ſacculum,nec peram,nec calceamenta habeant,nihil tamen ipſis defuturū ſit: Primū,inquiens,quæ rite regnū Dei,& iuſticiam eius,& hæc omnia adiicientur uobis. Sed cū hæc ſupra
» explicuerimus,perſtringemus nunc alia mandata, quæ ſequūtur: Neminē per
» uiam ſalutaueritis. Quod hoc loco præcipitur ſeptuaginta diſcipulis, hoc idē præcipit propheta Eliza ſeruo ſuo, quemadmodum ſcriptum eſt in quarto libro Regū,capite quarto:Si occurrerit,inquiens,tibi homo,non ſalutes eum,& ſi ſaluta uerit te quiſpiā,non reſpōdeas illi. Sed quid hoc,inquies,mandati eſt? prohibetur ne per ſe amica ſalutatio,quæ eſt opus charitatis? Nihil minus. Nā ſi ſalutatio per ſe prohiberetur,non ſtatim iuberet Chriſtus familiā ſalutare,& dicere,pax huic domui:ſed hoc mandato prohibit ignauia & negligentia in cōficienda legatione. Neminem,inquit,ſalutaueritis per uiā,hoc eſt: Nolo ut diuertatis in itinere ad amicos ueſtros,& prætextu ſalutatiōis negligatis uocationē ueſtram, ſed uolo, ut recta ire pergatis,ad conficiendam legationē. Etſi uel in itinere occurrerit uobis quiſpiam, qui ſalutatiōe & colloquio ſuo uos detinuerit,& à uocatione ueſtra uos impedierit, uolo ſtatim ſurda aure tranſeatis, ac ne ſalutetis quidē. Non dico ipſam per ſe ſalutationem eſſe impiā,ſed ipſa uocationis negligētia, quantumcunq; honeſtū prætextum habeat,impia eſt. Generale præceptū,non ſolum Apoſtolis, ſed omnibus aliis obſeruandum,uidelicet,ut minutiora legis ac uocatiōis noſtræ non omittamus quidem pro ſua opportunitate,ſed ante omnia faciamus ea, quæ ſunt grauiora. Hæc.n. inquit Chriſtus,oportet facere,& illa non omittere. Ac ſi minutiora impedimento fuerint grauioribus,profecto multo iuſtius eſt, ut minutiora cedant grauioribus q̄ grauiora minutioribus. Sed ſi quis omnino cōtendat, in hoc præcepto ἅπαξ τὸν obſeruandum eſſe, explicari ita debet, ut habeatur ratio perſonalium & generalium præceptorum. Nam perſonalia,quæ ad tempus dantur,& perſonam non transgrediuntur,nec in exemplum trahuntur, derogant generalibus mandatis, Eſt autem generale mandatum,ut alter alterum amice ſalutet,& ut hoc faciamus, charitas ipſa exigit. Nunc uero datur ſeptuaginta legatis perſonale mandatum,ne quēquam per uiam ſalutent. Quare neceſſe habuerunt huic mandato in hac legatione obedire,ut uocationi Chriſti ex omni parte probe ſatisfacerent. Habes quid agendum ſit legatis in itinere,audiamus nunc, quid in urbibus ac domibus, ad quas ingredi
» unſ,agendum ſit. In quācunque domum intraueritis,primum dicite: pax huic
» domui. Et ſi ibi fuerit filius pacis,requieſcet ſuper illum pax ueſtra. Sin minus, ad
» uos reuertetur. In eadem autem domo manete,edentes & bibentes,quæ apud illos
» ſunt. Dignus eſt.n.operarius mercede ſua. Nolite tranſire de domo in domum. Et
» in quamcunque ciuitatem intraueritis & ſuſceperint uos, manducate quæ appo
» nuntur uobis. Tria hic præcipiuntur, primum,de ſalutanda familia, ad quam diuertitur. Secundum,de non mutandis hoſpiciis in eadem urbe. Tercium,de non accuſandis,faſtidiendis aut reiiciendis cibis,qui apponuntur. Quod igitur de ſalutanda familia præcipitur, ante omnia ſignificat, quod in ſuperiori mandato amica ſalutatio non ſit prohibita, quia per ſe ſit impia, alioqui.n. cur in hoc mandaretur,ſed quia potuiſſet impedimento eſſe neceſſariæ legationi. Hanc.n. negligere magna eſſet ignauia & inobedientia. Deinde non eſt exiſtimandum, quòd cum Chriſtus iubeat legatos ſuos dicere: pax huic domui, alligauerit eos ſimpliciter ad pronunci

Vocationis cuiusq; grauiora præponēda minutioribus.

Salutatio amica nō eſt prohibita.

pronunciandas has literas & syllabas in salutatione sua, quemadmodum quidam inepti homines sunt, qui somniant, nullam salutationem Christianam esse, nisi his uerbis diserte constet: pax uobis, aut, pax huic domui, quandoquidem angelus multo aliis uerbis salutauerit Gideonem dicens: DOMINVS tecum, uirorum fortissime, & Gabriel archangelus Mariam salutauerit: Aue, dicens, gratiosa. Sed CHRISTVS docuit hoc præcepto, ut in salutandis hominibus, non nouam quandam & insolitam ac hypercriticam salutandi formam, ad ostentationem excogitatam, usurpent, sed obseruent publicum regionis morem. Fuit autem publicus Iudæorum mos, in salutatione pacem optare, quemadmodum scriptura in multis locis indicat. Pax. n. Hebræa proprietate significat salutem, tranquillitatem, sanitatem, fœlicitatem, & omne bonum. Quare cum CHRISTVS iubet legatos suos dicere: pax huic domui, iubet eos seruare publicam salutandi formam, & intelligit his uerbis, optandam esse omnem salutem & fœlicitatem, quibuscunque id uerbis, modo usitatis & probe intellectis, fiat. Adhæc, cum CHRISTVS addit: Si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax uestra, manifeste significat, amicam salutationem, qua proximus proximum impertit, non esse uerbum euanidum, sed nuncium cœleste ac diuinum, & si excipiatur fide, uehementer efficax. Nam ut CHRISTVS iussit legatos suos salutare familiam, ad quam diuertunt, ita iussit unumquenque proximum suum, etiam inimicum salutare, ac ipsi bene precari. Nam cum lex dicit: diliges proximum tuum sicut teipsum, præcipitur etiam opus illud dilectionis, quod est, salutare. Non autem præcepisset DEVS hoc opus, nisi uellet per ipsum esse efficax. Neque. n. angelos ordinauit, ut externa uoce nos alloquantur, sed consecrauit præcepto suo, quo iussit, ut nos inuicem salutemus in DOMINO, uoces hominum in cœlestia oracula, ut salutationem proximi non aliter, quàm diuinum nuncium de cœlo missum excipiamus. Si fuerit, inquit CHRISTVS, filius pacis, requiescet super illum pax uestra. Quis autem est filius pacis, nisi qui ex fide nuncium pacis excipit? Et qui sic pacis optionem excipit, is etiam consequetur ipsam rem pacis, hoc est, fœlicitatis. Quare & diligenter nos inuicem salutemus, & fideliter salutationem proximi excipiamus. Postremo, quod amplius in hoc mandato additur: Sin minus, ad uos reuertetur, etiam ipsum alta mente reponendum est. Hac. n. uoce perspicue docemur, uocationi DEI obsequi, nũquàm esse frustra laborare. Vt. n. salutatio legatorum CHRISTI non est frustranea, etiamsi non excipiatur ab alio per fidem: Ad uos, inquit, reuertetur, ita nullus labor, & nulla opera frustranea sunt, si ex uocatione DEI suscipiantur. Etsi. n. nullum uideas externum suscepti laboris successum aut fructum, tamen hic coram DEO uel maximus omnium fructus est, obedire uocationi Dei, & per obedientiam in fide placere DEO. Magistratus, exempli gratia, condit bonas leges, & seueriter eas administrat, attamen uidet nec tranquillitatem, nec honestatem in populo suo sequi. Quid ergo? num dicendus est frustra laborare, & cessandum est ab officio? minime omnium. Et si. n. non uidet fructum coram hominibus, habet tamen fructum suum coram Deo. Ecclesiastes docet diligenter uerbum Dei, non uidet tamen ullam in populo suo resipiscentiã, ergo ne abiiciet ministeriũ suum? Absit. Si. n. impius (inquit Ezechiel) non fuerit cõuersus ab impietate sua, & tu adnunciaueris ei, ipse quidem in impietate sua morietur, tu autem liberasti animã tuam. An nõ liberare animã suã, magnus fructus & magnus ministerii successus est?

Pax Hebræis quid significet,

Salutatio dimica non est euanida.

Filius pacis quis.

Labor nullus irritus, qui ex uocatiõe Dei suscipiatur.

Paterfamilias erudit liberos suos in timore & correptione Domini diligentissime, attamen maior liberorum pars ab omni pietate degenerat, dicemus ergo patrefamilias frustra laborare? Nequaquàm, sed audit potius per prophetam: Pater non portabit iniquitatem filii: Vita uiuet, ait Dominus Deus. Quare laboremus, sudemus, algeamus in sua quisq; uocatione, ut si nullum fructum in hoc seculo coram hominibus assequamur, habeamus tamen fructum laboris nostri repositum apud Dominum Deum patrem nostrum, qui est in cœlis. Sequitur aliud mandatum, de non mutandis hospitiis in eadem urbe, quod quoniam supra cap. nono explicuimus, non est necessarium, ut nunc repetamus. Perstringemus igitur illud mandatum, quod de non reiiciendis cibis additur. In eadem, inquit, domo manete, edentes & bibentes quæ apud illos sunt. Dignus est enim operarius mercede sua. Et mox: In quamcunque ciuitatem intraueritis, & susceperint uos, manducate quæ apponuntur uobis. Hoc mandato primum docet Christus legatos suos ciuilitatem morum in alienis conuiuiis. Nam quod dicit, edentes & bibentes, quæ apud illos sunt, &, manducate quæ apponuntur uobis, iubet illos boni consulere, & grato animo excipere, quicquid, quantumuis uile edendum proponatur. Est enim hominis inciuilis, & ingrati ac morosi animi argumentum, cibum & potum ab amico hospite appositum fastidire, reprehendere, & aut minus salsum, aut minus unctum, aut alio qui non probe coctum & sapidum arguere. Quare, cum Christus præcipiat legatis suis, ut edant quæ apponuntur, exigit ab ipsis, ut obseruent ciuilitatem morum in mensa, & cibum, quantumcunq; frugalem, grato animo accipiant. Deinde consolatur etiam ipsos hoc dicto, q; etiamsi emittat eos sine commeatu, non tamen sint inedia morituri. Edentes, inquit, & bibentes, quæ apud illos sunt, hoc est: Nolite de cibo & potu solliciti esse. Erunt, qui uobis satis ciborum apponant, & uos ea quæ apponuntur bona conscientia edere potestis. Dignus est enim operarius mercede sua. Duplex consolatio: Operarii estis. Habebitis igitur mercedem. Digni estis mercede. Potestis igitur bona conscientia cibum uobis appositum sumere. Habes nunc mandata, quibus Christus emittit septuaginta legatos. Sed quis, inquies, huius legationis status est? aut ad quod negocium conficiendum hi legati emittunt? num emittuntur tantum, ut neminem per uiam, sed tantum in domo salutent, & edant ac bibant quæ apponuntur? Nihil minus, sed idem est status huius legationis, qui fuit & duodecim Apostolorum. Emittuntur enim præcipue ob hanc causam, ut adnuncient Euangelion de regno Dei, & confirment miraculis. Vnde sequitur:

» Curate infirmos, qui in illa ciuitate sunt, & dicite illis: Appropinquauit in uos regnum Dei.

Hæc est summa legationis: Dicite, regnum Dei appropinquasse, prædicate regnum Messiæ iam aduenisse, & præsto adesse. Et ut uerbis uestris fidem faciatis, tribuo uobis admirabile donum curandorum infirmorum, & eiiciendorum dæmonum. Sed quoniam hæc paulo ante, in legatione duodecim Apostolorum, copiose, quantum satis est, explicuimus, superuacaneum fuerit, nunc plura de his dicere. Quæ autem est utilitas, adnunciare, q; regnum Messiæ aduenerit? num ut sciamus tantum? Sed idem nouit & Satan, nullam tamen salutem consequitur. Prodest igitur, & necessarium est, hoc adnunciare, ut admoneamur ad pœnitentiam, ut per pœnitentiam bona regni Messiæ consequamur. Pœnitentiam, inquit Christus, agite, appropinquauit enim regnum cælorum. Cum igitur hoc Euangelion, aduenisse uidelicet regnum Messiæ, per Apostolos inchoatum, miraculis cõfirmatum, & in totum orbem uulgatum sit, & hactenus ita durauerit, ut portæ inferi non præualuerint aduersus ipsum, ac duraturæ sit usq; ad nouissimũ diem huius seculi, quo re

Ciuilitas morum in alienis conuiuijs.

Regni Messiæ aduentus prædicatio quam utilitatem adferat.

quo reipsa conspiciemus Iesum Christum regnare: agite amicissimi, capessamus hoc Euangelion per fidem, & resipiscamus, ut cum Christus Dominus noster de cœlo in maiestate sua reueletur, perpetuo cum ipso regnemus, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus laudandus in secula Amen.

HOMILIA XCIII.

QVid septuaginta legatis agẽdum sit in iis ciuitatibus, in quibus suscipiũtur, antea exposuimus. Exponamus nunc, quid agendum sit in iis ciuitatibus, in quibus non suscipiuntur. Quod igitur Christus supra duodecim Apostolis mandauit, hoc idem mandat nunc septuaginta legatis, dicens: In quamcunq; autem ciuita tẽ intraueritis, & nõ susceperint uos, hoc est, non crediderint Euangelio uestro, nec ad prædicationem uestram resipuerint, quid agendum? num ignis è cœlo deuocandus, & iniiciendus, ut pereant? Sed filius hominis non uenit ut perdat, sed ut saluet homines. Num gladio grassandum? at non licet sine legitima ordinatione, prætextu tantum Euangelii, gladio uti. Num conuiciandũ & maledicendũ? Sed lex iubet deuentibus etiam bene precari. Quid ergo agendũ? Exeũtes, inquit, in plateas eius, dicite: Etiam puluerẽ, qui adhæsit nobis de ciuitate uestra, extergimus in uos, tamẽ hoc scitote, q̃ appropinquauit in uos regnũ Dei. Hoc mandatũ Apostolis dicu necessariũ fuit. Apostoli.n. in ea fuerunt opiniõe, q̃ existimauerint regnũ Christi ita corporale fore, ut credentes & obedientes sensibilẽ in hoc seculo fœlicitatẽ perciperẽt: increduli aũt & inobediẽtes repẽtina adeoq; horribili in hoc seculo pœna afficerenẽ. Igiẽ Christus, ut aliàs sæpe, ita & nũc auocat Apostolos ab hac opiniõe, & iubet ipsos incredulis & inobediẽtibus non aliud externũ suppliciũ inferre, q̃ extergere in ipsos puluerẽ. Cæterũ, q̃d sit extergere puluerẽ in incredulos, supra explicuimus. Nunc hoc tantũ adiiciemus, q̃ Christus hoc mãdato nõ tantũ Apostolis, uerumetiã oĩbus Apostolicũ uerbũ, hoc est, Euangelion prædicãtibus, formã agẽdi erga incredulos præscripserit. Ac hi quidẽ non necesse habẽt his temporibus puluerem extrinsecus in impœnitentes excutere, hic.n. mos iamdudũ abrogatus est, necesse aũt habẽt uim ac uirtutẽ huius mandati sectari. Excutere eñ puluerẽ in impœnitentes, significat publico argumẽto testari, uel q̃ Deus excusserit impœnitentes & clementia sua, uel q̃ omnis culpa perditionis in impœnitentes reiiciatur. Ergo qui prædicãt Euãgelion, nõ grassenẽ gladio, p̃textu Euãgelii, in impœnitẽtes, nõ petãt eos uirulẽtis cõuiciis, nõ deuoueãt ipsos diris, pro carnaliũ hoĩm insania, sed excutiãt in eos puluerẽ, & dicãt: Hoc tamẽ scitote, q̃ appropinquauit in uos regnũ Dei, hoc est, pergãt in uocatiõe sua, quæ est, Euãgelion regni Dei prædicare, & ostẽdãt impœnitẽtibus, q̃ sua ipsorũ culpa pereãt, propterea q̃ cũ reuelatũ sit ipsis Euãgelion, & oblata sint ipsis per Euãgelion oĩa cœlestia bona, nõ tamẽ resipiscãt. Dicit quidẽ Paulus: Peccãtes corã oĩbus argue. Sed addit: Obtestor te in cõspectu Dei & Dñi Iesu Christi, & electorũ angelorũ, ut hæc serues sine p̃cipitatiõe iudicii, nihil faciẽs iuxta p̃pensionẽ animi. Et aliàs: Insta, inquit, opportune, importune, argue, increpa, exhortare, sed addit, cũ omni lenitate & doctrina. Et in episcopo requirit, ut nõ sit percussor. Ac seruũ, inqt, Dñi nõ oportet pugnare, sed placidũ esse erga oẽs, p̃pẽsum ad docẽdũ, tolerantẽ malos cũ mãsuetudine, erudientẽ eos, q̃ obsistũt. Nã si Dñs Deus noster habet ignẽ & sulphur, grandinẽ & fulmina, Satanã & infernũ,

Erga incredulos quomodo agendum.

quæ potest statim post designatũ peccatum impœnitentibus inferre, non tamẽ inferret, sed insuper etiam solẽ & pluuiam suam mittit super agros ipsorum, quis est ecclesiastes, qui mox in impœnitentes gladium, qui ad magistratũ ciuilem pertinet, stringeret, aut cõtumelijs conuiciis tumultuaretꝰ An discipulus est supra præceptorem? an seruus melior est domino suo? non certe, sed sufficit discipulo, ut sit sicut præceptor ipsius, & ut seruus sit sicut dominus ipsius. Cum igit̃ Christus mandat Apostolis, ut excutiant puluerẽ in impœnitentes, non exigit ab ecclesiastis, ut aut insanis cõuiciis, & tumultuoso clamore in impœnitẽtes debacchẽtur, aut ab officio suo cessent, sed exigit potius, ut in uocatione sua pergant, & ostendant impijs suũ ipsorum exitiũ, cum omni, qua possunt, mansuetudine, si quando det illis Deus pœnitentiã ad agnoscendam ueritatẽ, & resipiscant è laqueo diaboli. Quid ergo fiet, si omnino non resipiscãt, cum omni etiam mansuetudine eruditi & admoniti? an ne sic quidẽ externo supplicio afficiẽdi sunt? Magistratus quidẽ ciuilis uocatiõi suæ seruiat, & puniat eos, qui legitime puniendi sunt. Præterea, quibus legitime demandata est administratio publicæ excõmunicationis, hi excõmunicent quos debent. Ecclesiastes aũt priuatus, cui nec administratio gladii corporalis, nec administratio publicæ excõmunicationis cõmendata est, admoneat quidem unũquenq; suæ uocationis, & ostendat peccatũ esse peccatũ, sed quod ad se attinet, relinquat peccatores & impœnitentes iudicio Dei puniẽdos. Quid? nũ existimabis leue suppliciũ illoꝝ fore, qui per Apostolos & ecclesiastas iudicio Dei puniendi relinquuntur? Audi ergo quid sequat: Dico uobis, q̃ Zodomis in die illo remissius erit, q̃ illi ciuitati. Horribile dictũ, quod ut explicemus, principio obseruandũ est, q̃ hoc dicat non quiuis gregarius ac uanus homo, sed Iesus ipse Christus, qui est unigenitus filius Dei, per quẽ cœlum & terra condita sunt, qui est ipsa ueritas, in cuius ore nũquam inuentus est dolus. Quis ergo de ueritate huius dicti dubitaret? Deinde loquitur Christus non de quibusuis ciuitatibus aut hoibus impœnitẽtibus, sed de his hominibus, qui cum audiãt Euangelion de Christo, non tamẽ resipiscunt, sed manẽt impœnitẽtes. Postremo amplificat Christus impœnitentiã eorũ, qui ad prædicationẽ Euangelii non resipiscunt. Primũ quidem collatione cum Zodomitis, deinde etiã collatione cũ impijs idololatris. Zodomis, inquit, remissius erit in die illa, q̃ illi ciuitati. Si Zodomitæ minorẽ pœnam sustinebunt in die diuini iudicij, q̃ qui ad prædicationẽ Euangelii non resipiscunt, manifestũ est, minus etiam peccasse. Videamus ergo quæ sint peccata Zodomitarum, ut ex his cognoscere queamus magnitudinẽ huius peccati, quod designant hi, qui ad prædicationẽ Euangelii impœnitẽtes manẽt. In Genesi capite decimo tercio de Zodomitis ita scribit: Homines Zodomitæ pessimi erant, & peccatores coram Dño nimis. Et postea capite decimo nono, obsidẽt Zodomitæ domũ Loth, & postulãt, o facinus horrẽdum, duos angelos ad stuprũ, ac uim faciunt Lotho, ut ipsum trucidẽt. In Ezechiele quoque capite decimo sexto ita scribit: Ecce hæc fuit iniquitas Zodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, abundantia, & ociũ ipsius ac filiarũ eius. Et manũ egeno & pauperi non porrigebant, & eleuatæ sunt, & fecerũt abominationes coram me, & abstulit eas, sicut uidisti. Colligamus nũc peccata Zodomæ in unũ fasciculũ, & habebis peccata stupẽda. Peccauerunt. n. Zodomitæ, crapula, ebrietate, superbia, fastu, contẽptu pauperũ, uiolẽtia, stupris cõtra naturã, quæ non est fas nominare, & tyrannide ac homicidijs. Quid his peccatis & sceleribus potest aut maius aut horribilius excogitari? Attamen, cũ Christus dicat, Zodomis remissius fore in die illa, q̃ iis, qui ad prædicationem Euangelii impœnitentes sunt, perspicue significat, hos lõge magis & atrocius

Impœnitentes num externo supplicio afficiendi

Zodomitarũ peccata.

& atrocius peccare, q̃ Zodomitæ peccauerunt. Quod ergo scelus superat impœnitentiã eorũ, qui audiũt Euãgelion, & nõ resipiscunt? Iam si nullũ quidẽ scelus, ne cogitari quidẽ potest maius impœnitẽtia, quid reliquũ est, q̃ ꝙ nullis etiã peccatoribus horribilius suppliciũ imminеat in die diuini iudicii, q̃ eiuscemodi impœnitẽtibus? Habes collationem scelerum Zodomitarum cum peccato eorum, qui audiũt quidem Euangelion, sed contemnunt Euangelion, & non resipiscunt. Audiamus nunc collationem huius peccati cum idololatria, sequitur. n. Væ tibi Corozain, uæ tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sidone factæ fuissent uirtutes, quæ factæ sunt in uobis, olim in cilicio & cinere sedentes, pœnituissent. Veruntamẽ Tyro & Sidoni remissius erit in iudicio, q̃ uobis: Et tu Capernaum usq; ad cœlum exaltata, usq; ad infernum demergeris. Quæ Lucas hoc loco scribit, eadem recitantur à Matthæo, capite undecimo. Sunt autem Corozain, Bethsaida & Capernaum, urbes Galilææ, in quibus Christus ipse prædicauit Euangelion, & multa ædidit miracula. Ac præsertim Capernaum fuit urbs Galilææ clarissima, primum quidem, quia erat publicum Galilææ emporium, deinde, quia Iesus illustrauit eam urbem multis & magnis miraculis suis, quemadmodum supra capite quarto scriptum est. Quanq̃ autem Euangelion in his urbibus diligentissime adnunciatum & stupendis miraculis confirmatum erat, ciues tamen earum admirabantur quidem, non autem resipiscebant. Iam Tyrus & Sidon urbes sunt maritimæ, in confinio Galilææ sitæ, in quibus non Iudæi, sed ethnici incircumcisi & idololatræ habitauerunt. Cum ergo Christus dicit, remissius fore in iudicio Dei Tyro & Sidoni, q̃ Corozain, Bethsaidæ, & Capernaum, nonne manifeste indicat, peccatum Tyri & Sidonis lõge minus esse, q̃ peccatum harum urbium? Tyrus autem & Sidon peccauerunt idololatria. Quod uero peccatum abominabilius est idololatria, quæ cum per se sit in conspectu Dei fœdissima, autor etiam est omnium atrocissimorum scelerum? Proinde cum contemptus Euangelii, & impœnitentia eorum, qui audiunt Euangelion, longe superet impietatem idololatriæ, quod potest maius & horribilius peccatum impœnitentia excogitari? Et cum nullum peccatum maius sit, sequitur etiam nullos peccatores grauius suppliciũ accepturos, q̃ contẽptores Euãgelii, & impœnitẽtes. Iam in aliis etiã rebus idololatræ tolerabilius peccãt, q̃ qui agnoscunt Euãgelion, & tamẽ contẽnunt illud. Nam idololatræ, etsi impietate peccẽt, tantæ tamen cõstantiæ in sua religione sunt, ut nõ facile mutẽt deos suos. Contẽptores aũt Euãgelii subinde aliã atq; aliã religionẽ agnoscũt. Nunc arridet ipsis Euangelion, mox arridet ipsis religio humanarũ traditionũ, nũc gẽtes etiã à religione cõmendant, nunc & Turcas non omnino in sua religiõe condẽnant, adeoque eã subinde religionẽ, quãuis alioqui impiã, probant, quã uidẽt in hoc seculo fœlicioré. De quibus Ieremias ait: Transite ad insulas Cithim & uidete, & in Kedar mittite, & considerate uehemẽter, si factũ est huiusmodi, si mutauit gẽs deos suos, & certe ipsi nõ sunt dii. Populus autẽ meus mutauit gloriã suã in idolũ. Et iterũ: Secundũ numerũ ciuitatũ tuarũ erãt dii tui Iuda. Ad hæc, idololatræ diligẽtissime obseruarũt respõsa augurũ suorũ, & negocia sua, iuxta illa accuratissime administrarũt, ueluti si augur nunciasset, pullos nõ exire cauea, abstinuerũt à negocio. Si cõtra nũciasset pullos exisse, & comedisse, magna animi alacritate capessebãt nogociũ, quod proposuerant. Quid aũt contẽptores uerbi Dei? Si quid ex uerbo Dei faciendũ docet, tãto contẽptu fastidiũt, perinde ac si anser quispiã sibilũ emisisset. Quid ergo fiet? Certe cum Christus & hoc loco dicat, Zodomis, Tyro & Sidoni tolerabilius fore in iudicio Dei, q̃ contẽptoribus Euangelii, & aliàs dicat: Viri Niniuitæ surgent in iudicio cũ

Impœnitẽtes ad prædicationem Euangelij atrocissimè peccant.

Impœnitẽtia auditorũ Euãgelij superat omnem impietatem idololatriæ.

generatione hac, & condemnabunt eam, q̃ ipsi resipuerint ad prædicationẽ Ionæ. Et regina Austri surget, & condemnabit generationẽ hanc, q̃ uenerit à finibus terræ ad audiendam sapientiam Salomonis, manifestum est, q̃ tam damnati q̃ fœlices exprobraturi sint in iudicio Dei contẽptoribus Euãgelii impœnitẽtiã suã, ac illi quidẽ dicẽt: O si tantũ beneficii nobis cõtigisset, ut saltẽ tres aut quatuor cõciones synceri Euangelii audiuissemus, non hic perpetuo igni arderemus: uos aũt, quibus quauis fere hora Euangelion inculcatũ est, non resipuistis. Optimo igitur iure non perpetuo tantũ, sed etiam longe crudelius aliis damnati estis. Hi aũt dicent: quid si nobis licuisset uel quartã saltẽ partem earũ concionum Euangelii audire, quas uos audiuistis, longe excellentioré gradum iam in cœlis teneremus, sed quia maluistis impœnitentiam uestram, q̃ Euangelion sectari, iuste iudicatũ est, ut multo grauius aliis affligamini. En hæc est exprobratio, qua tam damnati q̃ fœlices impœnitentiam contemptoꝝ Euangelii cõdemnabunt. Quare si quem nõ mouet ad resipiscẽtiam ipsa perpetua fœlicitas, moueat saltem eũ perpetua illa exprobratio, qua ab omnibus, tam damnatis quàm fœlicibus, sine intermissione obtũdetur, & condemnabitur. Sed ueniũt etiã alia in his uerbis Christi obseruãda. Nam cũ dicit: Remissius erit Zodomis in die illo, & remissius erit Tyro ac Sidoni in iudicio Dei, perspicue significat, q̃ pœna corporalis impioꝝ in hoc seculo, non sit expiatio peccatoꝝ suorum coram Deo, sed tantũ exemplum coram mundo, quo alii impii admoniti resipiscant. Nam quod ad eos impios, qui pereunt impœnitentes in corporalibus suppliciis huius seculi, pertinet, non liberantur à supplicio, quia moriuntur, sed per mortẽ in lõge grauius, adeoq; perpetuũ suppliciũ coniiciunt. Zodomitæ eñ perierũt in hoc seculo, sulphure & igni. Et Tyrus ac Sidõ suas habuerũt deuastatiões, sed hoc loco denũciat ipsis aliud suppliciũ in iudicio Dei, qd̃ suppliciũ, ut est grauissimũ, ita ꝑpetuo durabit. Qui ergo nõ timet supplicia huius seculi, q̃ sunt euanida, timeat saltem futura, eaque perpetua supplicia, ut resipiscat. Est & illud animaduertendum, quòd cum Christus dicat: Remissius erit Zodomis in illa die, quàm illi ciuitati. Et aliàs: Tolerabilius erit Tyro & Sidoni quàm uobis, haud obscure docet, q̃ sicut in regno cœlorum sui sunt beatorum gradus, ita & in condemnatione sua sit suppliciorum diuersitas. Tolerabilius. n. punientur, qui tolerabilius peccauerũt. Proinde si quis obstinatus impius, omnino malit infernum, quàm regnum cœlorum, parcat saltem uel hac in parte suæ saluti, ac tolerabilius peccet (siquidem plane peccare uult) ut & tolerabilius puniatur. Sed quid illud est, inquies, quod Christus dicit: Si in Tyro & Sidone factæ fuissent uirtutes, quæ factæ sunt in uobis, olim in cilicio & cinere sedentes, scelerum suorum pœnitentiam egissent? Ergo ne, culpa non est in Tyriis & Sidonibus, q̃ non resipuerint, sed in Domino Deo nostro, qui non reuelauit ipsis uerbum Dei, nec ædidit apud illos magnas uirtutes? Absit, ut impœnitentiæ culpam in Deum reiiciamus. Deus enim non uult iniquitatem, quomodo ergo uellet impœnitentiam? Et Deus præcepit pœnitentiam, quomodo ergo autor esset impœnitentiæ? Sed Christus loquitur hoc loco iuxta humanã coniecturam. Tantæ enim uirtutes æditæ fuerunt in Bethsaida, Corozain & Capernaum, ut pro humano iudicio uerisimile fuerit, q̃ impii etiam ac incircumcisi idololatræ pœnitentiam egissent, si tanta miracula uidissent. Quòd autem multi impii idololatræ nec audierint uerbum Dei, nec uiderint miracula Dei, nec consecuti sint salutem, non est imputandum Deo, sed impietati illorum, quippe q̃ in peccatis concepti & nati, indigni fuerint, quibus reuelaretur uerbum Dei, & contingeret salus. Et habet Deus in domo sua non uasa tantum misericordiæ, uerum etiam uasa

Beati & damnati exprobrabunt contemptoribus Euangelij impœnitentiã.

Pœna corporalis impiorũ non est expiatio peccatorũ

Suppliciorũ diuersitas in condemnatione.

Deus non est autor iniquitatis, aut impœnitentiæ.

etiam uasa iustissimæ iræ suæ. Quare sicut Deus ostendit in illis gratuitam suam misericordiã, ita & in his ostendit seueram suam iusticiam, qui est Deus in omnibus laudandus & adorandus, siue indignos clementer seruans, siue impios seueriter condẽnans. Atq; hæc quidem ita se habent. Videamus aũt nunc causam, propter quam hi, qui contemnunt Euangelion ab Apostolis Christi adnunciatum, & non resipiscunt, multo grauius puniant in iudicio Dei, q̃ Zodomitæ, & idololatræ. Sequitur enim: Qui uos audit, me audit, & qui uos spernit, me spernit. Qui aũt me spernit, spernit eũ, qui me misit. Memorabile dictum, quo Christus non solum explicat, qua causa contemptores Euangelii, ab Apostolis adnunciati, grauius Zodomitis puniantur, uerumetiam confecrat & confirmat uerba Apostolorum, in ipsissima uerba Dei. Nam qui contemnunt Euangelion, quod Apostoli Christi adnunciarunt, non contemnunt uerbũ hominũ, sed ipsum uerbum filii Dei, & patris eius, qui est in cœlis. Verbũ enim Apostolorũ non est hominis, sed Dei uerbum. Ergo cum Petrus, qui & ipse Apostolus fuit, dixit ad Christũ: Propicius sis tibi Domine, nequaq̃ erit tibi hoc, aut cum cœpit execrari & deierare in atrio Caiphæ, dicens: Non noui hoiem istum, sentiemus hæc esse uerba Dei? aut cum Ioannes & Iacobus peterent à Christo, ut alter ad dextram, alter ad siniſtram in regno eius sederent, affirmabimus ipsos uerbum Dei tunc locutos? Nihil minus. Nam Christus hoc loco, cum ait: Qui uos audit, me audit, non loquitur de quibusuis uerbis Apostolorum, sed de præscripto mandato legationis suæ. Erat autem mandatũ Apostolis, ut prædicarent, regnum Dei aduenisse, & postea mandat, ut eant in mundum uniuersum, ac prædicent Euangelion omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Qui uero non crediderit, condemnabitur. Porro, Euangelion est, q̃ Iesus sit uerus Messias, q̃ hic Messias satisfecerit pro peccatis hoim, q̃ placauerit irã Dei patris, q̃ uicerit mortẽ, q̃ consecutus sit per mortẽ sempiternũ regnũ, quòd reddiderit omnes, qui in ipsum credunt, filios Dei & cohæredes suos, & id genus multa alia. Hæc igitur prædicatio Euangelii regni Dei, quæ Apostolis demandata fuit, consecrata est à Christo, in uocem & uerbum Dei, ut quicunque audierit ex Apostolis Euangelion, & crediderit, audiat & credat uerbum Dei, quicunque autem spreuerit, spernat uerbum Dei. Neque solum hoc loco, uerumetiam multis aliis promissionibus & miraculis uerbum Apostolorum consecratum est in uerbum Dei. Apud Ioannem dicitur: Sicut misit me pater, ita & ego mitto uos. Accipite spiritum sanctum. Quorumcunque remiseritis peccata, remittuntur eis, quorũcunque retinueritis, erunt & in cœlo retenta. Quid hoc aliud est, quàm, uerba uestra sunt uerba Dei? Et ut hoc fortius confirmaretur, ornauit Christus Apostolos dono ædendorum miraculorum, ad hæc misit ipsis spititum sanctum, in die Pentecostes, & contulit eis admiranda dona. Præterea effudit per uerbum eorum spiritus sancti dona, in credẽtes, quemadmodum scriptum in Actis Apostolicis capite octauo, decimo, & aliis. Deinde misit angelos, qui iuberent audire uerbum Apostolorum. Sic iussit angelus Domini Philippum Euangelistam proficisci ad currum Eunuchi præfecti Candaces reginæ. Sic iussit angelus Domini Cornelium Centurionem uocare Petrum, ut audiret ab ipso uerba uitæ. Sic iussit angelus Domini Paulum proficisci in Macedoniam, & prædicare Euangelion. Quid? num angeli non poterant Euangelion prædicare? Poterant, sed uoluit Deus his miraculis & apparitionibus palàm testari & confirmare, quòd Euangelion Apostolorum sit ipsissimũ Euãgelion Dei. Excipiamus igitur hoc Euãgelion obuia fide, & ne angelo

Apostolorũ uerbum Dei uerbum.

Euangelij summa.

Apostolorũ uerbum consecratum in uerbũ Dei.

quidem, aliud nobis prædicanti, credamus, ut per fidem resipiscentes, perpetuam salutem consequamur, per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus laudandus in secula Amen.

HOMILIA XCIIII.



VA mentis attentione & alacritate accepistis mandata, quibus Christus septuaginta legatos suos ad prædicandũ Euangelion regni Dei emisit, eadem, obsecro, accipite reditum illorum à legatiõe sua. Reuersi sunt, inquit Lucas, septuaginta cum gaudio, dicentes: Dñe, etiam dæmonia subiiciuntur nobis in nomine tuo. Si gaudium horum septuaginta legatorum, ex his tantum uerbis ipsorũ æstimaueris, uidetur esse honestissimũ gaudium. Quis enim non gauderet de profectu Euangelii? quis non lætaretur de fœlici successu donorum Dei? At si exegeris illud ad ea uerba Christi, quæ mox sequunt, perspicue apparet, magis fuisse gaudium carnis q̃ spiritus. Nam cum septuaginta legati uiderent, donum ædendorũ miraculorum, quod Christus ipsis in hac legatione contulerat, tam prospere succedere, ut per nomen Christi non infirmitates tantũ, uerumetiam dæmonia fugarentur, existimant in hoc dono ueram & summam suã fœlicitatẽ sitam esse, ac sentiũt, sibi nihil amplius ad fœlicitatẽ decesse. Præterea, quia putant regnum Chtisti fore in hoc seculo corporale, putant eriam hoc dono satis sibi nunc uirium collatum esse, quibus totum orbem terrarum Christo obsequentẽ reddant. Si enim dæmones, quorum unus tantum aut alter potentior est omnibus corporalibus rebus, necesse habent nomini Christi obedire, quomodo homines, quamuis potentissimi, uindicabunt sese ab obedientia Christi? præsertim, cum de regno Christi scriptum sit: Gens & regnum, quod non seruierit tibi, peribit, & gentes solitudine uastabuntur. Hoc autem duplici nomine peccatũ est, primum, q̃ existiment donũ ædendorum miraculorum esse ueram fœlicitatem, deinde, q̃ sentiant regnum Christi externis uiribus administrandum, & orbem terrarum corporali potentia ab Apostolis in obsequiũ Christi cogendũ. Quare, cum dicunt, dæmonia etiã ipsis in nomine Christi subiici, gloriatio carnis est, non spiritus. Vnde etsi Christus miro gaudio afficiatur, adeoq̃ spiritu exultet propter fœlicem successum Euangelii, quemadmodũ postea sequitur, tamẽ grauissime reprehẽdit hãc carnalẽ gloriationẽ in legatis suis. Et ait illis: Videbã Satanã, sicut fulgur de cœlo cadentẽ. Ecce do uobis potestatem calcandi supra serpentes & scorpiões, & super omnẽ uirtutẽ inimici, & nihil uobis nocebit. Veruntamen in hoc nolite gaudere, q̃ spiritus uobis subiiciuntur. Gaudete autem quòd nomina uestra scripta sunt in cœlis. Videbam, inquit, Satanam, sicut fulgur de cœlo cadentem, hoc est, quod ad legationem uestram attinet, bene habet, scio rem fœliciter successisse. Nam interim, dum uos legatione fungeremini, uidi Satanam subito, in momento, de cœlo proturbari, quemadmodum fulgur emicat. Euangelion enim potẽtius est, quàm ut Satan possit coram ipso cõsistere. Et nunc est iudiciũ principis huius mũdi, & iã iudicatus est, ac uenit fortior eo q & uicit ipsum. Necesse igit̃ habuit sese subito è cœlo pripere. Quid ergo? inqes, nũ Satan hactenus in cœlo fuit usq; ad aduentũ Christi? Si cœlũ accipias p̃ cœlesti gaudio & fœlicitate, certe Satan, statim ut peccauit, è cœlo proturbatus est, & iã tũ è cœlo eiectus fuerat, quãdo decepit Euã per serpentẽ. Dicit enim Petrus: Deus angelis, qui peccauerãt, non pepercit, sed catenis noctis in tartarũ p̃cipitatos, tradidit seruatos in iudiciũ. Et Christus de Satana ait:

Discipulorũ carnale gaudium.

Satan ab initio è cœlo eiectus.

Ille homi-

Ille homicida erat ab initio, & in ueritate non stetit, quia non est ueritas in eo. Si autem Satan fuit ab initio homicida & mendax, certe ab initio etiam è cœlo eiectus est, quãdo nec mẽdaces nec homicidæ, hi uidelicet, qui manẽt impœnitẽtes, hæreditatẽ regni cœlestis habere possint. Ergo cũ Christus dicit: Videbã Satanã de cœlo cadentem, pro cœlo, intelligas spũale & inuisible seculũ, in quo & Deus cũ angelis suis, & Satan cum suis angelis uitã agũt. Nã sic de cœlo ac cœlestibus rebus etiã Paulus loquit̃, ad Ephesios: Lucta, inqens, nobis est, aduersus spũales astutias in cœlestibus. Quid illud, in cœlestibus, aliud est, q̃ in altero, inuisibili, & spũali mũdo? Satanã igit̃, hoc loco, de cœlo cadere, est de potẽtia & tyrãnide sua, quã habet inuisibilẽ, & spiritualẽ, deiici ac proturbari. Sed audiamus nunc, quomodo Christus rehẽdat gaudiũ & gloriationẽ legatorũ suorũ. Ecce, inqt, do uobis potestatẽ calcandi supra serpentes & scorpiones, & super omnem uirtutem inimici, & nihil uobis nocebit, hoc est, per nomen meum dæmonia eiicietis, serpentes tolletis, si quid letale liberitis, non nocebit uobis, breuiter, habebitis potestatem ædendi stupenda miracula. Veruntamen in hoc nolite gaudere, q̃ spiritus uobis subiiciuntur. Quid audio? an non est gaudendum de tanto dono Dei, è quo & Christus ipse, & Euãgelion eius illustrantur & confirmantur? Et si non est gaudendum de tam eximio & illustri dono ædendorũ miraculorum, non erit certe gaudendũ de minoribus & obscurioribus donis Dei? Non igitur gaudendum fuit Iosepho, è carcere liberato, & ad principatum Aegypti euecto? Non gaudendum fuit Iacobo, q̃ repererit Iosephum filiũ suum adhuc superstitem, & in Aegypto dominantẽ? Non gaudendum fuit Dauidi, superato & interempto Goliathe? Non gaudendum est de prospera fortuna uel nostra uel amicorum? Imo ne ipsi quidẽ Christo gaudendum, & spiritu exultandum fuit, q̃ pater reuelauerit Euangelion paruulis, quemadmodũ mox sequit̃? Quid ad hæc dicemus? at si rationem gaudii diserte excutiamus, nihil scrupuli in hoc loco relinquet̃. Christus non uetat in discipulis suis rectum & legitimum ac spiritualem usum gaudii, quod ex donis Dei concipit̃. Huius aũt gaudii legitimus usus est, si agnoscamus in donis Dei clementiam eius, & agamus Deo gratias, atq̃ utamur his ad gloriam nois Dei, & utilitatẽ proximi. Sic de donis Dei gaudere, non solum est honestum, uerumetiã opus spũs sancti. Vetat autẽ impium & illegitimum usum gaudii, uidelicet, si quis confidat donis Dei, tanq̃ ipso Deo, & ponat in ipsis summã suã fœlicitatẽ, ac usurpet ea ad licentiam carnis, aduersus Deum & pximum suum. Hoc illud est, quod Christus in gaudio legatorũ suorum damnat. Cum enĩ cõsecuti essent donum eiiciẽdorum dæmonum, putabant se iã ueram fœlicitatẽ cõsecutos. Christus igit̃ phibet eis, ne hoc dono ita gaudeant, perinde ac si iam omnem fœlicitatem nacti essent. Nam uera & summa fœlicitas in uno solo Deo cõsistit. Dona autẽ Dei non sunt ipse Deus. Quare is nondum habet ueram fœlicitatem, qui multa dona Dei habet. Adhæc, donũ ædendorũ miraculorum, & id genus alia dona contingere solent etiam impiis. In Matthæo dicũt multi: Dñe, Dñe, nonne per nomen tuum pphetauimus, & per nomen tuũ dæmonia eiecimus, & per nomen tuũ multas uirtutes præstitimus? sed audiunt: Nunq̃ noui uos. Discedite à me, qui operamini inquitatem. Sic prudentia, sic fortitudo, sic sanitas corporis, sic potẽtia, sic diuitiæ, sic regna, & innumera alia id genus dona, impiis plus q̃ piis in hoc seculo contingunt. Nulla auẽ est salus, nulla fœlicitas impiis. Quare, non fuit Apostolis ppter donũ ædendorũ miraculoꝝ ita gaudendũ, perinde ac si iam ueram salutem & fœlicitatẽ consecuti essent. Propter quid ergo, inquies, ita gaudendum est? Sequitur: Gaudete aũt, q̃ nomina uestra scripta sunt

Satanã de cœlo cadere, quid?

Gaudendũ an sit de donis Dei.

Gaudij de donis Dei legitimus usus.

Fœlicitas uera in solo Deo consistit.

Dona Dei etiã impijs contingunt.

in cœlis. Quid? num talis liber in cœlo est, in quo conscribuntur noīa ciuium cœlestium, qualē una quæq; ciuilis resp. habet, in quo terrestrium suorū ciuium nomina consignant? Nihil hic crassum & carnale imagineris. Liber eñ Dei in cœlo hic dicit, q̄ Deus placatus sit super peccatā hoim, per Iesum Christum, q̄ Deus remittat hoibus p̄tā sua, q̄ agnoscat hoies filios suos & hæredes bonorū suorum. Et in hunc librum cōscripta sunt hoia, non unius aut alterius tantū sancti, sed oim hoim, qui unq̄ aut fuerunt, aut sunt, aut erunt. Etsi eñ non oēs hoies consequant salutem, & hæreditatem cœlestiū bonorum, ꝓpter incredulitatē suam, tñ, quantū ad ipsum Deum patrem, & Christum filium eius attinet, certe Deus oibus, ꝓpter Christū placatus est, & uult oēs hoies saluos fieri, & Christus pro oim hoim peccatis efficaciter satisfecit. Erat inquit Ioannes, lux uera, quæ illuminat oēm hominē uenientem in hūc mundum. Et iterum: Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem, Iesum Christum iustū. Et ipse est propiciatio pro peccatis nostris, non pro nostris aūt tm̄ sed etiam pro totius mundi. Quid eñ, etiamsi quidā sunt increduli? num incredulitas illorum, inquit Paulus, fidem Dei faciet irritā? Absit. Imo sit Deus uerax, oīs aūt homo mendax. Et iterū: Si increduli sumus, ille fidelis manet, seipsum negare non potest. Non eñ Deus delet noīa hoim è libro suo, nec abiicit librum, q̄ multi hoies sint increduli, sed potius quia ipsi sunt increduli, abiiciunt ipsi, ut ita loquar, librum Dei, in quo nomen ipsorum cōscriptum est, & fugiunt, ne consequant ea bona, quæ conscriptis in libro Dei ꝓmissa sunt. Porro autem, habere Deum placatū, habere p̄tōꝝ remissionem, agnosci à Deo patre, ut filius, & ut hæres bonorum suorū, ea demum uera & summa est fœlicitas. Quid eñ eiusmodi homini deerit? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Quis intentabit crimina aduersus electos Dei? Deus est, qui iustificat. Quis ille, qui condemnet? Christus est, qui mortuus est, imo qui & resuscitatus est, qui est etiam ad dexterā Dei, qui & intercedit pro nobis. Quis separabit nos à dilectione Dei? quis efficiet, ut Deus nos nō diligat, & nomina nostra è libro suo deleat? num afflictio? num angustia? num persecutio? num fames? num nuditas? num periculum? num gladius? Certe hæc intātum non auertūt Deum ab ea dilectione, qua nos propter Christum cōplectitur, ut potius dilectionem eius accendant, & inflamment. Quare iubet Christus discipulos suos in hoc maxime oim gaudere, q̄ noīa ipsoꝝ scripta sunt in cœlis, hoc est, q̄ habeāt ꝓpter Christum placatum Deum, q̄ Deus remittat ipsis p̄tā, q̄ agnoscat ipsos filios & hæredes suos. Nam qui hæc non agnoscit, quid, obsecro, proderit ipsi habere dona aut dē dorum miraculorum, addo etiam omnes diuitias, omnem sapientiam, omnem sanitatem, omnem uoluptatem, omnem honorem, omnem maiestatem, & omnia regna huius seculi? Qui autem hæc agnoscit, quid oberit, etiamsi ne claudum quidem equum sanare poterit, & careat in uniuersum omnibus huius seculi bonis? Persuasum mihi habeo, inquit Paulus, q̄ neq; mors, neq; uita, neq; angeli, neq; principatus, neq; potestates, neq; instantia, neq; futura, neq; altitudo, neq; profunditas, neque ulla alia creatura poterit nos separare à dilectione Dei, ea nimirum, qua Deus nos diligit in Christo Iesu Domino nostro. Cæterum, cum Christus reprehendisset ꝓposterum gaudiū in legatis suis, uertit se ad agēdas gratias Deo patri suo, pro beneficio profectus Euangelici per abiectos homines. Sic enim sequitur: In ipsa hora exultauit in spiritu Iesus, & dixit: Confiteor tibi Domine pater cœli & terræ, q̄ abscōdisti hæc à sapientibus, & prudētibus, & reuelasti ea paruulis. Etiam pater, quoniā sic placuit ante te. Vt Christus in aduersis orat, ita nunc in prosperis exultat & agit Deo gratias pro beneficiis suis. Nam cū nō solū uerus Deus, sed etiam uerus ho-

Liber Dei in cœlo.

Increduli delent nomina sua è libro Dei.

Dilectio Dei erga nos, summa.

uerus homo sit, nihil humani, præter peccatũ, ab ipso alienum est. Homines autem exultant rebus prosperis, & si qui pii sunt, exultant in spiritu, nõ in carne, & agunt Deo gratias, pro beneficiis suis. Assumit igitur & Christus hunc humanũ affectum, & cõmendat nomen patris sui, ꝙ reuelauerit Euangeliõ suum abiectis hominibus, & ꝙ efficiat, ut Euangelion suum tanto profectu per ministerium abiectorũ hoim promoueat. Sed quid ? inquies: Exultat, confitet, laudat, cõmendat Deum, & gratias agit Deo, ꝙ absconderit Euangelion à sapientibus, & nullum fructũ Euangelii in orbe terrarum faciat per ministerium sapientium ? An non hæc res dolore potius & lachrymis, q̃ gaudio & exultatione digna est ? nonne & ipse Christus, cũ uideret ciuitatem Hierusalem, in qua erant sapientes & prudẽtes, fleuit super eam, ꝙ non agnoscerent tempus salutis ? cur ergo nunc exultando dicit: Laudo te, ꝙ absconderis hæc à sapientibus & prudẽtibus ? Non exultat Christus propter ignorãtiam sapientũ, sed utiẽ in hac locutione uulgari modo loquendi. Cum eñ quis ex horribili casu frangit crus aut brachiũ, solemus dicere, gaude ꝙ crus fregeris, & non toto corpore interieris. Hic nõ intelligimus, fractionẽ cruris nobis gaudio esse, sed significamus nos id demũ gaudere, ꝙ cũ tã horribilis casus minatus sit interitũ totiꝰ corporis, euaserit tñ, fracto dũtaxat crure. Eadẽ forma loquendi etiã Paulus utiẽ: Gratias, inquiens, ago Deo meo, quoniam fuistis serui peccati, obedistis aũt ex corde, in quã traditi estis formã doctrinæ. Non agit gratias ꝙ peccauerint, sed agit gratias, ꝙ cum magna pẽtã perpetrauerint, è peccatis liberati sint, & obedierint Euangelio. Sic & Christus hoc loco non gaudet de insciti a sapientũ, sed cum sapientes & prudentes huius seculi abiiciant, cõtemnant, & persequantur Euangelion, exultat & gaudet, ꝙ Deus pater, uel saltem abiectis & imprudentibus hominibus reuelauerit Euangelion, & elegerit ipsos, ut per ministerium ipsorũ Euangelion in toto orbe terrarum promoueat. Etiam pater, inquiens, quoniam sic placuit ante te, hoc est, quia uideo tibi placere, ut simplices & contẽpti hoies in hoc seculo Euangelion regni mei agnoscant, & orbi terrarũ administrent, ideo etiam mihi placet consiliũ tuũ, & gratias tibi pro paruulis istis, & contẽptis hominibus ago. Sed quæ est illa causa, propter quam placuit Deo patri, ut reuelaret potius Euangeliõ Christi sui νηπίοις, hoc est, stultis, insipientibus, & paruulis coram mundo, q̃ sapiẽtibus ? & quid est, ꝙ maluit Euangelion de Christo filio suo spargere in orbem terrarum, per abiectos, inglorios & imbecilles hoies, q̃ per celebres, glorioſos & potentes uiros ? Vide eñ mihi Apostolos & discipulos Christi, per quos prædicatũ est Euangelion, q̃ ingloria, q̃ impotens turba sit. Alii sunt piscatores, alii publicani, oẽs certe uiri fuerunt obscuri & ignobiles. Cur ergo per hos maluit pferre terminos regni Christi sui q̃ per nobiles, sapientes, & potentes ? Quanq̃ curiosum ac prophanũ sit, abscõdita Dei scrutari uelle, tñ ea, quæ uult Deus manifeste cognosci, in quorum numero, etiam id, de quo nunc tractamus, continetur, diligenter inuestigare, nõ solum pium est, uerumetiam necessarium. Primum igitur elegit Deus in Apostolos Euangelii, homines abiectos, ut ex ipsa Apostolorum persona perspicue significaret, regnum Christi non esse de hoc mundo. Potuisset quidem, uel uno uerbo, imo nutu omnes totius orbis terrarum monarchas mouere, ut statim Christum agnouissent, & in suo quisque regno Apostolatu Euangelii maxima maiestate functi essent, sed quis tunc non existimasset regnum Christi fore carnale, & fœlicitatẽ huius seculi, esse uerã illã fœlicitatẽ, in Christo promissam ? Quare ne uana carnaliũ hoim expectatio de regno Christi, & fœlicitate eius cõfirmaret, elegit Deus in Apostolos Euangelii, nõ principes huius seculi, nõ sapiẽtes corã mũdo, sed eos, qui in hoc seculo contempti & stulti iudicabant. Vnde etiam ordinauit, ut maior pars

Christus exultat in prosperis.

Christus non gaudet de ignorantia sapientum.

Deus cur Euangeliõ paruulis & insipientibus reuelauerit.

Apostolorum crudelia supplicia, explicant prophetas.

Apostolorũ turpi & ignominiosa morte periret, uidelicet omnibus modis cauẽs, ne regnum Christi iudicaretur esse de hoc seculo. Itaq; crudelia genera supplicio-rum, quibus Apostoli à tyrannis affecti sunt, explicant prophetas, ac sunt uelut cõ mentarius prophetarum, ut sciamus prophetas in iis locis, in quibus magnifica & fœliciſsima de regno Christi uaticinantur, non esse intelligendos carnaliter, iuxta maiestatem huius seculi, sed spiritualiter, iuxta eam maiestatem, quæ nunc quidem uerbo Euãgelii prædicatur, in futuro autem seculo reuelabitur. Deinde elegit De us abiectos & contemptos homines, in Apostolos Christi sui, hoc est, in clariſsimum il lud ministerium, quo nullũ unq̃ nec maius nec excellentius in orbe terrarum fuit, ut publico exemplo declararet, humiles & abiectos hominet maximæ sibi curæ es-se, neq; eos propterea à Deo abiici, q̃ abiiciantur à mundo, sed Deum tanto magis ipsos respicere, quãto contemptius à mundo tractantur. Postremo elegit imbecil les homines in Apostolos, & peregit in terris per ministerũ ipsorum negocium lon ge oĩm optimũ & diuiniſsimum, ut non gloriaret coram ipso ulla caro, quẽadmo dum Paulus ait. Cum igit̃ his causis placuerit Deo patri, ut reuelaret Euangelion̄ paruulis ac insipientibus, per quos manifestaret Christum toti orbi terrarũ, intan tum etiam hoc Dei consilium Christo filio eius placet, ut exultet in spiritu, & com-mendet nomen Dei, magna gratiarũ actione. Sinamus & nos amiciſsimi, ut consi lia Dei nobis placeant. Ac si quid nobis Deus præter uoluntatẽ nostram immittit, non murmuremus, non conuiciemur, sed cõmendemus nomen Dñi, & pergamus in uocatione Dei. Quid aũt ad hæc dicemus? Ergo sapientes & potentes non per tinent ad Euangelion Christi? Certe pertinent. Non eñ est personarum respectus apud Deum. Et Paulus ipse, fuit profecto uir sapientiſsimus. Adhæc Cornelius Cẽ turio, & Sergius Paulus proconsul, quorum fit mentio in Actis Apostolorum, ac multi alii crediderunt in Christum, qui fuerunt uiri in hoc seculo potentes, sed ita tum ad Euangelion pertinent, si & ipsi stulti & abiecti fiant. Si quis, inquit Paulus, uidetur sapiens esse inter uos, in seculo hoc stultus fiat, ut reddatur sapiens. Etenim sapientia mundi huius, stulticia est apud Deũ. Hoc aũt non est intelligendũ, ut quis non utatur dono sapiẽtiæ suæ in negociis suis, aut discedat extrinsecus à principa-tu suo. Necesse est eñ, ut unusquisq; suæ seruiat uocationi, omni, qua possit, sapien tia, diligentia, & potentia, sed exigit̃, ut nec sapiens nec potens suis donis confidãt, nec sperent se posse humana sapientia Euangelion adsequi, aut carnali potentia morti resistere, & uitã æternam cõsequi, sed agnoscant, omnẽ sapientiã & potenti am suã, quantũ quidẽ attinet ad cõsequenda bona cœlestia, solum esse Iesum Chri stum Dñm nostr̃. Sic eñ & ipse fructũ Euangelii percipient. Et hæc quidẽ est gra-tiarũ actio Christi erga Deũ patrem suũ. Cæterũ, quia ingenti gaudio accepit à le gatis suis, nomẽ suũ etiam eiectione dæmonũ illustrari, & Euangelion suũ per par-uulos & abiectos homines egregie promouere, aperit & ostendit se, quãtus quantus sit, ut oẽs paruuli, abiecti, & miseriis onusti homines discãt quid sibi de ipso polliceri, & ab ipso expectare debeant. Et ait: Oĩa mihi tradita sunt à patre meo. Et nemo scit, quis sit filius, nisi pater, & quis sit pater nisi filius, & cui uoluerit filius reuelare. Ob seruabile dictũ, cui etiã cõuenit illud, qd̃ apud Matthæũ capite ultimo dicit: Data est mihi oĩs potestas in cœlo & in terra. Et apud Ioannẽ: Pater nõ iudicat quenq̃, sed omne iudiciũ dedit filio, ut oẽs honorẽt filiũ, sicut honorãt patrẽ. Primũ ergo, cum Christus affirmat sibi omnia à patre suo tradita esse, haud obscure significat, se esse expressam imaginẽ substantiæ Dei, ac distinctam quidem à patre personam eiusdẽ aũt cum ipso essentiæ. Ergo sicut pater est æternus, ita & filius, sicut pater est omnipotens,

Abiectos & contemptos cur elegerit Deus in Apostolos Christi

Sapientes & potentes pertinẽt etiam ad Euangelion Christi.

Christus expressa imago substãtiæ Dei

omnipotens,ita & filius,ſicut pater eſt creator,ita & filius, breuiter,quicquid eſt pater,hocidem eſt & filius,quantũ quidẽ ad eſſentiam attinet. Et cũ euſdẽ ſint eſſentiæ,nec ulla ſit uel in cœlo uel in terra creatura,etiã inter ipſos angelos,quæ æqualis ſit cum patre & filio eſſentiæ, nulla etiã creatura eſt, quæ ſic poſsit cognoſcere, quis ſit pater,ut filius,aut quis ſit filius,ut pater. Quòd ſi uero cupias,uel aliquid laltem de patre cognoſcere,hoc certe per filiũ,cui omnia tradita ſunt, cognoſcendũ eſt. Quare filius audiendus eſt,& uerbis filii fides adhibenda eſt,ut pater uel aliquo tantũ modo cognoſcat. Deum,inquit Ioannes,nemo uidit unq̃,unigenitus filius, qui eſt in ſinu patris,ipſe enarrauit nobis. Deinde, cũ affirmat oia ſibi tradita eſſe à Deo patre ſuo,maxime oĩm docere uult, q̃ Deus pater effuderit in ipſum oẽs affectus,& omnẽ uoluntatem ſuam,in hunc uidelicet modum,quòd quemcunq̃ filius in gratiam ſuam recipit, & amat,eum recipiat etiam in gratiam ſuam, & amet pater,cuicunq̃ remiſsionẽ peccatorũ, ſalutẽ & ſempiternam fœlicitatem filius,pmittit,idẽ & pater,pmittat,adeoq̃ nihil uelit filius,quod idẽ non uelit & pater. Vnde addit: Nemo ſcit,quis ſit filius,niſi pater,& quis ſit pater,niſi filius, & cui uoluerit filius reuelare,hoc eſt, quemadmodum nemo tam,pbe cognitam habet uoluntatẽ filii q̃ pater, ita uiciſsim nemo tam,pbe cognitam habet uoluntatẽ patris,q̃ filius Tota eñ patris uoluntas in filiũ ita effuſa eſt,ut nihil planè uelit filius, quod idem non uelit & pater. Quis ergo eſt affectus filii, quæ eſt uoluntas filii erga nos homines? Hic aures diligentiſsime arrigendæ ſunt, hic ſumma animi attentione opus eſt. in hac eñ re tota ſalutis noſtræ ratio cõſtat. Nam quẽadmodũ inuenimus filiũ Dei, leſum Chriſtũ Dñm noſtr̃ erga nos affectũ,ita certiſsime erga nos affectus eſt Deus pater, qui eſt in cœlis. Oia eñ inqt, tradita ſunt mihi à patre meo. Et pater dedit omne iudiciũ filio ſuo. Audiamus igiſ, quomodo erga nos affectus ſit Chriſtus filius Dei. Venite,inquit,ad me oẽs,qui laboratis & onerati eſtis, & ego refocillabo uos. His uerbis, quæ Matthæus ſuperioribus addit,reuelat Chriſtus omnẽ ſuã uoluntatẽ erga hoĩes. Primũ eñ, cum pmittit oĩbus laborantibus & oneratis ad ſe ueniẽtibus refocillationẽ, ſentit ſe oẽs corpore infirmos & afflictos ſui tẽporis ſanaturũ,& conſolaturũ. Nam cũ Chriſtus ueniſſet in hũc mundũ, & nollet in hoc mũdo iuxta externã maieſtatẽ regnare,uſurpauit tñ tempore carnis ſuæ hãc inſignem & admirandã uirtutẽ,ut quotquot infirmi ſanitatem ab ipſo, uel per ſe uel per alios,peterent,his ſanitatem uerbo ſuo cõferret. Vſurpauit aũt hãc uirtutem, non ad captandã auram popularem,ſed ad confirmandã p̃dicationem Euangelii ſui,quẽ admodũ aliàs ſæpe demõſtrauimus. Vnde Petrus gentibus de Chriſto ita concionat: Obãbulauit bñfaciendo & ſanando omnes,omnes inquã, oppreſſos à diabolo,quoniã Deus erat cũ illo. Et nos teſtes ſumus oĩm, quæ fecit in regione Iudæorum & Hieroſolymis. Et in Matthæo dicit: Adduxerũt illi dæmoniacos multos, & eiecit ſpũs uerbo,omnesq̃ male habentes ſanauit. Proinde cum dicit Chriſtus: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis,& ego refocillabo uos, primum omnium oſtendit,ſe uelle omnes infirmitatibus corporalibus laborantes, & ad ſe ueniẽtes ſanare. Et quod uerbis dixit ſe uelle,hoc etiam reipſa tempore carnis ſuæ impleuit. Deinde reuelat & hoc uerbo, ſe uelle quoq; mederi omnibus animi affectionibus & oneribus. Nam propter hanc potiſsimum cauſam uſurpauit uirtutem ſanandi corpora, ut teſtificaretur ſe præcipue ueniſſe ad tollendos animi labores & onera. Maxima autem animi onera ſunt,peccata,ira Dei,mors,Satan,infernus. His oneribus nihil nec grauius nec moleſtius eſt. Cum ergo dicit: Venite ad me oẽs,qui laboratis & onerati eſtis,& ego refocillabo uos, paucis uerbis totã ſuã uolũtatẽ explicat. Nullum hominem,nullum genus hoĩm uult Chriſtus à ſe repellere.

Deus pater effudit in Chriſtum oẽs affectus ſuos.

Chriſti affectus erga nos

Chriſtus omnes infirmos corpore ſanauit.

Chriſtus medetur omnibus animi afflictionibus.

Omnes uocat, tam uiros q̃ mulieres, tam pueros q̃ senes, tam pauperes q̃ diuites tam priuatos q̃ reges, tã inhonestos q̃ honestos, tã seruos q̃ dños, tã incircũcisos q̃ circumcisos, tam barbaros q̃ Græcos, breuiter, omnes ad se uenientes uult refocillare ab oneribus suis. Oneratus est quispiam peccatis? Christus expiat & remittit ea. Oneratus est ira Dei? Christus fauet. Oneratus est morte? Christus uitam confert. Oneratus est tyrannide Satanæ? Christus Satanam opprimit & conculcat. Oneratus est inferno? Christus transfert in cœlum. In summa, quacunq; quis afflictione oneratus est, habet Christum refocillatorem. Huc enim tota uolũtas eius propendet, ut afflictos refocillet. Vnde & sequitur: Tollite iugum meum super uos, & discite à me, q̃ mitis sim & humlis corde, & inuenietis requiem animabus uestris. Iugum enim meum commodum est, & onus meum leue est. En hæc est tota uoluntas Christi, ut inueniamus requiẽ animabus nostris, quã & inuenietis, si tollamus super nos iugũ Christi, quod est cõmodum, & onus eius, quod est leue. Quid hoc? inquies, quomodo iugum Christi suaue est, & onus eius leue, afferẽs requiem animabus, cum uideatur nullum unq̃ grauius extitisse, & maiorem turbam in conscientia excitare? Dixit enim: Ne resistatis malo, sed quisquis impegerit alapam in dextram tuam maxillã, obuerte illi & alteram. Item: Diligite inimicos uestros, beneprecemini deuouẽtibus uos, benefacite iis, qui uos odio prosequuntur. Et multa alia his nõ tam similia q̃ grauiora præcepit Christus. Quid autem hoc iugo grauius? & quis sibi ex his seueriſsimis legibus nõ citius promitteret damnationem, quàm requiem & salutem, quando addatur, eum, qui hæc præcepta non obseruauerit, obnoxium esse gehennæ incendio? Vt igitur dictum Christi de suauitate iugi sui recte intelligamus, obseruandum est, q̃ Christus non uenerit in hũc mundũ, ut nouam legem conderet. Lex enim fuit antea per Mosen perfectiſsime lata, quẽadmodum aliàs copiose ostendimus. Et quanq̃ Christus alicubi apud Matthæũ & Lucam multas, de non irascendo, de præbẽdo percussori alteram maxillam, de diligendis inimicis, de benefaciẽdo aduersariis, & de aliis rebus commemoret, hæ tamen non sunt nouæ leges, quæ iam recens à Christo ferantur, sed sunt tantum ueteris legis expositio, nec alia sunt expositio, q̃ quæ ab ipso Mose & prophetis indicata, à Pharisæorum autem traditionibus obscurata fuit. Lex igitur non est iugum Christi, & cum Christus legem recenset & explicat, non imponit discipulis aut suũ aut nouum iugum, sed ostendit tãtum ipsis, quanto antea iugo & onere à lege premant. Venit aũt Christus in hunc mundũ, ut potius hoĩes à iugo legis liberaret, q̃ ut nouo legis iugo oneraret. Vbi uenit, inqt Paulus, plenitudo tẽporis, emisit Deus filiũ suũ, factũ ex muliere, factũ legi obnoxiũ, ut eos qui legi erãt obnoxii redimeret. Et iterum: Christus redemit nos ab execratiõe (quæ est iugum) legis, dum pro nobis factus est execratio. Quare cum Christus dicit: Iugum meum suaue, & onus meum leue, non loquitur uel de lege Mosi, uel de sua expositione, qua legem Mosi explicuit, sed de proprio suo officio loquitur propter quod in hunc mundum missus est, uidelicet, de Euangelio suo, in quo annũciatur libertas à peccatis, morte & inferno. Et cum diserte addit, iugum meum, meum inquam, & onus meum, confert per antitheſim iugum, hoc est, Euangelion suum, cum iugo legis, in hãc nimirũ sententiam: Lex multa & magna exigit, quibus caro ne potest quidem perfecte satisfacere, quid hoc iugo grauius? Ego autem, quia satisfeci toti legi perfectiſsime, dono meam satisfactionem omnibus, qui in me credunt, ut non aliter ea in cõspectu Dei fruãtur, quã si ipsi legem perfecte impleuiſſent, quid hoc iugo suauius? Lex quia non impletur à carne, auget peccata, quo iugo, quid oneroſius? Ego autem remitto

Christi iugũ quomodo sit suaue.

Lex nõ est iugum Christi.

Christi iugũ est Euangeliõ

remitto peccata, quo iugo quid cõmodius? Lex, quia auget peccata, ostendit irã Dei, quid hoc iugo molestius? Ego autem, quia expiaui peccata, promitto & ostendo gratiam & clementiam Dei, quid hoc iugo iucundius? Lex, quia ostendit iram Dei, execratur peccatores, operatur mortem, perpetuo damnat, & in infernũ conijcit, quo iugo quid aut durius, aut horribilius? Ego autem, quia ostendo gratiã Dei, benedico, operor uitam, seruo, & in cœlum ipsum, ac perpetuam fœlicitatẽ colloco, quo iugo quid leuius, aut amabilius? Venite igitur oẽs, qui grauissimo iugo legis laboratis & onerati estis, & ego refocillabo uos. Sed quomodo ueniamus? Sequitur: Tollite iugum meum super uos. Quomodo aũt tollemus iugum Christi super nos? Diximus antea, iugũ Christi, non esse iugum legis, sed liberationẽ à iugo legis. Ergo iugum Christi, est remissio peccatorum, placatio iræ diuinæ, liberatio à morte & inferno, ac beneficium perpetuæ fœlicitatis. Hæc aũt omnia percipiunẽ per fidem in Christum. Dicit eñ: Qui credit in me, habet uitam æternam. Tollere igitur iugum Christi est credere in Christum, ꝙ propter ipsum habeamus remissionem peccatorũ, placatum patrẽ, & uitam æternam. Non solũ autem dicit, tollite iugum meũ super uos, sed addit etiam. Et discite à me, ꝙ mitis sum & humilis corde. Quid hoc? num Christus his uerbis præscribit nobis in seipso exemplum imitãdæ mititatis & humilitatis suæ? Omnino certe imitanda est mititas & humilitas Christi. Hoc autem loco non proponit Christus exemplum imitationis, sed proponit doctrinam fidei. Discite, inquiens, à me, hoc est, agnoscite in me, ꝙ ego non tumultuor legibus, maledictionibus, execrationibus, damnationibus & infernis, sicut lex facit, nec iacto magnam in hoc seculo maiestatem, sed prædico gratiam & clementiam Dei summa mansuetudine, & recipio etiam abiectissimos quosq; ad me ueniẽtes, magna animi humilitate, adeoq; planè id impleo quod apud prophetam de me scribit: Non clamabit, neque accipiet personam, nec audietur uox eius foris. Calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non extinguet. Cum igitur uideatis me tanta mansuetudine & humilitate præditum, ut nullum abiiciam, quantumcunq; miserũ, nullum fastidiam, quantumcunq; peccatorem, agite, uenite, credite & inuenietis requiem animabus uestris. Habes, quæ sit uoluntas Christi filii Dei, & quod sit iugum eius. Tota enim uoluntas Christi huc spectat, ut remittat pctã, & seruet hoies in uitam æternã. Et hoc etiã est iugum eius, quẽadmodum supra demonstrauimus. Quare cũ dicat, omnia sibi à patre suo tradita esse, hoc est, patrẽ oẽs suos affectus in ipsum ita effudisse, ut nihil aliud uelit, q̃ quod filius uelit, reliquũ nunc erit, ut certissima fiducia teneamus, Deũ patrẽ in cœlis nihil aliud uelle nihil aliud cogitare, nihil aliud agere, q̃ ut sit ꝓpicius, ut remittat pctã, ut seruet in morte, & transferat in cœleste & perpetuum regnũ oẽs eos, qui Iesum Christum filium suum per fidem amplectuntur. Quid hoc Euangelio miseris iucundius? quid afflictis gratius? quid laborantibus & oneratis acceptius? Mundus miseriam infert, sed Deus miseretur. Mundus affligit, sed Deus consolatur. Mundus, imo & cor nostrũ condemnat nos, sed Deus, qui est maior mundo & corde, seruat. Mundus mortificat, sed Deus uiuificat. Mundus in infernum coniicit, sed Deus in cœlum eleuat per Iesum Christum filium suum. Amplectamur igitur hoc Euangeliõ per fidem, ut inueniamus animabus nostris requiem & refocillationẽ. Sed priusq; dicẽdi finẽ faciamus, audiamus qd Christus seorsim ad discipulos suos in hoc loca dicat: Et cõuersus ad discipulos seorsim dixit: Beati, oculi qui uidẽt, quæ uos uidetis. Dico eñ uobis, ꝙ multi prophetæ & reges uoluerunt uidere, quæ uos uidetis, & non uiderunt, & audire, quæ auditis, & non uudierunt. Quid ergo uident

Christi iugũ tollere est credere in Christum.

Dei patris uoluntas.

Christũ in carne uidere non beatificat.

discipuli, propter quod beati pronunciãtur? Vident eum Christũ iam adueniſſe, qui tot retro ſeculis promiſſus fuit. Ergo ne Phariſæi, Caiphas, Pilatus & Herodes beati ſunt, q̃ uiderint Christum in carne? Dauid aũt & Eſaias ac reliqui prophetæ non ſunt beati, q̃ non uiderunt Chriſtum in carne, ſicut diſcipuli? Abſit. Chriſtus enim his uerbis nõ beatificat ipſam per ſe externam oculorum uiſionem. Multi em̃ impii hoĩes, imo & beſtiæ uiderunt Chriſtum in carne, nihil tamen fœliciores fuerunt: ſed Chriſtus explicat his uerbis fœlicitatẽ eius temporis, quo is in carne reuelatus eſt, de quo tam præclara & magnifica prophetæ uaticinati ſunt. Initio enim promiſſum fuit ſemen mulieris, quod contriturum eſſet caput ſerpẽtis, poſtea promiſſum fuit ſemen Abraæ, in quo omnes gentes benedicendæ eſſent. Deinde promiſſus eſt Dauidi Meſsias, qui in æternum ſit regnaturus, & ad dexterã Dei patris ſui ſeſſurus. Poſtremo uaticinatur Eſaias & alii prophetæ, q̃ Meſsias ſit naſciturus de uirgine, & imperium eius multiplicandum, ac per totum terrarum orbem dilatandum, q̃ tempore eius nõ audiatur ultra in terra iniquitas, uaſtitas & contritio, nec audiatur in ea ultra uox fletus & uox clamoris, ac multa alia his longe maiora. Quis autem talem ac tantum heroa nõ deſideraret oculis ſuis coram cernere? quis non mallet talem uirũ iam præſentem uidere, q̃ externum aliquod regnum huius ſeculi poſsidere? Vidit Abraam tempus illud futurũ, quo Meſsias reuelãdus erat, & gauiſus eſt, quomodo igitur nõ exultaſſet, ſi uidiſſet Meſsiam illum iam præſentem? Commendat ergo Chriſtus diſcipulis ſuis tempus illud, quo iam in carne reuelatus eſt is, in quem tota lex & prophetæ reſpexerunt. Sic & Paulus ad Romanos ſcribẽs: Nunc, inquit, propius adeſt nobis ſalus, q̃ tum cum credebamus. Nox progreſſa eſt, dies aũt appropinquauit. Et ad Corinthios: Ecce nunc, inquit, tempus aceptum, ecce nunc dies ſalutis. Chriſtus enim antea ab oculis mundi abſconditus, nunc etiam mundo ita reuelatus eſt, ut etiam potuerit corporalibus oculis uideri. Quid ergo? Infœlices ſunt patriarchæ, prophetæ & pii reges ante Chriſtum, q̃ non uiderunt Chriſtum in carne reuelatum? Minime omnium. Nam quod ad reuelationẽ Chriſti attinet, aliud quidem tempus alio fœlicius dicit̃, quòd Chriſtus hoc aut illo tempore manifeſtius annunciatur & reuelatur, q̃ alio tempore, ſed quod attinet ad ipſam fœlicitatem, quæ habetur in Chriſto per fidem, omnia huius ſeculi tempora æqualia ſunt. Ieſus enim Chriſtus heri & hodie idem eſt etiam in ſecula. Et qui ex promiſsione, ad Adam aut Abraam aut Dauidem de Chriſto dicta, in Chriſtum uenturum credidit, non minus fœlicitatis in Chriſto conſecutus eſt, q̃ ille, qui credidit in Chriſtum iam præſentem in carne, aut qui nunc credit in Chriſtum iam in cœlum aſſumptum. Ad Phariſæos enim dicitur. Abraam pater ueſter exultauit, ut uideret diem meum, uidit, & gauiſus eſt. Et ad Thomam: Quia uidiſti me Thoma, credidiſti, beati qui non uiderunt, & crediderunt. Cæterum, q̃ Chriſtus de fœlicitate ſui temporis cõcionatur, idem etiam de fœlicitate noſtri tẽporis dici poteſt. Nam apud maiores noſtros prædicatum quidem eſt Euangeliõ de Ieſu Chriſto, ſed per humanas traditiones & Romanas indulgentias ita obſcuratum erat, ut pauciſsimi potuerint uidere, ſe remiſsionem peccatorum & uitam æternam habere tantum propter Chriſtũ per fidem. Promittebatur quidem in Romanis indulgentiis cœlum apertum per humana merita, ſed quia fuerũt meræ impoſturæ, non aperuerunt cœlum, ſed clauſerunt. Mittebamur ad ſanctos, propter quorum merita poſſemus intrare in regnum cœlorum, ſed quo magis ad ſanctorũ ſepulchra peregrinabamur, eo longius à uera ianua regni cœlorum aberrabamus. Proponebantur Miſſæ, quibus ſacrificabatur pro peccatis uiuorum & mortuorũ, ut ex ipſis

Patriarchæ, & prophetæ ante Chriſtũ etiam beati:

Fœlicitas noſtri temporis.

ut ex ipsis consequeremur benedictionem, sed si dicendum est, quod res est, consecuti potius sumus maledictionem. Nũc autem, ò diem fœlicem, & albo lapillo notandum, reuelata est iterum beneficio Dei uera & syncera prædicatio Euangelii de Iesu Christo, ut perspicue cognoscamus, salutem nostram in solo Iesu Christo Domino nostro per fidẽ sitam esse. Quare exhibeamus nos Domino Deo nostro gratos, & obediamus uocationi eius, ut quod nobis per Euangelion promittit & exhibetur, gratitudine & obedientia conseruemus, per Iesum Christum Dñm nostrum, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus laudandus in secula Amen.

HOMILIA XCV.



VAe Euangelii pericopé de diligendo Deo & proximo sequitur, memorabilis est, & dignissima, quæ iuxta solennem consuetudinem quotannis certa die dominica publice in ecclesia recitetur. Continet enim compendium totius diuinæ legis, & explicat iucunda parabola, quid nomine proximi intelligẽdum sit. Est præterea in hac pericope quod discant hi qui in cõtrouersia religionis uariis doctrinis ita circũferuntur, ut nesciant quò se uertant, aut qd agere debeant, ut consequantur uitam æternã. Obseruemus igitur diligentissime, quid in hoc loco scriptura nobis proponat. Ecce quidam legisperitus surrexit, tentans illum, dicẽs: Magister, quid faciendo, uitam æternam possidebo? At ille dixit ad eum: In lege quid scriptum est? Quomodo legis? Ille respondẽs dixit: Diliges Dominum Deum tuũ toto corde tuo, & tota anima tua, & omnibus uiribus tuis, & tota mẽte tua. Et proximum tuum, sicut teipsum. Dixitque illi: Recte respondisti. Hoc fac, & uiues. Primum, & si legisperitus, non discẽdi, sed tentandi gratia, nimirum, ut periculum faceret, num Christus aliena à lege Mosi diuinitus data & confirmata doceret, Christum interrogauerit, quid sit faciendum, ut uita æterna possideatur, nobis tamen hoc unum serio noctes atque dies cogitandum, scrutandum & discendum est, quomodo uitam æternam consequamur. Non enim habemus hic, ut scriptura inquit, manẽtem ciuitatem, sed futuram inquirimus. Deinde quod Lucas hoc loco scribit, legisperitũ recitasse leges de diligendo Deo & proximo, hoc Matthæus capite uicesimo secundo scribit Christũ recitasse. Marcus autem cõciliat Lucam & Matthæum, ac scribit primum quidem has leges à Christo recitatas, deinde autem à legisperito repetitas esse. Hoc ideo indicare uolui, ut perspicue cognosceretur, ea, quæ hoc loco ad quæstionẽ legisperiti respondentur, uere Christi esse responsum & sententiam. Postremo animaduertendũ est, has duas leges, de diligẽdo Deo & proximo, esse epitomen & compendium non tantum decalogi, uerumetiam totius diuinæ legis. Apud Marcum enim dicit Christus: Maius his aliud præceptũ non est. Et apud Matthæum: In his duobus mandatis tota lex & prophetæ pendent, hoc est, quicquid uspiam à Mose & prophetis de diuina lege, de faciendo bono, & omittendo malo docetur, hoc totũ in duabus istis legibus, tanq̃ in breui quodam fasciculo, comprehẽditur. Ac prior harum legum scripta est in Deuteronomio, capite sexto. Audi, inquit, Israel, Dominus Deus uester, Deus unus est. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota aĩa tua, & ex tota fortitudine tua. Et ut hæc lex diligentissime obseruetur, addit Mose grauissimam commendationem: Erunt, inquiens, uerba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atq; consurgens. Et ligabis

ea quasi signum in manu tua, eruntq; & mouebuntur inter oculos tuos, scribesq; ea super postes domus tuæ & in portis tuis. Est autem tam seuera huius præcepti cõmendatio uælde necessaria. In hoc eñ præcepto breuiter exiguntur oia ea, quæ Deo debemus. Debemus aũt, ut summatim dicatur, dilectionẽ, & hanc nõ mediocrẽ, sed summam. Primum, ex toto corde. Cor oĩm affectuũ, oĩm etiã sensuũ principium est. Cum ergo lex exigit dilectionẽ Dei ex toto corde, exigit omnes humanos affectos puros, sanctos, & in solius Dei dilectionem atq; obedientiam in totum directos. Deus enim zelotes est, non quartam tantũ, aut dimidiã cordis partem, sed totum cor postulat. Deinde ex tota anima. Anima uita hominis est. Exigit igit lex dilectionẽ Dei, tota hoĩs uita. Non fert, ut hac parte uitæ tuæ Deum diligas, & Deo seruias, altera aũt parte Satanæ seruias, sed exigit totam uitam, sanctam & diuinam. Postremo ex tota fortitudine. Fortitudo hominis, sunt uires corporis & animæ, sensus interiores & exteriores, intellectus, ratio, memoria, sermo, auditus, gustus, olfactus & tactus. Cũ ergo lex exigit in dilectione Dei totam hoĩs fortitudinẽ, exigit certe oẽs corporis & animæ uires, omnia deniq; membra hominis, iusta, sancta, & ab omni sorde peccati purissima. Et hæc omnia ita seueriter exigit, ut si quis uel saltem cogitatiunculam habuerit dilectioni & obedientiæ Dei aduersam, is maledictioni obnoxius pronunciet. Maledictus, inquit, qui non implet uerba legis huius. At qui uel saltem paruum aliquem affectum habet aduersus Deum & uerbum eius, is nõ implet hoc legis uerbum: Ex toto corde, & ex tota anima. Quare obnoxius est maledictioni. Cæterum, quanta turba præceptoꝝ de fide erga Deum, de spe in omnibus aduersis, de inuocatione nominis Dei, de obseruatione Verbi Dei, & de multis id genus aliis rebus, in hoc uno præcepto, de diligendo Deo ex toto corde contineaẽ, quintus liber Mosi, qui Deuteronomion uocatur, copiosissime expo nit, & longũ esset ea in hoc loco cõmemorare. Posterior lex est: Diliges proximũ tuum, sicut teipsum. Hæc scripta est in Leuitico, capite decimo nono. Quid hoc? Prior lex iussit diligere Deum ex toto corde. Si dilectio Dei occupare debet totum cor, quomado potest dilectio etiam in proximum ferri? nunquid oporter nos duobus dominis simul seruire? nũquid cor diuidendum est, ut partim Deũ, partim proximum diligat? at Deus diligendus est non ex parte, sed ex toto corde? Recte. Deus diligendus est ex toto corde. Hæc autem dilectio affert secũ, ueluti fructũ, dilectionem proximi. Et hæ dilectiones, non pugnant inter se, sed altera alterã parit. Quia eñ Deus toto corde diligendus est, & is Deus iussit diligere proximum, ideo & proximus diligẽdus est, quia Deus, qui diligẽdus est, hoc præcipit. Nam qui Deum diligit, is certe ea quoq; diligit, quæ Deus diligenda præcepit, & odio habet, quæ odio habenda iussit. Vnde si quando casus ita fert, ut nõ possis simul & Deo & proximo obedire, ibi certe magis obediendum est Deo q̃ hoĩbus. Et lex diserte dicit: Diliges proximum sicut teipsum, non dicit, sicut Deum, sed sicut teipsum. Quemadmodum igitur nõ audes teipsum præponere Deo, ita nec proximũ Deo præponas, ut propter pximum aduersus Deum pecces. Sed ubi is casus non habuerit locũ, ibi certe proximus iuxta hanc legem ideo diligendus est, quia Deus diligẽdus est. Cæterum hæc lex cõprehendit summatim in se oẽs leges, quæ de operibus charitatis positæ sunt. Sic enim Paulus interpretatur, ad Roman. scribens: Nemini, inquit, quicq̃ debeatis, nisi hoc, ut inuicem diligatis. Nam qui diligit alteꝝ, legẽ expleuit, siquidem illa, non aduterabis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces, & si quod aliud præceptũ (de operibus uidelicet charitatis) in hoc sermõe summatim cõprehenditur, nempe, diliges proximũ tuũ sicut teip

Dilectionem summam debemus Deo.

Cor hominis.

Anima hominis.

Fortitudo hominis.

Dilectio proximi fructus dilectiõis Dei

Dilectio proximi implet omnia præcepta de operibus charitatis.

ſicut teipſum. Interpretatur & Chriſtus ipſe hãc legem apud Matthæũ capite quinto, & apud Lucã capite ſexto. Nam q̃ non ſit reſiſtendum malo, q̃ percutienti maxillam altera ſit obuertenda, q̃ mutuum dandum ſit, & nihil inde ſperandũ, q̃ omni petenti dandum ſit, q̃ etiam inimico ſit benefaciendum, & ſi qua ſunt alia, quæ de operibus charitatis erga proximũ præcipiunt, ea omnia continentur in hac lege: Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Sed de proximo controuerſia eſt, quis nomine proximi intelligi debeat. Alius enim dicit, proximus egomet ſum mihi: alius ſentit proximum tantũ eſſe ſanguine iunctum. Alius putat proximum tantũ eſſe eum, qui benefacit: eum aũt qui malefacit & iniuriam infert, non proximũ ſed alienum iudicat. Vnde & Iudæi uidebãtur ad hanc legem, diliges proximum tuũ, recte adieciſſe, odio habebis inimicũ tuũ. Sentiebãt em̃ inimicũ nõ cõtineri noie p ximi. Sed hãc falſam proximi expoſitionẽ Chriſtus ſupra, capite ſexto, & apud Matthæum capite quinto, copioſe cõfutauit. Et quod in his locis egit multis decretis, hoc nunc agit iucundiſsima ſimilitudine, perſpicue explicans, q̃ nomine proximi non tantum amicus, ſed etiam inimicus intelligendus ſit. Sequitur enim: Ille autem uolens iuſtificare ſeipſum, dixit ad Ieſum: Et quis eſt proximus meus? Reſpondens aũt Ieſus dixit: Homo quidam deſcendebat ab Hieruſalem in Iericho, & incidit in latrones, qui etiam deſpoliauerunt eum, & plagis impoſitis abierunt ſemiuiuo relicto. Accidit aũt ut ſacerdos quidam deſcenderet eadem uia, & uiſo illo præteriuit. Similiter & Leuita, cum eſſet ſecus locum, & uideret eum, pertrãſiuit. Samaritanus aũt quidã iter faciens, uenit ſecus eum, & uidens eum, miſericordia motus eſt. Et appropians, alligauit uulnera eius, infundens oleum & uinum. Et imponẽs illum in iumẽtum ſuum, duxit in diuerſorium, & curam eius egit. Et altera die protulit duos denarios, & dedit hoſpiti, & ait: Curam illius habe, & quodcunq̃ ſupererogaueris, ego cum rediero, reddam tibi. Quis horũ trium uidetur tibi proximus fuiſſe illi, qui incidit in latrones? At ille dixit: Qui fecit miſericordiam in illum. Et ait illi Ieſus: Vade & tu fac ſimiliter. Allegoriæ, quæ in hoc loco de profectione ab Hieruſalẽ urbe ſancta, ad Iericho urbem maledictam, de incidente inter latrones, hoc eſt, peccatore, qui à dæmonibus propter peccata affligit, de ſacerdote & Leuita prætereuntibus, hoc eſt, de ſacrificiis, aliiſq̃ cultibus & operibus legis non iuſtificantibus, de Samaritano auxilium ferente, hoc eſt, de Chriſto peccata remittente & ſaluante, de hoſpite, hoc eſt, miniſtris Eccleſiæ, quorum curæ peccator ſanãdus cõmendatur, hæ, in q̃, allegoriæ ſatis notæ ſunt, & ubiuis in Eccleſiaſticis ſcriptoribus obuiæ. Nos igitur omiſsis illis, perſtringemus principalem huius parabolæ ſtatum, qui eſt, q̃ nomine proximi non tantum amicus, ſed etiam inimicus intelligẽdus ſit. Ergo, cum Chriſtus de uiro, qui inter latrones cecidit, loquitur, ſentiẽdum eſt ipſum loqui de Iudæo, cui ſacerdos & Leuita beneficia debebãt, nõ tñ propter cognationẽ gentis, ſed etiã propter eccleſiaſticũ ipſorum miniſterium, quo inter Iudæos fungebantur. Samaritani autem tanto odio à Iudæis habebant, ut ueriſimile fuerit, ſi Samaritanus quiſpiam nactus eſſet Iudæum ſemimortuũ, q̃ multo magis ipſum totum interemiſſet, q̃ opem aliquam attuliſſet. Sed hic mihi uide, q̃ præpoſtere oia agant. Sacerdos & Leuita faciunt iter iuxta eum locum, in quo iacebat Iudæus ſemimortuus. Quibus uiſis, Iudæus magnam ſpem ſalutis ab his præſtãdæ cõcipere poterat. Sacerdotis enim officium erat, peccata, hoc eſt, ſpirituales miſerias populi portare & expiare, quanto magis exigebatur ab ipſo, ut corporalibus quoq̃ miſeriis populi ſuccurreret, ſi poſſet? Leuitæ aũt ſæpenumero decimæ datæ erant à Iudæo, quo uel ſolo nõmine Iudæus potuiſſet ab ipſo auxiliũ in hac extrema ſua

Proximi nomine quis intelligatur.

Parabolæ de incidente in latrones, ſtatus.

calamitate expectare. Sed ecce præterit & Leuita, nullo charitatis officio exhibito. Hoc enim hominum genus sola sacrificia & oblationes pro cultu Dei & bonis operibus reputat, cura miserorum & afflictorum ad uulgum relegata. Vides etiam exéplo huius loci, eam esse miserorum sortem in hoc seculo, q̃ ex quo hominum genere maxima sperant solatia in miseriis, ex eo minima contingere soleant. Faciebat autem & illac iter Samaritanus quidam, hoc uiso, quid putas animi Iudæo fuisse? Profecto cum uidebat accedere eum hominem, quem capitaliter oderat, non potuit aliud cogitare, q̃ semimortuum se, nunc in totum interemptum iri. Sed unde minima spes, ibi maxima res. Samaritanus accedit, & exhibet misero Iudæo omnia officia humanitatis, ac in Samaritano adumbrat pulcherrime charitatis natura. Nam Samaritanus, & si uidet inimicum & aduersarium suum male habentem, mouetur tamen misericordia, quia charitas, inquit Paulus, benigna est, non inuidet. Samaritanus accedit, infundit in uulnera oleum & uinum, & obligat ea, nulla habita ratione tantæ abominationis, quia charitas non est fastidiosa. Samaritanus imponit semimortuũ in suum iumẽtum, ducit in diuersorium, nec solum ipse curam egit miseri hois, sed etiam cõmendat eum hospiti, depromit denarios, & hdeiubet pro eo, tñ ut hospiti curæ sit & sanetur. Charitas em̃ non quærit quæ sua sunt, sed quæ proximi. Habes igitur naturam charitatis in Samaritano ob oculos perspicue depictam. Nunc ergo interrogat Christus legisperitũ, dicens: Quis horum triũ uidetur tibi proximus fuisse illi, qui incidit inter latrones? Et respondet legisperitus: Qui exercuit misericordiam in illũ. Ex his uerbis multi cõiiciunt, eum proprie dici proximum, qui benefacit, sicut Samaritanus semimortuo benefecit: cum uero, qui nihil beneficiorum præstat, ut hoc loco sacerdos & Leuita, pro alieno, nõ pro, pximo reputandum esse. Sed Christus planè contrarium docet. Nam cum ait: Quis horum triũ uidet fuisse proximus illi, qui incidit inter latrones, interrogat de eo qui inter hos tres melius iudicauerit de significatione proximi. Et cum respondetur: Is qui exercuit misericordiam in illum, significat Samaritanum pro capitali hoste habitum, multo melius cognouisse, quis debeat proximus iudicari, q̃ sacerdotẽ & Leuitam. Hi enim sentiebant eos esse proximos censendos, qui beneficia aut darẽt, aut referre possent. Eos aũt qui miseri erant, & nulla beneficia referre poterãt, non inter proximos, sed inter extremos, & alienissimos numerabãt. Samaritanus uero recte sensit, quis inter proximos censendus sit, nimirum, non is tantum, qui amicus est & benefacit, ac beneficia referre potest, sed etiam is, qui inimicus est, & alienа ope indiget, nec potest unq̃ beneficia referre. Cum igitur & legisperitus ipse approbaret iudicium Samaritani, admonet Christus legisperitum, ut exemplum Samaritani sequat: Vade, inqens, & fac tu similiter, hoc est, quemadmodũ Samaritanus nõ benefactorem tantum, sed etiam malefactorem & aduersarium suum iudicauit proximum suum, & benefecit, quamuis inimico, sed tamen misero, ita & tu similiter iudices de proximo, ut non tñ ei benefacias, qui benefecit, sed etiam, qui malefecit tibi. Habes quis nomine pximi intelligendus sit, & sicut Christus in Matthæo multis sentẽciis, ita hic uenusta parabola exponit, non tñ amicũ, sed etiã inimicũ nostra ope indigentẽ, per nomẽ pximi intelligendũ esse. Nũc igit manifestũ est, quid sit faciendũ, ut possideamus uitam æternam. Si em̃ dilexeris Deũ ex toto corde, ex tota anima, ex tota fortitudine, & pximũ, tã amicũ, q̃ inimicũ, sicut teipsum, possidebis uitã æternã. Hoc fac, inqt Christus, & uiues, uidelicet, fœliciter, nõ tñ in hac corporali, sed etiã in futura & sempiterna uita. Dices aũt: quid hic noui è Christo audio? Christus uocat aliàs hoies ad se, & pmittit eis uitã æternã, per fidẽ in ipsum: Qui in me, inqens, credit, habet uitam æternã. Quomodo igit remittit

Miserorum sors in hoc loco.

Charitatis natura adumbratur in Samaritano.

Proximus quis uere censendus.

Vita æterna quomodo paranda.

nunc legisperitũ ad legẽ & opera legis? Sic & apud Matthæũ, cũ quidã diceret: Magister bone, quid boni faciã, ut habeam uitam æternam, respondet Christus: Si uis ad uitam ingredi, serua mandata. An non scriptũ est: Ex operibus legis nõ iustificatur omnis caro in cõspectu Dei? Et iterũ: Quotquot ex operibus legis sunt, male dictioni obnoxii sunt? Qui fit ergo, ꝙ Christus, ostensurus uiam ad æternã uitam, remittat ad opera legis? Quid ad hæc dicemus? Ne hic cœlũ terræ misceatur, hoc est, Euangelion cum lege cõfundatur, explicabimus primũ discrimen uiarũ ad æternam uitã, deinde indicabimus, quamobrẽ Christus non solũ legisperitos, uerũetiam omnes homines ad opera legis remittat. Sunt enim nobis duæ uiæ propositæ, quæ ducunt ad uitã æternam & regnũ cœlorũ. Altera est lex & opera eius. Altera est Christus, & fides in Christũ. Ac de legis quidem ratione ita sentiendũ est, quòd lex sit perfectissima, & præcipiat tam pia, tam iusta, tã sancta opera, ut si eadẽ perfectiõe implerentur, qua exiguntur, essent iustissima merita uitæ æternæ. Dicit enim Mose de lege: Testes inuoco hodie cœlum & terram, ꝙ proposuerim uobis uitã & bonũ. Et iterũ: Custodite leges meas atq; iudicia, quæ faciens homo, uiuet in eis. Et ꝙ id nõ tantũ de corporali, sed etiam de perpetua uita intelligendũ sit, Christus hoc loco manifeste explicat. Cum enim legisperitus interrogaret ipsum, quid faciendo possideret uitam æternam, remittit eum Christus ad opera legis, & addit: Hoc fac & uiues, nimirum uita æterna. Hoc enim legisperitus inquisierat. Et aliàs, cum rogaretur quid boni faciendum esset, ut habeaẽ uita æterna: Si uis, inquit, ad uitã ingredi serua mandata. Sed & lex ipsa tam sancta opera minime obscure proponit, ut manifeste appareat ea esse digna uita æterna, si perfecte implerẽtur. Dicit enim: Diliges Dominũ Deũ tuũ ex toto corde, ex tota anima, & ex tota fortitudine tua, Et proximum sicut teipsum. Hæc certe dilectio, quemadmodũ lex præcipit, tam sanctũ, tam perfectum opus est, ut præmio uitæ æternæ iustissime honoretur. Sed nullus unq̃ hominũ peruenit hac uia ad æternam uitam & regnum cœlorum, præter unum Iesum Christum Dominum nostrum. Is enim solus legem perfecte impleuit, & dilexit Deum ex toto corde, ac proximum sicut seipsum, absq; omni imperfectione, uitio aut peccato. Inter alios autem homines nullus unq̃ inuentus est, ne inter sanctos quidem, qui legem Dei perfecte impleuerit, & per iusticiam operum suorum ad uitam æternam peruenerit. Ac de impiis quidem manifestum est, ꝙ nec legem Dei impleant, nec ad regnum cœlorum perueniant. De piis autem & sanctis scriptura testatur, quòd etsi habeant spiritum sanctum, remaneant tamen adhuc in ipsis reliquiæ peccatorum, quæ impediunt quo minus possint operibus suis legem Dei perfecte implere. Non quod uolo, inquit Paulus, facio bonum, sed quod non uolo malum, hoc ago. Et iterum: Affectus carnis inimicitia est aduersus Deum: nam legi Dei non subditur, si quidem ne potest quidem. Et de hac re loquitur scriptura, cum dicit: Ex operibus legis non iustificatur omnis caro. Et: Quotquot sunt ex operibus legis, maledictioni obnoxii sunt. Nam ipsa quidem opera legis, perfectissime in lege mandata sunt, ut si quis ea iuxta totam uoluntatem legis impleret, iustificaretur, & merito operum suorum saluaretur. Nunc autem nullus hominum implet ea operibus suis perfecte. Lex ipsa quidem, inquit Paulus, sancta est, & præceptum sanctum, iustũ & bonũ, sed ego carnalis sum, uenditus sub peccatũ. Quare, ut nullus ex operibus legis iustificaẽ, ita quicunq; ex operibus tantũ legis sunt, adhuc maledicti oni obnoxii sunt, propterea ꝙ non impleant legem, & scriptũ est: Maledictus omnis, qui non implet uerba legis huius. Habes quæ sit uia ad æternam uitam, per legem & opera eius. Altera uia est Christus & fides in Christum. Christus enim non

Duæ uiæ ad uitam. Via legis.

Legis uia ad uitam æternã præter Christum nemo peruenit.

Euangelij uia ad uitã æternam.

in suæ tantum ipsius personæ cõmodum impleuit legem, uerũetiam expiauit peccata hominũ, & reconciliauit homines cum Deo Patre suo, ac emeruit iusticia & obedientia sua, ut quotquot in ipsum credant, iusticia eius ita donentur, ut non aliter coram Deo iudicentur, quàm si ipsi legem Dei suis operibus perfecte impleuissent. Quod eñ lex, inquit Paulus, præstare non poterat, ea parte qua imbecillis erat per carnem, hoc Deus proprio filio misso, sub specie carnis peccato obnoxiæ præstitit, ac de peccato condemnauit peccatum per carnem, ut iustificatio legis impleretur in nobis, hoc est, ut qui in Christum credimus, tam iusti coram Deo reputaremur propter Christum, quàm iusti essemus, si ipsi totam legem perfecte impleuissemus. Qui eñ proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis oĩbus tradidit illum, qui fieri posset, ut nõ & cum eodẽ oĩa nobis donet? Cũ ergo nõ posimus per legẽ nostris ipsorũ operibus ad uitam æternam peruenire, nulla nobis alia reliqua est uia ad salutẽ, q̃ Iesus Christus, qui dedit oĩbus his qui credũt in nomẽ ipsius potestatẽ filios & hæredes oĩm bonorum Dei fieri. Et ad hanc uiã sectandam uocat nos Christus, cum ait. Sicut Mose exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filiũ hoĩs, ut oĩs qui credit in eum nõ pereat, sed habeat uitam æternam. Et iterũ. Qui credit in me non morietur inæternũ. Quid ergo sibi uult Christus q̃ legisperitos remittat ad legem, q̃ iam ostensum sit, neminem posse uia legis ad æternam uitam peruenire? & quid q̃ etiam nobis lex & bona opera toties inculcantur? Sed hic probe

Christus cur ad legem remittat

obseruandum est, q̃ Christus tunc maxime omnium remittat nos quanquam adhuc obscure, ad uiam fidei, cum proponit uiam legis. Primum enim his qui de uia ad æternam uitam interrogant, proponitur lex, non ut significetur, ipsos posse legem perfecte implere, & per iusticiam operum suorum ad uitam peruenire, sed ut arguatur præsumptio ipsorum, & ostendantur eis peccata. Homo enim natura sua tam cæcus est, ut non uideat naturalem suam corruptionem, sed existimet se natura ita sanum & perfectum, ut possit legem perfecte implere, & cœlum sua iustitia mereri. Proponit igitur tam Mose quàm Christus legẽ, ut in ea experiamur uires nostras, num possimus nostris operibus legem perfecte implere. Cum autem incipimus serio periculum facere, ibi tum inuenimus corruptionem nostram, & nos tanto minus posse legi satisfacere, quanto magis id conamur. Occasione inquit Paulus, accepta peccatum per præceptum genuit in me oẽm concupiscẽtiam, siquidẽ absq; lege peccatum erat mortuum. Ergo quemadmodum infirmo contendenti se firmum & sanum, præcipiuntur opera sanitatis, uidelicet ambulare, laborare, & idgenus alia, in quibus probet uires suas, et cum ea facere nequeat, agnoscat morbũ suum, ita arroganti hominum naturæ proponitur lex, ut discat in ea corruptionẽ

Lex hoĩbus cur imposita.

& peccata sua agnoscere. Vnde & legisperito, de quo nunc nobis sermo est, necessarium fuit, ut remitteretur ad legem. Interrogat enim de uia consequẽdæ uitæ æternæ, ut tentaret Iesum, num aliena à Mose doceret, non interrogat ut serio discat pietatem. Existimauit enim se nonsolum natura sanum ad implendam legem, sed etiam iam consecutum iusticiam ex operibus legis. Et de nomine proximi inquit, perinde ac si iam legem de dilectione Dei ex toto corde, longe omnium perfectissime impleuisset. Quare remittitur ad legem iustissimo ordine, ut si uitam æternam consequi uelit, discat prius peccata, maledictionem & damnationẽ suam ex lege agnoscere. Deinde proponitur lex, ut si ueræ salutis sitiẽtes simus, adigamur ad

Lex arrogãtiã hoĩs reuelat.

quærendam alteram uiam salutis, quæ est Christus Iesus Dñs noster. Nihil eñ arrogantius est humana carne, quæ etsi promittitur gratuita Dei misericordia, tamẽ quemadmodum unusquisq; mauult diues esse & aliis largiri, quàm pauper esse, & ab

& ab aliis mendicare, ita caro mauult etiam uitã æternam ſuo merito & ſua iuſticia, quã alieno merito & gratia, conſequi. Proponitur ergo lex, ut cognitis per ipſam peccatis & maledictiõibus noſtris, uelimus, nolimus, ſi modo ſaluti deſyderamus, adigamur ad quærendũ Chriſtũ, in quo ſolo, ex mera gratia & clemẽtia Dei, conſequimur remiſſionẽ peccatorũ, iuſticiã & uitam æternã. Poſtremo, remittimur ad legẽ & opera eius, ut etiam ſciamus, qui ſint ueri fructus fidei in Chriſtũ, & admoneamur, ut ex fide bona opera, à Dño præcepta faciamus. Poſtq̃ enim per fidẽ in Chriſtum iuſtificati ſumus, perinde ac ſi nos ipſi legi ſatisfeciſſemus, non datur nobis copia peccandi, & legẽ Dei uiolandi, ſed neceſſe habemus Deo grati eſſe, & fidem teſtari bonis operibus. Etſi enim fides nõ in totũ euellat peccatũ ex carne, & bona opera, quæ à renatis in Chriſto fiunt, non perfecte impleãt per ſe legẽ Dei, fides tamẽ reſecat peccatũ, ne in herbam aut ariſtã & fructũ excreſcat, & cohibet peccatũ, ne regnet in mortali noſtro corpore, ut obediamus illi per cupiditates eius, ſed efficit, ut accõmodemus mẽbra noſtra, arma iuſticiæ Deo, & obediamus Deo ad ſanctificationẽ. Remittimur ergo ad legẽ, ut habeamus ex ipſa certã deſcriptionẽ eorũ operum, quæ neceſſe habemus ex fide facere. Habes duas uias ad regnũ cœlorũ nobis proponi, alterã legis, alterã Chriſti. Et cũ nõ queamus, propter naturæ noſtræ corruptionẽ, per uiam legis ad æternã uitã peruenire, reliquũ eſt, ut Ieſum Chriſtũ tota fide ſectemur, ut per hunc iuſtificati, uerã ſalutẽ conſequamur, in eodẽ Chriſto Dño noſtro, qui eſt unà cũ Patre & Spiritu ſancto Deus laudandus in ſecula Amen.

Bona opera lex docet.

HOMILIA. XCVI



Vid in domo Marthæ & Mariæ ſororum Lazari, ad quam Chriſtus in ptofectiõe ad Hieruſalem diuertit, in noſtrã doctrinam geſtum ſit, diligenter, obſecro, animaduertite. Factum eſt, inquit, dum irent, & Ieſus intrauit in quoddam caſtellũ. Et mulier quædam Martha nomine, excepit illum in domum ſuam. Principio, prædicabis fortaſſe Martham fœlicem, q̃ eo tempore uitam egerit, quo Chriſtus in terris cõuerſatus eſt, ac licuerit ei Chriſtum Dominum noſtrum hoſpitio excipere, & reuerenter tractare. Quid. n. inquis, officiorum non præſtarem tanto Domino, ſi tam fœlix eſſem, ut ad me in domum meam diuerteret? Sed bene habet, ſi teneris deſiderio Chriſti, non minus licebit tibi nunc Chriſtum hoſpitio excipere, q̃ Martha excepit. Etſi enim Chriſtus aſcendit in cœlos, & ſedet ad dexteram Patris, non tamen ita ſeſe nobis ſubtraxit, ut non etiam nobiſcum conuerſetur, & hoſpitiis excipiatur. Primum. n. excipitur hoſpitio noſtro, ſi Euangelion eius per fidem excipimus. Dicit enim: Si quis diligit me, ſermonem meũ ſeruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & manſionem apud eum faciemus. Deinde excipitur etiam hoſpitio per ſacramentum cœnæ Dominicæ. Cum. n. in cœna porrigat nobis corpus & ſanguinem ſuum, quid aliud faciat, quàm q̃ offerat ſeſe totũ hoſpitio noſtro excipiendum? Poſtremo excipitur & hoſpitio in abiectis, miſeris, & afflictis hominibus. Dicit enim: Hoſpes eram, & collegiſtis me. Et quomodo hoc factum ſit, mox explicat: Quodcunq̃, inquiens, uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Eſt autem hic hoſpes Ieſus CHRISTVS theſaurus omnium cœleſtium bonorum, & ubi hoſpitio excipitur, ibi uenit etiam comitatus omni benedictione. Quare excipiamus tantum hoſpitem obuiis ulnis, ut benedictionem conſequamur. Sed perſtringamus ea, quæ in hac hiſtoria præcipue obſeruanda propo-

Chriſtus quo modo excipiatur a nobis hoſpitio.

nuntur. Sequitur: Huic erat ſoror, nomine Maria, quæ etiam ſedẽs ſecus pedes

Domini, audiebat uerbum illius. Martha autem satagebat circa frequens ministeri-
um. Hic uides proponi duas mulieres, similis quidem affectus erga Christum, sed
dissimilis ingenii. Maria. n. tranquilla est, Martha autem negocioſa, Maria sedet ad
pedes Iesu, & obseruat sermonem eius, Martha sursum deorsum in domo discurrit,
& curat, ut res domestica ordine administretur. Eadem de Maria & Martha signifi
cat etiam Euangelista Ioannes capite undecimo. Porro, sunt qui ex his duabus mu-
lieribus fecerunt duo genera uitæ, alterum contemplatiuum, alterum actiuum. At
que hoc quidem non dictum est male, sed est male explicatum. Vitam enim cõtem
platiuam interpretati sunt pro monastica, actiuam autem, pro artificio manuario
& negociis ciuilibus. Sed qui ex contemplatiua fecerunt monasticam, hi & si nõ uer
bis, tamen uerborum suorum sensu damnarunt omnes homines, qui non fuerunt
monasticæ professionis. Nam Christus postea dicit, unum esse necessarium, & per
unum illud intelligit, opus Mariæ. Si ergo Maria adumbraret monasticã uitam,
necesse esset, aut omnes homines profiteri uitam monasticam, aut omnes damna-
ri. Sed sinamus hanc expositionem autoribus suis, nos autem persequemur ueram
sententiam, quam ipsa historiæ uerba perspicue afferunt. Huic, inquit, erat soror
nomine Maria, quæ etiam sedens secus pedes Domini, audiebat uerbũ illius. Mar-
tha autem satagebat circa frequens ministerium. Quæ stetit, & ait: Domine, nõ est
tibi curæ, q̃ soror mea reliquit me solam ministrare? Dic ergo illi, ut me adiuuet.
Et respondens, dixit illi Dominus, Martha, Martha sollicita es, & tumultuaris cir
ca multa. At qui unum est necessarium. Maria bonam partem elegit, quæ non aufe
retur ab ea. Martha accusat sororem suam ignauiæ, sed Christus defendit eam, &
reprehendit Martham magna seueritate. Quid ergo? num Christus reiicit negocia
Marthæ tanquam inutilia, & sibi ingrata? De hac re prudenter iudicandũ est. Chri
stus enim non damnat hoc loco opera manuum, & negocia domestica. Hæc enim
sunt sanctificata uerbo Domini in cultum Dei. Salomon ait: Probam mulierẽ quis
inueniet? Ea præstat gemmis. Tractat lanam, & uoluptati ei est officium suum face-
re. Accingit lumbos accurate, & corroborat brachia sua, manum suam admouet
ad colum, & tractat fusum. Hæc & alia multa officia probæ matrisfamilias enume-
rantur à Salomone, ut testetur ea placere Deo, & esse cultum Dei. Et Paulus ait: Vo
lo iuniores uiduas nubere, liberos gignere, domum administrare. Et ad Titum, ad
monentur mulieres, ut sint custodes domus, quæ, quid aliud docent, q̃ domestica
negocia mulieꝝ esse opera sancta: Sic & aliàs, opera manuũ cõsecrant in cultũ Dei.
Psalmus ait: Labores manuũ tuaꝝ quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit. Et
ad Ephesios præcipitur seruis, ut obediant dominis iuxta carnẽ, tanquã Christo,
tanq̃ serui Christi, seruientes Domino, & non hominibus. Et additur: Illud scien-
tes, q̃ unusquisq̃, quod fecerit boni, hoc reportabit à Deo, siue seruus fuerit, siue li
ber. Quare, ut nec seruoꝝ seruilia & agrestia opera, ita nec mulieꝝ domestica opera
à Christo dãnantur, sed damnatur in Martha uana præsumptio de suis officiis, &
falsa opinio de opere Mariæ. Existimauit enim, sola sua officia esse uerum & neces
sariũ cultum, quo Christus honoraretur, Mariæ aũt opus non esse nisi socordiã &
ignauiam, quæ iure reprehendi debeat. Quid uero hac opinione uanius, quid con
tumelioſius? Quare Christus reprehẽdit Martham seueriter, & confert per antithe
sim opus Marthæ cum opere Mariæ, & alterum alteri longe præponit: Martha, in
quiens, tu sollicita es, & tumultuaris circa multa, Maria autem unum tantum agit,
sed uno illo officio longe magis me colit, q̃ tu officiis tuis multis. Non damno ipsa
negocia tua, quæ sunt officia matrisfamilias, & sentio ea in suo ordine non esse
inutilia,

Vita contemplatiua & uita actiua.

Opera manuum & domestica negocia non damnantur.

Christus præsumptionem Marthæ reprehendit.

inutilia, sed tumultus ille tuus non placet mihi, & abominor opinionem tuam, qua putas me solis his domesticis officiis maxime omnium delectari, & sedentariã quie tem ororis tuæ fastidire. Nam, ut dicam quod res est, multa quidem officia tua honesta & utilia sunt, unum autem illud officium, quod facit soror tua, uere bonum & necessarium est. Quid ergo, inquies, illud unum est, quod Christus necessarium pronunciat: num monastica professio? Absit. Etsi enim hæc tolerabilis sit, si abfuerit impietas, tamen non est ad salutem necessaria. Sed hoc illud necessarium est, quod Euangelista antea perspicue explicuit: Audiebat, inquiens, sermonem illius. Hæc quis est sermo Christi? Certe non est alius, si de proprio eius officio loquaris, q̃ Euangelion, q̃ propter ipsum contingat remissio peccatorum & uita æterna per fidem. Ergo audire Euangelion Christi, & fide excipere, hoc unum illud necessariũ est, de quo Christus hic loquitur. Nam ubi est auditus Euangelii, ibi est cœleste illud organon, per quod Deus operatur in hominibus fidem. Fides enim ex auditu est. Vbi autem est fides, ibi est remissio peccatorum, placatus pater, adoptio in filios Dei, uictoria mortis & inferni, ac ius hæreditatis omnium cœlestium bonorum. Adhæc, ubi fides est, ibi est comitatus optimarum & pulcherrimarum uirtutum, quæ uelut ancillæ dominam suam fidem præcedunt & sequuntur. Præcedit enim fidem, agnitio peccatorum, quæ est primus gradus ad consequendam fœlicitatem. Sequuntur autem eam, omnia illa, quæ ex fide oriuntur, ut sunt, inuocatio Dei, ueneratio nominis Dei, dilectio ptoximi, adeoq; omnia dilectionis opera. Præterea, ubi est fides, ibi est & sanctificatio omnium ciuilium operum, in magistratu, in artificiis manuariis, in negociis domesticis, atq; adeo in omnibus personalium uocationum operibus. Et quia nunc est nobis sermo de Martha, uideamus etiam, quam rationem coram Christo opera eius habeant. Martha seruit Christo ornando domũ, & parando cibum. Quanq̃ autem displiceat Christo tumultus & nimia cura Marthæ, placent tamen ipsi domestica eius negocia. Vnde ergo placent? num quia apparent honesta & composita? hoc quidem non nihil est, sed nisi Martha ipsa placeret Christo per fidem, tantum abest ut delectaretur officiis eius domesticis, ut potius ea abominaretur. Si enim abominatur sacrificia, si ipsam etiam orationem, quæ est absq; fide, abominatur, quanto magis abominatur domestica mulieris negocia, si mulier fide careat, & displiceat. Itaq; fides non tantum est fons omnium uirtutũ, sed etiam est sanctificatio omnium officiorum, quæ personalis uocatio exigit. Vbi autem non est fides, ibi nec est remissio peccatorum, nec placatus pater in cœlo, ibi Satan dominatur, ibi non sunt ullæ bonæ uirtutes, etsi species quædam uirtutũ emicet, ibi omnia sunt maledicta, & damnata. Da pacem, da exrernam morum honestatem, da rerum omnium abundantiam, da diuitias, da corporis sanitatem, da quicquid hic mundus admiratur: hæc omnia etsi in suo ordine bona sint, tamen si abfuerit fides in Christum, non possunt nos seruare in morte, nec liberare ab æterna damnatione. Sola fide superamus mortem & infernum, propter Christũ. Fides autem datur ex auditu Euangelii de Iesu Christo. Auditus igitur Euangelii, unum illud ita necessarium est, ut præ omnibus aliis operibus capessere debeamus. Atq; hic uide mihi, q̃ honeste, quàm grauiter, etiam leges rerum publicarum de hoc necessario iudicent. Nam in politia Mosaica instituta fuit obseruatio sabbati, magna tum autoritate tum seueritate. Deus enim ipse ait: Memento ut diem sabbati sancti fices. Non facias in eo omne opus, tu & filius tuus & filia tua, seruus tuus & ancilla tua, iumentum tuum & aduena, qui est intra portas tuas. Sed & hunc diem commẽdauit Dominus, & ornauit magno miraculo in deserto. Cum. n. manna repositum

Euangelium unum, necessarium ad salutem.

Fidei utilitas & comitatus

Fides sanctificatio omnium ciuiliũ operũ

Euãgelion necessario audiendum etiam leges publicæ præcipiũt

aliis diebus uermibus scateret & computrescceret, repositum autem in sabbatũ nec uermibus scatebat, nec computrescebat, quemadmodũ in Exodo, capite decimo sexto scribitur. Adde huc & seueritatem eius supplicii, quo diuina sentencia affectus est is, qui in sabbato ligna tantum collegerat, ut testatur liber Numerorum, cap. 15. Quid ergo sibi uult tanta autoritas & seueritas in exigenda obseruatione sabbatis? num q̃ hic dies coram Deo aliis sanctior sit? Minime omnium. Omnes enim dies sunt bonæ creaturæ Dei, & æqualiter coram Deo sancti. Et quamuis scriptum sit, Deum requieuisse die septimo, tamen Christus interpretatur dicens: Pater meus operatur usq̃ nunc, & ego operor. Sed exigitur sabbatum, ut unum illud necessarium, quod est, audire uerbum Dei, & ueram religionem discere, publice obseruetur & conseruetur. Quod de sabbato in politeia Mosaica dicitur, hoc idem sentiẽdum est de die dominico in politeia Christianonum. Hunc enim diem maiestas legum ciuilium ita ueneratur, ut cogat ei cedere non solum opera ciuilia, sed etiam publica iudicia, & quicquid est contentionum forensium: Omnes, inquit, iudices, urbanæq̃ plebes, & cunctarum artium officia, uenerabili die Solis quiescant. Et iterum: Dominicum diem semper honorabilem decernimus uenerandum, ut à cunctis executionibus excusetur, nulla quenq̃ urgeat admonitio, nulla fideiiusionis flagitetur exactio, taceat apparitio, aduocatio deliteſcat. Sit ille dies à cognitionibus alienus, præconis horrida uox fileſcat, respirent à controuersiis litigantes. Vnde huic diei tanta sanctitas, q̃ dignetur ipsi publicis suis iudiciis cedere summa in terris maiestas? Certe non habet tantam sanctitatem à seipso. Dies enim dominicus, quod ad se attinet, nihil ab aliis diebus differt, sed quicquid sanctitatis habet à uerbo Dei habet, quod eo die publice prædicatur & auditur. Cum igitur maiestas legum magna grauitate exigat, ut omnia, tam publica q̃ priuata, officia ciuilia dominico diei cedant, perspicue ostendit, q̃ sancte de uno illo necessario, quod est audire uerbũ Dei, ac discere ueram religionem, iudicet, & manifeste declarat, se unum hoc quærere, ut publicum ministerium uerbi Dei in ecclesia conseruetur, & ut homines unum illud necessarium, uidelicet auditum uerbi Dei, è quo uera religio discitur, & uera salus acquiritur, q̃ diligentissime sectentur. Iam & maiores nostri insignierunt dominicum diem publica duorum dierum, qui præcedunt, sobrietate. Solenne enim fuit, feriã sextam & sabbatum, qui dies præcedunt dominicum, singulari præ aliis diebus sobrietate uenerari. Non approbamus quidem superstitionem hypocritarum, qui & habent ex superstitione delectum ciborum, & promittunt sibi ex merito ieiunii sui remissionem peccatorum, sed commendamus disciplinam & honestatem publicorum morum. Voluerunt enim maiores nostri, ut his duobus diebus ante dominicum, nec nuptiæ, nec alia publica conuiuia celebrarentur, non q̃ hæc per se sint illicita, nec q̃ ex meritis ieiuniorum constet expiatio peccatorũ, sed ut sobrietate duorum dierum homines redderentur aptiores ad sectandum unum illud necessariũ, hoc est, ad audiendum uerbum Dei, & ad percipiendam doctrinam religionis in die dominico. Non senserunt de his diebus superstitiose, sed iudicauerunt sancte de uno illo necessario, sine quo, si ordinariam Dei administrationem respicias, non contingit nobis nec uera fides, nec uera salus. Et quàm sancte illi iudicarunt, tam prophane nunc nos peccamus, q̃ his temporibus, quibus delectus ciborum alicubi sublatus est, soleamus publica conuiuia plærunq̃ in uesperam sabbati reiicere. Quomodo.n. mane conuenies sobrius ad concionem uerbi Dei, non priori tantũ uesperi, sed per totam fere noctem uinum ingurgitans? Quòd si non attuleris sobrietatem, quid speras te ex uerbo Domini consecuturum? Ebriosi, inquit Paulus, nõ accipient

Sabbati obseruatio seuere præcepta à Deo.

Diei dominicæ obseruatio apud Christianos.

Dies dominica à maioribus insignita.

accipient hæreditatem regni Dei. Quis sit? quia præcludunt ebrietate sua uiam spiritui sancto, ut nec uerbum Dei percipiant, nec per uerbum Dei fidem concipiant. Sectemur igitur sobrietatem, ut & eo cõmodius ac utilius, unum illud necessarium, quod est, audire uerbum Dei, & discere ueram religionem, sectari queamus. Iam & hoc mihi uide, q̃ sancte Deus ipse de hoc necessario iudicet. Nam quæcunq; publica officia in hoc seculo instituit, quæcunq; dona, siue corporalia siue spiritualia, cõfert, ea oia huc respiciunt, ut cõseruetur in orbe terrarum ministeriũ uerbi Dei, quo hoies, de uera religione erudiantur. Institutus est diuina ordinatione magistratus ciuilis, ad quid? dices quidem, ac cõseruandam pacẽ & honestatem ciuilem, sed in quem aliũ finem ea pax magis respicit, q̃ ut liceat audire uerbum Dei, & discere ueram religionẽ? Quantum putas hoc esse ministeriũ, cui etiam ipse Cæsar, ac principes seruiunt? Datur nobis benedictio frumentorum, ad quid? Ad alendũ corpus. Recte; sed num ideo uiuimus, ut edamus? Nihil minus, sed uiuimus, ut discamus ueram religionem, ut cognoscamus Deum, & salutẽ cõsequamur. Igit̃ ministerio uerbi Dei seruiunt oẽs tam agri q̃ agricolæ. Hoc em̃ unum illud necessarium organõ est, quo Deus est efficax ad salutẽ omni credenti. Quod cum ita sese habeat, agite amicissimi, pendeamus exemplo Mariæ ab ore Christi, audiamus sermonem eius, & reponamus eũ fide, ut tandẽ optata fœlicitate fruamur, per Christũ Iesum Dñm nostrũ, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus laudandus in secula. Amen.

Ebrioſi excluduntur è regno Dei.

Officia publica & oia dona ad conſeruandum miniſterium uerbi Dei inſtituta

CAPVT VNDECIMVM

HOMILIA. XCVII

DIDICIMVS paulo ante epitomẽ oĩm diuinarũ legũ, quæ tam in lege q̃ in prophetis continent̃. Discamus nunc epitomen oĩm piarum precũ seu orationũ, quæ sparsim in tota scriptura inueniunt̃:

Factum em̃ est, cum esset Iesus in quodam loco orãs, ut cessauit, dixit unus ex discipulis eius, ad eũ: Domine, doce nos orare, sicut docuit Ioannes discipulos suos. Cum ergo de oratione dicẽdum sit, primũ oĩm obseruari debet, ꝙ necesse habeamus orare. Etenim, quemadmodum Deus in aliis decalogi præceptis exigit, ut non occidamus, non furemur, non adulterium cõmittamus, ita in primo & secundo præcepto exigit, ut oremus. Nam cum dicit: Ego sum Dominus Deus tuus, non habebis alienos Deos coram me. Et, non assumes nomen Dñi Dei tui in uanum, perspicue significat, in unum solum Deum credendum, & unum solum Deum inuocandum & adorãdum esse. Et in psalmo: Inuoca me in die tribulationis & eripiam te. Ac Christus ipse ait: Oportet semper orare & non defatigari. Et iterum: Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Sed longum esset oẽs scripturæ sententias enumerare, in quibus exigitur, ut precemur. Quare sicut homicida aut fur grauissime peccat homicidio & furto suo, ita non minus grauiter coram Deo peccat, qui non orat in afflictiõe sua. Et cum is qui orationẽ negligit, tam horribiliter peccet, quid obsecro, de illo sentiendum est, qui non solum non orat, sed etiam maledicit & execratur Deum ac homines? Deinde uocat nos Deus ad orationem, non tm̃ præceptis, sed etiam promissis suis. Prope em̃ est Dominus oĩbus inuocantibus ipsum

Orare neceſſe habemus.

Ad orationẽ præceptis & promiſſis Dei inuitamur.

in ueritate. Inuoca, inquit, me in die tribulationis & eripiam te. Et iterũ: Dilata os tuum, & implebo illud, hoc est, ora, quantacunq; uelis, & ego exaudiam ac uotis tuis satisfaciam. Et aliàs: Omnis, qui inuocauerit nomẽ Dñi saluus erit. Ac rursus: Omnis qui petit, accipit, & qui quærit, inuenit, & pulsanti aperietur. Adhæc, inuitat nos ad orandum exemplum Christi. Hic enim & si nullum unq; peccatũ fecit, & fuit oĩm diuinarum rerum conscius, quippe q̃ sit unigenitus filius Dei, frequentissime tamen ad orandum secessit. Quid ergo nõ faceremus nos, in peccatis cõcepti & nati, atq; diuini auxilii quouis momento indigentes? Præterea incitent nos ad orationem exempla oĩm sanctorum. Hi enim cum agerent ætatem suam in terris, reputarũt orationem unicum suum solatium & asylum in omnibus afflictionibus. Sunt autẽ sancti nobis propositi, iuxta suam rationẽ in exempla rerum agendarum. Sit ergo oratio etiam nostrum asylum, ad quod in afflictionibus confugiamus. Nam orationẽ adumbrat nobis cultus thymiamatis, qui in Exodo capite tricesimo describitur: Adolebit (inquit) Aheron incensum super altari suaue fragrans. Mane q̃ componet lucernas incendet illud, & q̃ collocat eas ad uesperum, & thymiama sempiternum coram Domino in generationes uestras. Hic cultus nõ placuit Deo ex merito operis, ut uocant, operati. Sed docuit & admonuit frequenter orandum esse, quemadmodum exponit Psalmus. Dirigatur inquiens oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, & eleuatio manuum mearũ sacrificium uespertinum. Et hoc est quod placuit Deo in cultu thymiamatis. Postremo uocat nos ad orandũ non tantum orationis dignitas, sed etiam utilitas ac necessitas. Nam oratio quid aliud est, quàm familiare colloquium cum Deo? Maximæ autem dignitatis est cũ Deo familiariter colloqui: quid enim potest huic deesse, qui ad familiaritatem Dei admittitur? Et cum Deus promiserit se orationẽ ex fide exauditurũ, nos aũt nullo nõ momento indigeamus præsentaneo Dei auxilio, propter uarias afflictiones, quæ nos semper circumstant, oratio non tantum affert nobis ingentes cõmoditates, uerũetiam necessitas urget, ut oremus, si modo uoluerimus in nostris malis seruari. Habes breuissimis q̃ orationis opus non sit inter ea opera recensenda, quæ iuxta refert uel facere uel omittere, sed inter ea quæ seueriss ime exigunt. Audiamus nũc qua causa, quo fine orandum sit. Orandum enim est, non ut uideamur ab hoĩbus iusti: nã hanc orationis hypocrisim damnat ipse Christus disertis uerbis apud Matthæum ita dicens: Cum oraueris non eris quẽadmodum hypocritæ, nam illi solent in conciliabulis & angulis plateaũ stantes orare, quo cõspicui sint hoĩbus. Amen dico uobis, q̃ habent mercedem suam. Ergo ne inquis, non est publice ne in ecclesia quidẽ orãdũ? sed audi tu uicissim qui hæc obiicis. Christus nõ dãnat publicã disciplinã, sed dãnat hypocrisim. Ecclesia aũt in qua cõueniũt ad orandũ, est publica schola Christianoũ, in qua cũ publice oraũt, docentur hoĩes quomodo & quid priuatim ac sine intermissiõe orandũ sit. Quare nõ reiiciunt publicæ preces in ecclesia, sed reiicit priuata impioũ hypocrisis, quã in publico exercent, nõ ut uerè orent, sed ut fiant hoĩbus cõspicui. Quo ergo fine orandũ est? hoc nimiũ fine, ut obediamus Deo, & ut impetremus a Deo per orõem oĩa q̃ nobis necessaria ad salutẽ nostrã tũ corporalẽ tũ spũalẽ diuinitus pmissa sunt. Quid audio? nũ duo sunt Christi alter Iesus, alter orõ? nõne tota scriptua docet, q̃ tñ propter Christũ per fidẽ q̃ est in ipsũ, impetremus ea quæ ad salutẽ nostrã necessaria sunt, quid ergo opus habemus orationẽ? aut si oratio impetrat, quid opus habemus Christo? cur descendit de cœlo & passus est? cur nõ potius docuit nos per angelũ quendã orationẽ si orõ impetrat à Deo salutẽ? Hic mihi obseruandũ est q̃ multi sint imperiti, ne quid grauius dicã, hoĩes, qui putant orõem salutem impetrare propter operis dignitatẽ, p

Oratio asylũ & solatium in afflictiõibus.

Orationis dignitas, utilitas & necessitas.

Preces publicæ non reijciuntur.

pter longitudinem precularum,& propter multiloquium. Sed Christus hanc opinionem perspicue dānat: Orantes, inquiens, ne sitis multiloqui, sicut Ethnici. Putant enim fore, ut ob multiloquiū suū exaudiant. Ne igitur efficiamini similes istorum. Vide quàm seueriter de hoꝝ hoim opinione iudicet. Vocat eā, ethnicismū. Ethnici autem fuerunt idololatræ. Quare, qui sentit se salutem impetrare à Deo ꝓpter meritū orationis suæ, is designat idololatriam. Quòd aūt impetramus salutē per orationem, nō fit, uel propter uerba ipsa orationis, nec fit propter meritum huius operis, sed fit propter misericordiam Dei promissionibus reuelatam, adeoq; fit ꝓpter Iesum Christum, in quo oēs promisiones Dei sunt etiam & amen. Nam in oratione necesse est aut cōmemorare sua merita, aut implorare alienā misericordiam. Nulla aūt sunt merita nostra, quæ possimus corā Deo cōmemorare. Necesse igitur est, ut ad diuinam misericordiā confugiamus. Diuina aūt misericordia non cognoscitur nisi ꝓ promisiones, aut ꝓ Iesum Christum, qui est oīm diuinarū promissionum summa. Itaq; necesse est, ut oratio scrutet diuinas promisiones & arripiat Iesum Christum. Vbi aūt promisiones Dei arripiunt, ibi fides concipit, conseruatur, & auget. Fides aūt in Christum, organon illud est, quo promissa & impetrata in Christo beneficia excipiuntur. Dicit enim Christus: Misit Deus filium suū in hunc mundum, ut oīs qui CREDIT in eum, habeat uitā æternā. Et iterū: Quæcunq; petieritis in oratione CREDENTES accipietis. Ac rursus: Omnia possibilia sunt credenti. Cū igit fides accendat & inflāmetur per orationē, & sit organon, quo beneficia Dei propter Christū excipiunt, recte dicit oratio impetrare promissa Dei, nō ꝓpter uerba orationis, aut meritum huius operis, sed propter Christū per fidē. Atq; hæc præcipua ratio est, propter quam oratio à nobis exigat. Videamus aūt nunc, quomodo sit orandū. Ac primū, orandū est ex fide. Nam cū oratio scrutetur promisiones Dei, quæ fidē requirunt, necesse est ut oratio constet fide. Fides aūt est, nō quā humana caro imaginat, quemadmodū sæpenumero docuimus, sed quæ habet uerbū Dei, & quæ ex uerbo Dei concipit. Verbū aūt Dei promittit gratuitam misericordiā Dei per Christū. Oportet igit in oratione credere, ꝙ Deus uelit nos seruare ex gratuita sua misericordia propter Christū. Deinde orandū est etiam uerbis, nō ꝙ multitudo uerborū mereat exaudiri, sed ꝙ organo uerborum accendatur & inflāmetur fides, qua sola ꝓpter Christum salus impetrat, quemadmodū iam indicauimus. Ac multæ quidē sunt oratiōes, multi psalmi in scriptura, quos utile est cognoscere, & pro sua ratione cōmemorare. Sed sicut Christus totā legē in breue cōpendium contraxit, dicens: Diliges Dīm Deum tuū toto corde, tota anima, & oībus uiribus tuis, ac proximum sicut teipsum. Hæc enim est lex & prophetæ, ita contr it nunc in breue cōpendium omnes sanctorum orationes & psalmos, ut oratio dominica, quæ nobis hoc loco proponitur, nihil aliud sit quàm epitome oīm piarum ptecū. Nec ulla res est, diuinitus ꝓmissa, & à Deo impetrabilis, cuius petitio, non in una aliqua huius breuissimæ oratiōis parte cōtineat. Obseruandum igitur est, ꝙ hæc oratio, quam uocamus dominicā, duabus partibus cōstet, altera cōtinet exordiū, altera septē ex ordine petitiones. Dicamus aūt nunc de exordio. Nā explicationē septē petitionum, reiiciemus in eā, quæ secutura est, homiliā. Ait ergo Christus: Cū oratis, dicite: Pater noster, qui es in cœlis. Hoc est exordiū dominicæ orationis. Et est aptissimū tā homini oranti, q̄ Deo, qui oratur. Nā cū Deus uocat pater, fides orantis statim ita confirmat, ut audeat alacri fronte Deo calamitates suas exponere, & ab ipso auxiliū petere. Si enim pater noster est, habet & paternū ergo nos animū. Paterni aūt animi est, VELLE filio suo in oībus afflictioni-

Oratio debet fide constare.

Oratio dominica, epitome omnium piarum precum.

cc

bus ſubuenire. Ab alieno quidē uiro fortaſsis nō eſt expectanda ppicia ſubuenien-
di uoluntas, à patre aūt eā uolūtatē certo ſperare licet. Sed dices: Sæpenumero of
fendi Deū patrē, & timeo, ne me exhæredauerit, tm̄ abeſt, ut ſperē, ipſū preces meas
exauditurū. In hac tentatione confugiendū eſt ad Chriſtū. Is em̄ iuſsit nos Deum in
uocare, ut patrē, qui cū ſit ueritas, nō docuit nos mendaciū dicere. Et is etiā reconci
liauit nos Deo, ac impetrauit, ut quotquot in ipſum credunt, adoptentur in filios
Dei. Quare ſi peccata auocant nos ab oratione, Chriſtus, q̄ peccata expiauit, ad o-
rationē nos reuocet, ut cōſtāti fide auxiliū Dei imploremus. Accedit huc & epithe
ton patris, quod eſt. Qui es in cœlis, ſeu cœleſtis. Nā hoc epitheto fides itē confir
matur. Habet em̄ & unusq; ſuū in terris patrē. Sed hi patres, ſæpenumero quidē
uolunt, ſed nō poſſunt periclitantes filios ſeruare, & ſæpenumero poſſunt, ſed præ
inhumanitate nolunt ſeruare. In cœlis aūt talē habemus patrē, qui cū pater ſit, uult
ſeruare, & cū cœleſtis ſit, poteſt etiā ſeruare, quia eſt omnipotēs. Cœlū, inq̄s, & ter
ram ego impleo. Et iterū: Cœlū mihi ſedes eſt, & terra ſcabellū pedū meorū, hoc
eſt, ſum oīpotens. Ergo cū in exordio orationis dominicæ uocamus Deū, patrē cœ
leſtē, confirmamus ex his epithetis fidē noſtrā, ut certificemur Deū & uelle & poſſe
nos exaudire, atq; in oībus afflictiōibus ſeruare. Iā, hæc epitheta nō tantū apta ſunt
ad cōfirmandā fidē noſtrā, ſed etiā ad cōmouendū animū Dei, quo preces noſtras
exaudiat. Patris em̄ noīe excitat̄ affectus paternus in Deo. Is aūt excitatus nō poteſt
ſe continere, quin effundat oēm clementiā erga filiū ſuū. Affectus em̄ paternus in
Deo, ſuperat oēm naturalē parentū huius ſeculi affectū. Apud Eſaiā em̄ dicit: Num
quid obliuiſci poteſt mulier infantē ſuū, ut nō miſereat̄ filio uteri ſui? Et ſi illa oblita
fuerit, ego tm̄ nō obliuiſcar tui. Et poſtea ait Chriſtus. Quis ex uobis pater, à quo ſi fi
lius petierit panē, nū lapidē dabit illi? aut ſi piſcē, nū pro piſce ſerpentē dabit illi?
aut ſi petierit ouū, nū porriget illi ſcorpiū? Si ergo uos cū ſitis mali, noſtis bona da
re filiis ueſtris, quanto magis pater ueſter cœleſtis dabit ſpiritū ſanctū poſcentibus ſe.
Nō poteſt igit̄ animus Dei certius ad miſericoediā cōmoueri, q̄ ſi patris nomine ex
fide appellet̄. Porro in hoc exordio addit̄ & NOSTER. Confirmat etiā hoc uoca
bulū fidē noſtrā, & admonet nos præterea mutuæ dilectionis. Nā cū Chriſtus nos
oēs in unū NOSTRI uocabulū concluſerit, perſpicue ſignificat cōmunionem eſſe
ſanctorū, ac preces quoq; cōmunes eſſe, nec quenq̄ pro ſe uno tantū in oratione do
minica orare, ſed etiā pro oībus membris eccleſiæ. Vbi aūt nō unus tantū pro ſe,
ſed innumerabiles pro ſe inuicē orant, ibi fides orantis confirmat̄, & de exaudītiōe
certificatur. Admonet & nos hoc uocabulū mutuæ charitatis. Si em̄ unū oēs patrē
cœleſtē habemus, quid alter alterū, præ arrogantia faſtidimus? q̄d inuidemus? Cer
te qui contēnunt proximū ſuperbe, & inuident, hi orationē dominicā, ut maxime
uerbis crepent, tm̄ ne inchoare quidē uere poſſunt, tantū abeſt, ut quicq̄ impetrare
queant. Quare precaturi abiiciamus primū hypocriſim, deinde impiā de merito
multiloquii opinionē, abiiciamus & incredulitatē arrogantiā atq; inuidiā, cōcipia-
mus aūt fidē, ut ex fide orantes, uerā cōſequamur ſalutē ppter Ieſum Chriſtū Dn̄m
noſtrū, q̄ eſt unà cū Patre & Spiritu ſancto Deus laudandus in ſecula Amen.

Deus pater & poteſt & uult nos ſeruare.

Affectus paternus in Deo.

Cōmunio ſanctorum & preces cōmunes.

HOMILIA XCVIII.

Sanctificare quid ſit?

EXplicuimus heſterno die exordiū dominicæ orationis, expli-
cemus hodie petitiones, quæ in ea continent̄. Continent̄ aut̄
ſummatim in ipſa ſeptē petitiones. Harū prima eſt. Sanctifice
tur nomē tuū. In hac petitione, nō precamur ut nomē Dei in
ſeipſo ſanctū fiat, q̄ppe q̄ in ſe ſemper ſanctiſsimū ſit, ſed preca
mur ut nobis ſanctificetur. Porro ſanctificari in hoc loco eſt re-

uelari, obseruari, glorificari, honorari, ac uere cognosci. Magnificabor, inq̃t apud Ezechielẽ, & sanctificabor & notus ero in oculis multarũ gentiũ, & scient quia ego Dñs. Nomẽ aũt Dei, quemadmodũ Mosi in Exodo cap. 34. reuelat, est clemens, misericors, uerax, seuerus, reddens iniquitatẽ patrũ filiis ac nepotibus in tertiam & quartam generationẽ, omnipotens, sapiẽs, iustus, longanimis, patiens, & quicquid est illorũ epithetorũ, quæ scriptura tribuit Deo. Primum ergo precamur in hac petitione, ut maiestas horum epithetorũ Dei nobis reueletur, & à nobis uere cognoscatur. Nam si obruamur afflictionibus, nunq̃ credimus natura nostra, Deũ tã clementẽ & misericordẽ esse, q̃ uelit nos seruare. Si res extrinsecus desperaræ sint, nunquã credimus Deũ tã potentẽ, qui possit, & tã sapientẽ esse, qui sciat nos in rebus iã deploratis seruare. Si res tranquilla fuerit, & impietas fœliciter succedat, nunq̃ credimus Deũ tã seuerũ iudicẽ esse, q̃ impietatẽ puniturus sit. Imaginamur em̃ nec Satanam tã terribilẽ, quàm pingit, nec infernũ tã feruidũ q̃ prædicat. Si promissiões Dei differant, & oia diuersa appareant, nunq̃ credimus Deũ tã ueracẽ esse, q̃ præstiturus sit q̃ promisit, breuiter, neq; in prosperis neq; in aduersis maiestatẽ nõis Dei satis digne ac perfecte agnoscimus. In hac igit̃ prima petitione precamur ut maiestas & sanctitas nominis Dei nobis perspicue reuelet, quo & uere cognoscamus ipsũ & fidem nostram confirmemus. Deinde quia nomen Dei reuelatur & cognoscitur prædicatiõe uerbi Dei, miraculis, & uariis diuinorũ operũ exemplis, precamur etiã hac petitiõe, ut Deus reuelet & conseruet inter nos prædicationẽ uerbi, ut fortunet oia, quæ ad conseruandũ ministeriũ prædicandi uerbi Dei pertinẽt, ut illustret miracula sua, ut uaria ædat exẽpla. quibus maiestas nõis eius cognoscat. Postremo qa nomẽ Dei, pphanat incredulitate, impietate, idololatria, magia, hæresi, hypocrisi, arrogantiã, elatione animi, & impura populi Dei uita, precamur hac prima petitione, ut Deus aboleat tã publice q̃ priuatim oẽm cordis incredulitatẽ, oẽs impietates & idololatrias, oẽs magicas artes & hæreses, oẽm deniq; hypocrisim, arrogãtiã impiã & sceleratã uitã populi Dei, ut lux eoꝝ luceat corã hoibus, ut uideãt opera eorum bona, & glorificẽt patrẽ, q est in cœlis. Habes breuissimã petitionẽ, sed in qua multa plura & maiora cõprehendunt, q̃ ut paucis explicari queant. Huc em̃ ptinẽt oẽs psalmi & orationes, in qbus petit, ut gloria Dei, pmoueat, ut Deus illustret uultũ suũ sup nos, ut Deus exaltet, prædicet & laudet in tota terra. Secũda petitio est:

Adueniat regnũ tuũ Quidam nõ Deus regnauit iã inde ab initio orbis cõditi? cur ergo iubemur orare, ut nunc primũ adueniat regnũ Dei? Obseruandũ igit̃ est, q̃ in hac petitiõe nõ fiat sermo de eo regno, quo Deus oia tã in cœlo q̃ in terra potenter administrat. Hoc em̃ regnũ Dei semp ab orbe condito fuit, sed de eo regno, quod Deus pmisit p pphetas, in orbe terraꝝ reuelandũ, & p Messiã suũ administrandũ, de quo cõcionat Esaias: Multiplicabit, inqens, imperiũ eius & pacis nõ erit finis. Super soliũ Dauid & super regnũ eius sedebit, ut cõfirmet illud & corroboret in iudicio & iustitia à modo & usq; in sempiternũ. De hoc cõcionat etiã Daniel cap. 2. In diebus, inqens, regũ illoꝝ suscitabit Deus cœli regnũ quod inæternũ nõ dissipabit, & regnũ eius alteri populo nõ tradet. Cõminuet aũt & cõsumet uniuersa regna hæc, & ipsum stabit in ætetnũ. Eteñ nõ solũ sacræ literæ in ppheta Daniele, de qua re aliàs sæpe diximus, ueꝝ etiã historiæ gentiũ tradunt quatuor præcipuas mõnarchias ac summa regna in hoc seculo fuisse. Primũ est Babylonicũ, secundũ Persicũ, tertiũ Græcũ, quartũ Romanũ. Et præter hæc fuerunt etiã alia mediocria regna. Nã & Pharao habuit regnũ in Aegypto, Dauid in Canaan, & alii reges in aliis locis. Sed hæc regna quantũcunq; potẽtia, sancta & honesta, nõ attulerunt subditis

Dei nomen

Dei nomen quomodo reueletur.

Prophanatio nominis Dei.

Regnum Dei

suis firmã iusticiam & fœlicitatem,& Satan in his ita dominatus est,ut in ipsis semp reperta fuerint,impietas & iniqtas,pauptas & calamitas,miseria & morbus,mors & perditio. Dñs igitur Deus noster pmisit p prophetas suos aliud regnũ, quod uocatur regnum Dei, seu regnũ cœlorum, per Messiam administrandum,in quo regno nulla sit nec impietas,nec iniquitas,nulla nec pauptas nec calamitas,nulla nec miseria nec morbus,nulla nec mors nec perditio,sed summa eaq; perpetua iustitia & fœlicitas. Iubet ergo Christus in hac secunda petitione orare,ut hoc cœleste regnum inter nos reueletur. Reuelatur aũt hoc regnum, primum prædicatiõe Euangelii,deinde secundo aduentu Christi in nouissimo die. Proinde oramus in hac petitione,ut Deus conseruet prædicationem Euangelii de Iesu Christo in toto orbe terrarũ,& ut Christus q̃ citissime aduenìat,quo reipsa pcipiamus ea, quæ nunc uerbis Euangelii prædicantur,& fide comprehendunt. Nam quemadmodũ in publica politicarum rerum confusione, omnium bonorum uotis expetuntur comitia principum,ut collato consilio,quæ dissipata sunt restaurentur,& sicut in dissensionibus ecclesiasticis ad synodos & Concilia appellatur,ita in tanta omnium rerum in regnis huius seculi iniquitate & calamitate, omnes pii ardentissimis uotis optant & precant,ut regnum Christi,hoc est,nouissimus dies aduenìat, qui dies erit uelut generale Concilium totius orbis terrarum, in quo omnes diuinæ ordinationes,per Satanam in hoc seculo turbatæ,ita restituentur in integrum, ut deinceps in perpetuum non queant aut turbari aut aboleri. Et hoc prius illud est,quod in secunda petitione precamur. Deinde petimus & alterum,uidelicet, ut Deus regnet in mortali nostro corpore,ne Satan sed Christus dominetur nobis. Nam cum simus in peccatis concepti & nati, dominatur nobis Satan,& impellit nos tã ad peccata q̃ ad interitum. Precamur ergo in secunda petitione,ut Christus expulso Satana ita dominetur nobis,ut præbeamus membra nostra serua iusticiæ ad sanctificationem & salutem. Tertia petitio: Fiat uoluntas tua,sicut in cœlo ita & in terra. In hac petitione non precamur, ut omnipotens & imperscrutabilis uoluntas Dei per sese fiat,& ut faciat Deus quod uult. Quis enim potest obsistere Deo,quo minus faciat,quod uult? Sed precamur, ut uoluntas Dei reuelata in nobis & per nos fiat. Voluntas enim Dei duplex est: Alia est omnipotens & imperscrutabilis, qua omnia administrat in cœlo & in terra. Hæc uelimus nolimus,semper promouet,semp efficax est,nec indiget nostra petitione,sed magna ueneratione adoranda est. Alia est uoluntas Dei reuelata & perscrutabilis. Et hæc est illa Dei uoluntas, quæ est reuelata VERBO Dei, primum quidem per Mosen ac prophetas, deinde per Christum & Apostolos. Ac per Mosen uult Deus,ut obseruemus præcepta Dei, & faciamus bona opera,ac si non perfecte fecerimus, uult ut agnoscamus peccata nostra. Per Christum uult Deus,ut credamus in ipsum,q; per ipsum solũ habeamus remissionem peccatorum,& placatum patrẽ in cœlis. Vult & Deus,tam per Mosen q̃ p Christum,ut aduersa patienter toleremus. Hæc est manifesta uoluntas Dei. Precamur igitur in hac tertia petitione,ut Deus largiatur nobis spiritũ sanctũ, quo credamus,quod uult à nobis credi, quo faciamus, quod uult à nobis fieri, quo & sufferamus,quod uult à nobis sufferri. Quomõ aũt hæc uolũtas Dei in nobis perfici debeat,addit: Quẽadmodũ in cœlo,sic etiã in terra. Aliud est cœlũ spirituale,aliud corporale. In spirituali cœlo sunt angeli,q; oẽs sunt spiritus administratorii, oĩa ad nutũ Dei,tpis etiã num momento,facientes. Sic Dñs præcepit angelo percutienti Hierusalẽ gladio pestis,dicens: Sufficit nunc,cõtine manũ tuã,& angelus cõfestim obediuit. Sic mãdauit Dñs angelo,ut multa millia hoĩm occideret in castris Assyriorum & statim

Regnum Dei quomodo reueletur.

Volũtas Dei duplex.

Volũtas Dei omnipotens & imperscrutabilis.

Volũtas Dei reuelata & perscrutabilis.

Cœlum spiri tuale.

oꝝ,& ſtatim angelus obſecutus eſt mandato Dei. Sed quid opus eſt plura exempla de obediẽtia angelorũ cõmemorare, qñ tota ſcriptura angelos præcipue ab hac uirtute cõmẽdet, qꝫ toti a Dño Deo ſuo pẽdeant, & oĩa ad nutũ eius faciant. In corporali cœlo ſunt, ſol, luna, & multitudo ſtellarũ, ut nõ addá ea, q̃ in aëre ſunt, q & ipſe cœlũ uocat. In hoc cœlo nihil eſt, quod imperiũ Dñi Dei ſui detrectet. Qui præcipit, inqt Iob, ſoli & nõ orit, & ſtellas claudit, quaſi ſub ſignaculo. Et iterũ: In manibus abſcõdit lucẽ, & præcipit ei ut rurſus adueniat. Ac mox: Qui p̃cipit niui ut deſcendat ſuper terrã, & hyemis pluuiis & imbri fortitudinis ſuæ. Breuiter, nihil eſt tã in ſpirituali q̃ in corporali cœlo, quod nõ ſummã obedientiã mandato Dei p̃ſter. Oramus igit in hac tertia petitione, ut Deus tribuat nobis ſpũm ſanctũ, q efficiat in nobis, ut nos terreſtres creaturæ ita obediamus uoluntati eius, quemadmodũ obediunt ei creaturæ cœleſtes. Quæ obediẽtia, & ſi nõ poſsit in hac uita pfecte in nobis cõpleri, poteſt tñ inchoari primiciis ſpũs, ut in futuro ſeculo decimis ſpũs fruamur. Atqꝫ hæc quidẽ precamur in tertia petitiõe. Explicemus nunc & quartã Panẽ noſtr̃ nutritiuũ, da nobis quotidie. In hac petitione, & ſi fiat tñ mentio panis, quo alimur, & in uita corporali cõſeruamur, cõprehendunt tñ in ea oĩa, quæ ad conſeruandã uitã noſtrã corporalẽ cõmoda, utilia, atqꝫ neceſſaria ſunt. Primũ eñ neceſſarius eſt magiſtratus ciuilis, qui cõſeruet pacẽ & tranquillitatẽ, ut alimẽta parari queant. Precamur igit in hac petitione, ut Deus det nobis prudentẽ magiſtratũ, q rẽpbe adminiſtret. Deinde ad parandũ alimentũ neceſſarii ſunt parentes & rutores, p̃ſertim pueris & orphanis, q p̃ ætatis imbecillitate nondũ poſſunt ſaluti ſuæ cõſulere. Precant igit pueri in hac quarta petitiõe p parẽtibus & tutoribus ſuis. Adhæc, ad parandũ uictũ familiæ neceſſarius eſt maritus uxori, & uxor marito. In hac igit petitione p̃cant cõiuges, alter, p alterius incolumitate. Præterea, ad acqrendũ alimentũ neceſſaria eſt agricultura, & artificia mechanica. Oramus igit in hac quarta petitiõe, p oĩbus agricolis & artificibus mechanicis. Deinde neceſſarius etiã uſus eſt ſeruorũ & ancillarũ. Precamur igit in hac petitione, ut Deus det nobis fideles ſeruos & ancillas. Quid plura? ad parandũ uictũ & amictum, neceſſaria ſunt, ſanitas corporis, ſalubris aer, pluuia, ſerenitas, iumentorũ incolumitas, & innumera alia. Quare cũ petimus panẽ quotidianũ, precamur nõ tñ, ut Deus tribuat nobis ſanitatẽ corporis, ſalubrẽ aerẽ, bonã rempeſtatẽ, & ut defendat iumenta noſtra, uerũetiam petimus innumera alia, quæ citius mente pcurri, q̃ uerbis explicari queant. Vides quantum copiæ cornu ſit, quarta hæc petitio. Obſeruabis aũt primũ, qꝫ hæc petitio admoneat nos clementiæ Dei. Nam cũ Chriſtus filius Dei doceat nos petere panem quotidianũ, pſpicue ſignificat, Dñm Deũ, pmiſiſſe, qꝫ uelit nobis oĩa præſtare, quæ ad uictũ & amictũ neceſſaria ſunt. Deinde admonet nos hæc petitio noſtræ conditionis. Nã cũ iubemur petere panẽ quotidianũ, palã declarat, nos oẽs eſſe mẽdicos corã Deo. Etſi enim ſint, qui multas poſsideant opes, tamen & has poſsident miſericordia, ſeu ut uſitatius loquar, eleemoſyna Dei, & niſi diuinitus benedicantur, fiet, quod propheta dicit: Comedent & non ſaturabuntur. Adhæc cum ad panem additur NOSTRVM, admonemur mutuæ charitatis. Nam cum hæc ſit cõmunis oĩm piorũ precatio, ſignificat hoc noſtri uocabulo, uictũ, quẽ diuina clemẽtia nacti ſumus, nõ tñ unius aut alterius, ſed oĩm piorũ precibus impetratũ eſſe. Si aũt per oẽs impetratus eſt, res ipſa admonet, ut quãtũ poſſumus, indigẽtes ex ipſo adiuuemus, qppe qꝫ una nobiſcũ partẽ laboris, quo uictus nobis contigit, ſuſtinuerint. Poſtremo eſt & hæc precatio remedium aduerſus impiam ſollicitudinem de parando uictu. Nam quod apud Matthæum dicitur: Panem noſtrum nutritiuũ

Cœlum cõporale.

Panis quotidianum nomine quæ comprehẽdantur

Homines mẽdici coram Deo.

da nobis hodie, hoc in Luca ita explicatur: Panem noſtrum nutritiuum da nobis quotidie, ſeu ſingulis diebus. Si aũt quotidie paraſ nobis à Deo panis, quo alimur cõſeruamur in uita, quid neceſſe habes dare operam inpoſturis, furari, & prædarie An non habes orationem dominicam, in qua, quia Chriſtus iubet nos petere, ut Deus det ſingulis diebus panem conſeruantem nos in uita, haud obſcure indicat, Deum promiſiſſe nobis, ſe quotidie ſatis ſufficientem uictũ daturum? Abiice ergo impoſturas, & quære regnum Dei ac iuſticiã eius, hoc eſt, ſerui legitimæ tuæ uocati bni ex fide, & omnia quæ ad uictum neceſſaria ſunt, adiicientur tibi. Quinta petitio

» Dimitte nobis peccata noſtra, ſiquidẽ & ipſi dimittimus omni debenti nobis

Vel ut Matthæus habet: Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. In priori petitione precati ſumus, pro omnibus quæ ſunt neceſſaria ad conſeruandam uitam corporalem, uſq; ad ſuam periodum. In hac autem petitione precamur pro omnibus, quæ ſunt neceſſaria ad conſeruandam uitam ſpiritualem & perpetuam. Quid enim profuerit uita corporalis, ſi poſt hanc uitam nobis perpetuo pereundum eſſet? Ad conſeruandam autem perpetuam uitam maxime oĩm neceſſaria eſt remiſsio peccatorũ. Nam beati, inqt pſalmus, quoꝝ remiſſæ ſunt iniqtates, & quorũ tecta ſunt pcã. Et beatus uir, cui nõ imputauit Dñs peccatum. Ad conſequendã aũt remiſsionẽ peccatorũ, primum oĩm neceſſarius eſt Chriſtus. Hic enĩ ſolus expiauit peccata, & propter hunc ſolũ remittunt peccata. Precamur igitur in hac quinta petitione, ut Chriſtus nobis innoteſcat, propter quẽ cõtingit remiſsio peccatorũ. Deinde neceſſaria eſt fides in Chriſtum. Niſi enĩ credideris in Chriſtũ, nihil tibi proderit Chriſtus, nec cõſequeris peccatorũ remiſsionẽ. Precamur igitur in hac petitione, ut Dñs tribuat nobis donũ fidei in Chriſtũ per ſpiritũ ſanctũ ſuum. Poſtremo neceſſaria ſunt, prædicatio Euangelii, & uſus ſacramentorum, per quæ organa & datur & confirmaſ fides. Cum igiſ precamur remiſsionem peccatorũ, precamur etiam, ut Deus conſeruet miniſteriũ prædicationis Euangeli & rectũ uſum ſacramentorũ, quibus fides ita concipiaſ & augeaſ, ut habeamus propter Ieſum Chriſtũ remiſsionẽ peccatorum & uitam æternã. Sed quid ſibi uult appendix illa: Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris? nũ noſtra remiſsio, qua iis qui in nos peccauerũt, ueniã damus, tanti meriti eſt, ut ꝓpter eã cõſequamur remiſsionẽ peccatorũ noſtrorũ coram Deo? Minime oĩm. Sic enĩ ocioſus & ſupuacaneus eſſet Chriſtus. Sed adiiciſ tanq; ſignũ, quo debeamus fidẽ noſtrã de remiſsiõe pcãrũ explorare & ꝓbare. Nã cũ precamur remiſsionẽ pcãrũ, neceſſe eſt, ut credamus eã nobis cõtingere ꝓpter Chriſtũ. Credere aũt nõ eſt tantũ opinari, ſcire, intellige re & meminiſſe, Chriſtũ paſsũ eſſe, ſed eſt certã & firmã fiduciã habere in Chriſtum Difficillimũ aũt eſt, agnoſcere ſe habere certã fiduciã in Chriſtũ. Quare Chriſtus ꝓponit hoc loco ſignũ, quo cognoſcere licet, nũ certã & firmã fidẽ in Chriſtũ habeamus. Nã ſi ſentiamus nos ex corde remittere aduerſariis noſtris ſuã iniuriã, qua nos affecerunt, argumẽtum eſt, nos uere credere, Deũ remiſiſſe nobis noſtra peccata ꝓpter Chriſtũ. Si aũt iniuriã nobis illatã alta mente ad uindictã repoſuerimus, argumentum eſt, fidem in nobis, non certam fiduciam, ſed tantum carnalem quandam imaginationem eſſe. Si quis dixerit, inquit Ioannes, diligo Deum, & fratrẽ ſuum oderit, mendax eſt. Vnde Chriſtus apud Marcum ait: Cum ſteteritis ad orationem, remittite, ſi quid habetis aduerſum aliquem, ut & pater ueſter qui in cœlis eſt, remittat peccata uobis. Et ſeruus, qui poſt dimiſſum ſibi à dño omne debitum, noluit conſeruo pauca dimittere, reuocatur in carcerem. Sed & is qui diſsidet cum fratre ſuo

Remiſsio peccatorum neceſſaria ad uitam æternam

Remiſsio noſtra eſt explo ratio fidei noſtræ.

Credere quid ſit.

fratre suo, ab altari arcetur, apud Matthæū, quãto magis à precibus? Volo, inquit Paulus, uiros orare in omni loco, leuantes puras manus absq; ira & disceptatione. Quomodo autem possunt esse puræ manus odientis fratrem suum? Si enĩ homicida est, iuxta Ioannem, qui fratrem suum odit, nonne manus odientis proximum sanguine plenæ sunt? Quare cum Christus iubet nos in hac quinta petitione addere appendicem: Sicut & nos remittimus debitoribus nostris, non significat nos mereri remissionem peccatorum nostro opere, sed proponit signum, quo possimus certitudinem fidei nostræ, per quam solam ꝓpter Christum consequimur remissionem peccatorum, explorare, & admonet nos, ut non solum dilectionem Dei, sed etiam dilectionem proximi ad preces afferamus. Sexta petitio est: Et ne nos inducas in tentationẽ. VT hanc petitionẽ recte intelligamus, obseruãdum est, Satanam tam irrequietum spiritum esse, ut quouis momẽto saluti nostræ insidietur & quo quomodo possit, nos ad impietatẽ, ad pctã, & perditionẽ impellat. Circuit, inquit Petrus, tanquam leo rugiens, quærens quẽ deuoret. Et aduersarius uetus est. Sex pene millia annorũ cõplentur, ex quo hoiem impugnat. Omnia genera tentãdi, & artes atq; insidias deiiciẽdi, usu ipso uetustatis edidicit. Vnde quicquid nobis in hoc seculo acciderit, siue prosperũ siue aduersum, siue lætũ siue triste, siue sanctũ siue prophanũ, siue uita siue mors, hoc arripit Satan pro instrumento, quo nos tentet, atq; ad peccata sollicitet. Si cui, exempli gratia, accidunt diuitiæ, ecce continuo præsto adest Satan, & sollicitat hoiem occasione diuitiarũ, ad contemptũ Dei & ꝓximi. Si cui accidit paupertas, sollicitat eũ Satã ad impostu ras, ad peiuria, ad furta, & rapinas. Si quis afficit honore, Satan iubet eũ esse elato animo, & nulli hoĩm seruire. Si quis afficit ignominia, sollicitat à Satana ad execrationes & desperationes. Si quis iuuenis est, sollicitatur ad sectanda desyderia iuuenilia, & ad negligendã rationẽ salutis, donec senectus aduenerit. Si qs senex est, sollicitat ad sectandã auaricia m. Si quis sanus fuerit, & iucundã uitã duxerit, sollicitat ad carnalẽ securitatẽ, & cõtemptũ uerbi Dei. Si mors imminet, sollicitatur ad desperationẽ. Breuiter, nihil tã magnũ, nihil tã paruũ, nihil tã excelsum, nihil tã humile est, quod Satan nõ arripiat pro instrumẽto tentãdi & sollicitandi nos ad impietatẽ, & ad peccata, quæ nos cõpendiaria uia ad perpetuũ interitũ ducunt. Precamur igitur in hac sexta petitione ut Deus nos defendat, & nõ paciat nos induci, aut potius seduci tentationibus, offẽdiculis, & sollicitatiõibus Satanæ, ad impietatẽ, & ad exitiũ nostrũ. Vnde & opportune addit septima petitio. Sed libera nos à malo. Hæc est generalis precatio cõprehendẽs in se oĩa petitionũ gña. Siue enĩ malũ ꝓ ipso Satana, siue ꝓ quouis genere mali intelligas, certũ est, nos hac petitione precari, ut Deus seruet nos in omnibus iis, quæ ipse intelligit in exicium corporis & animæ nostræ cedere. Nos enim ut Paulus ait, quid oraturi simus, ut oporter, non nouimus, nec humana ratione intelligimus, quæ nobis commoda, quæ incommoda sint. Alius putat sibi commodam sanitatem, quæ tamen ipsi exitio est. Alius putat sibi incommodam paupertatem, quæ tamen ipsi saluti est. Hic iudicat honorem sibi utilẽ, qui tamen cedit ei in extremam ignominiam. Ille iudicat infamiam sibi inutilem, quæ tamẽ cedit ei ad salutem. A deoq; quid nobis in fortuna huius seculi bonum, quid malum sit, plane ex carne nostra non intelligimus. Precamur igitur in hac ultima petitiõe: ut Deus seruet nos à malo, non quod nos malum iuxta carnalem nostram rationẽ iudicamus, sed quod Deus uere malum iudicat. Seruari autem ab eo, quod est uere malũ, quid aliud est, quàm ad ueram salutem transferri? Proinde qui precatur liberari a malo, precatur pauciſsimis uerbis omnem ueram salutem & felicitatem.

Satan irrequietus spiritus.

Ratio humana non intelligit quid nobis commodũ quid incõmodum sit.

Habes orationem dominicam, quæ est epitome oim piarum precationum, ad cuius finem additur apud Matthæum: Quia tuum est regnum & potentia & gloria in secula seculorum Amen. Hæc additio nec est superuacanea nec ociosa. In proœmio enim huius orationis docuit Christus nos Deum alloqui ut patrem, quo uocabulo significauit nobis Deum uelle nos adiuuare, & ea quæ precaturi sumus præstare. Nunc autem ad finem orationis additur: Quia tuum est regnum & potentia & gloria in secula seculorum. Quibus uerbis describitur omnipotés maiestas Dei, & significatur Deum nō tm̄ uelle, sed etiam posse nos iuuare, defendere, & omnia ea quæ precati sumus in oratiōe dominica præstare. Arripiamus igitur hanc orandi formam, & utamur ea ex fide in oībus siue prosperis siue aduersis, siue uiuentes siue morituri. Afferamus eam in conspectum Domini Dei nostri per fidē. Is autē clemens est, & agnoscit uerba filii sui Dñi nostri Iesu Christi. Quare sicut filium suū exaudiuit, & dedit ei nomen quod est super omne nomen, ita exaudiet etiā ad perpetuam salutem omnes qui inuocāt ipsum ex fide filii sui Domini nostri Iesu Christi, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus laudandus in secula Amen.

Velle Dei.

Posse Dei.

HOMILIA. XCIX

DIdicimus à Christo orare, discamus nunc ab ipso in oratione perseuerare. Postq̄ enim docuit formam precandi, addit nūc exhortationē, qua urget ut in oratione instemus & perseueremus. Est aūt necessaria exhortatio. Natura em̄ ita affecti sumus, ut de bona Dei uoluntate erga nos semper dubitemus, ac existimemus aut nos indigniores, q̄ ut à tanta maiestate respiciamur, aut Deum maioribus & grauioribus negociis occupatum, q̄ ut à tam humilibus & abiectis creaturis ad exaudiēdum preces ipsarum excitari queat. Vnde fit ut aut nunq̄ oremus, aut aut si semel atq; iterum orauerimus, & pro nostro sensu non exauditi simus, orationem abiiciamus, & ad execrationes cōuertamur. Quare necessaria est admonitio, qua in orationis instantia conseruemur. Ducit autem Christus exhortatiōem suam à duabus cōparationibus, quarum altera docet, Deum posse fideli oratiōe ad exaudiendū excitari, altera docet Deum certissime uelle exaudire. Harum prior est: Et ait ad illos. Quis uestrum habebit amicū, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi: amice commoda mihi tres panes, quoniam amicus meus uenit de uia ad me, & non habeo quod ponam ante illum, & ille deintus respondens dicat: noli mihi molestus esse, iam ostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili, nō possum surgere & dare tibi, & ille perseuerauerit pulsans: Dico uobis, & si non dabit illi surgens eo q̄ amicus eius sit, propter improbitatem tamen eius surget, & dabit illi quotquor habet necessarios. Hæc est aptissima comparatio, in qua multa admodum propositæ rei cōueniunt. Primum em̄ hospes noctu ad nos diuertens, significat uarias afflictiones, quæ nobis accidere solent. Nam & nos uulgati modo dicendi solemus morbos recens immissos uocare hospites, & nox, usitata allegoria in scriptura, significat afflictiōes. Deinde uicinus dormiens significat Dñm Deum nostrum, qui cum nō statim preces nostras pro sensu nostro exaudiat, uidetur nobis dormire. Vnde psalmus excitat eum: Exurge, inquiens, quare obdormis Dñe, exurge & ne repellas in finem. Nos aūt qui affligimur, pulsamus in nocte aduersitatū fores regni cœlestis malleo orōis. Orō em̄ ex fide pfecta, malleus est, cuius sonus nubes penetrat. Et postulamus panes, hoc est, auxiliū diuinū in afflictiōe. Quid ergo fit? Paterfamilias dormit, nō audit nos. Dūs em̄ Deus noster sinit q dē nos multa uerba effūdere, sed ad ea ne gry q dē respōdet. Iā si paterfamilias tacet, tota etiā familia, q̄ se cōparat admores patrisfamilias tacet

Natura humana semper dubitat de uoluntate Dei.

Orationis efficatia.

Si cũ Deus nos neglexerit, uidenť oẽs creaturæ nobis auxiliũ denegare. Sed pater familias importunitate uel tandem excitatur. Quid aũt respõdet? manifestã repulsam. Noli inquit mihi molestus esse. Ostium clausum est, pueri mecũ sunt in lecto, nõ possum surgere & dare tibi, ne forte dum tibi obsequar, turbam in familia mea concitẽ, & dulcẽ pueroꝝ somnũ interrũpam. Maior eñ mihi ratio habẽda est familiæ q̃ aduẽticii illius hospitis tui, nescio cuius. Hoc illud est, quod &si sæpenumero audiamus uerbũ Dei, quo nobis auxiliũ Dei in oĩbus aduersis promittit, reclamat ꝑ cõscientia nostra, quæ iudicat promissiones Dei nihil ad nos, sed tantũ ad sanctos illos filios Dei, qui iam cum Deo in cœlo uiuunt, pertinere, & sentit Deũ agere tm̃ curã eoꝝ, qui iam beati sunt in cœlo, nõ eoꝝ qui adhuc uariis afflictionib. uexantur. Ergo ne ab oratiõe cessandũ? Mie oĩm. Dicit eñ Christus: Si ille perseuerauerit pulsans, dico uobis, si non dabit illi surgens, eo ꝙ amicus eius sit, propter improbitatẽ tm̃ eius surget, & dabit illi quotquot opus habet. Jã si improbitas pulsandi potest beneficium extorquere ab hoĩe, etiam inuito, quanto magis perseuerãtia orationis põt impetrare beneficia à Dño Deo nostro, qui tm̃ abest ut inuitus beneficia præstet, ut natura nõ alio negocii genere magis delectetur q̃ benefaciẽdo. Huc pertinet parabola illa, quã Christus postea capite decimooctauo de impio iudice cõmemorat. Nam cũ uidua iudici molesta esset, dixit iudex: Quã q̃ nec Deũ timeo, nec hoiem reuereor, tñ quia molesta est mihi hæc uidua, uindicabo illã, ne tandẽ ueniens sugillet me. Obserua quid iudex iniquus dicat. Quõ ergo Deus iudex lõge oĩm æquissimus nõ faciet uindictam electoꝝ suoꝝ, clamantium ad se die ac nocte, etiã cũ patiẽs fuerit super illis? Pertinet & huc exẽplũ mulieris Cananææ apud Matthæum cap. decimoquinto. Hæc eñ &si ad preces suas primũ quidẽ nullũ respõsum à Christo accipiebat, deinde manifestam etiam repulsam patiebatur. Nõ sum missus nisi ad oues perditas domus Israeliticæ. Et, Nõ est honestũ sumere panẽ filioꝝ & obiicere catellis: tamen cum perseueraret in oratiõe, audit tandem: O mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut uis. Quæ cũ ita se habeant, addit Christus hoc loco adhortationem & promissionem dicẽs. Petite ergo & dabitur uobis, quærite & inuenietis, pulsate & aperietur uobis. Omnis enim qui petit, accipit, & qui quærit, inuenit, & pulsanti aperiet. Generalis promissio, & quæ altissima mẽte reponẽda est. Oĩs inquit, siue rex siue seruus, siue diues siue pauper, siue mas siue fœmina, siue sanus siue infirmus, siue dignus siue indignus, qui petit. Quid ergo petendum? Id quod Dominus iussit, & quod se præstiturũ promisit, cuius summa in oratione dominica comprehenditur, quemadmodũ supra explicuimus. Quõ aũt petendum? Ex fide. Oĩa eñ, inquit, quæcunq; petieritis in deprecatiõe, credentes, accipietis. Sed quid credendum est? num Deum nos exaudire propter merita nostra, aut aliorum hoĩm? Minime. Hæc eñ non est fides, sed infidelitas. Credendũ aũt est, primum ꝙ Christus recõciliauerit nos Deo patri per mortem suam, & impetrauerit nobis remissionem oĩm peccatorũ. Deinde, ꝙ Deus uelit nobis id præstare, ꝙ ex iussu & promissione eius precamur. Omnis ergo qui petit accipit, & qui quærit inuenit. Quomodo quærendum? Qui quærunt rem amissam, accẽso lumine quærunt, & omnes domus angulos perscrutantur. Et quod est nostrum lumẽ, quo accenso diuina beneficia quærere debeamus? Lumen est, non humana iustitia, non sanctus quispiam homo, sed Iesus CHRISTVS DOMINVS noster. Nõ erat ille (inquit) lux uera, sed missus erat ut testaretur de luce. Erat lux uera, quæ illuminat omnem hominem uenientẽ in mundũ. Omnis ergo qui hoc lumine accenso, Iesu Christo per fidẽ accepto, quærit inuenit, & pulsanti aperietur

Orationis perseuerãtia omnia impetrat à DEO.

Petendũ qui & sit à DEO.

Beneficia diuina quomodo quærẽda.

Qui pulsat, ostium pulsat, & malleo pulsat. Quod ergo ostium nobis pulsandũ est? num ostium sunt patriarchæ aut alii sancti? absit. Ego sum, inquit Christus, ostium, per me si quis introierit, saluabitur. Et malleus est, non clamor oris, non prolixitas uerborum, sed idem ille Christus, qui & ostium est. Malleus est & fides in Christum, & oratio quæ ex fide proficiscitur. Non potest autem fieri, ut orans ex fide repulsam paciatur. Qui ergo hoc ostium, & hoc malleo pulsat, huic aperietur ianua cœlestis regni. Habes priorem comparationem, qua ad perseuerantiam orationis admone
» mur. Sequitur nunc altera: Quis autem ex uobis pater, à quo si filius petit panẽ,
» nunquid lapidem dabit illi? aut si piscem, nunquid pro pisce serpentem dabit illi?
» aut si petierit ouum, nunquid porriget ei scorpionem? Si ergo uos cum sitis mali,
» nostis bona data dare filiis uestris, quanto magis pater uester de cœlo dabit spiritũ
» bonum petentibus se? Est & hæc aptissima comparatio, qua perspicue explicat, q̃ prompta, q̃ exposita sit uoluntas Dei ad adiuuandum omnes periclitantes, & in fide ipsum inuocantes. Etsi enim sciamus omnipotentiam Dei, de bona tamen uo-

Dei affectus exaudire preces nostras.

luntate eius exaudiendi & adiuuandi nos semper dubitare solemus. Hoc ergo loco manifestat Christus uoluntatem Dei, ut certificemur, non alium esse affectum Dei, q̃ ut preces nostras exaudiat. Quis enim est, qui uel suspicabitur Deum inhumanio

Deus natura bonus & clemens.

rem, & crudeliorem esse hominibus? certe Deus natura bonus & clemens est, homo aũt est natura malus, (nascimur. n. in peccato) & origine sua inhumanus, tantum abest, ut Deus & homo inter se conferri queant. Ac fieri potest, ut homo quispiam pater, afficiatur misericordia erga filium suum, affectus tamen Dei superat omnes humanos affectus interuallo longissimo. Nunquid obliuisci potest (inquit Dominus apud Esaiam) mulier infantis sui, ut non misereatur filio uteri sui? Et si illa obliuiscitur, ego tamen non obliuiscar tui. Et aliàs: Miserebitur tui magis q̃ mater. Iam parentes terreni liberorum suorum ita miserentur, ut & si molesti sint, nunc fletu, nunc sordibus, nunc aliis rebus, tamen tanto maiori cura & misericordia à parentibus tractantur, quanto afflictiores sunt. Vix. n. tam inhumanus pater inueniri potest, qui filio in necessitate famis petenti panem porrigat lapidem, aut petenti piscem, offerat serpentem, aut petenti ouum, præbeat scorpionem. Ac fieri quidẽ solet, q̃ pater filio importune petenti piscem, uirgam ostentet, aut ipsum etiamnum uirga castiget, quam filius scorpionem iudicet, at si rem recte perpendas, tãtum abest, ut uirga filio in præsentia scorpio sit, ut nihil utilius filio accidere possit. Quare si parẽtes terreni, cum mali sint, norunt tamen beneficia filiis suis præstare, quanto magis pater cœlestis dabit spiritum sanctum poscentibus se. Dices autem: Si Dominus tam promptæ uoluntatis est ad exaudiendum preces, quid est, q̃ tam multorũ preces reiiciuntur. Clamauerunt, inquit, nec erat, qui saluos faceret, ad Dominum, nec exaudiuit eos? Si Dominus exaudit orantes, iuxta prophetam, ante q̃ clamauerint, cur multos non exaudit, quantumuis ualide clamantes. Absit autem, ut dicamus promissiones Dei de exauditione precum uanas & mendaces esse. Verbo enim Domini Dei nostri nihil est ueracius. Sed multæ aliæ sunt causæ, propter quas Deus aut clamantem omnino non exaudit, aut exauditionem aliquandiu differt. Primum. n. interdum non petuntur aut quæruntur ea, quæ Dominus petere & quærere iussit. Deinde nonnunq̃ petuntur noxia. Vt Paulus orans ut discederet à se stimulus per carnem, nuncius Satanæ, non exauditur, sed audit, sufficit tibi gratia mea. Adhæc fiunt interdum precationes, sed sine fide. Tales fuerunt illorum preces, de quibus psalmus ait: Clamauerunt, nec erat qui saluos faceret. Præterea fieri solet, ut Deus exaudiat quidem preces, sed non continuo reuelet exauditionẽ, quo uel fidẽ

Orantes cur Deus nõ semper exaudiat

orantis

orantis probet, uel interim maiora beneficia oranti præparentur, quàm uerbis petita sunt. Et hæc præcipua causa est, propter quam exauditio precum, quas pii ex uera fide effundũt, in longum differtur. Quare hoc unum nobis curæ sit, ut petamus ea q̃ Dominus iussit petere, & petamus ea ex fide, atq; si exauditio differtur, pergamus, instemus, urgeamus & perseueremus in oratiõe. Sic enim fiet, ut tarditas exauditionis, magnitudine beneficiorum compensetur, per Iesum Christum Dñm nostrum, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus laudãdus in secula Amen.

HOMILIA. C.

Proposuit Christus formam orandi. Nunc pponit miraculum quo comprobat & clementiam & potentiam suam, ut in nomine eius Patrem tuto orare queamus, & quod petimus certo nos impetraturos confidamus. Nam Christus erat eiiciens dæmonium, & illud erat mutum. (Matthæus addit) & cæcum. Et cum eiecisset dæmonium, ita sanauit illum, ut cæcus ac mutus & loqueretur & cerneret In hoc dæmoniaco primum omniũ obseruanda est maleuolẽtia & potentia Satanæ. Satan enim tam maleuolus spiritus est, ut noctu diuq; nihil aliud meditetur, quàm quomodo hominem in totum perdat, & tam potens spiritus est, ut nõ tantum queat hominem cæcum & mutum reddere, uerumetiam, si diuinitus non impediatur, hominem uno momento prorsus occidere, adeoq; cœlum terræ miscere, quemadmodum aliàs ostendimus. Deinde obseruanda est ex altera parte, tum clementia tum potentia Christi super Satanam. Clementiæ est, quod miseretur hominis tam afflicti, & longe omnium miserrimi. Potentiæ est, quod expellit Satanam uerbo suo, & dæmoniacum mutum ac cæcum sanitati ita restituit, ut & loquatur & cernat. Atq; adeo, ut Satan maxime inuideat, & insaniat, Christus tamen miseretur, & cogit Satanam cedere. Quare confide in Christum, & Satan nihil oberit. Sed quomodo spectatores hoc miraculum excipiunt? Sequitur: Et admiratæ sunt turbæ. Quidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebub principe dæmoniorum, eiicit dæmonia. Et alii tentantes, signum de cœlo quærebant ab eo. Hic tres hominũ ordines proponunt, q̃ de hoc miraculo iudicãt, alii admirant, & obstupescũt, dicebantq;, ut Matthæus scribit, Num hic est ille filius Dauid? Hi uerum huius miraculi usum agnoscunt. Perueniunt enim ex eo ad cognitionem Messiæ filii Dauidis, & discũt, hunc Iesum uerum esse Messiam. Miracula enim Christi in hunc usum proponuntur, ut confirment doctrinam Euangelii Christi, quod est, Iesum filium Mariæ esse uerum Messiam & saluatorem populi. Alii autem calumniantur miraculum & dicunt, Christũ eiicere dæmonia præsidio Beelzebub principis dæmoniorum. Beelzebub autem fuit idolum in Accaron, quemadmodum scriptum est in quarto libro Regum capite primo. Et significat magistrum seu principem muscarum, aut præcipuã muscã enim significat magistrum, seu præcipuum. זבוב autem significat muscam. Hinc iudæi uocauerunt principem dæmoniorum Beelzebub, hoc est, dominum muscarum, uel quod iudicauerint idolum in Accaron fuisse maxime omnium abominabile, uel quod dæmones sint ueluti muscæ. Sicut enim harum examina circũuolitare solent capita nostra in æstate, & molestiam inferre, ita illorũ exercitus sem per nos circundant, quærentes quem perdant ac deuorent. Hic autem uide mihi insignem sycophantarum aut calumniatorum maliciam, quibus nihil tam boni, tam diuini proponere potest, quod non in pessimam partem interpretentur, usq; adeo uerum est, quod prouerbio dicitur: A duersus sycophantæ morsum nullum est remedium. Christus enim ædidit stupẽdum miraculum, & tale opus facit, q; na

Satanæ maleuolentia.

Christi clemẽtia & potẽtia aſup Satanã.

Beelzebub.

Sycophantarum malicia.

tura sua nec aliter uidetur, nec aliter iudicari potest, q̃ diuinissimũ, quia eiecit dæmonẽ magna potentia, & sanauit dæmoniacũ, ac restituit ei uisum & loquendi usũ quod est beneficium optimũ, attũ quod optime & diuinissime factũ erat, hoc Phariſæi sycophantæ pessime, adeoq; Satanice factũ exponunt. Quid aũt hac malicia magis impium & horribilius excogitari potest? Tolerabile & coram hoibus excusabile est, si quis id, quod malã habet speciẽ, etiã male interpretetur, ut q; Phariſæi initio dixerint, Iesum non esse Messiam, in humano iudicio aliquo modo excusabile fuit, propterea q; Iesus nullam externam Messiæ speciem habuit. Et id uocat Christus peccatum in filiũ hois. Hoc aũt intolerabile, & nec corã Deo nec corã hominibus excusabile est, quod quis rem optimã, optima quoq; specie præditã, pessime interpretatur. Et hoc uocat postea Christus peccatũ in spiritũ sanctum, de quo aliàs dicemus. Atq; hoc peccatum est ipsissimi Satanæ opus, & qui hoc designant, magis obsessi sunt à dæmone, quàm is dæmoniacus fuit, de quo nunc nobis sermo est. Satan enim mendax est, & eius rei pater. Calumnia aũt tanto perniciosius mendacium est, quanto honestiori specie ornatur. Quis ergo non sentiret, calumniatores à Satana obsessos, & ipsissima Satanæ organa esse? Fugiamus igitur calumniã tanq̃ ipsum Satanam, & demus operã ueritati, ut per ueritatẽ sanctificati, salutẽ habeamus. Fuerunt & alii in hac spectatoꝝ turba, qui non calumniabantur quidẽ miraculum à Christo æditum, sed ridebant, contẽnebant, ac recipiebãt, se credituros in ipsum, si non tm̃ terrenum, sed etiam cœleste aliquod miraculum æderet, puta, si lunam aut solem in terram deuocaret, si faceret ut sol nunc splenderet, subito aũt deficeret, aut aliud quippiam nugarum in aere faceret. A c his quidem, qui nõ contenti præsenti miraculo, aliud de cœlo miraculum flagitabant, postea respondebit Christus. Nunc autẽ respondet calumniatoribus, qui iactabant ipsum præsidio Beelzebub dæmones eiicere. Et respondet, non conuitiando, sed factum suum simpliciter defendendo. Nam, ut uidit cogitationes eoꝝ, dixit eis: Omne regnum cõtra seipsum diuisum desolabitur, & domus supra domũ cadet. Si aũt & Satanas contra seipsum diuisus est, quomodo stabit regnum eius? quia dicitis in Beelzebub me eiicere dæmonia. Hoc primum est argumentum, quo Christus perspicue probat se non eiicere dæmonia præsidio dæmonis. Nam si dæmonem dæmone expellerem, regnum Satanæ nõ cõstaret. Atqui nullũ est firmius ac fortius regnũ, q̃ Satanæ regnum. Angeli enim Satanæ sibi inuicem, tanquam catena quædã, cohærent, & si unus quispiam hominem inuaserit, alii septem, hoc est, dæmonũ uniuersitas, ut postea seqtur, comitantur ipsum. Et uulgo etiam dicitur: Lupus nõ deuorat lupũ. Quare fieri non potest, ut dæmõ dæmone eiiciatur. Quod aũt regnum Satanæ nõ constaret, si dæmon dæmonem expelleret, hoc argumento manifestum est: Omne regnum aduersus seſe diuisum desolatur, & omnis ciuitas aut domus diuisa aduersus seipsam, non stabit. Vt enim cõcordia paruæ res crescunt, ita discordia maximæ dilabuntur. Si aũt Satanas eiicit Satanã, aduersus seipsum diuisus est. Quomodo igitur stabit regnum illius? In hoc argumento duo præcipue obseruanda sunt: Alteꝝ, nullum firmius esse uinculum concordia, quippe qua etiam alioqui inter se pugnantissima cõstant, nihil esse perniciosius neq; inter priuatos homines neq; inter magistratus, q̃ discordia, qppe qua & honestissimæ familiæ, & potentissimæ regna pereũt. Cuius rei exempla ubiq; nõ in sacris tm̃ & pphanis literis, ueꝝ etiã præsenti rerũ experiẽtia obuia sunt. Quare nõ est opus ut in hoc loco immoremur, sed pergemus ad explicandũ aliud argumentũ, quo Christus pbat, se nõ eiicere dæmonẽ dæmone. Si ego, inqt, eiicio dæmonia in Beelzebub, filii uestri, in quo eiiciũt eo ipsi

Satanæ regnum firmum.

Concordia firmissimum uinculum.

Discordia nihil perniciosius.

Ideo ipſi iudices ueſtri erunt. Porro ſi in digito Dei eiicio dæmonia, profecto peruenit in uos regnum Dei. Hoc eſt ſecundum argumentum, quod ut intelligamus obſeruandum erit, quosdam per filios Iudæorum, quorum Chriſtus hic meminit intelligere exorciſtas, quorũ publica ꝓfeſsio inter Iudæos fuit, ut ad inuocationẽ nominis Dei, dæmones expellerent. Quod quale genus hoĩm fuerit, autoribus huius dicti probandum & explicandum relinquimus. Alii autem, per filios intelligũt Apoſtolos Chriſti, qui & ipſi poteſtate à Chriſto accepta, dæmones eiiciebant. Porro, Iudæi palàm affirmabant exorciſtas ſuos, aut Apoſtolos eiicere dæmones uirtute & poteſtate diuina. Dicit ergo Chriſtus: Si ego eiicio dæmonia uirtute Beelzebub, certe filii ueſtri eadem uirtute eiicient dæmonia. Nunc autem uos ipſi admiramini uirtutem expellendi dæmones, in filiis ueſtris, & adſcribitis eam digito, ac potentiæ Dei. Quare neceſſe habebitis eam in me etiam Domino Deo noſtro adſcribere. Sed hic uide mihi quale ſit impiorum Sycophantarum ingenium. Hi enim, quod in amicis, quas fauore complectuntur, laudi ducunt, hoc idem in iis, quibus inuident, ad ſummum probrum deputãt, & quod in alio, ſpiritui ſancto, in alio, Satanæ adſcribunt. An non tanta iudicii diuerſitate mãifeſte proditur, non immũdus tantum, uerum etiam impius animi affectus? Cæterum, cum Chriſtus hoc argumento perſpicue declaraſſet, ſe nõ uirtute Beelzebub, ſed uirtute Dei expellere Satanam, ſtatim oſtendit uſum huius miraculi, uidelicet, quod id miraculum teſtetur uerum Meſsiam, & regnum Dei iam præſto adeſſe. Si in digito Dei, inquiens, eiicio dæmonia, profecto peruenit ad uos regnum Dei. Eſt autem regnum Dei hoc loco, non illud intelligendum, quo Deus imperſcrutabili maieſtate regnat in cælo & in terra, ſed illud, quod promiſſum eſt per Meſsiam in hac terra reuelandum & adminiſtrandum, de quo ſæpenumero diximus. Nam de hoc regno prophetatum eſt, ꝙ ſemen mulieris ſit contriturũ caput ſerpentis, hoc eſt, ꝙ Meſsias conculcaturus ſit oẽm potentiam Satanæ, & ſublaturus omnes maledictiones eius. Nunc autẽ aduenit Ieſus ille Mariæ filius, qui manifeſtis miraculis Satanam expellit, & potentiã Satanæ conculcat. quid ergo aliud reliquũ eſt, q̃ nunc illud ipſum tempus eſſe, de quo prophetæ longe oĩm præclariſsima uaticinati ſunt, quo & ipſe Meſsias præſto adeſt, & regnum Meſsiæ aduenit? Hic locus alta mente reponẽdus eſt, ut diſcamus quis ſit uerus uſus miraculorum Chriſti, ac præcipue eorum miraculorum, quibus expulſi ſunt dæmones ab hominibus. Ea enim manifeſte probant hunc Ieſum, in cuius nomine dæmones eiiciuntur, uerum eſſe Meſsiam, & regnum in ipſo appropinquaſſe. Agamus igitur pœnitentiam, agnoſcamus peccata noſtra, & credamus in hunc Meſsiam, ut ex fide iuſtificati, ſalutem conſequamur. Sed audiamus & tertium argumentum, quo Chriſtus probat ſe non expellere Satanam Satana. Cũ fortis armatus cuſtodit atriũ ſuum, in pace ſunt ea quæ poſsidet. Si autem fortior eo ſuperueniens, uicerit eum, uniuerſa arma eius auferet, in quibus confidebat, & ſpolia eius diſtribuet. Hoc argumentum ſic eſt intelligendum: Vos calumniatores dicitis me eiicere dæmonia præſidio Beelzebub. Ego autem probabo Beelzebub potius eſſe captiuũ, & à me uinctũ, q̃ adiutorẽ meũ. Nã cũ expello angelos Beelzebub ab hoĩbus, quid aliud ago, quàm ꝙ incurrã in fines regni Beelzebub, & diripio arma eius, ac diuido ſpolia eius? Homines eñ propter pctũm ſunt regnũ Satanæ, & Satan dominat potenter ob peccatũ in hoĩes, quos & angelis ſuis obſeſſos tenet. Ego aũt libero hoĩes ab angelis Satanæ, & reſtituo eos fugatis dæmonibus priſtinæ incolumitati, quod eſt ſpolia diuidere. Iã nemo poteſt fortis & armati uiri arma auferre, & ſpolia eius diuidere, niſi ptius uicerit & uinxerit eũ, alioqui eñ fortis

Sycophantarum ingenium.

Regnum Dei

Miraculorum Chriſti uſus.

Satan ſuperatus & uictus à Chriſto.

& armatus ita ſtrenue ſua defendit, ut omnia, quæ poſsidet, tuta ſint ab hoſtibus. Cum igitur ego diripiam arma Beelzebub, qui eſt princeps dæmoniorum, & con iiciam in fugam angelos eius, id quod miracula teſtantur, perſpicuum eſt me & ui ciſſe & uinxiſſe ipſum Beelzebub principem eorum, tantum abeſt, ut mihi ſit auxi lio. Hic aperte docet Chriſtus principem dæmoniorum à ſe ſuperatum & uinctum teneri. Si autem princeps ſuperatus eſt, quomodo nō & angeli eius ſuperati eſſent? Si ergo Chriſtum habes, quid trepidas, uel etiam ad ſexcentas legiones dæmonio rum? Si ambulauero, inquit ille, in medio umbræ mortis, non timebo mala, quo niam tu mecum es: quanto magis & nos dicemus: Si ambulauero in medio omni um dæmoniorum, non timebo mala, quo niam Chriſtus Dominus noſter mecum eſt. Fateor, Satan tumultuatur adhuc per angelos ſuos, & horrenda minitatur, ſed eſt tantum fulgur, quod prouerbio dicitur, ex pelui: & uana eſt ſine uiribus ira, ut il le ait. Quare cōſta per fidem in Chriſto, & tutus eris inter omnia Satanæ mala. Au diamus & quartum argumentum, quo Chriſtus probat ſe non uti adiutore Beel-

» zebub in expellendis dæmoniis. Qui non eſt mecum, contra me eſt, & qui non

» colligit mecum diſpergit. Hoc argumentum ducit Chriſtus à contrariis ſuis, & Satanæ officiis, & habet hanc ſententiam. Ego & Satan prorſus contraria officia habemus. Satan enim affligit homines, ego autē libero homines ab afflictionibus. Satan adigit homines ad inſaniam, reddit eos mutos & cæcos, ego autem reſtituo eos ſanitati, reddo eis uiſum uidendi & audiendi. Satan perdit homines, ego ſeruo homines. Breuiter. Satan ducit homines ad mortem & perpetuum interitum, ego autem duco homines ad uitam & perpetuam fœlicitatem. Quorum autē ſunt con traria officia & opera, eorum alter non poteſt alterum adiuuare. Qui non eſt mecū qui non habet eadem mecum offcia, is non poteſt eſſe meus adiutor. Et qui nō col ligit mecum, qui perdit, quos ego ſeruo, is certe diſpergit. Et cum diſpergat, aduer ſarius meus eſt. Quare fieri non poteſt, ut Satan ſit mihi adiumento in expellendis dæmoniis. Habes quatuor augumenta, quibus Chriſtus perſpicue retundit calum niam Phariſæorū, qui dicebant ipſum eiicete dæmonia præſidio Beelzebub. Nūc uaticinatur horribile ſupplicium, quod futurum eſt ſuper Phariſæos, impios & im

» pœnitentes calumniatores: Cum immūdus ſpiritus, inquit, exierit de homine

» ambulat per loca inaquoſa, quærēs requiem, & nō inueniens, dicit: reuertar in do

» mum meam unde exiui. Et cum uenerit, inuenit eam ſcopis mundatam & ornatā,

» & tunc uadit & aſſumit alios ſpiritus nequiores ſe, & ingreſsi habitant ibi. Et fiunt

» nouiſsima hominis illius peiora prioribus. His uerbis Chriſtum perſtringere phariſæos calumniatores, Matthæus diſerte explicat. Cum enim hæc uerba rec taſſet, addit: Sic erit & generatiōi huic peruerſæ. Hoc certe nihil aliud eſt, q̄ uatici niū ſupplicii, quod futurū eſt ſuper Phariſæos, ac totā fere gentē Iudæorū. Explicat aūt hoc uaticiniū exemplo dæmoniaci. Nā dæmoniacis hoc accidere ſolet, q̄ cū poſt liberationē à dæmone, nullā habeant ſalutis ſuæ rationē, multo periculoſius q̄ antea à dæmonibus iterū corripiant. Cū immundus (inqt) ſpiritus exierit de ho mine, ambulat per loca inaquoſa, q̄rens requiē, hoc eſt: unū hoc Satanæ ſtudiū eſt, ut noceat hoībus. Quod ſi uero eiiciat ab hoībus, & expellatur in loca deſerta, ne tū quidē quieſcit. Obambulat eā undiq̄, ſi uel in ipſo deſerto damnū dare queat. Nā hæc ſola requies, hoc ſolū refrigeriū eius eſt, ut dāna inferat. Quid aūt dāni dare poſſet in locis arētibus, & inhabitabilibus? Exurat ibi terrā fulmine. Sed nullus eſt, qui agrū illic colat. Depopulet ſeges grādine. Sed ne gramina quidē illic reperies. Immittat peſtē. Sed abſunt tā hoies q̄ beſtiæ, quos infectus aer p̄dere poſsit, adeoq̄ nullam pla-

Chriſti officia contraria officijs Satanæ.

Satanæ unicū ſtudiū nocere

nullã plane opportunitatẽ nocẽdi habet in locis desertis. Quare nec ullã ibi requiẽ inuenit. Quid ergo? Nũ desperato animo descendit in abyssum? Minime oĩm. Sed cũ sit spiritus ad inferenda damna obstinatus, reuertitur ad priorem domũ, ad hominem, quẽ prius obsederat. Et cũ inuenerit eam domũ scopis mundatã atq; ornatam, uidelicet, speciosam quidẽ, & uenustis posturis excultam, sed nõ fortiter munitam, aut muris circundatã, hoc est, cum inuenerit eũ hoĩem, quẽ prius captiuũ tenuerat, extrinsecus quidem bene habentẽ, & oĩbus probe sanũ apparentẽ, sed nec ullã rectam uiuendi rationẽ habentẽ, nec etiam, quæ pertinent ad pietatem, quam dæmon maxime oĩm abominatur, curantẽ, ibi tũ tanta nocendi libidine affectus est, ut non solus hunc hominẽ inuadat, sed assumat septem alios spiritus, hoc est, magnã dæmonũ multitudinẽ, quorum auxilio hominẽ ita occupat, ut postrema illius peiora fiant primis. Idẽ solet etiam accidere his, qui ab aliis morborum generibus curati sunt. Hi enim si postrecuperatam sanitatem, redeunt ad ueterẽ suã intemperantiam, multo periculosius in eundẽ morbũ, aut etiam grauiorẽ recidere solent, q̃ antea affecti fuerant. Atq; id quidem dæmoniacis, suam saluté, post expulsum dæmonem, negligentibus, & aliis ægrotis post recuperatã sanitatẽ intemperanter uiuentibus, accidit. Accõmodat ergo Christus hoc exemplũ ad impios pharisæos, & ait: Sic erit & generationi huic peruersæ. Nam eo tpe, quo Christus & Apostoli eius prædicauerunt Euangelion regni cœlorum in Galilæa & Iudæa, eiectus fuit Satan publicæ impietatis per Euangelion, & palã demonstrata est uera salutis ratio, ut oĩs qui crederet in Christum, haberet uitã æternã. Impii aũt Pharisæi tantũ abest ut resipiscant, & Christum agnoscant, ut etiam Christũ, Euangelion Christi, & miracula Christi uirulentissime calumnientur & execrentur. Quid ergo fiet? Satan eiectus redibit ad impios illos & impœnitentes Pharisæos, & cũ nõ inueniat in ipsis, nisi externã quandã hypocrisim, assumet secum magnã cateruã dæmonũ, & Pharisæos, adeoq; totã gentẽ ipsorũ tantis malis afficiet, ut Israel maiora mala nunq̃ susti nuerit. Quod aũt Christus hoc loco de Pharisæis & gente eorũ uaticinatur, hoc etiam paulo post reipsa impletũ est. Etsi enĩ Israelitæ multis sæpe calamitatibus propter peccata publice affecti fuerunt, nunc à Pharaõe, nunc à Philistinis, nunc à Babyloniis, nunc ab aliis hostibus, nunq̃ tñ fuerunt prorsus à Deo abiecti. Nunc aũt post q̃ reiecerunt & condemnarunt Christũ, ita afflicti sunt, ut nulla grauior calamitas potuerit eis accidere. Primũ enĩ resp. eorũ ad internitionẽ usq; deleta est. Deinde ita excæcari sunt, ut nõ solũ manifestã ueritatẽ, ac lucẽ huius mundi, q̃ est Iesus Christus Dñs noster nõ uideant, sed etiã impudentissimis & manifestissimis mendaciis Rabinorũ suorũ fidẽ adhibere cogantur. Postremo, q̃a excisi sunt à Christo, excisi etiã sunt ab oĩbus cœlestibus bonis, & obnoxii sunt ppetuæ dãnationi. Quid hac calamitate horribilius excogitari potest? hoc demũ uere est, postrema hois peiora fieri primis. Sed quod Christus uaticinatus est impiis Pharisæis, hoc idẽ etiam nobis uaticinatũ esse agnoscamus. Apparuit enĩ & nobis bonitas seruatoris nostri nõ ex operibus, quæ sunt in iusticia, quæ nos faciebamus, sed secundũ suã misericordiã, per Iesum Christũ, ut iustificati illius gratia efficeremur hæredes iuxta spẽ uitæ æternæ. Si aũt, quemadmodũ Petrus ait, posteaq̃ refugerimus ab inq̃namentis mũdi, p agnitionẽ Dñi & seruatoris Iesu Christi, tñ his rursũ inuoluti superamur, fiunt certe & nobis postrema peiora primis. Satius enĩ fuisset, nõ cognouisse uiã iusticiæ, q̃ ubi cognouerimus, cõuerti ab eo, quod traditũ est sancto p̃cepto. A deoq; id accidere solet, quod puerbio dicit: Canis reuersus ad suũ ipsius uomitũ, & sus lota, reuersa ad uolutabrum cœni. Conseruemus igitur Christum per fidem, & declaremus

Israelitarum afflictio propter reiectũ Christum.

nos gratos obedientia fidei, ut & finem fidei, salutem animorum reportemus, per eundem Iesum Christum Dominum nostrum, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus laudandus in secula Amen.

HOMILIA: CI.

RESpondit Christus ad calumnias Pharisæorum, ut modestissime, qa non regessit maledictum, ita prudentissime, quia manifestis argumẽtis ostendit, ne fieri quidem posse, ut Satan Satanã eiiciat. Dum igitur adhuc loquereꝫ, & inter tantas uirtutes & miracula uiri obmutescerent: Ecce mulier quædã extollens uocẽ de turba dixit illi: Beatus uenter qui te portauit, & ubera quæ suxisti. In hac muliere primũ cõmendanda est ingenua confessio, ꝙ uiris aut obmutescentibus, aut calumniantibus, aut ridentibus, ipsa Iesum magna laude publice ornauerit, & uerũ esse Messiam perspicue significauerit. Nam si uenter qui Iesum portauit, beatus est, quanto magis Iesus ipse beatus erit? Et cum tanta miracula edat spiritu Dei, quid aliud reliquũ est, q̃ Messiã aduenisse, & hunc ipsum Iesum esse uerũ Messiam? Deinde excutienda est uox mulieris. Beatus uenter, qui te portauit, & ubera q̃ suxisti. Hanc uocẽ si propius intuearmur, cõperiemus, mulierẽ bene quidẽ locutã, sed aliquatenus male sensisse. Maria eñ q̃ est mater Iesu Christi, omnino beata est, sed nõ est ob eam causſam uere ac perpetuo beata, ꝙ sit tanti uiri corporalis mater. Nam mulierẽ hoc sensisse, respõsum Christi, quod sequit, manifeste significat. Et si rem recte reputaueris, mulier his uerbis suis, nõ tm̃ prædicauit matrem Christi fœlicẽ, ꝙ talẽ ac tm̃ habeat filiũ, sed etiã eã fœlicitatẽ sibi ipsi ita optauit, ut iudicauerit se tũ uere ac perpetuo beatã, si saltẽ tam illustris filii mater esset. Ac propemodũ secum ita sentit: O si hoc beneficium mihi contigisset, ꝙ essem mater tanti uiri, quæ mulier me esset beatior? Cœlum ipsum me iam in hoc seculo possidere arbitrarer. Atq; hoc quidẽ bene optat, sed male iudicatur. Matrẽ eñ corporalem Christi esse, nondum est uera & perfecta beatitudo, quemadmodum sequitur. Sed non hæc tantum mulier, uerumetiã oẽs fere alii homines hoc morbo laborant, ꝙ affectent illustriora aliorũ dona, & existiment in iſtis summã fœlicitatẽ sitã esse. Pauper quispiam uidens opulentũ, cogitat, o si tantas haberem diuitias, quantas is possidet, quis me esset fœliciorꝰ Sperarẽ enim me opibus non tantum consecuturum huius seculi, uerum etiam futuri seculi fœlicitatẽ. Abiectus quispiã homo uidens potentẽ principẽ, cogitat, o si haberẽ tantã potẽtiã & maiestatẽ, existimarẽ me in cœlo ipso uersari. Et qs oẽs uanas hoĩm cogitationes enumeraretꝰ Nã ut hæc hoĩm uota nõ mala fortasis sunt, iudicia certe pessima sunt, ꝙ existiment uerã fœlicitatẽ ꝓpter hæc dona cõtingere. Audiamus igitur quid Christus mulieri respondeat, ut discamus qua uia uera beatitudo cõtingat. At ille dixit: Quinimo beati, qui audiunt uerbũ Dei & custodiunt illud. Non negat Christus, matrẽ suã beatã esse, nec negat in aliquo beatitudinis genere cõtineri, corporalẽ matrẽ Christi esse. Maria eñ, ꝓpter hoc donũ dicit̃ ab angelo benedicta inter mulieres, sed negat hoc donũ uerã & legitimã causã esse, ꝓpter quam qs iustificat̃ & saluat̃. Nã si Maria fuisset tm̃ corporalis mater Christi, & interim nõ obediisset Deo, nec credidisset in filiũ suũ Christũ, qs diceret ipsã iustã & beatãꝰ Si aũt corporalẽ matrẽ Christi esse, nõ iustificat nec saluat, quanto minus, diuitẽ esse, potẽtẽ esse, prudentẽ esse, fortẽ esse, pulchrũ esse iustificant, & saluantꝰ Apud Matthæũ reiiciunt̃ hi q ꝓ nomen Dñi ꝓphetarunt, dæmonia eiecerunt, & multas uirtutes præstiterunt, ac dicit̃ illis: Nũq̃ noui uos, discedite à me qui operamini iniqtatẽ. Quod si hæc spũalia & illustria dona nõ iustificant nec saluant, quis sentiret corporalia & obscura iustificare & saluareꝰ Quid ergo illud est, quod uere saluatꝰ Audi q̃d Chri-

Affectatio aliorum donorum uulgaris morbus.

Mariæ beatitudo.

Dona externa non iustificant.

ſtus dicat: Beati q audiũt uerbũ Dei, & cuſtodiunt illud. Hoc plane illud eſt, quod Chriſtus aliàs dicit: Si uis ad uitã ingredi, ſerua mãdata Dei. Verbũ em̃ Dei, eſt lex Dei. Cuſtodire aũt uerbũ Dei, eſt legẽ Dei ſeruare, & ipſi obedire. Qui ergo uoluerit uerã beatitudinẽ cõſeq, is neceſſe habebit, nõ hoc agere, ut mater Chriſti corporalis ſit, ut dæmones eiiciat, ut diues ſit, ut potẽs ſit, ut pulcher ſit, ſed ut legẽ Dei diſcat, & ſeruet atq; impleat eã. Eſt aũt hæc cõcio Chriſti ſumpta ex Deut. cap. 28. Si audieris uocẽ dñi Dei tui ut facias & cuſtodias oĩa mãdata eius, ueniẽt ſup te uniuerſæ bñdictiões, & apprehendẽt te. Benedictus tu in ciuitate, benedictus in agro, benedictus eris egrediẽs & ingrediẽs. Et cap. 30. Cõſidera q; ꝓpoſuerim in cõſpectu tuo uitã & bonũ, e cõtrario mortẽ & malũ, ut diligas Dñm Deũ tuũ, & ambules in uiis eius, & cuſtodias mãdata illius. Hoc certe, prſus id ipsũ eſt, quod Chriſtus hoc loco dicit: Si q uere beati eſſe uelint, neceſſe habebũt uerbũ Dei audire, & cuſtodire illud. Sed qd hoc ſtinges. Chriſtus ne uerã cõſequẽdæ beatitudinis uiã demõſtraturus remittit nos ad legẽ & opa eius? Nũ poſſumus beatitudinẽ mereri opibus legis? non ne Paulus ait: Qui ex opibus legis ſunt, maledictioni obnoxii ſunt? De hac re ſupra diximus, cũ explicabamus parabolã, de eo q inciderat inter latrones, ſed qa res eſt cognitu neceſſaria, ideo etiã nũc q̃dã dicemus. Duæ ſunt uiæ ad ſalutẽ. Alterã ꝓponit Moſe ꝑ legẽ & opa eius. Alterã ꝓponit Chriſtus ꝑ fidẽ. Quã aũt ſalutis uiã Moſe ꝓponit, ea nullũ unq̃ hoĩem ad ſalutẽ pduxit, nõ q; lex p ſe ſit impfecta, & ꝑcipiat impfecta opa. Eſt em̃ lex pfectiſsima, & exigit etiã ſanctiſsima & pfectiſsima opa, ſed q; nullus unq̃ hoĩm (ꝑter unũ & ſolũ Ieſum Chriſtũ) ea pfecte impleuit, q̃ à lege exigunt. Neceſſario igit̃ ſectanda eſt altera ſalutis uia, quã ꝓponit Chriſtus, uidelicet, ut cõſequamur ſalutẽ ꝑ fidẽ ꝓpter Chriſtũ. Quid ergo Chriſtus mulieri uerã ſalutis uiã oſtẽſurus, nõ ſtatim remittit ipſã ad fidẽ, dicẽs: Beati, q credũt Euangelio? nihil temere à Chriſto dici ac doceri ſentias. Nã q eã ſalutis uiã, q̃ eſt ꝑ fidẽ in Chriſtũ, capeſſere uelit, is neceſſe habet prius agnoſcere pctã & dãnationẽ ſuã. Quis em̃ credet pctã ſibi remitti, & ſe ſalutẽ cõſeq, q adhuc neſcit ſe pctã habere & dãnatiõi ohnoxiũ eſſe? Pctã uero agnoſcũt̃ p legẽ, & dãnatio reuelat̃ ex lege, quẽadmodũ Paulus multis in locis docet: Neceſſariũ igit̃ eſt, ut q de uera ſalutis uia docẽdus eſt, ptimũ oĩa remittat̃ ad obſeruationẽ legis, ut in ea & uires ſuas experiat̃, & pctã ſua ac dãnationẽ agnoſcat, & ad inq rendã ſalutẽ in Chriſto p fidẽ adigat̃. Sed de hac re paulo ante copioſius diximus. Quare reuertemur nũc ad explicãda ea, q̃ in Luca ſequunt̃

Beatitudo ra quomodo paranda.

Ad ſalutem duæ uiæ, uia legis & uia Euangelij.

Peccatorum agnitio requiritur ad ſalutem.

« Turbis aũt cõcurrẽtib. cœpit Ieſus dicere: Generatio hæc, generatio nequa eſt, ſignũ
« quærit, & ſignũ nõ dabit̃ ei, niſi ſignũ Ionæ ꝓphetæ. Nã ſicut fuit Ionas ſignũ Nini
« uitis, ita erit & filius hois generatiõi huic. Cũ Chriſtus reſpõdiſſet mulieri, redit ad ꝓpoſitũ ſuũ, & reſpõdet nũc his, q ſignũ de cœlo, quẽmdmodũ Eſaias polliceba tur regi Ahabo, poſtulauerant. Oſtendimus em̃ ſupra, tres hoĩm ordines electiõi dæmonis præſto adfuiſſe. Alii admirabant̃, alii calũniabant̃, alii nõ cõtenti hoc miraculo, aliud ſignũ de cœlo expectabant. Calũniis aũt reſpõſum eſt. Nunc igit̃ reſpõdet Chriſtus iis, qui ſignũ de cœlo petebant, quo certo cognoſcerent, hunc Ieſum, uerũ eſſe Meſsiam: & uaticinatur imminere ipſis grauiſsimas afflictiones, adeoq; totius gentis internicionem. Generatio hæc, inquit, generatio mala eſt. Apud Matthæũ ſic ait: Generatio praua & adultera ſignum quærit. Vocat autem hos impios Iudæos generationẽ adulterã, hoc eſt, filios adulterii aut fornicatiõis, propterea q; cũ gloriarentur ſe legitimos filios Abraæ, non tñ haberent eã fidẽ, quã Abraã habuit, ſed ſectarent̃ impietatẽ maiorũ ſuorũ, q fornicati erant poſt Deos alienos, & conſecrauerant filios ſuos per ignẽ Moloch. Tametſi enim Iudæi, qui tẽpore Chri-

Iudæi generatio adultera.

sti fuerunt, non adorauerunt externa idola, tamen adorabant opera manuum suarum, & sicut patres eorum confidebant alienis Dei cultibus, ita ipsi cõfidebant humana sua iusticia, & operibus legis. Hoc autem nihil aliud est, q̃ adorare idola. Quare recto cognomine uocentur generatio adultera seu filii fornicationis, quippe qui sectabantur non legitimã religionem Abraæ, sed illegitimam superstitionem & impietatem maiorum suorum. Quid autem dicemus? nunquid hoc conuicium est, qui uocat honestos homines, filios fornicationis? Minime omnium. Christus enim designatus est à spiritu sancto in publicum concionatorem circumcisionis seu Iudæorum. Concionatoris autem officium est, peccatores arguere, & in agnitionem peccatorum ducere. Ducuntur autem homines in peccatorum agnitionem, si peccata eorum propriis suis nominibus perspicue explicentur, quale est, si scaphã, scaphã, hoc est, latronem, latronem, adulterum, adulterum, furem, furem, uocaueris. Quare sicut magistratus non designat homicidium, occidendo latronem legitime, ita concionator non designat conuicium, reprehendendo malos, iuxta rationem suæ uocationis. Signum, inquit, non dabitur ei, nisi signum Ionæ prophetæ. Quod ergo illud signum fuit? Matthæus ita explicat. Quemadmodum fuit Ionas in uentre ceti tribus diebus ac tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus. Sed quomodo, inquies, hoc erit signum impiis Iudæis, qui ut maxime uiderunt mortem & sepulturam Christi, non tamen crediderunt resurrectionem eius à mortuis? Nihil hic difficultatis remanebit, si conferas concionem Ionæ, cum eo tempore, quod fuit intra resurrectionem Christi, & deuastationem gentis Iudaicæ, Christus enim hoc loco concionatur de deuastatione & abiectione Iudæorum, quæ facta est quadraginta annis post resurrectionem suam, duce Tito Vespasiano. Nam Ionas iussus prædicare Niniuitis pœnitenciã, abiit in mare, & absorptus est à ceto. Cum aũt post tres dies in terrã expueretur, perrexit ire ad Niniuitas, & concionatus est Niniuen post quadraginta dies subuertendã esse. Sic & Christus tertio die à morte resurgens, apparuit discipulis suis quadraginta diebus, & impetrauit, ut resp. Iudæorũ staret adhuc incolumis quadraginta annis, intra quos diuulgaretur Euangelion de resurrectione Christi, & qui uellent, resipiscerent. Post hos aũt annos Iudæi ita deuastarentur, ut nõ solum dispergerent in oẽs fines terræ, uerumetiã abiicerent, ne essent ultra populus Dei. Atq; hoc signũ, inquit Christus, dabitur impiis Iudæis, uidelicet, deuastatio gẽtis, & excæcatio populi, post quadraginta annos futura. Nolunt fidẽ adhibere, nec pmissionibus Euangelii, nec minis, nec miraculis. Sentient ergo facta, hoc est afflictiones & calamitates ex quibus certificabuntur, Messiam nõ solũ iam uenisse, sed etiam ipsos plane ab hæreditate eim bonorum Messiæ exclusos & abiectos esse. Atq; hæc quidem mala accident impiis & incredulis Iudæis in hoc seculo. Quid aũt accidet eis in futuro seculo? Audi, quid sequatur: Regina Austri surget in iudicio cum uiris generationis huius, & cõdẽnabit illos. Quia uenit à finibus terræ, ad audiendam sapientiam Salomonis, & ecce plus quàm Salomon hoc in loco. Viri Niniuitæ surgent in iudicio, cum generatione hac, & condemnabunt illam, quia pœnitentiam egerant ad prædicationem Ionæ, & ecce plus quàm Ionas hoc in loco. Ante uaticinatus est Christus, quantæ calamitates obuenturæ sint impiis Iudæis, in hoc seculo. Post quadraginta enim annos resp. eorum deuastabitur, & ipsi aut crudeliter trucidabuntur, aut abducẽtur captiui in omnes fines terræ. Nunc aũt uaticinat, quid ipsis obuenturũ sit in futuro seculo. Ibi enim perpetuo condemnabuntur, & sempiternum cruciatum sustinebunt, idq; nõ simpliciter, sed quod uehemẽtissime dolebit, cum magna omnium insultatione & exprobratione. Primũ enim Regina Austri surget in iudicio, & ex-

Concionatoris officium.

Christi uaticinium de deuastatione gentis Iudaicæ.

Iudæorum perpetua damnatio.

probrabit his impiis Iudæis ſuam impietatem. Hiſtoriam de regina Auſtri, cuius Chriſtus hoc loco meminit, habes in tertio libro Regum cap. 10. Multa aũt ſunt, ꝓpter quæ hæc regina quæ uenit ut audiret ſapientiã Salomonis, merito inſultabit impietati Iudæorũ. Primũ eñ, mulier fuit, deinde Ethnica, adhæc longũ iter emẽſa, præterea regina, inſuper ad famã tantũ Salomonis cõmota, deinde ad Iudæum profecta, adhæc multis donis aduectis, poſtremo ad regẽ tñ terrenũ, nõ admodũ late dominantẽ, ſi cætera regna ſpectes. Iudæi aũt, ſunt uiri, habent circũciſionẽ, ſignaculũ fidei, nullo longo itinere impediuntur, ſunt homines priuati, & corã gratis uident & audiunt, nõ regẽ quendã terrenũ, ſed regẽ cœleſtem, & regẽ oĩm regũ, ac Dñm dominantium, nõ tñ credunt, nõ colunt, non ſectantur ipſum, ſed potius crucifigunt. Quare tanto grauius punientur, quanto contemptius ſummũ Dei donum faſtidiunt. Deinde inſultabunt & Niniuitæ. Multa eñ ſunt, propter q̃ Iudæi præ Niniuitis reprehenſibiles & condemnabiles fiunt. Niniuitæ erant gentes incircumciſæ, populus à Deo reiectus, & tñ reſipuerunt. Iudæi erant populus à Deo electus, habens teſtamenta & legẽ Dei, non tñ reſipuerunt. Niniuitæ ad prædicationẽ uiri peregrini & ignoti, egerunt pœnitentiam peccatorũ. Iudæi, nec notiſsimos, & quos certo cognoſcunt prædicare uerbum Dei, audire noluerunt. Niniuitæ cõuerterunt ſe à uia ſua mala prædicatione ſerui. Iudæi etiam ipſum Dñm crucifixerunt, tñ abeſt, ut prædicatione conuerterint ſeſe ad Deum. Niniuitæ ad unã tñ prædicationem, inſtituerunt uitam ſuam in melius, ſed Iudæi innumeris concionibus obruti, quo plura audiebant, eõ peiores efficiebantur. Et Niniuitis tñ quadraginta dies ad pœnitentiam dati fuerunt, & reſipuerunt, Iudæis autem data ſunt quadraginta anni, ſed ne ſic quidẽ reſipuerunt. Quare Niniuitæ merito inſultabunt impietati Iudæorum in iudicio Dei, propterea ꝙ ipſi adducti ſint ad pœnitentiam prædicatione Ionæ, hi aũt pœnitentiam ſectari neglexerint, & ſi eum audiant, qui non tñ Iona, ſed oĩbus prophetis maior eſt. Habes quantæ calamitates & damnatiões maneant impœnitentes Iudæos. Quod aũt Chriſtus concionatur & uaticinatur Iudæis, hoc idem etiã concionatur nobis Chriſtianis. Nam ſi perrexerimus uerbũ Dei cõtẽnere, & in impœnitentia perdurare, primũ quidẽ abiiciet etiã nos Deus in hoc ſeculo, in oĩa genera corporaliũ & ſpiritualiũ afflictionũ. Si eñ nõ pepercit naturalibus ramis, quomodo parcet nobis alienis? Deinde coniiciet nos in perpetuã damnationẽ, in futuro ſeculo, idq̃ non ſimpliciter, ſed cũ magna oĩm gentium inſultatione. Surgent eñ gẽtes idololatræ, & exprobrabunt nobis noſtrã impietatẽ, ꝙ cũ multi ex ipſis maluerint uitã ſuã pſentaneo mortis periculo exponere, q̃ fidefragi eſſe, nos tñ tã leues & incõſtantes fuerimus, ut ne tantillã quidẽ rationẽ datæ fidei habuerimus. Surgẽt Anabaptiſtæ aduerſũ nos, ꝙ ipſi, p errore morte oppetierint, nos aũt ne p ueritate quidẽ, uel pilũ capitis amittere uoluerimus. Surgẽt & maiores noſtri aduerſũ nos in iudicio Dei, & condẽnabunt nos impietatis noſtræ, ꝙ ipſi uix ob ſcurã Euangelii umbrã habuetint, multa tñ in pauperes expenderint, multa ad cõſeruanda ſtudia religiõis cõtulerint, nos aũt uidentes clariſsimã Euãgelii lucẽ, nec pauperũ, nec religiõis ullã curã habeamus. Quare ſi ad tanta ſupplicia & exprobrationes horremus, multo magis horreamus ad impœnitẽtiã noſtrã, & reſipiſcamus, ut ſupplicia effugiamus. Et hactenus quidẽ reſpondit Chriſtus impiis Iudæis, q nõ cõtenti præſentibus miraculis, cupiebant miracula de cœlo ſibi oſtentari, ut certifi carent hũc Ieſum eſſe Meſsiã. Quæ aũt ſequunt de lucerna, ea ꝑprie ad Apoſtolos & diſcipulos Chriſti dicta ſunt: Nemo (inquit) lucernam accendit, & in abſcondito ponit, neq; ſub modio, ſed ſupra candelabrum, ut qui ingrediunt uideãt lumen. Lucerna corporis tui eſt oculus tuus. Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum

Iudæi magis reprehenſibiles Niniuitis

Chriſtianorũ contemnenti um uerbum Dei ſupplicia

corpus tuũ lucidũ erit. Sin aũt nequam fuerit, etiã corpus tuũ tenebrosum erit. Vi-
de ergo ne lumẽ, quod in te est, tenebræ sint. Si ergo corpus tuũ totũ lucidũ fuerit,
nõ habẽs aliquã partẽ tenebrarũ, erit lucidũ totũ, & sicut lucerna fulgoris illumina
bit te. Hic est generalis sermo, & potest ad uarios usus accõmodari. Ex Matthæi
aũt cap. 5. & ex aliis Euãgelistarũ locis apparet Christũ his uerbis admonuisse Apo
stolos suos, ut magna diligentia discant, quæ uera sit sententia tũ legis tũ Euange
lii, quo deinceps totã ecclesiã recte erudiant. Hic ergo huius loci sensus est: Ego or-
dinabo uos in lucernas, & in oculos ecclesiæ in toto orbe terrarũ. Vos enim estis
lux mundi. Et qui uos audit, me audit. Iã lucerna non accenditur, ut sub modio cõ
datur, sed ut supra candelabrum ponatur, & oĩbus luceat. Quod si lucerna non fue
rit accensa, tota domus obscura est. Similiter & oculi in homine, si fuerint lucidi, to
tũ hois corpus lucidũ est. Si aũt cæcutiant, totus homo cæcutit. Ita si uos Apostoli,
quos posui in lucernas & oculos Ecclesiæ, uerbum Dei recte intellexeritis & perspi-
cue docueritis, tota ecclesia illustrabitur doctrina uestra. Si aũt uos sacrarũ rerũ im
periti fueritis, quid, amabo, cognitionis ecclesiã cõsequeret? Quare summã operam
date, ut quæ doceo tã in lege, q̃ in Euangelio, ea alta mente reponatis, & probe per
discatis, quo deinceps ecclesiã uestræ fidei cõmissam recte instituatis. Potest & hic
generalis sermo non ad doctrinam tantum, sed etiam ad exempla honestæ uitæ ac
commodari, ut sit sensus. Quod est lucerna in domo, & oculus in homine, hoc uos
discipuli eritis in ecclesia. Sicut autem lucerna accenditur ut luceat, & oculus in ho-
mine creatus est, ut hominem illuminet, ita elegi uos, non ut eremiticam & obscu-
ram uitam ducatis, sed ut exempla honestæ uitæ publice exhibeatis, quo homines
uideant uestra bona opera, glorificentq; patrem uestrum qui est in cœlis. Si enim
lumẽ tenebræ erunt, quantæ erunt ipsæ tenebræ: hoc est, si uos impie uixeritis, quis
pietatem sectabitur? Si uos prauam duxeritis uitam, quis bono exemplo aliis præ-
lucebit? Non expectabitis bona uitæ exempla à potentibus huius seculi. Hi enim
suo genio indulgebunt. Non à diuitibus huius seculi. Hi enim suo lucro inhiabũt.
Non à uulgo hominum. Vulgus enim semper suo uiuit more, hoc est, præfracte &
impudenter. Vos autem soli ex omni hominum numero in hunc usum positi estis
ut non tam doctrina quàm exemplo uitæ, prauam aliorum uitam corrigatis. Nihil
igitur prius ducatis, quàm ut pietatem sectemini. Cæterum, quod Christus hoc lo
co Apostolis concionatur, hoc idem ad omnes etiam Christianos referri debet.
Paulus enim Philippensibus scribens: Omnia, inquit, facite sine murmuratiõibus
ac disceptationibus, tales, ut nemo de uobis queri possit, sinceriq; filii Dei irrepre-
hensibiles in medio nationis prauæ ac tortuosæ, inter quos lucete tanquam LV-
MINARIA in mundo. Obsequamur igitur admonitioni spiritus sancti, & hone-
stam uitam ex fide ducamus ut etiam hi, qui non obtemperant uerbo Dei, per no
stram conuersationem lucrifiant, per Christum Iesum Dominum nostrum, qui est
unà cum Patre & Spiritu sancto Deus laudandus in secula Amen.

Apostoli in lucernas ordinati.

Apostolorũ uocatio honesta uita præire alios.

Christiani honestate uitæ lucere debent.

HOMILIA. CII.

Agite, amicissimi, tractemus etiam hodie aliquid è diuina scriptura, ut
animam nostram diuino ac spirituali cibo pascamus. Cum Iesus
adhuc loqueretur, inquit Euangelista, rogauit illum quidam Phari-
sæus, ut prandere tur apud se. Non mirum, quod Pharisæus Iesum ad
prandium inuitat. Iesus em̃ adhuc fœlix est in hoc seculo, nondũ pro
scriptus est à pontificibus. Quare numerat etiã adhuc multos amicos. Expecta aũt
mihi id tempus, quo à synagoga excluditur, quisquis cõfitetur ipsum esse Messiã,
ibi tum

ibi tum uideas Pharisæos, ne benigno quidem aspectu ipsum dignari. Et ingressus Iesus, recubuit. Nunquid ergo sectatus est commessationes? Minime omnium. Sed quoquo modo potuit, uenatus est occasionem docendi uerbi Dei. Ecce autē quod quærit, hoc opportunissime in prando isto inuenit. Accubuit enim seu consilio seu fortuna quadam, illotis manibus. Pharisæus autem uidens, mirabatur, quare non baptizatus esset, hoc est, manus lauisset, ante prandium? Maiorum enim traditio fuit, ut qui ederent, manus lauarent, quemadmodum scriptum est apud Matthæum capite decimoquinto, & copiosius apud Marcū capite septimo. Quanquam autem hæc traditio non est in lege Domini mandata, maiores tamen sumpserunt occasionem è baptismatibus legis, hanc traditionem instituendi. Qui enim tetigerat morticinium, aut aliud immundū, reputabatur septem diebus immundus, donec lustrali aqua expiaretur, ut testatur scriptura in Numeris capite decimo nono. Hæc lex fuit ciuilis honestas in rep. Israelitica, ne quis immūdus intraret sanctuarium Domini, & faceret sacra. Significat autē nobis, nullius opera in cōspectu Domini munda reputari, nisi si quis antea ablutus sit à peccatis, aqua baptismi in fide Domini nostri Iesu Christi. Cum igitur occasione huius legis, maiores instituissent, ut nemo illotis manibus cibum caperet, Pharisæi non utebantur hac traditione pro ciuili puerorum & rudium disciplina, sed sentiebant opus illud esse uera iusticiam coram Deo, & existimabant Christum peccasse aduersus Deum, q̄ non lauisset manus ante prandium. Quid autem Christus adhæc respondeat, audiamus. Et ait Dominus ad illum: Nunc uos Pharisæi, quod deforis est calicis & catini mundatis, quod autem intus est uestrum, plenum est rapina & iniquitate. Stulti, nun quid qui purum fecit, quod deforis est, etiam id quod deintus est purificauit? Veruntamen ex his, quæ adsunt, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt uobis. Quid? reprehendit ne Christus publicam morum honestatem, & uetat ne manus lauentur, ne calix & catinum purgentur? Nihil minus reprehendit. Externa enim manuū & uasorū mundicies, honestas est, & placet etiā Deo, si homo placeat. Sed Christus reprehendit hoc loco hypocrisim & prauā opinionē, quam Pharisæi habebant in manuū & calicū lotionibus. Existimabant enim hanc externā lotionem esse iusticiam corā Deo, & abluere non corpus tm̄ ab externis sordibus sed etiā animā à pctis, quale q̄d nos hactenus somniauimus de aspersione aquæ benedictæ. Negligebāt p̄terea præ hac externa mundicie, uerā & spiritualē mundicie carnalē mundicie nequaq̄ purgare animā à pctis. Quod deforis est (inqt) calicis & catini mundatis, quod aūt intus est uestrū, plenū est rapina & iniquitate. Stulti, nū fieri potest, ut qui purgauerit externa, is etiā purgauerit interna? Minime oīm. Dicit enim Esaias: Appropinquat mihi populus hic ore suo, & labiis me honorat, cor aūt eorū pcul abest à me, & frustra me colūt docētes doctrinas, præcepta hoīm. Si ergo externa humana superstitiōe instituta purgarēt animā à pctis, certe nō reiicerēt doctrinæ & præcepta hoīm, nec condēnarent hi, q cū Deū labiis honorent, habeāt tm̄ cor à Deo auersū. Adhæc, nō quod ingredit in os (inqt Christus) impurat hominē, sed quod egreditur ex ore, hoc impurè reddit hoīem. Vt igit externa immundicies non impurat hominem in conscientia, ita externa mundicies non purificat hominem in conscientia. Quid ergo faciendum est, ut & id quod deintus est purificetur, ut cōscientia à pctis mundet? Addit: Veruntm̄ ex his quæ adsunt, date eleemosynā, & ecce oīa munda sunt uobis. Quid audio? docet ne Christus opus eleemosynæ mundare hoīem à peccatis? ad quid ergo prodest nobis crux & mors Christi?

Manuum lotio ante prandium.

Morum publicā honestatē Christus non damnat.

Mūdicies externa non purificat conscientiam.

Eleemosynæ opus non mũdat hominem à peccatis.

Hæc profecto totius Euangelii summa est, quod non opera nostra, sed mors Chri
sti expiet peccata nostra, & purificet nos à peccatis. Quare haud quaq; sentiendum
est Christum hoc loco docere, quod opus eleemosynæ sit expiatio peccatorũ no-
strorum. Sed Christus, cum dicit, quod super est, date eleemosynam, aut loquitur
ἐιρωνικῶς, ut sit sensus. Agite uos Pharisæi, mundate calices, lauate manus, & quod
supereſt in cibo, pauperibus distribuite, alioqui canibus aut porcis obiiciendum, &
existimate uos omnes rapinas uestras, & alias iniquitates probe expurgasse, atq; uos
hac eleemosyna ab omnibus peccatis emundasse. Sed quid? nũquid ergo, quia uos
ita existimatis, Deus sententiam uestram approbabit, & omnia uestra munda iudi
cabit? Nihil uero minus. Qui enim odio habet holocaustum ex rapina oblatum,
quomodo is non etiam abominaretur eleemosynam ex rapina distributam? Aut
si Christus hæc uerba simpliciter loquitur, certe non intelligit opus eleemosynæ sa
tis facere pro peccatis. Hoc enim pugnaret contra uniuersum Euangelion Christi
sed postquam antea significauit interna esse maxime omniũ purganda, addit nũc
illud de eleemosyna, hoc est, de operibus misericordiæ proximo præstandæ, ut do
ceat quæ sint illa externa opera, quæ ex interna mundicie necessario faciẽda sunt.
Nam cum supra dixit: Vos Pharisæi exteriora poculi catiniq; mundatis, & quod
intus est uestri, plenum est rapina & malitia, eo ipso admonuit Pharisæos, ut si uolu
erint esse uere mundi, primum omnium purgent conscientiam à peccatis suis. Vn
de apud Matthæum perspicue ait: Pharisæe cæce, purga prius quod est intra pocu
lum & patinam, ut & exteriores horum partes puræ reddantur. Conscientia autẽ

Conscientia primum & quomodo pur ganda.

nõ purgatur, nisi pœnitentia. Porro pœnitentia duabus potissimum partibus cõ-
stat, altera, agnitione peccatorum, altera, fide, quod propter Christum peccata re
mittantur. Cum igitur Christus admonuit Pharisæos, ut purgent conscientiam à
peccatis, profecto eo ipso admonuit eos, ut agnoscant peccata sua, & credant quod
propter Christũ remittantur. Deinde addit etiam fructus pœnitentiæ. Et qui sunt
illi fructus pœnitentiæ? num lauare manus aut calices? num illotis manibus nõ prã
derer? Hæc sunt quidem honesta morum ciuilitas, sed nõ sunt ueri ac necessarii fru

Pœnitentiæ fructus.

ctus pœnitentiæ. Veri autem pœnitentiæ fructus sunt, eleemosyna, hoc est, opera
charitatis, quæ proximo exhibenda sunt. Quod supereſt, inquit, uel, ut rectius expo
nitur, ex his, quæ adsunt, quæ uobis possibilia sunt, date eleemosynam, hoc est, quã
tum potestis, benefacite proximo. Nam si hæc feceritis, hoc est, si agnoueritis pec-
cata, credideritis peccata per Christum remissa, & benefeceritis proximo pro uiri-
li uestra, tunc ecce omnia, siue manus, siue pocula, siue urcei, siue æramenta, siue id

Pœnitentiam ueram requi- rit Christus.

genus alia, munda erunt uobis. Obserua igitur Christum hoc loco non abiicere q
dem externam mundiciem & morum ciuilitatem, sed maxime omnium requirere
ueram pœnitentiam, & ueros fructus pœnitentiæ, qui sunt, opera dilectionis. Hæc
si ex uera fide fiant, tunc omnia alia, quæ uel ἀδιάφορα sunt, uel ad publicam morũ
honestatem pertinent, munda & pura coram Deo iudicabuntur. A deoq; Christus
hoc loco id exigit, quod aliàs ad discipulos suos dicit: Nisi abundauerit uestra iu-
stitia plus quàm scribarum & Pharisæorum, non potestis ingredi in regnum cœlo
rum. Cæterum occasione hypocriseos in lotione manuum reprehendit Christus
„ Pharisæos, etiam in multis aliis rebus, dicens: Sed uæ uobis Pharisæis, qui dec
„ matis mentam & rutam, & omne olus. Et præteritis iudicium & charitatem Dei.
„ Hæc aũt oportuit facere & illa nõ omittere. Apud Matthæum hæc ita leguntur:
Væ uobis scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentam & anethum & cy-
minum, & reliquistis quæ grauiora sunt legis, iudicium & misericordiam ac fidem.

Hæc oportuit

Hæc oportuit facere & illa non omittere. Nam in lege institutæ fuerunt decimæ, ut Leuitæ haberent uictum. In distributione enim terræ Canaan, Leuitis nulla terræ portio tradebatur, sed decimæ frugum assignabantur ipsis. Hanc igitur legis ordinationem, quia afferebat lucrum, scribæ sollicite urgebant, & accuratissime exponebant, quid nomine decimarum ueniret, ut non solum maiores fruges, uerumetiam minima & uilissima quæque olera decimarentur. Erant autem in lege multo maiora & magis necessaria præcepta, uidelicet: In iudicio recte iudicare, innocentes defendere, Deum diligere, pauperibus benefacere, fidem proximo seruare, & multa id genus alia, quæ in decalogo comprehenduntur. Sed ista scribæ uel omnino cõtemnebant, uelfrigidissime tractabãt. Quare denunciat eis Christus horrendum illud uæ, quod est perpetuæ mortis & damnationis nuncium. Quid ergo? dices: Non erant decimæ exigendæ? Ad hoc respondet Christus: Hæc, inquiens, oportuit facere, & illa non omittere, hoc est, lex constat tribus partibus, uidelicet. Moralibus, Iudicialibus & Cærimonialibus. Porro iudicialia & cærimonialia, inter quæ & decimæ recensentur, instituta sunt propter moralia, quæ in decalogo continentur, & factu maxime omnium necessaria sunt. Igitur iudicialia & cærimonialia, non omittenda quidem sunt (pertinent enim ad conseruationem publicæ honestatis & ministerii uerbi Dei) sed moralia, ut Deo credere, parentes honerare, non inuidere, non ulcisci, recte iudicare, proximo benefacere, fidem seruare, & id genus alia, maxime omnium facere oportet, & nullo modo omittenda sunt, etiamsi iudicialia & cærimonialia interdum necessitate quadam omittantur. Est autem hæc regula omnibus tam magistratibus quàm priuatis hominibus obseruatu maxime necessaria. Solet enim magistratus hac in parte multũ peccare, ut seuerius tueatur ordinationes de cõferendo tributo, quàm de blasphemiis, dedo compotationibus, de adulteriis, & id genus aliis sceleribus uitandis. Solent & priuati homines peccare, quod multo diligentius obseruent, ea quæ externæ tantũ & publicæ honestatis sunt, quàm ea, quæ grauissime à lege Domini exiguntur. His omnibus concionatur Christus hoc loco, dicens: Hæc, quæ diuina lex exigit, oportet facere, illa autem, quæ sunt publicæ tantum honestatis & ciuilitatis, non omittere. Sequitur: Væuobis Pharisæis, qui diligitis primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro. Hæc apud Matthæum copiosius habentur. Amant, inquit, primos accubitus in cœnis, & primo sedere loco in conciliis, & salutatiões in foro, & uocari ab hominibus Rabbi. Quid hoc? num primas diligere cathedras, & honestas salutationes, tantum est flagitium, ut merito iudicetur dignũ uæ, hoc est, æterna damnatione? Ita ne diligere primas cathedras nihil differt à furto & latrocinio, quæ & ipsa digna sunt perpetuo exitio? Quantum igitur peccant, qui de primis cathedris, & locis, ac de honorificis epithetis etiamnum contendunt? Sed hic mihi animaduertendum est, quod Christus non simpliciter prohibeat tenere primas cathedras, aut uocari Rabbi, uel magister uel pater. Hic enim mundus suas habet ordinationes. Sunt enim maiores, sunt minores, sunt æquales. Maioribus præcipitur, ut minores humaniter tractent, & non elato sint animo. Minoribus mandatur, ut maiores uenerentur. Coram cano capite, inquit lex, assurge, & Dominum Deum tuum time. Aequalibus uero præcipitur, ut alter alterum honore præueniat. Etsi enim in Christo Iesu, ut non est Græcus, neq; Iudæus, nõ est uir neq; mulier, ita non est pater neq; filius, non est præceptor neq; discipulus, non est magistratus neq; subditus. In hoc tamen seculo, quod est bona Dei creatura, magna est hominum, graduum, dignitatum, donorum & officiorum distinctio, quæ in hac corpo-

Decimarum institutio.

Legis tres partes.

Moralia legis maxime facienda.

Mundus suas habet ordinationes.

rali uita minime cõfundenda est, sed, iuxta Paulum, cui uectigal, uectigal, cui timorem, timorem, cui honorem, honorẽ, tribuendum. Non est igitur peccatũ, aut primo sedere loco, aut præclaris epithetis celebrari. Sed peccatũ est hæc diligere, hoc est, ex arrogantia ambire, & iudicare se sua iusticia his honoribus dignum, quemadmodũ Pharisæi de dignitate suorũ meritorum sentiebant. Quod ut melius intelligamus, exemplo demonstrabimus. Rex Babylonis, nomine Nebucad Nezar, tenebat primũ regni sui solium. Ergo, quia erat legitima ordinatione rex, nõ peccabat p̃sidentia & obseruatione regiæ maiestatis. Sed tũ peccabat, cũ primatũ throni sui ex arrogantia & contẽptu Dei agnoscebat & diligebat, dicẽs apud Esaiã: In cœlum cõscendam, super astra Dei exaltabo soliũ meum. Et apud Danielẽ: Nonne hæc est Babylon, ciuitas magna, quam ego ædificaui in domũ regni in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei? Vides aliud esse, primo loco sedere, & aliud, primi loci dignitatem suis meritis & suæ iusticiæ adscribere. Illud, ordinatio huius seculi necessaria est, hoc aũt, est ingens nominis diuini cõtumelia. Quare iustissima sententia est, qua illis uæ denunciatur, qui diligunt primas cathedras, & amant uocari Rabbi. Et hic discamus, nõ tantũ furta, & latrocinia pro peccatis iudicare, id quod homines huius seculi faciunt, sed sentiamus ea peccata plerunq; horribiliora esse, quæ se in hoc mundo honesta specie uenditant. Agnitio aũt peccatorũ impellit nos ad sectandã fidẽ in Christũ. In Christo aũt habemus remissionẽ p̃ctõrũ p̃ fidem. Vbi aũt est remissio peccatorũ, ibi est spiritus sanctus. Spiritus sanctus aũt expurgat corda nostra, ut non amplius seruiamus peccatis. Agnoscamus igitur peccata, ut ea fugiamus, & iustitiæ obediamus. Sed Christus nondũ digreditur à Pharisæis. Væ uobis, inquiens, qui estis ut monumenta, quæ nõ parent, & homines ambulantes supra, nesciunt. Quid sibi Christus his uerbis uelit, Matthæus magis perspicue explicat. Væ uobis scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ foris quidem apparent speciosa, intus uero plena sunt ossibus mortuorum, omniq; spurcicia. Sic & uos foris quidẽ apparetis hominibus iusti, intus aũt pleni estis fictione & iniquitate. Non reiicit, non damnat Christus externã & ciuilem iusticiam. Hæc enim omnibus hominibus factu necessaria est. Sed damnat hypocrisim, damnat confidentiam in externam iusticiam, damnat neglectum internæ ac ueræ iusticiæ. Sed quomodo, inquies, parabimus ueram illam ac internam iusticiam? nũ meritis nostrorum operum? Minime omnium. Paulus enim dicit: Israel qui sectabatur legem iusticiæ, ad legem iusticiæ nõ peruenit, propterq; quia non ex fide, sed tantum ex operibus legis. Parabimus autem ueram iusticiam per fidem in Iesum Christum, quod is expiauerit peccata nostra, & reconciliauerit nos Deo. Agite ergo, amicissimi, audiamus Euangelion de Iesu Christo, ut per Euangelion credamus, & habeamus non solum iusticiam coram Deo, sed etiam perpetuam salutem per eundem Christum Dominum nostrum, qui est unà cũ Patre Spiritu sancto Deus laudandus in secula Amen.

Nebucad Nezaris arrogantia.

Iusticia ciuilis non donatur à Christo

Iusticia interna quomodo paranda.

HOMILIA CIII.

IN Pharisæis suæ hypocrises & impietates reprehẽsæ sunt. Nũc reprehendit Christus errores & impietates legisperitorum. Nam cũ Christus magna seueritate argueret Pharisæos, respondens quidã ex legis peritis, ait illi: Magister hæc dicens, etiã nobis cõtumeliã facis. Pauca dicit legisperitus, sed multũ errat. Primũ eñ quod est legitima impietatũ reprehensio, hoc interpretatur ipse pro cõtumelia. Ostendimus aũt sæpe numero, q; qui legitime scelera puniat, & errores reprehẽdat, nõ peccet cõtumelicse in proxi

Erroris reprehensio nõ est cõtumelia

in proximũ, sed seruiat obedienter uocationi Dei. Deinde errat hic legisperitus, q̃ existimet ordinem legisperitorum esse irreprehensibilem. Audit igitur à Christo horribiles ordinis sui errores & impietates. Ait enim « Et uobis legisperitis uæ, quia « oneratis homines oneribus, quæ portare nõ possunt, & ipsi uno digito uestro non « tangitis sarcinas. Quanq̃ hæc ita dicant, ut uideant de humanis tñ cõstitutionibus intelligi, apud Matthæũ tñ perspicue indicat, q̃ etiã de expositione diuinæ legis intelligenda sint. In Matthæo enim ita legit. In cathedra Mosi sedẽt scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quæcunq; iusserint uos seruare, seruate & facite. Secundũ opera uero eorũ nolite facere. Dicunt enim & nõ faciunt. Colligant enim onera grauia difficiliaq̃ portatu, & imponunt in humeros hoim, cæterũ digito suo nolũt ea mouere. Ex his uides Christũ per grauia onera, præcipue intelligere legẽ diuinã, quã legisperiti profitebant. Aliòq enim nõ dixisset: Oia quæcunq; iusserint uos seruare, seruate & facite. Primũ ergo obseruandũ est, Christum hoc loco reprehendere in legisperitis, q̃ exigerent ab hoibus exactissimã legis obseruationẽ, cum ipsi interim nulli legi uel mediocriter satisfacerent. Exigebant ab aliis dilectionẽ, cũ ipsi gestarent corplenum inuidia. Exigebant ab aliis beneficentiã, cũ ipsi nihil præter auariciã spirabãt. Deinde præter diuinam legẽ imponebant etiã hoibus importabilia onera cõstitutionibus humanis, de obseruatiõe sabbati, de cibis, & id genus aliis rebus, quæ tñ nec ab ipsis quidẽ tam exacte obseruari poterant. Nam quẽadmodũ sophistæ p̃ scripserunt in papistica religione tales obseruationes ieiuniorũ, & confessionum, quales nullus unq̃ perfecte implere potuit, ita legisperiti, præscripserunt in pharisaica religione tantam humanarũ constitutionũ grauitatẽ, ut eam nemo, etiã sanctissimorũ hypocritarũ ferre potuerit. Sed quid de legisperitis tantũ dicimus? Qua in re ipsi peccarunt, in eadem omnis fere hoim præsertim eorũ qui præsunt aliis, ordo peccare solet. Magistratus multa exigit à subditis, quæ ipse non obseruat. Ecclesiastes seueriter in ecclesia reprehẽdit, quod ipse designat. Paterfamilias requirit à familia sua exactam honestatẽ, cuius ipse nec umbrã quidem sectat. Et omnino uicinus à uicino exigit, quod ipse ne tolerabiliter quidẽ præstitit. His oĩbus, quia similiter cum legisperitis peccant, similis etiam pœna & dãnatio adnunciat. Quid ergo adhæc dicemus? An legisperiti reprehenduntur, q̃ legem interpretent & exigant ab hoĩbus? Minime omnium. Quanq̃ enim peccent, cum inculcant humanas constitutiones, & exigant tanq̃ necessarias ad expiationẽ peccatorum & ad salutẽ, officium tamen eorum est, legẽ Dñi exacte interpretari, & obseruationẽ eius seueriter exigere. Nam aliàs grauissime reprehenduntur, q̃ legẽ Dei oscitanter doceãt. Sed in hoc loco reprehendit Christus legisperitos, q̃ cum deberent non solum doctrina legis, uerũ etiã bonis uitæ suæ exemplis homines erudire, malis suis exemplis, bonam legis doctrinam destruant & homines offendãt. Quantum enim bona doctrina ædificat, tantum mala docentis uita destruit. Quare necesse est, ut qui aliis uel magistratu uel doctrina & autoritate præsunt, non solum præsint promulgatione legum, & rectã eruditione, sed etiam prosint bonis uitæ exemplis, quæ sunt uiuaciter uiuendi doctrina. Luceat, inquit Christus, lux uestra corã hoĩbus, ut uideant uestra bona opera, glorificentq̃ patrẽ uestrũ qui est in cœlis. Sed est etiã aliud, in quo legisperiti sunt reprehensione & cõdemnatione digni. « Væ uobis, q̃ ædificatis « monumẽta prophetarũ, patres aũt uestri occiderũt illos. Profecto testificamini, q̃ « consentitis operibus patrũ uestrorũ, quoniã illi quidẽ occiderunt eos, uos aũt ædificatis sepulchra eorũ. Hic iterũ nõ damnat ipsa sepulturæ honestas. Nã & patriarchis & ꝓphetis suæ fuerunt sepulturæ. Et Christus honeste sepultus est. Debent &

Legisperitorũ rigida exactio legis.

Legis doctoris bona uita esse debet.

Sepulturæ honestæ.

Christianorum sepulturæ propter spem resurrectionis honestæ esse. Sed damnatus hypocrisis, crudelitas, & impietas eorum, qui sepulchra prophetarum ædificabãt. Primum enim, quantum ex ingenio hypocritarum animaduerti potest, ædificauerunt sepulchra ad superstitionem & impietatem, ut merito huius operis consequerentur gratiam Dei, & expiarent peccata sua. Hæc est magna impietas. Deinde ædificauerunt sepulchra, ut hoc opere palam se excusarent, & innocentiam suam publice ostentarent. Dicebant enim: Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non fuissemus socii eorum in sanguine prophetarum. Hæc est uera hypocrisis & luculẽtum mendacium. Et si enim sic ore loquebantur, ac uidebantur sibi etiam in corde serio ita sentire, res tamen ipsa haud obscure testificabatur, ipsos non minus q̃ patres ipsorum esse homicidas longe omnium crudelissimos. Nam cum ædificarent monumenta eorum, quos patres occiderant, testabantur publice, se homicidarũ filios esse. Si aũt filii, ergo etiam homicidæ, si non manu attamen cõsensu. Lupus, inquiunt, non gignit agnum. Et parentum mores in filiis relucere solent. Ac uide mihi, an non & ipsa sepulchrorum ædificatio significet eos consentire in crudelitatem patrum. Si parens tuus occidisset innocentem, & abominareris factum patris ex animo, num tu erigeres sepulchrum in honorem innocẽti à parente tuo occisi? Minime omnium. Sed abominareris potius & locum homicidii, & factum homicidæ. Hi autem ædificabant ingentia mausolea prophetis à patribus occisis, & gloriabantur de hoc opere, tanquam de cultu diuino. Quare haud obscure significabãt se non abominari sed approbare crudelitatẽ patrũ suorum. Ac quod argumentis significarunt, rebus ipsis postea declararunt. Sequitur enim: Propterea & sapientia Dei dixit: Mittam ad illos pphetas & Apostolos, & ex illis occident & persequẽtur, ut requiratur sanguis oĩm prophetarũ, qui effusus est à constitutione mundi, à generatione ista, à sanguine Abel, usq; ad sanguinẽ Zachariæ, qui periit inter altare & ædem. Ita dico uobis, requiretur ab hac generatione. Quod Christus uaticinatur, reipsa impletũ est. Iudæi eñ non solũ persecuti sunt Christũ ipsum & Apostolos eius, uerum etiã occiderunt eos. Et tamen hi idẽ plane uerbũ prædicauerunt, quod quondam prophetæ à patribus occisi. Dicit eñ Petrus: Omnes prophetæ à Samuele, ac deinceps quotquot locuti sunt etiam denunciauerunt dies istos. Hoc igitur facto declararunt hypocritæ, se non solum esse filios homicidarum, sed etiã approbare homicidia patrum suorum. Cæterum de Zacharia, de quo hic fit mentio, uariæ sunt opiniones. Alii sentiunt hunc Zachariam esse, de quo scribitur in secundo libro Paralipomenon capite decimo quarto. Et putant patrem eius binominem fuisse, ut qui in Matthæo dicat̃ Barachias, in Paralipomenis uocet̃ Ioiada. Alii sentiunt hunc Zachariã fuisse patrem Ioannis Baptistæ. Alii aliũ intelligunt, qui paulo ante Christi aduentum à Iudæis occisus sit. Sed hæc utcunq; se habeant, parũ refert. Alia sunt quæ diligenter excutienda ueniũt. Primũ eñ uide mihi exemplo horũ hypocritarũ, quos Christus perstringit, q̃ profunde lateat impietas in humano corde, ut uere dixerit ppheta: Prauũ est cor hois & inscrutabile. Etsi eñ hypocritæ nõ sentiunt se approbare homicidia patrũ suorũ, ac iurassent etiamnũ, se non approbare ea, Christus tñ tam acute cernit, ut uideat in recessibus cordiũ ipsorum eundẽ plane homicidii spiritũ latere, qui & data opportunitate erupturus sit. Testificamini, inquit, q̃ consentitis operibus patrũ uestrorũ, qñ illi quidẽ occiderũt eos, uos aũt ædificatis sepulchra eorũ. Et iterũ: Vos quoq; implete mensurã patrum uestrorũ. Est aũt hæc peccati ignorantia & cæcitas, nõ in hypocritis tñ, uerumetiã, si carnẽ spectes, in oĩbus aliis hoĩbus. Cũ eñ in peccatis concipiamur & nascamur, ita natura

Hypocritarũ superstitiosæ sepulturæ,

Sepulturæ indicant hypocritarum crudelitatem & homicidia.

Ierc. 17.

Cæcitas hominis.

natura excæcati sumus, ut nostrum ipsorum morbum nō agnoscamus. Quid ergo faciendum? Audienda est lex Dei, per quam uenit agnitio peccatorum. Et quanq̃ nō sentiamus peccatum, tamen cum Dauide orandum est: Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me, & cum Paulo cōfitendum: Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non sum iustificatus. Deinde obserua hoc loco quàm graue onus sit peccatū. Dicit enim Christus, q̃ legisperiti eo homicidio, quo interficiunt Apostolos, faciant se reos omnis sanguinis, qui effusus est super terram à sanguine Abel iusti usq̃ ad sanguinem Zachariæ. Hoc quid aliud significat, q̃ peccatorem uno peccato non simpliciter peccare, sed facere se coram Deo reum omnium eorum scelerū, quæ in eodem peccati genere ab aliis designata sunt, ut exempli gratia. Qui latrocinatur, non eius tantum latrocinii reus fit, quod ipse cōmittit, sed fit reus in iudicio Dei omnium latrociniorum, quæ unquam cōmissa sunt. Qui proximum imposturis decipit, nō tantum reus est eius impposturæ, quam ipse designat, sed fit etiā reus omnium impostrarū, quæ ab aliis designata sunt. Quid horribilius excogitari potest? Sua tantum propria peccata ferre, intolerabile est, quomodo ergo feres etiam aliena? Fuge igitur & abominare primum omnium tua peccata, ne & alienorum reus efficiaris. Postremo uaticinatur Christus hoc loco de excidio totius gentis Iudaicæ. Dico uobis, inquit, requiretur ab hac generatione. Et in Matthæo. Ecce relinquitur uobis domus uestra deserta. Cum ergo hoc uaticinium reipsa impletum sit, sentiamus prædicationem Christi ueram esse, & regnum cœlorum iam ante aduenisse, ut in Christo Iesu resipiscamus. Sed audiamus, quid deinceps Christus legisperitis exprobret. Væ uobis (inquit) legisperitis, quod tulistis clauem scientiæ, ipsi non introistis, & eos qui introibant, prohibuistis. Quæ hoc loco dicitur clauis scientiæ, ea in Matthæo uocatur clauis regni cœlorum. Hæc autem clauis, non est externa quædam dominatio in hoc seculo, aut politicus Magistratus, sed est publicum ministerium prædicandi uerbi Dei, quod constat prædicatiõe legis, qua ostenduntur peccata, & prædicatione Euangelii de Messia, qua ostenditur remissio peccatorum & uita æterna. Hoc enim ministerio aperitur cœlum & claudiatur. Quorum cunq̃, inquit Christus, remiseritis peccata in terris, remittuntur eis in cœlo, hoc est cœlum aperire. Quorum autem retinueritis, retenta erunt, hoc est cœlum claudere. Iam, quo tempore Christus in orbem terrarum uenit, legisperiti publico docendi ministerio in ecclesia Israelitica fungebantur, sed non solum nec legem nec promissiones de Messia recte docebant, uerumetiam persequebantur recte sentientes & docētes. Quod certe nihil aliud est, quàm regnū cœlorum ita claudere, ut nec tu introeas, nec alium introire sinas, adeoq̃ isti homines pśimiles sunt cani in fœno cubanti, qui nec ipse uescit fœno, nec permittit ut bos uescatur. Quid autem hac tyrannide crudelius? Sed tolerabile esset, si hæc tyrannis unà cum legisperitis Israeliticis interiisset. Nunc autem, & si legisperiti Israelitici perierunt, tyrannicus tamen spiritus eorum non supercilios tantum sophistas in ecclesia Christi, sed etiam summos pontifices ita inuasit, ut nec reprehendi se patiantur, etiamsi ecclesiam manifeste ad interitum seducant. De qua re, amabo te, audi quid in suis ipsorū Canonibus statuant. Si papa, inquiunt, suæ & fraternæ salutis negligens deprehenditur, inutilis & remissus in suis operibus, & insuper à bono taciturnus, quod magis officit sibi & omnibus, nihilominus innumerabiles populos cateruatim secū ducat primo mancipio gehennæ, cum ipso plagis multis inæternū uapulaturus, huius culpas istic redarguere præsumit mortalium nullus, quia cunctos ipse iudicaturus à nemine est iudicandus. Quid hac uoce in ecclesia Christi τυραννικοτέρως

Peccati grauitas.

Clauis scientiæ & regni cœlorum.

Tyrannis summi pontificis.

dici potest? quid obsecro est regnum cœlorum ante homines claudere, & nec ipsi intrare, nec aduenientes sinere intrare, si hoc non est? Quanquam enim addant: Nisi à fide deuius deprehendatur, tamen cum usurpet sibi scrinia, ut uocant, pectoris, & omnem potestatem iudicandi, nihil pro hæresi habendum iudicant, nisi qd ipsi hæresim pronunciant. Quibus rebus fit, ut nec à fide deuii reprehendi uelint. Sed cum Christus hoc loco grauissime increpet impios & crudeles legisperitos, & aliàs iubeat nos cauere à pseudoprophetis: A postolus quoq; Paulus dicat, etiam angelum anathema esse, qui nobis aliud Euangelion adnunciet, quàm quod ab Apostolis adnunciatum est, non schismatice, sed obedienter & pro officio faciemus, si nos ab impia tyrannorum istorum doctrina subduxerimus, & ueram ac rectã doctrinam Euangelii sectati fuerimus. Sic enim fiet, ut & si obiiciamur persecutionibus in hoc seculo, uincamus tamen per Christum, non persecutiones tantum, sed etiam ipsam mortem. Hactenus reprehendit Christus hypocrisim & impietatem Phariszorum & legisperitorum. Videamus ergo nunc, quo animo acceperint illi reprehensionem Christi. Sic autem dicit Lucas: Cum hæc ad illos diceret, cœperunt Pharisæi & legisperiti grauiter insistere, & captiose interrogare eum de multis, insidiantes ei, & quærentes aliquid uenari de ore eius, quo accusarent eum.

Impia doctrina deserenda

Hic mihi uide ingenium Phariszorum & legisperitorum, in impietate plane induratum. Nam Christus reprehendit ipsos, non ut perdat eos, sed ut in peccatorum agnitionem, & ad resipiscentiam ducat. Sicut enim lex ipsa, per quam peccata reuelantur, non damnat nos, ut in damnatione maneamus, sed ut è damnatione ad salutem perueniamus, ita & reprehensiones, ac supplicia, ostendunt nobis impietates nostras, non ut pereamus, sed ut ex imminenti perditione seruemur. Legisperiti autem, quo magis reprehenduntur, hoc est, ad salutem uocantur, hoc longius à salute recedunt. Cœperunt, inquit, grauiter insistere, captiose interrogare, & insidiari, ut eum, qui ad salutem ipsorum uenerat, perderent. Quid est excæcatio & indouratio, si hæc non est? atq; adeo his legisperitis accidit, quod propheta de maioribus ipsorum queritur: Percussisti, inquiens, & non doluerunt, attriuisti eos, & renuerunt accipere disciplinam. Indurauerunt facies suas supra petram, & noluerunt reuerti. Valeant igitur illi, & dent iustas impietatis suæ pœnas. Nos autem alienà insania fruentes, excipiamus reprehensiones Dei patienter, & agnoscamus peccata nostra, ut hoc gradu ascendamus ad peccatorum remissionem & salutem, per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus laudandus in secula Amen.

Reprehensiones erudiunt.

Ierem. 5.

CAPVT DVODECIMVM

HOMILIA CIIII.

CHRISTVS relicto Phariszorum & legisperitorũ contubernio, uertit sese ad docendos discipulos suos, ut quos totius orbis præceptores constituere uolebat, eos ante in sana doctrina probe erudiret.

Multis, inquit Lucas, turbis cõcurrentibus, ita ut se inuicem conculcarent, cœpit dicere ad discipulos suos: Attendite à fermento Phariszorum, quod est hypocrisis. Hic primũ uidendum nobis est, qua occasiõe Christus metaphorã fermenti

usurparit,& discipulos à Pharisæorum fermento dehortetur. An fortassis meminit adhuc conuiuii Pharisaici,ad quod paulo ante inuitatus fuerat,& in quo Pharisæorum doctrinam damnauerat? Sed apud Matthæum capite decimo sexto, & Marcum capite octauo perspicue describitur occasio huius rei. Nam cum Iesus relictis Pharisæis,traiiceret cum discipulis suis lacum, discipuli obliti sunt incuria panes secum sumere,nec præter unum panem secum in naui habebant. Iesus igitur accepta occasione è penuria panis,iussit eos cauere à fermento Pharisæorum. Illi uero,existimantes Christum non de doctrina,sed de fermentatis panibus loqui, magno timore corripiebantur,ne inedia perirent. Primum ergo Christus grauissime increpat insciti am & infidelitatem eorum: Quid cogitatis,inquiens,intra uos ipsos, o parum fidentes,quod panes non sumpseritis? nondum animaduertitis,nec intelligitis,adhuc obcæcatum habetis cor uestrum,oculos habentes non cernitis, & aures habentes non auditis,& non meministis? Deinde explicat eis uerum usum corũ miraculorum,quæ ædidit quinq; panibus,in pascẽdis quinq; millibus hominum, & quæ ædidit septem panibus,in pascendis quatuor millibus. Sunt enim in hoc ædita,ut & Euangeliõ Christi,tanquam cœlestibus testimoniis approbetur, & fides unuscuiusq;,ambulantis in uocatiõe Dei, & indigentis pane aut quotidiano cibo, confirmetur. De qua re copiose scribunt Matthæus & Marcus. Postremo significat Christus haud obscure, se non locutum de externo illo Pharisæorum fermento, quo panes fermentantur,sed de doctrina,qua homines corrumpunrur. Qui fit, inquiens,ut non intelligatis,me non de pane dixisse uobis illud, ut caueretis à fermẽto Pharisæorum & Sadducæorum. Tunc intellexerunt, quod non iussisset cauere à fermento panis,sed à doctrina Pharisæorum & Sadducæorum. Porro autem fermenti metaphora duplicem habet in scriptura usum. Primum enim sumitur pro impia & corrupta doctrina. Sic Christus hoc loco utitur. Deinde sumitur pro impio & corrupro uitæ exemplo. Sic Paulus ad Corinthios utitur: An nescitis,inquiens,quod paululum fermenti totam conspersionem fermentat? Et mox: Festum celebremus,non in fermento ueteri,nec in fermento maliciæ & uersutiæ, sed in panibus fermento carentibus,hoc est,synceritate & ueritate. Nam cum in Exodo instituereturfestum Paschæ,nihil tanta seueritate præcipitur & exigitur,quàm ut Israelitæ septẽ diebus azyma comedant. Septem,inquit,diebus,fermentatum non inueniatur in domibus uestris. Qui comederit fermentatum, peribit anima eius de cœtu Israel tam de aduenis quàm de indigenis terræ. Quid ergo est, quod Dominus tam seuerirer exigit esum panis azymi in festo Paschæ? Panis ne fermẽtatus per se immundus est? at sic,nec aliis diebus, hoc uesci licuisset. Et, quod ingreditur in os, non coinquinat hominem. De hac igitur re ita sentiendum est, q; quantum quidem ad ipsos panes per se,siue fermentatos siue infermentatos attinet, nec sanctificẽt,nec coinqnent uescentẽ corã Deo. Sed cur Deus in lege exegerit aliquot dies abstinentiã à panibus fermentatis,suas habet rationes, quas nõ est opus nũc cõmemorare,& exposuimus eas aliàs copiose. Hæc aũt cærimonia significauit nobis Christianis,q; quãta seueritate Deus exegit ab Israelitis in festo Paschæ abstinentiã à panibus fermẽtatis,tanta,eaq; multo maiori,exigat à nobis, ut abstineamus à falsa & hypocritica doctrina impiorũ doctorũ,qbus synceritas fidei corrũpit̃,& ab impiis ac turpibus morib. qbus tota hoim cõgregatio offendit̃ & inficit̃. Reuelato.n. Christo,uero agno paschali,celebrandũ nobis est ppetuũ pascha, ut semp abstinemus à fermẽto impiæ doctrinæ & impuræ uitæ. Cæterũ,q̃ sit impia Pharisæorum doctrina de meritis opm nunq̃ nõ inculcat̃. Quare nõ est necesse ut hic ꝓlixiores si

Vsus miraculorũ de quinque panibus.

Quid fermentum significet?

» mus. Sed perſtringemus, quæ ſequuntur: Nihil enim opertum eſt, quod non re
» ueletur, neq; abſconditum, quod non ſciatur. Quoniam quæ in tenebris dixiſtis, in
» lumine dicentur, & quod in aure locuti eſtis in cubiculis, prædicabitur in tectis.
Hæ ſunt generales γνώμαι, & poſſunt ad uarios uſus accõmodari. Sed ut in Matthæo, cap. 10. ita & hoc loco uſurpantur, ad exhortandum diſcipulos, ut diligenter obſeruent, & alta mente reponant doctrinam, non Phariſæorum, quæ eſt impia hypocriſis, ſed Ieſu Chriſti, quæ ſola eſt potentia ad ſalutem omni credenti. Cauete, inquiens, ἀπὸ fermento Phariſæorum, attendite aũt ad meam doctrinã, & meũ Euangelion. Futurum enim eſt, ut quod nunc remotis arbitris auditis, paulo poſt publice prædicaturi ſitis, Et quod uel ego uel uos nunc in tenebris, hoc eſt, in abiecta domuncula, in parua Iudææ regione prædicamus, hoc poſtea prædicabitur in tectis, adeoq; in toto orbe terrarũ. Habes hic, primũ, uaticiniũ de ſpargẽdo Euãgelio in totum terrarũ orbem, quod cum reipſa implerũ ſit, agnoſcamus maieſtatem Chriſti, & adoremus eam. Deinde, habes confirmationẽ autoritatis Apoſtolorũ. Hi enim ſunt, per quos Chriſtus toti orbi reuelauit eã doctrinam, quæ eſt potentia ad ſalutẽ omni credenti. Quare Apoſtolorũ doctrinam ita capeſſamus, ut nec angelo aliud docenti fidem adhibeamus. Cæterum, licebit & hanc ſententiã: Nihil eſt opertũ, quod non reueleẽ, neq; abſconditum quod nõ ſciaẽ, in aliũ uſum transferre, uidelicet, ut admoneamur, ne ſpe impunitatis, occulte peccemus. Sunt enĩ, qui exiſtimẽt ſe oculos Dei fallere, ſi hoim oculos fallant. Qua puſaſione fit, ut peſsima quæq; ſcelera occulte deſignẽt. Sed uulgo dicitẽ, & ἀπὸ Chriſto uſurpaẽ, nihil eſſe opertũ, quod non reueletur. Tantum enĩ abeſt, ut occulti peccatores oculos Dei fallant, ut etiam coram uniuerſis creaturis peccata illorum patefiant. Vermis eorum, inquit Eſaias, non morietur, & ignis eorum non extinguetur, & erunt uſq; ad ſatietatem uiſionis omni carni. Et Ieremias, quomodo, inquit, confunditur fur quando deprehenditur, ſic confuſi ſunt domus Iſrael, ipſi & reges eorum, principes, ſacerdotes, & prophetæ eorum. An non occulte occidit Cain Abelem? Sed nunc toti mundo nihil hoc fratricidio notius eſt. Nonne filii Iacob occulte uendiderunt fratrem ſuum Ioſeph? Sed nunc totus terrarum orbis, de tanta perfidia etiamnum cantillat. Dauid commiſit occulte adulterium, at nihil eſt nunc illo manifeſtius. Nihil enim abſconditum eſt, quod non ſciatur. Quare fuge peccata, non manifeſta tantum, uerumetiam occulta, aut ſi humana imbecillitate iã perpetrata fuerint, reſipiſce. Sola enim reſipiſcentia fit, ut peccata in conſpectu Dei non occultentur ſolum, uerum etiam in uniuerſum deleantur. Sed quemadmodum ſupra oſtendimus, Chriſtus uſurpat hanc ſententiam in hoc loco, ad uaticinandum de Euangelio in toto orbe terrarum prædicando, & ad exhortandum Apoſtolos, quo diligenter obſeruent, & alta mente reponant doctrinam Euangelii, quod per ipſos orbi reuelabitur. Vnde addit etiam conſolationem, qua poſsint conſtare in periculis, quæ propter prædi

» cationem Euangelii imminebunt. Et ait: Dico autem uobis amicis meis, ne ter
» reamini ab his, qui occidunt corpus, & poſt hoc nõ habent amplius quod faciant.
» Oſtendam autem uobis, quem timeatis. Timete eum, qui poſtquam occiderit, ha-
» bet poteſtatem mittere in gehennam. Ita dico uobis, hunc timete. Nonne quinque
» aſſeres ueneunt dupondio, & unus ex illis non eſt in obliuione coram Deo? Sed &
» capilli capitis ueſtri omnes numerati ſunt. Nolite ergo timere, multis paſſeribus
» pluris eſtis. Principio Chriſtus uocat Apoſtolos, amicos ſuos, quemadmodum
aliàs fratres, ut etiam hoc nomine conſoletur omnes in aduerſis. Etenim, ſi ſunt amici Chriſti, & amicorum omnia ſunt communia, profecto quæ bona Chriſtus poſsidet, eorum etiam participes fiunt Apoſtoli. Chriſtus autem uictos

Euangeliũ in mundum prædicandum.

Omnia opertapeccata reuelabuntur.

Apoſtoli, amici Chriſti cõmunitate bonorum.

est omnium, non periculorum tantum, sed etiam mortis ac inferni. Quandoquidem enim coniiceret in mortem, tum non potuit in morte detineri, sed per mortem euasit in perpetuam adeoque foelicissimam uitam. Quare etiam Apostoli, si in Christo occidant, magis consequuntur uitam per mortem, tum abest ut in morte pereant. Deinde uaticinat etiam alias Christus, quod Apostoli propter praedicationem Euangelii multas afflictiones passuri sint. Tradent, inquiens, uos in concilia & in conciliabulis suis flagris caedent uos, quin & ad principes ac reges ducemini propter me in testimonium ipsis & gentibus. Ac iterum: Veniet tempus, ut quisquis interficiat uos, uideat cultum praestare Deo. Ideo consolatur nunc, & monet eos, ne crudelitate tyrannorum ita terreantur, ut a ministerio suo deficiant, sed potius Deum timeant, ut in uocatione Dei pergant. Quid enim timeas magis tyrannos, quod Deum? Tyranni, si multum, corpus duntaxat occidere possunt, animam non item. Deus autem non solum potest corpus occidere, uerumetiam potest & corpus & animam aeterno gehennae supplicio tradere. Quare multo magis Deus timendus & in uocatione eius perdurandum est. Iam tyranni ne in corpus quidem graffari possunt, nisi Deus permiserit. Deus enim tam sollicitus olim creaturarum suarum administrator est, ut etiam curam habeat passerum, qui tum adeo uiles sunt, ut duo eorum, uno aut altero numulo uendantur. Et quid in homine uilius & abiectius est capillis capitis? Sunt tum & hi Deo ita curae, ut & oes numerauerit, & sine uoluntate eius, ne unus quidem capillus de capite decidat. Quod si res uilissimae tantae sint curae Deo, quanto magis curae erunt ministri Euangelii Iesu Christi, unigeniti filii eius? Scilicet nec passeres, nec capilli caderent in terram sine patre coelesti, & praedicatores Euangelii sine patre coelesti occiderent? Quare, si Deus non permiserit, tyranni ne pilum quidem capitis mouere possunt, tum abest, ut totum corpus occidere queant. Quod si uero tyrannorum crudelitas in tantum promoueat, ut etiam corpus trucidet, hoc tum non potest ultra corpus procedere, & fit bona Dei uoluntate. Lucrum autem, non damnum est, corpus bona Dei uoluntate amittere. Aufertur enim corpus mortale, & redditur immortale, aufert uita paucorum annorum, & restituit uita sempiterna. Tyrannus trucidat corpus, sed Deus suscitat corpus una cum anima in perpetuam foelicitatem. Quid hac permutatione utilius? In lucro igitur deputandum est, si in uocatione Dei uita corporis auferatur. Caeterum haec Christi concio habita ad consolandos Apostolos in persecutione, multum habet usum nobis diligenter obseruandum. Primum enim, cum Christus dicit, non esse metuendum ab his, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, perspicue significat, animam occiso aut alioqui mortuo corpore, superstitem esse. Id quod alias etiam indicat: Hodie, inquiens, ad latronem, mecum eris in paradiso. Et iterum: Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Quare uana est eorum opinio, qui sentiunt animam post mortem euanescere, donec in nouissimo die una cum corpore iterum resuscitetur. Deinde, cum affirmat Deo patri passeres & capillos capitis cura esse, manifeste docet, Deum non tantum esse creatorem, uerumetiam gubernatorem & administratorem omnium creaturarum suarum. Et ut Ioannes dicit, omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, ita nunc dicendum est, omnia per ipsum administrantur, & sine ipso administratur nihil. Ergo ne peccatur quidem sine ipso? Absit ut hoc sentiamus. Deus enim non creauit peccatum, sed peccatum introiit in mundum, autore Satana, & designatur ex peruersa hominis uoluntate. Qui committit, inquit Ioannes, peccatum, ex diabolo est, quoniam ab initio diabolus peccat. Igitur, quod ad administrationem attinet, nihil est negocii Deo cum peccato. Deus autem administrat creaturas suas, quae & si interdum nobis exitium minantur, tamen quia Deus fauet nobis per Christum filium suum,

Non solum animae sed & corpora Deo curae sunt.

Anima est immortalis.

Deus omnes creaturas gubernat.

Peccatum ex Satana est.

in quem credimus, creaturæ ita ab ipso gubernant, ut potius nobis adiumento sint ad bonũ, q̃ detrimento ad malũ. Quare quæcunq; acciderint, bene cõfidamus per Christũ, per quẽ, in extremis etiã malis atq; aduersis saluté cõsequemur. Postremo quod Christus Apostolis suis cõcionat, hoc idẽ oẽs per Apostolicũ uerbũ in Christũ credentes, sibi dictũ esse existimẽt. Apostolo; uocatio fuit, prædicare Euangelion de Iesu Christo. Alio; alia est uocatio, uidelicet, aut in psecutiõe cõfiteri Euangelion, aut agere magistratũ ciuilẽ, aut alia ciuilia negocia administrare. Solent aũt multa in quouis genere uocationũ incidere, quæ à sectanda uocatiõe Dei absterreant. Confessorẽ auocat à confessiõe Christi, exiliũ, aut direptio facultatũ, aut crudelis mors. Magistratũ & iudicẽ auocat à recta officii sui administratione, potẽtia partiũ. Quod ergo Apostolis dicit, ut magis timeant eũ qui potest & animã & corpus in gehennã mittere, q̃ eũ, qui tm̃ corpus occidere potest, ita oĩbus prædicat, ut magis timeant Deũ q̃ hoĩes, & nõ intermittant uocationẽ Dei, propter hoĩm incredulitatẽ. Sed qd, inquies, incõmodi salutifieret, si in psecutione ore tm̃ Christũ negauero, cotde aũt retineã? Nũ Deus uerba potius, q̃ loquentis animũ obseruat? nõne seipsum cõfessiõe aut prædicatiõe sua periculis exponere, est Deũ tentare? Adhæc Christus respondens: Dico uobis, inqt, oĩs quicunq; cõfessus fuerit me corã hominibus, & filius hoĩs confitebit illũ corã angelis Dei. Qui aũt negauerit me corã hoĩbus, negabit corã angelis Dei. Nõ sufficit, ut Christũ corde retineas, sed requiritur, ut Christũ etiam ore cõfitearis. Neq; id fit sine autoramento. Habet confessio sua cõmoda & præmia, habet & abnegatio sua incõmoda & supplicia. Quicũq; inqt, confitebit me corã hoĩbus, cõfitebor & ego illũ primũ quidẽ corã patre meo q̃ est in cœlis, deinde etiã corã angelis Dei. Quẽ aũt Christus confitet, hoc est, laudat & cõmendat corã patre & angelis, qd nõ beneficio; isti cõtingeret? Primũ em̃ consequit tantã noĩs sui gloriã, ut ea superet oĩm huius seculi regum amplitudinẽ & maiestatẽ. Tametsi em̃ hi magnã habeant gloriã corã hoĩbus, tm̃ quia Christus eos, q̃ nomen suũ ingenue ex fide cõfitentur, laudat corã patre cœlesti & angelis, tãto maior est gloria eorũ, quanto plus pater & angeli excellunt hoĩes. Et hæc magnitudo gloriæ, quam habent sancti corã Deo, utcunq; etiã inter hoĩes declarat. Nã cũ mentio fit regis alicuius, aut imperatoris iã ante mortui, solemus quidẽ honoris gratia nomẽ laudis adiicere, dicentes, exempli gratia, laudabilis memoriæ Cæsar Fridericus, aut imperator Maximilianus: at cũ inciderit mentio de iis, qui Euangelion Christi prædicauerunt, & nomen Christi in persecutione cõfessi sunt, ibi tum sanctitatis cognomen, quod est inter epitheta longe oĩm honestissimũ, producit. Dicimus em̃, sanctus Petrus, aut sanctus Paulus, aut sanctus Ioannes. Qua laude, qua cõmendatione quid potest esse excellentius? Et tm̃ hæc laus inter hoĩes, uix umbræ, quod dicit, somniũ est, eius laudis, quã habent illi corã patre cœlesti & oĩbus angelis eius. Deinde, quẽ Christus cõmendat patri, eũ pater in filiũ adoptat, & quẽ cõmendat angelis, ei oẽs angeli magna sollicitudine seruiunt, & in oĩbus periculis tuentur. Pater em̃, inqt Ioannes, diligit filiũ, & oĩa dedit illi in manũ. Hæc est aũt uoluntas Christi, ut oẽs qui credunt in ipsum & confitent ipsum ex fide, adoptent in filios Dei. Quotquot, inqt, receperunt eũ dedit eis ut liceret filios Dei fieri. Quare quẽ Christus Deo patri cõmendauerit, is sine omni tergiuersatione in filiũ Dei adoptatur. De angelorũ aũt ministerio psalmus ait: Immittit angelus Dei in circuitu timentiũ eũ & eripiet eos. Et ad Hebræos, nonne angeli omnes sunt administratorii spiritus, qui in ministerium emittuntur propter eos, qui hæredes erunt salutis? Postremo, quia quem Deus adoptat in filium, is summam & perpetuam salutem con-

A uocatione sua nihil absterreat.

Cõfessio Christi necessaria & utilis multipliciter.

Cõfessio Christi habebit gloriam.

Cõfessio Christi facit filios Dei.

Angeli ministrant cõfessoribus Christi

lutē cōsequimur, ideo perspicuū est, q̄ qui confitet Christū, & uicissim mē mendatur Deo patri per Christū, summā habeat salutē. Hinc est, quod Paulus dicit: Corde creditē ad iusticiā, ore aūt fit cōfessio ad salutē. Habes quæ sint cōfessionis Christiānæ præmia. Nunc uide quæ sint abnegationis supplicia. Quisqs, inquit, negauerit me coram hoibus, negabo eum & corā patre meo, qui est in cœlis. Quē aūt Christus abnegat corā patre, quis iam eius rationē habiturus est? Finge quempiā oībus hoibus cōmendatum, ac maiestate etiamnū regia coram hoibus præditū, abnegatū aūt & rei ectum à Christo corā Deo, quid huic iam profuerit humana gloria, aut regia maiestas? an nō utilius est, cū sacco mendicitatis in regnum cœlorū ingredi, quàm cū corona regia ad infernū detrudi? Quē eīm Christus abnegat, is nō adoptat in filiū Dei, sed manet filius Satanæ. Quid aūt filius Satanæ aliud hæreditatis consequetur, q̄ parens eius Satan, nimirū, perpetuū & inextinguibilē ignē gehennæ? Proinde q̄ Christum abnegat, & nō resipiscit, tanto certius gehenna plectet, quanto firmius est uerbum Christi. Cæterū, confessio & abnegatio Christi nō tantū fiunt ore in persecutione, sed etiā fieri solent operibus. Deum, inquit Paulus, profitentur se scire, factis aūt negant, cū sint abominabiles, & dicto nō audientes, & ad omne opus bonū reprobi. Et enim, cū Christus sit uerbū Dei, manifestum est, q̄ qui contemnit uerbū Dei, & uiolat factis suis, is etiam Christū abneget. Verbum Dei est: Nō assumas nomen Dñi Dei tui inuanum. Hoc uerbo exigit Deus, ut inuocemus ipsum, & nō abutamur nomine eius ad execrationes & maledicta. Ergo qui in afflictiōibus inuocāt Deum, per Christum, hi confitentur Christum operibus. Qui aūt nō inuocant Deum, sed proiiciūt execrationes, hi Christum operibus abnegant. Verbum Dei est: Mea est ultio & ego rependā. Hoc uerbo exigitur, ut nemo iniurias sibi illatas priuata sua temeritate ulciscatur. Qui ergo remittunt & condonant proximo iniurias confitentur Christum facto. Qui aūt iniurias ad ultionem alta mente reponunt, hi Christum facto suo abnegant. Qui aūt Christum coram hominibus abnegāt, hos Christus coram patre & angelis eius abnegat. Reliquum igitur est, si cœlestem honorem & ueram salutem desideramus, ut Christum per fidem ita complectamur, ut non solum ore confiteamur ipsum, uerum etiam factis fidem nostram testemur, ut uocationem & electionem nostram firmam efficiamus, per Iesum Christum Dōm nostrū, qui est unà cū Patre & Spiritu sancto Deus laudandus in secula Amen.

Abnegationis supplicia

Confessio & abnegatio fit operibus.

HOMILIA. CV.

DEterruit Christus discipulos ab abnegatione nominis sui, magnitudine ignominiæ, qua abnegator coram Deo patre & angelis notabit: Qui negauerit me, inquiens, negabitur coram angelis. Nunc deterret eos ab abnegatione, magnitudine peccati, quod abnegatione cōmittitur. Et ait: Omnis qui dicit uerbum contra filium hominis, remittetur illi. Ei autem, qui contra spiritum blasphemauerit, non remittetur. Hæc sententia usurpatur apud Matthæum & Marcum aduersus eos, qui dicebant, Christum habere immundum spiritum, & eiicere Satanam præsidio Beelzebub. Hoc autem loco usurpatur aduersus eos, qui abnegant nomen Christi. Primum ergo obserua, Christum hic diserte inter personas diuinæ naturæ distinguere. Dicit enim aliud peccatum esse contra filium hominis, qui est filius Dei, aliud esse contra spiritum sanctum. Necesse igitur est, spūm sanctū aliam esse peesonā in diuina essentia, q̄ filium Dei. Deinde solet hic disputari, quod sit peccatum & cōuicium in filiū hois, & quod sit conuiciū seu blasphemia in spiritum sanctum. Et alii quidē dicunt, peccatum in spiritum sanctum esse, agnitam ueritatē impugnare, alii finalē incredu-

Personæ in diuinitate distinctæ.

litatem & impœnitentiam, alii aliter explicant. Addemus & nos ex collatione scripturarum nostram de hoc negocio sententiam, si forte aliquid lucis huic obscuritati afferri queat. Ac priusquam hunc locum de peccato in spiritum sanctum tractemus, explicabimus breuiter eum locum, qui est in priori libro Samuelis, cap. 2. propterea quod maxime omnium ad propositum nostrum conuenire uideatur. Dicit enim Eli ad filios suos: Si peccauerit homo in hominem, placabit iudex. Si autem homo peccauerit in Deum, quis placabit? Hoc dicto non conferuntur peccata ad eam expiationem & placationem, quæ fit per benedictum semen Abraæ, hoc est, per Iesum Christum, in fide. Nullum enim peccatũ tam magnũ est, quod non remittatur per fidẽ in semen Abraæ: sed conferuntur peccata inter se. Sic enim, ut alterum magno interuallo alterum superat, ita quod in hominem peccatur, potest & ab hominibus & coram hominibus expiari. Quod autem in Deum peccatur, tantum est peccatum, ut nulla iam hominum uirtute expiari possit. Si enim iniquitates obseruaueris Domine, Domine, quis sustinebit? Eodem modo sentiendũ est de hoc loco, in quo conferuntur conuitia in filium hominis, & conuitia in ipsum spiritum sanctum. Nam cum in Matthæo dicatur: Qui dixerit aduersus spiritũ sanctum, non remittetur ei, neq; in præsenti seculo neq; in futuro. Et in Marco: Qui cõuicium dixerit in spiritum sanctum, non habet remissionem in æternum, sed obnoxius est æterno iudicio, manifestum est, é totius Euangelii scopo, quod peccatũ in spiritum sanctum non conferatur ad eam peccatorum remissionem & expiationẽ quæ facta est per mortem Domini nostri Iesu Christi. Satisfecit enim Christus pro omnibus omnium hominum peccatis, & quicunq; in Christum crediderit, redditur particeps huius satisfactionis, quantumcũq; magnum & atrox peccatum uel in homines uel in Deum ipsum designauerit. Ipse enim est, inquit Ioannes, propitiatio p peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. Et alibi: Omnis, omnis, inquam, qui credit in eum non perit, sed habet uitam æternam. Adhæc, non potest certe negari, quin peccatum, quod dicitur, in spiritum sanctũ, sit fructus peccati originalis. Omnia enim peccata, quocunq; nomine uocentur, é peccato originali, ueluti é fonte oriuntur. Christus autem expiauit morte sua non tantum externa peccata, sed etiam peccatum originale. Sic enim Paulus ait: Sicut per unius delictum propagatum est malum in omnes homines ad cõdemnationẽ, ita per unius iustificationem propagatur bonum in omnes homines ad iustificationem uitæ. Quare manifestum est, quod etiam peccatum, quod dicitur, in spiritum sanctum, expiatum sit morte Christi, in iis, qui Christum per fidem complectuntur. Quid ergo est: Non remittetur neq; in præsenti neq; in futuro seculo, &: non habet remissionem in æternum? Non conferuntur hoc loco, quemadmodum diximus, peccata ad eam expiationem, quæ per Christum facta est, sed conferuntur inter se & pronunciatur alterum altero maius, atrocius, horribilius, & inexcusabilius esse. Nam cum dicitur: Quicunq; dixerit uerbum aduersus filium hominis, remittetur ei, ibi filius hominis potest intelligi, pro Christo, qui se filium hominis uocare solet. Et quia Christus tam abiecta specie inter homines ambulauit, ut non apparuerit, tantam maiestatem in ipsum competere, quantam prophetæ de Messia uaticinati sunt, nonnullam coram hominibus excusationem uisus est habere is, qui Christum eo tempore, quo inter homines ambulauit, non pro Messia agnouit: Quare peccatum in filium hominis dicendum est, quod &si magnum sit, habeat tamẽ quãdam excusationis speciem coram hominibus. Potest etiã hoc loco filius hominis intelligi generaliter pro quouis homine. Id quod Marcus significare uidet, cũ ait: Omnia

Peccatũ peccato grauius.

Omnia peccata per Christum remißibilia.

Peccatum in filiũ hominis.

Filius hominis pro hoïe.

Omnia remittentur filiis hominum peccata & conuitia, quibuscunq; conuiciati fuerint. Et tunc plane conuenit cum eo, quod est in Samuele: Si peccauerit homo in hominem, placabit iudex. Peccatum enim, quod in hominem designatur, & si committitur etiam in Deum, propterea quod Deus exigit, ne proximo malefaciamus, iudicatur tamen ob hanc causſam remissibile, quod homo malefacto irritatus, potest iterum humanis beneficiis & officiis placari. Peccatum autem in spiritum sanctum, tale dicitur, quod immediate in Deum committitur, & quod tam manifestã habet impietatem, ut nullus pateat excusationis locus, nec coram Deo nec coram hominibus. Officium enim spiritus sancti est, diuinas res manifestare & cõfirmare. Sic spũs sanctus reuelauit & cõfirmauit autoritatẽ Mosi & decalogi, in Exodo. Sic reuelauit & confirmauit autoritatem prophetarum in Elia & Elizæo. Sic reuelauit & confirmauit autoritatem Euangelii in Christo & Apostolis. Vnde dicitur: Cũ uenerit paracletus, qui est spiritus ueritatis, ducet uos in omnem ueritatem. Peccatum igitur in spiritum sanctum, illud uocatur, quod in manifestam & omnibus approbatam ueritatem committitur, & quod ita apertam habet impietatem, ut nulla ratione excusari queat. Et dicitur neq; in præsenti neq; in futuro seculo remissibile, non quod nec per fidem in Christum remittatur, summa enim Euangelii in hoc constat, quod omnia peccata, siue parua siue magna, per fidem in Christum remittantur, sed dicitur irremissibile, tum quod natura sua damnet hominem, tum q̃ nullam habeat penitus excusationem, nec in hoc seculo coram hominibus, nec in altero seculo coram Deo. Non admodũ dissimile est, quod Christus in Matthæo cap. 5. ait: Quisquis dixerit, fatue, obnoxius erit gehennæ incendio. Hoc autem incendium est perpetuum. Ergo ne qui dixerit fratri suo, fatue, incendium gehennæ nunquam effugere poterit? Certe si naturam peccati inspicias, nunquam effugiet, at si conuersus fuerit ad Christum per fidem, iam & peccatum remittitur, & æterna fœlicitas donatur. Sic & peccatum in spiritum sanctum, atrocissimum quidem est, & quia manifestam & inexcusabilem habet impietatem, superat atrocitate sua omnia alia peccata, ut merito præ omnibus aliis peccatis dicatur, neq; in hoc neq; in futuro seculo remissibile, sed si quis ad Christum per fidem conuersus fuerit, ibi tũ uere fieri solet, quod Paulus ait: Vbi exuberauit peccatũ, ibi magis exuberauit gratia. Et: Quis intentabit crimina aduersus electos Dei? Deus est qui iustificat. Quis ille qui cõdemnet? Christus est, qui mortuus est, imo qui & suscitatus est, qui etiã est ad dextram Dei, qui & intercedit pro nobis. Et Ioannes: Si condemnat nos cor nostrum, Deus maior est corde nostro. Quare sentiamus, peccatum in spiritum sanctũ in se quidem præ aliis peccatis horribilius esse, quàm ut sit remissibile, in Christo autem thesauro omnis clementiæ ita remissibile fieri, ut qui in Christum credat, æternam quoq; fœlicitatem consequatur. Iam ex hoc loco licebit etiam de peccato ad mortem, de quo scribit Ioannes, iudicare. Sic enim ait: Si quis uiderit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petet, & dabit ei uitam, peccantibus nõ ad mortem. Est peccatum ad mortem, nõ pro illo dico ut roges, omnis iniquitas peccatum est, & est peccatum non ad mortem. Quid? an non Deus uult omnes homines saluos fieri? an non pro omnibus hominibus, quantumcunq; impiis, etiam Euangelii persecutoribus aut abnegatoribus, orandũ est, ut ab impietate sua ad Christum conuertantur, & salutem consequantur? certe charitas proximi hoc exigit. Quid ergo illud sibi uult: Est peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roges? Sicut Christus confert peccata in filium hominis, & in spiritum sanctum commissa, non ad expiationem per ipsum factam, sed confert ea inter se, ad suam ipsorum na-

Peccatum in spiritum sanctum.

Peccatum in spiritum sanctum quomodo irremissibile.

Peccatum ad mortem. 1. Ioan. 5.

turam, ita Ioannes nõ sentit, peccatũ ad mortẽ esse simpliciter irremissibile, ne per fidem quidẽ in Christũ, sed cõfert peccata ad ecclesiæ cõmunionẽ. Sunt enim quædã hoim uitia, quæ & si coră Deo peccata sint, propter ea tñ hoies nõ sunt è cõmunioe ecclesiæ & publicarũ orationum atq; sacramentorũ abiiciendi: quale est, senũ morositas, aut præceps quorundam iracundia, de qbus uitiis uulgo dicit: Amici mores noueris, nõ oderis, & de qbus Paulus ait: Debemus nos, qui potentes sumus, infirmitates impotẽtiũ portare. Et iterũ: Si occupatus fuerit homo in aliquo delicto, uos, qui spirituales estis, instaurate huiusmodi spiritu mansuetudinis, cõsiderans te metipsum, ne & tu tẽteris. Et hæc hoim uitia uocat Ioannes peccata nõ ad mortẽ, pterea q & si uere peccata sint, nõ tñ talia sunt, ut propter ipsa liceat hoiem è cõmunione orationis & sacramentorũ excludere, sed ferenda sunt, & cõmuni oratione abstergenda. Sunt alia uitia, quæ manifeste merent excõmunicationẽ, de qbus Paulus ait: Si quis, cũ frater appellet, fuerit scortator, aut auarus, aut simulacrorũ cultor, aut cõuiciator, aut ebriosus, aut rapax, cũ eiusmodi ne cibũ quidẽ capiatis.

Pro peccato ad mortẽ non orandum.

Et hæc peccata uocat Ioannes peccata ad mortẽ, & dicit, pro iis ne orandũ quidẽ esse, nõ q nulla salus eiuscemodi peccatoribus reliqua sit, si resipuerint, aut q nõ sit orandũ, ut resipiscant & salutem cõsequant, (quid enim posset dici inhumanius?) sed q tales peccatores nõ sint ferendi in ecclesia, & nõ sint admittendi in publicã communionẽ orationis & sacramentorũ, donec resipiscant. Et orandũ quidẽ est, ut hi agnoscant peccata sua, & conuertant ac uiuant, sed nõ est orandũ, ut & si maneant & perseuerent in his peccatis, Deus tñ remittat ea. Hoc enim esset orare, ut Deus sine Christo salutẽ cõferret, hoc est, ut Deus Christum aboleret, aut ociosum redderet. Quid aũt hac oratione magis temerariũ? Quare nec ex hoc Ioannis loco sentiendũ est, peccatũ aliquod esse, quod in Christo Iesu p fidẽ nõ sit remissibile. Habes q d

Species peccati in spiritum sanctũ.

sit sentiendũ de peccato in spiritũ sanctũ & de peccato ad mortẽ. Si ergo uel pfecuti onẽ agnitæ ueritatis, uel incredulitatẽ, uel impœnitentiã, uel aliud q ddam, quod manifeste impiũ ac sceleratũ est, uocaueris peccatũ in spũm sanctũ, nõ aberrabis. Hæ enim sunt peccati in spiritũ sanctũ species, q, ut maxime sint manifestæ impietates & natura sua, ut aliis peccatis horribiliores, ita & irremissibiliores, tñ si quis cõuertit ad Christũ per fidẽ, cõsequitur remissionẽ oim peccatorũ, nõ eorũ tm, quæ aduersus filiũ hois, seu hoiem, sed eorũ etiã, quæ aduersus spiritũ sanctũ, seu Deũ ipsum cõmissa dicunt. Videamus aũt nunc, quas peccati species Christus noie peccati in spiritũ sanctũ intelligat. Duobus enim locis mentionẽ facit peccati in spiritũ sanctũ. Altero, cũ reprehendit calumniã pharisæorũ, qui dicebant ipsum eiicere dæmonia pr sidio Beelzebub. Atq; eo loco uocat impudentẽ & manifestã calumniã, peccatũ in spiritum sanctũ. Nã q Christus eiiciẽdo dæmonia, spiritu Dei præditus esset, ac benefaceret, tam manifestũ erat, ut etiã humanis rationibus cõuinci potuerit: attamẽ Pharisæi tãta impietate & maleuolẽtia obruti erant, ut quod manifeste spiritu Dei fiebat, spiritu Satanæ tribuerent, & quod perspicue benefactũ erat, pro malefacto interpretarentur. Manifesta igitur calumnia dicitur species peccati in spiritum sanctum. Altero facit Christus mentionẽ huius peccati, in hac concione, apud Lucã, qua monet discipulos, ut confiteantur nomen ipsius, & nõ abnegent ipsum. Dicit enim: Omnis quicunq; confessus fuerit me coră hoibus, & filius hominis confitebitur illũ coram angelis Dei. Qui aũt negauerit me coram hoibus, negabitur coră angelis Dei. Et statim additur: Quisquis loquitur dictũ in filium hominis, remittetur illi, ei uero qui in spiritum sanctum conuicium dixerit, non remittetur. Hoc loco uocat Christus abnegationem nominis sui, quæ fit à suis discipulis, conuicium in spiritũ sanctum

sanctum. Et confert inter se, contemptū nominis Christi, qui fit ab extraneis, & abnegationem nominis Christi, quæ fit à discipulis. Nam qui loquunt dictū in filium hominis, extranei sunt, qui Christum nec agnoscunt, nec unq̄ agnouerunt. Hi, si Christum abnegauerint, remissibiliter, hoc est, corā hoibus excusabiliter peccare dicunt. Qui aūt discipuli & domestici Christi fuerint, ac cognouerint maiestatem Christi, tum ex doctrina, tum ex miraculis, hoc est, ex reuelatione spiritus sancti, hi si deficiant à Christo & abnegent ipsum, turpissime, & irremissibiliter, hoc est, nec corā hoibus nec corā Deo excusabiliter peccāt. Nunqd ergo, q ita peccauerint, & postea per fidem in Christum resipuerint, nō recipiunt à Deo in gratiā? Certe recipiunt. Nam & Petrus receptus est, qui non simpliciter, sed cum iuramento & suiipsius anathemate abnegauit Christum, & Ezechiel ait: Si impius egerit pœnitentiā ab oībus peccatis suis, & custodierit oīa præcepta mea, & fecerit iudicium & iusticiā uita uiuet & non morietur. Omnium iniquitatum eius, quas operatus est, nō recordabor. Et mox: Nunqd uoluntatis meæ est mors impii, dicit Dñs Deus, & nō ut conuertatur à uiis suis, & uiuat? Primum igit oīm curandū est, ne abnegemus Christū ne ue alia peccata designemus. Qui em̄ peccat, ex diabolo est, & perpetuæ damnationi obnoxius redditur. Deinde autē, si peccatum fuerit, uel abnegatione Christi, uel alio peccati genere, danda est summa opera, ut per fidē in Christum resipiscamus, & in fide Christi ambulemus. Sic em̄ fiet, ut nō solum remissionē oīm peccatorum, uerumetiam æternā fœlicitatē cōsequamur. Cæterū, postq̄ Christus deterruit discipulos ab abnegatione nominis sui, magnitudine peccati, uidelicet, q ab negatio Christi nō sit simplex peccatum, sed peccatum in spiritum sanctum, nunc continet eos in officio confessionis, PROMISSIONE. Potuissent enim ad priora ita obiicere: Si confiteamur & prædicemus nomen tuum, ducemur captiui non ad priuatos quosdam è uulgo, sed in publica Concilia, ad principes & reges. Nos autē sumus homines indocti, piscatores & publicani illiterati, & nulla humana sapientia præditi, nec coram tantis uiris hiscere audebimus. Quid igit faciemus? Videmus quanta sollicitudine uulgus reorum, in causis ciuilibus, patronos quærant, & procuratores constituant. Quos ergo nos in causis nostris criminalibus (sic enim accusabimur) patronos & procuratores conquiremus? Ad hoc respondet Christus, & p mittit discipulis patronum & aduocatum dicens: Cum inducent uos in synagogas, & ad magistratus & potestates, nolite solliciti esse, qualiter aut quid respondeatis, aut quid dicatis. Spiritus enim sanctus docebit uos in ipsa hora, quæ oporteat uos dicere. Non est, quod de patronis, aduocatis, aut procuratoribus pro uulgi more solliciti sitis, nec uos torqueat, quid respondeatis. Dabo enim uobis spiritum sanctum in aduocatum, & patronum, qui docebit uos omnem ueritatem. Dabo uobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere neq; contradicere omnes qui aduersabuntur uobis. Hæc est PROMISSIO, qua Christus munit discipulos suos ad uersus pericula, quæ propter confessionem & prædicationem Euangelii, in publicis iudiciis subituri sunt. Sed in hac promissione, primum omnium admirabitur quispiam, quod Christus promitrat discipulis tantam spiritus sapientiam, ut non possint ei omnes aduersarii contradicere, cum tamen aduersarii nō solum discipulis, uerumetiam ipsi Christo sæpenumero ita restiterint, & contradixerint, ut multo pertinaciores discesserint. Dicemus ne uanam esse Christi promissionem? Absit. Christus enim non promisit aduersarios mutos fore, sed significat potius eos loquacissime contradicturos, & pertinacissime omnibus sapientiæ & eloquentiæ suæ uiribus restituros, promittit autem, nullam tantam aduersariorum sapientiam aut

Abnegatiō Christi discipulis est peccatum in spiritum sanctū.

Christus munit discipulos promissione.

Promissio Apostolorum.

Veritas Euangelij non potest opprimi.

eloquentiam fore, quæ posit subuertere ueritatem Euangelii. Et aduersabuntur quidem impii, sed non prævalebunt. Contradicent, sed non obtinebunt causam suam. Resistent, sed non uincent. Quomodo, inquies, non uincent, cum & Christum & Apostolos oppresserint, atq; trucidarint? Trucidarunt quidem corpus, sed non trucidarunt ueritatem Euangelii. Oppresserunt uitam eorum corporalem, sed non oppresserunt prædicationem eorum de Christo Iesu. Quanto enim Apostoli crudelius à Iudæis & gentibus trucidati sunt, tanto latius sparsa est Euangelii prædicatio, donec peruaserit in totum orbem terrarum, & tantisper durabit, dum orbis terrarum constiterit. Res igitur ipsa declarat, quod iuxta promissionẽ Christi, tanta spũs sapientia data fuerit Apostolis, ut aduersarii nulla nec sapiẽtia, nec eloquentia, nec etiam tyrannide potuerint Euangelion eorum, quod de Iesu Christo confessi sunt & prædicauerunt, opprimere. Sed iterum dices: Si non est sollicite præmeditanda apologia, & spiritus docturus est, quid sit loquẽdum, ad quid prodest studium sacræ scripturæ? Huc accedit, quod & uulgus obiicit, quid, inquit, docemur religionem tot & tam uariis concionibus, quando, ut Christus hoc loco de doctore spiritu sancto loquitur, ita & Ieremias de tempore reuelati Euangelii

Iere. 31.

scribat: Non docebit ultra uir proximum suum, & uir fratrem suum dicens: Cognosce Dominum. Omnes enim cognoscent me, à minimo usq; ad maximum, ait Dominus. Si nullus proximum docebit, cur pueri nostri in catechismo eruditũtur? cur nos natu maiores in Euangelio instituimur? Respondeo: Cum Christus dicit:

Sacra scriptura discenda.

Nolite solliciti esse qualiter aut quid respondeatis, non hoc uult, ut uel Apostoli nullam operam sumant in meditãda apologia, uel nos nullam diligentiam adhibeamus in discenda sacra scriptura. Supra enim dixit: Attendite à fermento Pharisæorum quod est hypocrisis, seu impia doctrina: hoc autem attendere, multam certe diligentiam exigit. Et Paulus ait: Omnis scriptura diuinitus inspirata, & utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem, quæ est in iusticia, ut integer sit Dei homo, ad omne opus bonum apparatus. Dauid

Rudes in persecutione ne desperent responsionem.

quoque canit: Beatus uir, qui meditatur in lege Domini die ac nocte. Quare Christus prohibendo sollicitudinem præmeditandæ apologiæ, nõ prohibet aut diligentiam præmeditationis, aut studium sacrarum literarum, sed prohibet desperationem, quæ solet nos ad abnegandam ueritatem Euangelii sollicitare. Nam qui in persecutione propter confessionem Euangelii captiui tenentur, uariis cogitationibus occupantur: Quid faciam? & si agnoscam confessionem fidei meæ ueram esse, tamen, quia rudis sum & indoctus, non potero tam doctis, tam sapientibus, tam eloquentibus resistere. Cedam igitur ore, & interim retinebo ueram fidem in corde. Sed absit, inquit Christus, hæc sollicitudo, absit hæc desperatio. Tu quidem, dum tempus habes, da operam sacræ scripturæ, meditare apologiam, compone responsionis orationem, ne ignauia & torpore Dominum Deum tuum tentes. Sed cum constitutus fueris in publico iudicio aut concilio, noli diffidere, noli desperare, dabit Dominus, quid loquaris. Si præmeditata non fuerint commoda, dabit Dominus commodiora, tantummodo, ne aduersariorum uel sapientia uel eloquentia ita terrearis, ut à ueritate deficias, & Euangelion abneges. Non dissimile est, quod paulo post sequetur. Nolite solliciti esse animæ

Impia cura nõ labor prohibetur.

uestræ, quid manducetis, neque corpori uestro, quid induamini. Quibus uerbis Christus, non prohibet laborem, studium & diligentiam quærendi uictum & amictum, quando aliàs præcipiatur, ut unusquisq; seruiat diligenter suæ uocationi, & patrumfamilias uocatio sit, familiæ uictum & amictum quærere. Sed prohibet impiam cu

piam curam, qua quis derelicta legitima uocatione Dei, sectatur illegitimam, quo corpori suo consulat. Vt si Apostolus uocatus ad prædicandum Euangelion, abiiciat hanc uocationem propter curam uictus, & sectetur artificium manuarium, aut si quis exercens legitimam negociationem, abiiciat iusticiam negociandi & sectetur impostura, ut sibi maiores diuitias comparet, hoc demum est impie sollicitũ esse animæ quid manducet, aut corpori, quid induat. Sic & hoc loco, Christus, docens Apostolos non esse sollicitos, quid in iudicio respondeant, non docet ignauiam, aut contemptum sacrarum literarum, sed docet constantiam in confessione fidei, ut in persecutionibus non deficiant ab Euangelio. Quod uero ad Ieremiam attinet, cum Dominus ait: Non docebit ultra uir proximum suum, non abrogat in Christianismo externum ministerium prædicandi Euangelii. Christus enim dixit: Ite & prædicate Euangelion omni creaturæ. Et: Fides ex auditu est, auditus autem per uerbum Dei. Item: Euangelion est potentia Dei ad salutem omni credenti. Necessarium igitur est in ecclesia Christi externum ministerium prædicandi Euangelii, sed Dominus his uerbis: Non docebit ultra uir proximum suum, confirmat potius externum ministerium Euangelii & explicat perspicuam & publicam eius reuelationem, ac docet, quòd postquam Christus aduenerit, Euangelion salutis tam dilucide tam perspicue manifestabitur, atq; ubiuis prædicabitur, ut iam nemo indigeat priuato præceptore ad discendam pietatem, quales præceptores Iudæi habebant, sed publice omnibus adnuncietur, quo omnes ueram Dei cognitionem discant. Quare ut Apostolis tanto magis necessarium fuit, diligentiam in præmeditanda apologia adhibere, quanto magis prohibetur impia & desperabunda præmeditationis sollicitudo, ita nos eo plus inuitamur ad sectandã & audiendam publicam Euangelii prædicationem, quo manifestius ea nobis proponit ueram cognitionem Dei patris, & Domini nostri Iesu Christi, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus laudandus in secula Amen.

Ieremiæ locus explicatur de reuelatione Euãgelij

HOMILIA. CVI.

SVnt, quos à confessione Euangelii abstrahit metus infamiæ, sunt, quos abstrahit pusillanimitas respondendi coram publico iudicio, sunt item, quos abstrahit timor mortis, sed multo plures sunt, quos cura uentris & cupiditas diuitiarum, non tantum ab Euangelii confessione, uerumetiam aliis legitimis uocationibus Dei seducit. A cillis q dem, qui uel metu infamiæ uel pusillanimitate, uel timore mortis tenent, Christus antea concionatus est. Nunc autem his medetur, qui diuitiarum curis ita suffocati sunt, ut ad uocationem Dei ne adspirare quidem possint. Quidam enim dicebat ad Iesum: Magister, dic fratri meo, ut diuidat mecũ hæreditatẽ. Principio, hic homo prodit insignẽ suã insciti ã, q nesciat ueram rationẽ regni Messiæ, seu officii Christi. Nam cũ audiuisset ex prophetis, Messiã confirmatuꝝ regnũ Dauidis in iudicio & iusticia, & iudicatuꝝ pauperes in æquitate, ac audiret, hunc Iesum esse Messiã, q & docebat, nõ esse malefaciendũ proximo, existimauit Iesum nõ debere tm̃ uerbis recta docere, sed etiã factis ipsis præstare, p more regũ huius seculi, ne quis alteri malefaciat. Quare interpellat Iesum. Frater, inqens, meus partẽ patrimonii mei iniuste detinet. Cũ igit̃ tu uidearis esse Messias, & toties inculces fraternã charitatẽ, fac ut & frater meus reipsa erga me p̃stet, quod tu uerbis doces, & officiũ Messiæ exigit. Parũ em̃ Euangelicũ fuerit, alienã hæreditatẽ ui & iniuste detinere. Deinde, p dit etiã auaritiã suã. Cũ em̃ Christus uocaret discipulos ad confessionẽ nois sui, & iuberet ipsos præparare se ad futurã p̃secutionẽ, hic homo, perinde ac si nihil peri

culorum immineret, hæreditati suæ adeo affixus erat, ut præter opes & uoluptates huius seculi nihil aliud spiraret, ac non hoc ageret, ut Christum sectaretur, sed ut diuitias congregaret, quemadmodum è sequenti concione Christi facile notari potest. Quare Christus reprehendit in hoc homine utrumq; uidelicet insciti am & auaritiam. Et dixit ei: Homo, quis me cõstituit iudicem aut diuisorem super uos? Durissima responsio: Quid ad me, inquiens, quod frater tuus partem hæreditatis tuæ iniuste occupat? Ego doctor Euangelii sum, non magistratus ciuilis. Quare, si nolueris iniuriam fratris ferre, adeundus tibi erit magistratus ciuilis. His uerbis primum, non reiicit, non condemnat Christus usum publicorum & ciuilium iudiciorum, sed potius confirmat eum. Nam si improbaret eũ, non remisisset hunc hominem ad publicos & ordinarios iudices, sed simpliciter dixisset: Nolo, ut contendas iudicio cum fratre tuo, sed uolo ut remittas ei & tuæ hæreditatis partem. Nunc aũt cum ait: Quis me constituit iudicem aut diuisorem super uos, perspicue significat, ciuilem magistratum de hac controuersia interpellandum esse, & ad ciuilem magistratum pertinere de his rebus iudicare. Approbat igitur usum magistratus & publicorum iudiciorum, quia & ipsa sunt diuinæ ordinationes. Deinde, ut non reiicit magistratum ciuilem, ita distinguit inter suum officium, & inter ciuilis magistratus officium. Tametsi enim de Messia scriptum sit, quòd sit regnum Dauidis confirmaturus in iudicio & iusticia, hoc tamen nõ intelligendum est, quod regnum Christi sit corporale regnum in hac terra. Et quanquam nõ sit impium hæreditates inter se diuidere, ac possidere, & iniuriis à proximo illatis auxilium ciuilis magistratus legitime implorare, tamen Christus non uenit in hunc mundum, ut administret officium magistratus ciuilis, & iudicet publice controuersias de familia herciscunda, sed uenit, ut doceat remissionem peccatorum, & satisfaciat pro peccatis nostris, ac reconciliet nos patri, restituatq; nos sempiternæ saluti. Hoc est proprium & legitimum officium Christi. Quare ait, quis me constituit iudicem aut diuisorem super uos, hoc est, alia est ciuilis magistratus uocatio, alia mea uocatio. Ad illũ pertinet, ut diiudicet controuersias de hæreditatibus, & id genus aliis rebus. Ad me autem pertinet, ut doceam Euangelion, de remissione peccatorum & uita æterna. Vtigitur nollem, quod magistratus meum officium temere usurparet, ita & mea interest, ne temere usurpem mihi uocationem magistratus. Obseruanda doctrina, qua non solum erudimur, quod sit proprium & legitimum officium Christi in hoc mundo, uerum etiam admonemur exemplo Christi, ne quis alienam uocationem illegitime inuadat, sed suæ diligenter seruiat. Quod si fecissent pontifices, non tantum impietatum, turbarũ & seditionum hactenus in ecclesia extitissent. Quod si facerent etiam priuati quiq;, non tantum miseriarum & ærumnarum in suum ipsorum caput adsciscerent. Cæterum, postquam Christus reprehendisset in hoc homine inscitiam, reprehẽdit deinceps etiam auariciam, & dehortatur ab ea, dixitq; ad illos:

» Videte & cauete ab auaricia. Vocat autem Christus auariciam, non cupiditatem necessarii uictus & amictus. Natura enim ad hanc impellit, & Christus iubet ea orare: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: sed cupiditatem magnarũ & superfluarum diuitiarum, ut ocieris, in deliciis ac uoluptatibus uiuas, & fœlices dies in hoc seculo agas. Ab hac igitur cupiditate dehortatur Christus, primum argumento ducto ab incommodo & inutilitate superfluarum diuitiarum. Et ait:

» Quia non in abundantia cuiusquam uita eius est, ex his quæ possidet. Vita hoc loco sumitur non tam pro naturali uita, quàm pro fœlicitate, deliciis & uoluptatibus huius corporalis uitæ. Homines enim ideo studeant augendis opibus, ut parẽt sibi, nõ

Iudicia publica approbantur.

Officiũ Christi est spirituale.

Aliena uocatio non est inuadenda.

Auaricia quæ & fugienda.

sibi, non uictum tantum, sed etiam delicias & fœlicitates huius seculi, Christus aũt palàm affirmat, non in abundantia cuiusquam uitam esse ex his quæ possidet, hoc est, nullius hominis uitam & fœlicitatem huius seculi consistere in abundantia possessionum seu diuitiarum. Quanquam autem, uel simplici uerbo Christi adhibenda sit fides, quippe qui sit ipsa ueritas, & sapientia, qui ut mentiri non possit, ita omnium rerum exactam cognitionem habeat, tamen quo maior sit huius dicti certitudo, etiam communis hominum ratio sentit mediocritatem diuitiarum præstare abundantiæ & superfluitati. Hinc illud est, quod dicunt, dimidium plus esse toto. *Mediocritas præstat abundantiæ.* Et homines nescire, quanta sit maluæ & asphodeli commoditas. Ac laudanda quidem esse ingentia rura, sed exigua colenda, quo significant, ad fœlicitatem huius seculi multo commodiores esse modicas quàm magnas facultates. Quemadmodũ enim satius est dimidio cibi uti, quàm immodico cibo onerare stomachum, ita satius est dimidium facultatum habere, quàm ingentes opes, quæ ut sine magna inquietudine & labore administrare non possunt, ita nec sine ingenti periculo retineri possunt. Accedit huc & Salomonis experientia: Coaceruaui mihi, inquit, argentum & aurum, & substantias regum & prouinciarum. Feci mihi cantores & cantatrices, & delicias filiorum hominum, cyphos & urceolos in ministerio ad uina fundẽda, & supergressus sum opibus omnes qui ante me fuerunt in Hierusalem. Sapientia quoque perseuerauit mecum, & omnia quæ desiderauerunt oculi mei, non negaui eis, nec prohibui cor meum, quin omni uoluptate frueretur, & oblectaret se in his quæ præparaueram. Audiuisti maximarum opum abundantiam, & spem multarum uoluptatum, sed audi nunc etiam successum: Cum, inquit, conuertissem me ad uniuersa opera, quæ fecerant manus meæ, & ad labores, in quibus frustra sudaueram, uidi in omnibus uanitatem, & afflictionem animi. Hoc quid aliud est, quàm quod Christus dicit: Non in abundantia cuiusquam uita eius est, ex iis, quæ possidet? *Eccle. 2.* Fuge igitur auariciam, & sectare mediocritatem, ut paruo contentus tranquillam uitam in hoc seculo ducas. Deinde explicat Christus, non in abundantia possessionum cuiusquam uitam esse, exemplo diuitis. Et dixit ad illos similitudinem: Hominis cuiusdam diuitis uberes fructus ager attulit, & cogitabat intra se, dicens: Quid faciam, quod non habeam, quo congregem fructus meos? Et dixit: Hoc faciam: Destruam horrea mea & maiora faciam, & illuc congregabo oĩa, quæ nata sunt mihi, & bona mea, & dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, lætare. Dixit autẽ illi Deus: Stulte hac nocte animam tuam repetunt à te, quæ aũt præparasti, cuius erunt? Sic est, qui sibi thesaurizat, & non est in Deum dives. In hoc exemplo, primum omnium apparet ueritas huius dicti: Quo sceleratior, eo fortunatior. Dives enim:, cuius hic fit mentio, fuit impius, & tamen agri eius attulerunt uberes fructus. Quid ergo est, quod Mose scribit, impietatem esse maledictam: Si nolueris, inquit, audire uocem Domini tui, maledictus eris in agro, maledictum horreum tuum, maledictæ reliquiæ tuæ, maledictus fructus terræ tuæ. Cur ergo ager impii diuitis benedictus fuit? Verbum Dñi per Mosen promulgatum, minime uanum est. Sic enim ordinauit Deus, ut bonis bene, malis autem male sit, sed quia Satan est princeps huius seculi, *Cur impij prosperantur.* ideo solet ordinationem Dei interturbare & efficere, ut bonis male, & malis bene sit, ut bonorũ agri maledicantur, malorũ aũt benedicantur. Et permittit Deus hãc ordinati õis suæ perturbationẽ, partim ut hac occasiõe declaret immensã suã clemẽtiã, qua sinit solẽ suũ oriri etiã sup malos, & pluuiã mittere etiã sup iniustos: partim ut hac rerũ turba significet futurũ iudiciũ, & aliud seculũ, in quo oĩa non uerbis tũ,

ut in hoc præsenti seculo, sed reipsa, iuxta legitimum suum ordinem componentur: partim ut bonos in fide exerceat, & ad appetenda atque conquirenda bona futuri seculi impellat: partim ut malos hac sua bonitate ad pœnitentiã inuitet, & si nõ egerint pœnitentiã, grauiori supplicio afficiat. Congregas, inq̃t propheta, eos quasi gregẽ ad uictimã, & sanctificas eos in die occisiõis. Et iterũ: Propter dolos posuisti eis, deiecisti eos dũ alleuarent. Quare cũ agri huius diuitis attulerint uberiores fructus, nõ factũ est propter meritũ pietatis eius, quia fuit impius, sed factũ est, ut inuitaret ad resipiscentiã, & si nõ resipisceret, grauius cõcideret. Deinde explicatur hoc exemplo sollicitudo & anxietas diuitũ. Cogitabat diues intra se dicens: Quid faciã, q̃ non habeã, quo congregẽ fructus meos? Diuitiæ em̃ maximis curis exercent studiosos suos, nec unq̃ uel interdiu uel noctu sinunt ipsos tranquillã uitam agere. Prima cura est, ut comparentur & congregentur diuitiæ. Qui labores hic non sunt subeundi? Secunda cura est, ut partæ diuitiæ augeantur. Quæ miseriæ hic nõ sant sufferẽdæ? Tertia est, ut auctæ conseruentur. Quæ sollicitudines hic non sunt suscipiẽdæ? Quid faciã, inquit, q̃ nõ habeã, quo cõgregẽ fructus meos? Hoc illud est, quod Paulus, ad Timotheũ scribens: Qui uolunt, inquit, diteſcere, incidunt in tentationem & laqueum, & cupiditates multas, stultas & noxias, quæ demergunt homines in exitiũ & interitum. Siquidẽ radix oĩm malorum est studiũ pecuniæ. Vanissimũ igitur est, q̃ studiosi diuitiarũ polliceant sibi ex diuitiis tranquillitatẽ uitæ. Adhæc adumbratur in hoc diuite, de quo nunc est sermo, ingeniũ pertinaciũ impiorũ, qui bonitate & beneficiis Dei non solent inuitari ad pœnitentiã, sed abutuntur illis ad impietatem. Hoc, inquit, faciã. Quid facies? nũ superabundantiã opum distribues pauperibus, ut copia tua aliorũ inopiæ succurras? at de pauperibus ne gry quidẽ. Nũ inopẽ uicinũ adiutabis, quando Dñs agrũ tuum tã liberaliter benedixerit? sed ne uicinorum quidem ulla fit mentio. Num consanguineis & amicis aliquid donabis? sed nec de his ullus sermo. Quid igitur facies? Destruam horrea mea, & maiora faciam, & illuc congregabo omnia, quæ nata sunt mihi, & dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, lætare. En hæc illa sunt, quæ studiosi diuitiarum sibi è diuitiis pollicentur. Primum quidẽ tranquillitatem uitæ, deinde læta & iucunda conuiuia, postremo uoluptatem in omnibus rebus huius seculi. Postremo adumbratur in hoc diuite, quem exitum habeat spes impiorum, & eorum, qui sunt studiosi diuitiarum. Dixit enim illi Deus: Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te, quæ autem præparasti, cuius erunt? hoc est, Deus ita ordinat & punit studiosos diuitiarum, ut in spe sua pudefiant, & tunc maxime opibus suis priuentur & pereant, cum iam sibi præsentem diuitiarum suarum fructum polliceantur. Nam, ut certo scias, quod Christus non hunc tantũ diuitem, cuius in præsentiarum fit mentio, sed omnes diuitiarum studiosos, & magnam sibi in hoc seculo uoluptatem ex opibus pollicentes, repentina confusione, & supplicio obnoxius esse intelligat, addit generale dictum: Sic est, inquiens, qui recondit sibi, nec est erga Deum diues, hoc est, quod dixi de uno illo diuite, hoc de omnibus studiosis diuitiarum intelligi uolo. Attamen, ne quis existimet in hoc iudicio etiam pios diuites comprehendi, distinguit inter diuites: Alii enim sunt diuites non opibus tantum, uerumetiam erga Deum. Talis diues fuit Abraam, talis & Iob, talis & Dauid. Tales diuites describit Paulus ad Timotheum, uidelicet, qui non sunt elato animo, neq; ponunt spem in diuitiis incertis, sed in DEO uiuente, qui præbet nobis omnia affatim ad fruendum, qui benefaciunt, & sunt diuites bonis operibus, qui faciles sunt ad imparciendum, libenter

Diuitum solicitudines

Diuitiarum abusus.

Diuites pij. Diuitum impiorũ exitus.

libenter communicantes, recondentes sibi ipsis bonum fundamentum in posterum, ut apprehendant æternam uitam. Et qui eiusmodi sunt, spe sua in tantum non frustrantur, ut audiant: Euge serue bone, super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam. Intra in gaudium Domini tui. Alii sunt quidem diuites externis opibus in arca sua numaria, sed erga Deum sunt pauperrimi. Non enim confidunt in Deum sed apponunt cor suum in diuitias, non utuntur diuitiis ad obsequium uerbi Dei, sed abutuntur ad explendas suas cupiditates carnales, non inquirunt futuram fœlicitatem in Christo Iesu, sed affectant fœlicitatem huius seculi in opibus suis. Et hi sunt diuites illi, qui tunc maxime spe sua frustrantur, & pudefiunt, cum iam se fructũ diuitiarum suarum in manibus tenere putent. Sic Salomon ait: Est aliud malum, quod uidi sub sole, & quidem frequens apud homines. Vir cui Deus dedit diuitias & substantiam & honorem, & nihil deest animæ suæ ex omnibus, quæ desyderat, nec tribuit ei potestatẽ Deus, ut comedat ex eo, sed homo extraneus uorabit illud. Hoc uanitas & miseria magna est. Atq; adeo hoc est generale iudicium omnium eorum impiorum, qui sibi ex carnali securitate pollicentur adhuc diuturnam in hoc seculo fœlicitatem, uidelicet, quod ueniat super eos, quemadmodum Paulus ait, dies Domini sicut fur in nocte. Cum enim dixerint, pax & tuta omnia, tunc repentinus eis imminet interitus, sicut dolor partus mulieri prægnanti, nec effugient. Et Dauid: Vidi, inquit, impium superexaltatum, & eleuatum sicut cedros libani, & trãsiui, & ecce nõ erat, & non est inuentus locus eius. Quid ergo est, quod diuitias nihil ad fœlicitatem huius uitæ profuturas tanto studio corradis? quid noctes atq; dies ad coaceruandas opes contendis? Propheta dicit: Sapientes moriuntur, simul insipiens & stultus peribunt, & relinquent alienis diuitias suas. Deus pater dicit: Stulte, hac nocte repetent animam tuam à te, quæ autem præparasti, cuius erunt? Deus filius dicit: Sic est, qui sibi recondit, nec est erga Deum diues. Deus spiritus sanctus dicit: Non proderunt diuitiæ in die ultionis. Quo ergo nũc te uertes? num maiorẽ fidem adhibebis tuæ ipsius opiniõi, qua polliceris tibi fœlicitates, nescio quas, è diuitiis, an sanctis ꝓphetis, adeoq; Deo ipsi, fœlicitatẽ à diuitiis penitus abripiẽti? Scilicet certius iudicabit humanus captus de rebus, quàm Deus rerũ creator? Fortassis autem existimas, Deum quidem sic locutum, sed ut hominum, ita Dei uerbum euanidum esse. At noli errare: Cœlum & terra transibunt, uerbum autem Dei non transibit. Exiccatur fœnum, & cadit flos. Verbum autem Domini manet in æternum. Quod si uero nec uerbo Dei fidem adhibeas, crede saltem manifestæ rerum experientiæ. Quem unquam hominem diuitiarum studiosum uidisti fœlicem opũ suarum fructum percipere? Salomon ille sapientissimus, & rerum experiẽtissimus: Qui amat, inquit, diuitias, non capiet ex eis fructũ. Vbi multæ sunt opes, multi sunt qui comedunt eas. Et quid prodest possessori, nisi quod cernit diuitias oculis suis. Abiice igitur uanam persuasionem de fœlicitate diuitiarum, & si quas Deus dederit diuitias, utere in fide & iuxta uocationem uerbi Dei, ut sis diues in Christo Iesu Dño nostro, qui est unà cũ Patre & Spiritu sancto Deus laudãdus in secula Amen.

Diuites impij

Diuites confundentur à diuitijs.

Nullus diues felix.

HOMILIA CVII.

QVæ ante contra studium pecuniæ dicta sunt, ad omnes ex æquo pertinẽt. Quæ aũt sequũt de abiiciẽda sollicitudine uictus, ad solos quidẽ discipulos, qui in ministeriũ prædicandi Euangelii electi erant, dicũt, nihilominus tñ oĩbus piis, ꝓ sua cuiusq; uocatiõe, tãto magis obseruãda erũt, quãto horribilius aduersus hanc doctrinã tam ab ignauis, &

ab impigris peccatur. Ignaui enim, cum audiunt, nullam sollicitudinem in paran
do uictu & amictu habendam esse, statim patrocinãtur ignauiæ & torpori suo: Quid
inquiũt, sollicitus laborarem? Christus iussit sollicitudinẽ deponere, & curam aui
culis committere. Producam igitur in bono dies meos, & indulgebo ocio meo.
Rursus impigri, & increduli, cum audiunt è doctrina Christi, abiiciendam sollicitu
dinem esse, occasionem sumunt irridendi & Christum & Euangelion suum: Quid,
inquiũt, deponam ne sollicitudinem? diu certe mihi expectãdum erit, donec assata
columba in os meum aduolet. Nisi sollicitudine caueam, moriendum mihi erit fa
me. Itaq; ignaui nimis in dextram, impigri autem nimis in sinistram peccant. Qua
re, quod Christus hoc loco Apostolis concionatur, hoc nobis omnibus obseruan
dum erit, ut discamus, in parando uictu & amictu, regia uia incedere, hoc est, sic sol
» licitudinem abiicere, ut interim unusquisq; suæ uocationi satisfaciat. Dixit ad
» discipulos suos: Ideo dico uobis: Nolite solliciti esse animæ uestræ, quid manduce
» tis, neq; corpori uestro, quid induamini. Hæc concio necessaria est Apostolis.
Apostoli pro uictu non sint solliciti. Cum enim emittendi erant, non in Galilæam tantum & Iudæam, uerumetiam in
totum orbem terrarum, ad prædicandum Euangelion Christi, primum auocaban
tur ab artificiis suis manuariis, quibus sibi hactenus uictum parauerant, Deinde, nõ
dum erant ministris Euangelii publicæ parochiæ, aut stipendia instituta. Adhæc,
auaricia hominum in summum creuerat, ut nemo quicquam liberalitatis ab ipsis
sperare potuerit. Postremo, Christus ipse pauperior erat, quàm ut posset Apos-
tolos sufficienti uiatico instruere. Non mirum igitur, si de uictu & amictu ita solliciti fu
erint, ut cogitauerint potius sua artificia, quàm uocationem prædicandi Euange-
lii sectari. Christus autem hac concione obuiam procedit sollicitæ eorum cogitati
oni, ac monet eos, ut hanc sollicitudinem abiiciant, nec agit id simplici ac nuda p-
positione, sed addit etiam efficacissima argumenta, quibus perspicue ostendit, non
solum esse ociosum & superuacaneum, uerumetiam maximũ incredulitatis genus,
A maiori. de uictu & amictu ita sollicitum esse, ut derelinquas uocationem Dei, & secteris tuas
» cupiditates. Primum ergo argumentum est: Anima plus est, quàm esca, & cor
» pus plus est quàm uestimentum. Est autem huius argumenti sententia: Deus
nullo tuo labore, nullo tuo merito, sed mera sua gratia & clementia dedit tibi ani
mam & corpus. Vnde Dauid: Tu possedisti, inquit, renes meos, suscepisti me de u-
tero matris meæ. Et mox: Non est occultatum os meum à te, quod fecisti in occul-
to, & substantia mea in inferioribus terræ. Ac Iob: Pelle, inquit, uestisti me, ossibus
& neruis compegisti me. Vitam & misericordiam tribuisti mihi, & uisitatio tua cu-
stodit spiritum meum. Iam, nonne anima pluris est, quàm cibus, & corpus pluris q̃
Ab exemplo minori. indumentum? Cum igitur Dominus dederit animam & corpus, quomodo ambu
lanti in uocatione sua non daret, quod multo minus est, uictum & amictum? Secun
» dum argumentum: Considerate coruos, non seminant, neq; metunt, quibus
» non est cellarium, neq; horreum, & Deus pascit illos, quãto magis uos plures estis
» illis? Coruus, ut est animal uoracissimum, ita uidetur nulli nec usui nec uolupta
ti esse, Deus tamen præparat coruo, quemadmodum in Iob dicitur, escam suam,
quando clamant pulli eius ad Deum, ignorantes cibum suum. Et in Psalmo: Qui
datiumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum. Sunt enim
qui sentiant, pullos coruorũ adhuc implumes, à parentibus suis tanq̃ nothos dere
linqui, donec pennæ incipiant nigrescere. Interea aũt tẽporis pulli mirabiliter diui
nitus nutriunt & conseruant, dum parentes itetũ curam eorũ susceperint. Quod si

Deus hæc

Deus hæc uolatilia, quæ non tñ nec serunt, nec metunt, nec reponunt in horrea, sed etiam ad nihil aliud, q̃ ad uoracitatẽ nata uidentur, tam liberaliter alit, quomodo nõ aleret hoies, in uocatione Dei ambulantes, & tam uilia animalcula lõge præcellentes? Sed quid est, q̃ Christus remittat Apostolos suos, ad coruos potius, q̃ ad Mosen & Eliam, quorum uterq; quadraginta diebus & noctibus sine humano cibo saluus permansit? Id aũt nõ fit sine singulari consilio. Remittit eñ Christus Apostolos suos ad exemplum potius coruorũ, q̃ uel Mosi uel Eliæ, ut oẽm occasionẽ tergiuersationis amputaret. Nam si dixisset: Respicite Mosen, respicite Eliam, qui nec seminarunt, nec messuerunt, & tñ Deus pauit illos, potuissent secum cogitare: quid hoc spei nobis conferret? nos nondũ ad tñ sanctitatis fastigiũ peruenimus, nondũ Deo tã accepti sumus, q̃ fuerunt uiri illi sanctissimi. Vt hanc cogitationem Christus ex animis suorũ eximeret, maluit exemplũ coruorũ q̃ sanctorũ ob oculos ponere, quibus certe coruis hoies, etiam pctõres impiissimi, multis, quod dicit, parasangis præstant. Etenim, qualis, qualis sit homo iuxta peccata sua, nobilior tamẽ est oĩbus bestiis, quantũ quidẽ ad creaturæ rationẽ attinet. Homo eñ creatus est ad sĩmilitudinẽ & imaginẽ Dei, id quod de nulla bestia, uel quadrupedũ, uel uolatilium uel reptiliũ dici potest. Quare ad confirmandã fidẽ conscientiæ ppter peccata paulo infirmioris, exemplũ coruoꝝ longe oĩm aptissimũ est. Tertiũ argumentũ:

Exemplũ coruorum cõmendũ Apostolis

Ab inutili.

Quis aũt uestrũ cogitãdo potest adiicere ad staturã suã cubitũ unũ? Si ergo neq; quod minimũ est, potestis, q̃d de cæteris solliciti estis? Nõ est molestior necærũ nosior labor, q̃ cura & sollicitudo, & tñ nõ est nec uanior nec inutilior. Sollicitudine nõ tñ nõ potes ad staturã tuã adiicere cubitũ unũ, sed neq; unius digituli lõgitudinẽ. Multo aũt minus est, ad staturã unũ cubitũ aut digitũ, q̃ annũ aut diẽ ad uitã addere. Quid igit̃ uanissima sollicitudine animũ tuũ excrucias? Non potes sollicitudine tua efficere, quod minimũ est. Quæ ergo est insania, id uelle sollicitudine efficere, quod maximũ est? Cæteꝝ, cũ Christus in hoc argumento cõparet staturã corporis ad cõditiones uitæ, manifeste significat, q̃ sicut tota corporis statura è manu Dei pendet, qui pro suo arbitrio uel magnã uel paruã staturã homini donat, ita tota uel longitudo uel breuitas uitæ in solius Dei potestate constet. Si eñ nec unus è passerculis in terrã cadit sine Dño Deo nostro, & oẽs etiã pili capitis nostri numerati sunt, quanto magis numerati sunt anni & dies uitæ nostræ. Sic eñ & psalmus canit: Imperfectum meum uiderunt oculi tui, dies formabuntur, & nemo in eis. Ergo nẽ, qui aut sibi aut aliis uiolentam mortem conscisc̃unt, impune id faciunt, propterea quod dies uitæ numerati sint? Minime omnium. Tametsi enim Deus numerauerit dies uitæ nostræ, nihilominus tamen exigit à nobis nostra officia, ut & uitam nobis diuinitus concessam legitime tueamur, & nulli beneficium suæ uitæ per iniuriam & illegitime auferamus. Nam quod Deus numerauerit tempus uitæ nostræ, non fecit, ut det nobis occasionem negligendi, sed potius faciendi officii nostri, uidelicet, ut in ipsum omnem curam uitæ nostræ reiiciamus, & interim uocationem eius diligenter sectemur. Atq; hæc de uictu. Nunc sequitur etiam de uestimento: Considerate, inquit, lilia, quomodo crescunt. Non laborant, neq; nent. Dico autem uobis, quod nec Salomon in omni gloria sua uestiebatur, sicut unum ex istis. Si autem fœnum, quod hodie est in agro, & cras in clibanum mittitur, Deus sic uestit, quãto magis uos, pusillæ fideiꝰ Lilioꝝ & aliorũ quorundã florũ tã mutabilis & fluxa est natura, ut cũ mane pulcherrime floreãt, uesperi si decerpant, languidissime marcescant, ac postero die iã nõ amplius flores, sed fœnũ & cordũ nomine? & in tñ nulla prioris eorũ pulchritudinis ratio habeat, ut hoies iis uelut somẽ

Statura hominis ex Deo est.

Vitæ duratio ex Deo est.

Nemo sibi aut alieno mortem uiolentam conscisc̃at,

Deus flores uestit, ergo magis homines.

tis accendant & foueant ignẽ in clibano, unde, quia pulchritudo florũ tam repente perit, ſcriptura libenter ad eã confert humanæ gloriæ ſplendorẽ. In Iob dicitur: Homo quaſi flos egredit & conteritur, & fugit uelut umbra, & nunq̃ in eodẽ ſtatu permanet. Et in pſal. Homo ſicut fœnũ dies eius, tanq̃ flos agri ſic efflorebit. Et Eſaias: Omnis caro fœnũ, & omnis gloria eius quaſi flos agri. Exiccatum eſt fœnum, & cecidit flos, qa ſpiritus Dñi ſufflauit in eo. Habes uanitatẽ florum. Accedit & aliud incõmodum in floribus, non laborant, inqt, neq; nent. Tametſi aũt nihil his ſit magis caducũ, & ut ita dicam, ignauũ, tñ Deus tã ſplendide ueſtit eos, ut nec Salomon, de cuius maieſtate ſcriptura in libris Regum & Chronicõrum multa concionatur, in uniuerſa gloria ſua, ſplendidius amictus fuerit. Agnoſcamus igit̃ ex floribus partim immẽſam liberalitatẽ Dei, qui tam uilẽ creaturã tanto ornatu illuſtra, ut q hoc exemplo nõ cõfirmauerit fidẽ ſuã in parando amictu, næ ille uehementer impius homo fuerit: partim agnoſcamus etiã fragilitatẽ humanæ gloriæ, ut diſcamus in fœlicitate huius ſeculi, quantumuis magna, humiliter ſentire, Deũ timere, & in obſequio Dei pſeuerare. Cæterũ, ſi hæc argumenta nõ inuitant ad fidẽ de uictu & amictu, hoc ſaltẽ deterreat ab incredula ſollicitudine, q̃ iſta ſollicitudo faciat nos ſimiles gentibus idololatris. Sic enĩ ſequitur. Et uos nolite quærere qd manducetis, aut qd bibatis, & nolite in ſublime tolli. Hæc enĩ oĩa gentes mundi quærunt. Quærere quid mãducemus, aut bibamus hoc loco nõ dicit̃ uictũ legitime, & in uocatione Dei quærere, alioqui enĩ ne orare quidẽ liceret: Panẽ noſtrũ quotidianũ da nobis hodie, ſed eſt de uictu ita ſollicitũ eſſe, ut potius uelis cõmoda uentris & quæſtum ſectari, q̃ legitimæ uocationi Dei obedire. In ſublime aũt tolli, eſt abiectam & parũ quæſtuoſam uocationẽ Dei negligere, & ſplendidioręm ac quæſtuoſioręm affectare. Et gentes mundi hoc loco dicuntur hi, qui publice ſectanť idololatriam. Et qa hi non habent ullã rationẽ nec ueræ pietatis, nec futuræ ſalutis, hoc unum curant, ut uentri ſatis proſpectum ſit. Quæ cum ita ſe habeant, uidendũ nunc eſt, quid commune inter ſe habeant gentes & impie ſolliciti. Magna enim & horribilis impietas eſt, ſtatuã Iouis aut Mercurii adorare, & diis fictitiis confidere. Non minor eſt impietas uentrẽ ſuũ pro Deo colere, hoc eſt, nihil niſi uentris cauſa facere. Pro uictu aut̃ & amictu ſic ſollicitũ eſſe, ut derelinquas uocationẽ Dei, & ſectaris tuas cupiditates quid aliud eſt, q̃ uentrẽ ſuum ut Deũ adorare, aut ante idolum procumbere? Quare qui impie ſolliciti ſunt de uictu, nihil plane differunt à gentibus idololatris. Sed dices: An nõ hæc ad conſeruandã uitã neceſſaria ſunt? Recte. Ergo neceſſario etiam quærenda erunt? Audi uiciſſim qd Chriſtus dicat: Pater ueſter ſcit, quoniã his indigeatis. Et apud Matthæum: Nouit pater ueſter cœleſtis, q̃ opus habeatis his omnibus. Si aũt nouit, quid reliquũ eſt, niſi ut periclitantẽ promptus adiuuet? Habet enĩ Dñs in catalogo epithetorũ ſuorũ etiã hoc, q̃ ſit adiutor in neceſſitatibus, quod epitheton, ſeu ut uocant, titulum, multis adeoq; ſtupendis miraculis confirmauit. Et cũ ſpiritus ſanctus iubeat, tam p Dauidẽ, q̃ per Petrũ, oĩm curã in Deũ iactare, & addat promiſſionẽ: Ipſe, inquiens, enutriet te, ſacrilegii genus eſt, eam curam in ſe recipere, quam Deus ſibi ſoli reſeruauit. Quid ergo eſt, q̃ iubet nos orare, p pane quotidiano? Si recepit in ſe curã noſtri, & nouit, quæ ſint nobis neceſſaria, uidetur fruſtraneũ eſſe, ut ſignificemus Deo neceſſitatẽ noſtrã per orationẽ? Sed oratio minime oĩm fruſtranea eſt. Etſi enĩ Dñs non ſit ignarus neceſſitatis noſtræ, nos tñ ſumus imbecilles in fide, & ignaui ad cognoſcenda beneficia Dei. Iubet igit̃ orare pro pane quotidiano, ut oratione admoneamur promiſſionũ Dei, & confirmemus ex ipſis fidẽ noſtrã, ac ſi conſequimur beneficia Dei, gratos nos erga ipſum declaremus.

Sollicitudo pro uictu & amictu idololatrica.

Qui pro uictu curat ſacrilegium cõmittit.

Quare pro uictu orandũ?

claremus. Sed ad hæc omnia potuissent Apostoli respõdere: Quid ergo faciemus? Si abiiciẽda est sollicitudo uictus, dormitabimus, ociabimur, & expectabimus manna cœleste. Remissi enim sumus ad exemplum auicularum, quæ nec seminant nec metunt, nec recondunt frumenta in horrea, & ad exemplum liliorũ, quæ nec nent nec laborant. Audite igitur quid sequatur, & perspicue discetis, quid faciẽdum sit. Veruntamen primum quærite regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia ad iicientur uobis. Quod Christus hactenus docuit Apostolos, ad conscientiã pertinet, nunc docet externa eorum officia. Dixit sollicitudinẽ abiiciendam esse, hanc doctrinam conscientia obseruet, ne sit incredula, ne despondeat animum, & cogitet uocationem Dei derelinquere. Nunc autem uocat Christus Apostolos ad laborẽ. Etsi enim non liceat impie sollicitum esse: interim tamẽ unusquisq; necesse habet laborare, hoc est, legitimæ suæ uocationi seruire. Quis ergo est labor, aut q̃ est uocatio Apostolorum? Primum, inquit, quærite regnum Dei, & iustitiam eius. Quid autem est regnum Dei quærere? num summo mane Missam audire? at Missam priuatam hac opinione audire, ut propter meritum operis consequaris remissionẽ peccatorum, & gratiam Dei, est Christo de maiestate sua detrahere. Num statas precu las effunderes? Sine intermissione quidem orandum est: & pædagogia est, tam mane quàm uesperi precibus operã dare, sed hoc loco non fit præcipue sermo de precibus. Quare ut probè cognoscamus, quid proprie hoc loco sit, quærere regnum Dei, inuestigandum est, quæ fuerit uocatio, quod officium, aut ministerium Apostolorum, ad quos præcipue Christus hanc concionem habet. Vocauit aũt Christus Apostolos, & selegit eos ex aliis discipulis, non ut ociarentur, nec etiam ut uel artificium manuarium exercerent, uel ciuilem magistratum gererent, sed ut prædicarent Euangeliõ. Emisit, inquit Lucas illos, ut prædicarẽt regnũ Dei, & sanarent infirmos. Et Christus: Profecti, inquit, prædicate dicentes: Appropinquauit regnũ cœlorum. Ac iterum: Ite in mundum uniuersum, & prædicate Euangelion omni creaturæ. Accedit huc, q̃ Christus alias uocabulo regni Dei seu cœlorũ, frequenter pro prædicatiõe Euangelii utatur. Assimilatum, inquit, est regnum cœlorum homini seminanti bonum semen in agro suo. Et iterum: Simile est regnum cœlorum grano sinapis. Ac rursus: Simile est regnum cœlorum fermento. Quibus in locis regnum cœlorum pro prædicatione Euangelii, qua regnum cœlorum reuelatur, sumendum est. Et alias: Qui minor est in regno cœlorum, hoc est, qui minor hoc tempore (intelligit autem Christus seipsum) in ministerio prædicandi Euangelii reputatur, is maior est illo. Cum igitur Christus auocet Apostolos hac concione ab impia uictus sollicitudine, & reuocet eos ad studium uocationis ipsorum, perspicuum est, quod quærere tegnum Dei hoc loco proprie nihil aliud sit, quàm diligentem operam dare prædicando Euangelio. Et est sensus: Quærite primum regnum Dei & iustitiam eius: hoc est, date operam, ut ante omnia recte satisfaciatis uestræ uocationi. Vestra uocatio, uestrum officium, uestrum, ut ita dicam, artificiũ est, ut prædicetis Euangelion. Hoc igitur quærite, hoc agite, hoc curate, idq; non oscitanter, aut negligenter, sed quærite etiam iusticiam eius, hoc est, quærite & curate, ut Euangelion prædicetis recte, diligenter, & fideliter, adeoq; ea omnia in officio uestro iuste agatis, quæ ad illud requirũtur. Et huic præcepto mox addit amplissimam promissionem: Hæc, inquiens, omnia adiicientur uobis, hoc est, si uos serui recte & fideliter uestrum officium egeritis, tunc paterfamilias aget & suum officium, ac operam dabit, ut omnia ad uictum & amictum necessaria uobis, nihil tale cogitantibus, abunde ministrentur. Iam, quod hoc loco Apostolis promissum est,

Sollicitudo et cura Dei est. Labor & fides Apostolorum esto.

Quis labor Apostolorũ.

Vocatio Apostolorum est prædicatio Euangelij,

Euangelium uocatur regnum cœlorũ.

Quærere regnum cœlorum.

Promissio ad uocationem Apostolorũ.

Id etiam re ipsa impletur. Emisit enim Christus Apostolos suos sine sacculo pera & calciamentis, attamē cum postea quæreret, nunqd defuisset eis: responderunt, nihil unq̄ sibi defuisse. Quid ergo? num hæc cōcio ad solos Apostolos pertinet? Ad solos quidem Apostolos & alios, quibus commendatū erat officiū regni Dei, hoc est, prædicandi Euangelii, dicta est, sed si recte iudicaueris, non ad hos solos pertinet. Quod enī Apostolis fuit officiū prædicaudi Euangelii, hoc cuiuis homini est legitima sua uocatio. Sic, exēpli gratia, ciuilis magistratus est, rempub. administrare, patrisfamilias est, familiā regere, artificum est, sua artificia exercere. Quod igitur Apostolis dicitur, ut abiiciant sollicitudinē, ut respiciāt uolatilia cœli, & lilia agri, primū autē omniū quærāt regnum Dei & iusticiam eius, idem etiam dicitur omnibus, ne sint solliciti, sed ut confirment fidem suam exemplo uolatiliū & liliorum, & quærant regnū dei, aciustitiam eius, hoc est, seruiant iuste & diligēter suæ uocatiōi, ad quam legitime ordinati sunt. Non enī, inqt Mose, in solo pane uiuit homo, sed in omni uerbo Dei. Quod hanc habet sententiā, quemadmodū aliās explicuimus, uictus nō tantū paratur ex agricultura, & aliis id genus uitæ genetibus, sed paratur etiam ex quauis uocatiōe, uerbo Dei aut instituta aut approbata. Cæterū quia uenter plurimū negocii hominibus exhibet, & instat ut creditor, ac sæpius die appellat: ideo hæc concio Christi altissima mente reponenda, & subinde cogitatiōe uersanda est. Quid enī hæc concio aliud est, q̄ cœlestes literæ perpetuæ nutricationis? Etenim, quemadmodū in ciuilibus negociis emptio annuorū reddituū, aut censuum, publicis literis confirmatur, quæ & emptorē ita certificāt, ut sciat reditus sine omni tergiuersatione prouenturos, ita omnibus in uocatione Dei recte ambulantibus, pmissus est, ueluti annuus redditus, sufficiens uictus & amictus, cui promissioni addit nunc Christus hanc concionē, tanq̄ publicas literas, quibus fides Dei ita obstringitur, ut quod ptomissum est, non possit nō impleri. Et quo nunq̄ non reuocarētur nobis in memoriā, instituit lectores aut interpretes earū, nec torpidos, nec somnolentos, sed eos qui semper nobis ob oculos uersarentur. Dixit enim: Vertite oculos ad uolatilia cœli. Quo uerbo uoluit, ut singulas auiculas, pro singulis harū literarū interpretibus aut etiam testibus agnoscamus, ut quoties uideamus uel minimam auiculam, toties admoneamur diuinæ pmissionis de uictu & amictu. Qd si nullus esset alius auium usus, q̄ ut concionarētur & testificarentur nobis hanc clementiam & liberalitatē Dei de uictu, certe satis dignæ creaturæ essent, quas admiraremur. Dixit & deinceps: Considerate lilia agri. Quo itidem uerbo instituit singulos flores campi, in singulos tum concionatores, tum testes diuinæ clementiæ, ut ex aspectu obuii cuiusq̄ floris confirmemur in fide, & excitemur non tam in admirationem diuinæ bonitatis, q̄ in obsequiū diuinæ uocationi præstandū. Porro autem, quia ad publicas literas, publica etiam sigilla necessaria sunt, ideo Christus has literas, de perpetuo uictu & amictu nobis exhibendo, consignauit, non rubea cæra, quæ & perire potest, & homines tantū, qui & fallunt & falluntur, obligat, sed rubro suo ipsius sanguine, quo nō homo quispiam, sed Deus ipse obligatur nobis. Christus enim effudit sanguinem suum pro peccatis nostris, quo Deum nobis in ipsum credentibus ita reconciliauit, ut nos non aliter, quàm filios suos agnoscere, tractare & fouere uelit. Recondamus igitur has literas, & conseruemus eas diligenter, non quidem in externa aliqua lignea aut etiam ferrea arca, sed in arca cordis nostri, ut abiecta sollicitudine, & confirmata fide nostra, in obsequio Dei ambulemus, & ad ueram fœlicitatem perueniamus, per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est una cum Patre & Spiritusancto, Deus laudandus in secula, Amen.

Vocatio quæuis legitima, Christi promissionem de uictu habet.

Promissio Christi, literæ sunt perpetuæ nutricationis.

Auiculæ doctores nutricationis.

Flores doctores clemētiæ Dei.

Sanguis Christi sigillū nutricationis.

HOMILIA

HOMILIA CVIII.

Etsi Christus Apostolos suos superiori concione multis argumentis de uictu & amictu certificauerit, tamen quia uenter auribus carere dicitur, & humanus animus non tam in penuria quam aliis aduersis difficilime placatur, ideo Christus consolatur eos copiosius, & monet, ut in tantum nulla uictus sollicitudine teneãtur, ut etiam ea uendant, quæ adhuc possident: Nolite, inquiens, timere, pusillus grex, quia complacuit patri uestro dare uobis regnum. Principio autem obseruandum est, ꝙ sicut superior cõcio, de abiicienda sollicitudine uictus, habita est ad solos Apostolos, & quosdam alios discipulos, quanquam postea omnibus Christianis, pro sua tamen ratione, accõmodauerimus eã, ita & ea quæ hoc loco dicuntur, primũ omniũ ad solos Apostolos & paucos quosdã alios discipulos, quos Christus in ministeriũ prædicandi Euangelii elegerat, pertinent. Deinde autem referri etiam debent, sed suo quodã modo, ad omnes eos, qui per uerbum Apostolorum credũt in Iesum Christum. Dicit ergo: Pusille grex. Ecquis est ille pusillus grex? Duodecim erant Apostoli, & septuaginta discipuli, ac pauci quidam alii, qui è tota Galilæa collecti, sequebantur Iesum. Quid autem tam pauci efficere possent, aduersus tot potentissimas gentes, & tam barbaras nationes, ad quas in obsequium regni Christi subiiciendas mittebantur? Non necesse erit, ut magistratus gentium conscribat aduersus nos tam paucos exercitũ, sed proscribat tantum nos ipsos, & interdicat igni & aquæ, & mox pereũdũ nobis erit fame & frigore. Hæc fortassis inciderũt Apostolis & aliis discipulis, sed Christus reuocat eos ab hac cogitatione: Nolite, inquiens, timere, pusille grex. Scio uos paucos, scio uos inermes, scio uos omni hũano præsidio destitutos esse, sed ego dico uobis: Nolite timere. Qui posset aũt fieri, ut tãta pericula nõ timeamus? Iam ipso gregis epitheto significauit Christus, cur nobis nõ sit timẽdũ. Pusille, inquit, grex: Vbi grex est, ibi pastor est, & quo minor est grex, eo melius potest à pastore conseruari. Apostolorum autem & aliorum discipulorũ pastor est Christus. Ego sum, inquit, pastor bonus, & cognosco oues meas, & cognoscor à meis. Et is pastor tantam habet curam ouiũ suarũ, ut etiã animã suam pro salute ipsarũ ponat. Quare etsi maximo cuiq; gregi cõseruando sufficiat, tamen quia multitudo difficile custoditur, tanto tutior est grex sub pastore suo, quanto minor est. Atque hoc unũ gregis epitheton, diligẽter in cõscientia explicatũ & tractatum, sufficeret quidem ad excludendum omnem timorem, non famis tantũ, uerũ etiam aliorum omnium periculorũ, sed Christus addit efficatiorem rationẽ: Quia, inquit, cõplacitum est patri uestro dare uobis regnum. Singula uerba, singulam habent emphasim. Complacitũ est. Si placet Deo, quid nocere potest, etiamsi displiceat nõ omnibus tantum hominibus, sed etiam omnibus Sathanis, imo & omnibus angelis deis? Quis poterit uoluntatem Dei mutare? quis beneplacitum Dei queat inuertere? Insaniat licet contra uos paucos uniuersus mundus, insaniat Satan, necesse tamẽ habebunt, uel tandem uoluntati & beneplacito Dei cedere. Patri, Si Deus pater est, quid de uoluntate eius diffiditis? Qui pater est, nõ potest natura affectum suũ continere, quin filiis, præsertim periclitantibus, & bene uelit, & bene, quoquo modo possit, faciat. Inter homines sunt fortassis patres, qui affectum suum paternum in filios exuunt, & eos pro alienis ducunt. Deus autem, ut est natura immutabilis, ita quos pro filiis agnoscit, eos, quantum in ipso est, nunquam sic negligit, ut in aduersis pereant. Nunquid obliuisci potest, inquit Dominus apud Prophetam, mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen

Discipulorũ Christi paucitas.

Christus pastor discipulorum suorũ.

Voluntati diuinæ omnia cedunt.

non obliuiscar tui. Aciterum: Montes cõmouebuntur,& colles contremiscent, mi
sericordia autem mea non recedet à te,& fœdus pacis meæ non remouebitur, dixit
miserator tuus Dominus. Vestro. Sunt, qui existimant Deum, patriarcharum tan-
Deus pater omnium etiã abiectissimorum. tum, ac prophetarũ, & summorũ monarcharum, ut Dauidis, Salomonis, & aliorũ
patrem esse, abiectos autẽ & inferioris notæ homines contemptui habere & fastidi
re. Sed confidite, Deus est & uester pater, & tanto magis uester est, quanto plus in
humili uestra sorte filium eius per fidem complectemini. Non enim promisit sese
tantũ patriarchis,& monarchis, sed omnibus inuocantibus ipsum ex fide. Omnis
inquit, qui inuocauerit nomen domini, saluus erit. Et quanq; uideat propter maie-
statem suam non respicere nisi eos, qui in hoc seculo simili aliqua maiestate prædi-
sunt, tamẽ quo altius habitat, eo magis humilia in terra respicit, quemadmodum
psalmus canit. Quare Deum ut uestrum, plus quàm aliorum patrem, agnoscite.
Deus dator bonorum. Dare. Alii imaginantur Deum administrare cœlum suum,& humanas res prorsus
negligere, alii sentiunt Deum tanq; regem quendam, in magna maiestate sedere,
& ab hominibus honorem, uenerationẽ, obedientiã, iustitiam, & uaria genera do-
norum accipere. Sed cum beatius sit dare quàm accipere, sentiendum est, Deum
natura sua nihil aliud esse, quàm bonorum datorem. Accipit quidem & agnoscit
Dei & hominis distantia. obedientiam & iustitiam nostram, sed ita, si prius ipse dederit eam. Adeoq; Deus
& homo distant inter se ex diametro. Homo enim propter peccatum suum, in quo
conceptus est & natus, tanta miseria, tanta calamitate, tanta deniq; bonorum om
nium indigentia obrutus est, ut nõ aliud possit, quàm accipere. Quid enim daret,
omniũ rerum indigus? Deus autẽ propter natiuam suam misericordiam & clemẽ-
Obsequium Deo gratissimum. tiam, tanta charitate præditus est, ut quantum in ipso est, non uelit, nisi dare. Non
possumus igitur domino Deo nostro gratius obsequium præstare, q̃ ut beneficia
quæ nobis clementer offert, obedienter & gratanter accipiamus. Quid retribuam,
inquit Dauid, domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipi-
am, hoc est, quia Dominus propinat,& offert mihi, tanquam potum in calice, o-
mnem salutem, non possum ei gratiorem uicissitudinẽ referre, q̃ ut oblatam salu-
tem accipiam,& nomen domini quoquo modo possum, cõmendem. Vobis. Dat,
inquies, Deus, sed diuitibus, sed sapiẽtibus, sed iustis, sed sanctis. Nos autem sumus
pauperes, insipientes, iniusti & peccatores. Quid ergo speraremus à Domino? Sed
tanto magis sperandum est. VOBIS enim loquor, Vobis daturus est. Nihil retule
rit, q; nomina uestra non sint relata in album diuitum, sapientum,& sanctorum in
hac terra clarorũ, satis est, q; comprehendamini in hoc pronomine VOBIS. Pau
peres estis, sed Deus ditat. Stulti estis, sed Deus eligit stulta secũdum mundum, ut
pudefaciat sapientes. Peccatores estis, sed Deus est qui iustificat, qui cum proprio fi
lio non parcat, sed pro uobis omnibus tradat eum, quomodo fieri posset, ut non
Regnum cœleste discipulis Christi promissum. & cum eodem omnia uobis donet? Postremo additur: Regnum. Dominus datur
est uobis, non unam aut alterã uillulam, sed Regnum,& regnum, non caducum ali
quod & terrenum, quale est Babylonicum, aut Persicum, sed perpetuũ & cœleste.
Quid ergo deerit uobis? Regibus huius seculi nec uictus nec amictus deest, quid er-
go uobis in reges cœlestes electis deesset? Nam qui daturus est regnũ cœleste, num
is non daret etiam ea, quæ sunt ad hanc corporalem uitam necessaria? Fateor, nõ
sentitis nunc re ipsa fœlicitatẽ regni cœlestis, nisi per fidem, sed nec filius, uiuo ad
huc parente, percipit totam paternæ substantiæ hæreditatem, nihilominus tamẽ
fouetur & uestitur à parente. Tantum autem abest, ut Deus ab humana pietate su-
peretur, ut nulla plane comparatio sit humanæ pietatis ad diuinam clementiam.

Quare

Quare cum sit regnum cœleste promissum, sentiendum est, omnia ad salutem necessaria promissa esse. Habemus nunc consolationem, habemus promissionē regni, quid ergo nos facere iubes? Sequitur: Vendite, quæ possidetis, & facite misericordiam. Facite sacculos, qui nō ueterascunt, thesaurum non deficientem in cœlis, quo fur non appropiat, neq; tinea corrumpit. Vbi eñ thesaurus uester est, ibi & cor uestrum erit. Quid audio? ergo Christiano non licet tenere proprium? Certe licet. Dominus enim muniit in decalogo uniuscuiusq; facultates, cum ait: Non furaberis, quod profecto non faceret, si piis non liceret tenere proprium. Et Paulus ad Corinthios scribens: Qui emit, inquit, sit tanquam non emat. Et aliās ait: His qui diuites sunt in præsenti seculo præcipe: Quid? num ut abiiciāt opes suas? minime; diuites sunt in præsenti seculo præcipe: Quid? num ut abiiciāt opes suas? minime; sed ne elato sint animo, neq; spem ponant in diuitiis incertis, & alia quæ sequunē. Ac in Ecclesia adhuc recenti, etsi Christiani omnia sua uendiderint, quemadmodum testantur Acta Apostolica, non tamen omnia exposuerunt aliis in eleemosynam, sed contulerunt in cōmune, ut & ipsi haberent uictum. Deinde Romani, Corinthii, Galath, & alii, ad quos Paulus epistolas scribit, nec omnia bona sua uendiderunt, nec omnia in elemosynā exposuerūt, adde, q nec Paulus hoc ab ipsis exigebat: Vnusquisq;, inquiens, secundum propositum cordis, non ex molestia aut ex necessitate, & nō ut aliis sit relaxatio, uobis autē angustia, sed ut ex æquabilitate in præsenti tempore uestra copia illorum succurrat inopiæ. Cur ergo hoc loco præcipitur: Vendite quæ possidetis, & facite misericordiam? Sicut superiora, ita & hæc dicuntur ad Apostolos, & quosdam alios discipulos, qui ad prædicandum Euangelion emittebantur. Sunt enim præcepta generalia, sunt & præcepta personalia: Generalia, ad omnes pertinent, qualia sunt: In Deū credendum, nomen Domini honorandum, non furandum, non adulterium committendum, non falsum testimonium dandum, & multa id genus alia. Personalia autem sunt, quæ nec personā egrediuntur, nec in exemplum trahuntur. Sic quod præcipitur Abraamo, ut egrediatur de terra cognationis suæ: & postea, ut offerat filium suum in holocaustum; personale est, ad solum Abraamū pertinens. Aliis enim licet impune in patria sua manere, & prohibitum est, ne liberos suos trucident. Sic quod Israëlitis mandatur, ut spolient Aegyptios, personale est. Alii enim audiūt: Non furaberis. Sic quod apud Matthæū cap. 19. ad diuitem adolescentē dicitur: Si uis perfectus esse, uade & uende omnia, & da pauperibus, ac ueni & sequere me, personale est. Nam alii Christiani, præsertim si fuerint patresfamilias, debent manere in sua uocatiōe, & agere curam familiæ suæ. Sic & hoc loco, cum præcipitur Apostolis, ut uendant quæ possident, ac faciant elemosynam, personale est. Vocatio enim Apostolorū fuit, ut nō in aliqua certa ecclesia perpetuo habitarent, quemadmodum ecclesiastæ & pastores, sed ut irent in orbem terrarū, ut in uarias regiones peregrinarentur, ibiq; ecclesias plantarent, & ecclesiastas ac pastores ordinarent. Ad obediendum autem tali uocationi, impedimento & auocamento est, domi opes suas administrare & retinere. Iubet igitur Christus Apostolos sua bona uendere, & in eleemosynam distribuere, quo expeditius uocationi suæ obsequantur. Et exponit, quid sit uendere bona & facere misericordiam: Parate, inquiens, uobis sacculos, qui non ueterascunt, thesaurum non deficientem in cœlis, quo fur non accedit, neq; tinea corrumpit, hoc est, si quis uendat opes suas, & distribuat egentibus, uidetur iuxta externam speciem eas perdere. Ego autem dico: Si quis eas uendat, ut obediat uocationi diuinitus mandatæ, is in tantum non perdit eas, ut non solum recondat ipsas in tutum locum, uerumetiam consequatur per eas ingentem thesaurum. Quod enim

Christiano licet tenere proprium.

Præcepta generalia.

Præcepta personalia.

Apostolorū uocatio.

Opes uēdere & dare egenis, est eas recōdere in manum Dei.

ad uocationem Dei relinquitur, hoc reconditur nō tam in cœlum, quàm in ipſam manum Dei. Nam ſi Deus cōſiderat oēs uias noſtras, & dinumerat omnes greſſus noſtros, quēadmodum Iob ait, multo magis recipit in manum ſuam, qđ iubet ad uocationē ſuam derelinquere. Quod aūt repoſitū eſt in manū Dei, quomō non fœneraret? Ager qđ recipit ſemē, centuplū reddit, & nō redderet multo maiori uſura manus Dei, quod accepit depoſitū? Sic Abraā, cum ad uocationē dei relinq̄ret patriam & patrimoniū, parauit ſibi tantū theſaurū corā Deo, ut non ſolum ipſe ſufficientē uictum acquireret, uerumetiā poſteris ſuis ſpacioſiſſimā regionē cōſequereť. Sic Moſe relinquens ad uocationē Dei regiā aulam Pharaonis, tantū theſauꝝ coram Deo adeptus eſt, ut non ſolū electus fuerit in ducē & legiſlatorē populi Dei, ſed etiam ſuperet maieſtate ſua omniū regū claritudinē. Quare qui relinquit bona ſua ex uocatione Dei, nō perdit ea, ſed inuenit, nō diminuit ſubſtantiā ſuā, ſed auget eā cœleſti theſauro. Ergo ne Apoſtoli meruerūt uenditiōe bonorū, & eleemoſyna cœlum & uitā æternā? abſit. Cum eñ ſermo eſt de opibus, quæ fiunt ex uocatiōe Dei, non unū tantū, ſed duo dicunť: Alterū eſt, opus uocationis, alterū eſt fides, ex qua uocationi obedit, & opus perficit. Quod igiť ad fidem attinet, manifeſtū eſt, fidem ante oīa apprehendere Chriſtū, qui cū ſolus expiauerit peccata noſtra, & meruerit nobis uitā æternā, non poteſt ferre, ut hæc maieſtas meritis operū adſcribať. Quod aūt attinet ad opus uocationis, ibi tum nō eſt quidē meritū remiſſionis peccatorū & uitæ æternæ, quia tñ hoc opus fit ex fide, manifeſtū teſtimoniū eſt, q̄ Deus non ſolum propter Chriſtū daturus ſit nobis æternā fœlicitatē, ſed etiā omnē benedictionem nobis tam in hoc ſeculo q̄ in futuro neceſſariā. Atq̄ hoc eſt qđ Chriſtus uocat theſaurū non deficientē in cœlis, quo fur nō accedit, neq̄ tinea corrumpit. Et addit: Vbi eñ theſaurus ueſter eſt, ibi & cor ueſtrū erit. Hoc intelligi poteſt, primū ut ſit ratio, propter quā Chriſtus iubeat Apoſtolos facultates ſuas uendere. Si eñ, inquit, relinquerē uobis ueſtras poſſeſſiones domi, & mitterē uos ad prædicādum Euangeliō in orbe terratū, tunc cor ueſtrū facile cōmoueretur, ut inter hoſtes & uarias afflictiones reſpiceret ad theſaurum, quē domi recōditum haberetis, & ab obedientia uocationis ad repetendam domum auocaret. Quare conſultiſſimum eſt ut omnia uendatis, & in eleemoſynā diſtribuatis. Deinde poteſt intelligi, ut ſit admonitio, quo Apoſtoli cor ſuum, non ad terrenas facultates, ſed ad cœleſtes opes dirigant. Ibi enim, inquit, ſit cor ueſtrum, ubi eſt theſaurus ueſter. Non habetis aūt theſaurum in hac terra, ſed in cœlo: nam ut regnum Chriſti non eſt de hoc mundo, ita non habetis hic manentē ciuitatem, ſed futurā inquiritis. Et municipatus ueſter eſt in cœlis. Quare hoc tantū uobis agendum eſt, ut obediendo uocationi ueſtræ, cœleſtia tantum ſectemini, & toto cordis deſiderio amplectamini. Quid autem ad hæc dicemus? num hæc de uenditione facultatum Apoſtolis tantum dicta ſunt, aliis uero Chriſtianis nō item? Præcipue quidem omniū ad Apoſtolos perrinent, quorū perſonalis uocatio erat, ut patriā derelinquerent, & in totum orbem terrarū ad prædicandum Euangelion peregrinarentur, ſed ſi legitimā uniuſcuiuſq̄ uocationem firmā cōſeruaueris, licebit hæc ad unumquēq̄ pium accōmodare. Etſi enim non exigitur ab omnibus piis, ut facultates ſuas uendant, quippe q̄ facultatū adminiſtratio ſit multorū legitima uocatio, ab hominibus tamē exigitur, primū ut habeant animū uendacē, hoc eſt, animū ita affectū, ut nō confidant facultatibus, & ut parati ſint eas ad uolūtatē & uocationē Dei derelinquere. Vnde pſal. dicit: Nolite ſperare in iniqtate, & rapinas nolite cōcupiſcere. Diuitiæ ſi affluāt, nolite cor appōnere. Et Paulus: His, q̄ diuites ſunt, inqt, in præſenti ſeculo, præcipe, ne elato ſint animo, neq̄ ſpē ponāt in diuitiis incertis, ſed in Deo uiuēte. Deinde exigit, ut opi-

Operum, quæ fiunt ex uocatione Dei, ratio.

Chriſtiani debent habere animum uendacem.

bus suis unusquisq; egentes ex animi promptitudine, quemadmodum Paulus ait, adiuuet. Generale enim est, quod dicitur: Misericordiam uolo, & non sacrificium. Egentes prõptu animo adiuuandi.
Ac iterum: Qui habet duas tunicas, impertiat non habenti, & qui habet escas, similiter faciat. Nam qui fecerit sibi amicos ex Mãmona iniquitatis, ii recipient ipsum, cum defecerit, in æterna tabernacula, per Iesum Christum dominum nostrum, qui est unà cum Patre & Spiritusancto, Deus laudandus in secula, Amen.

HOMILIA CIX.

Hactenus muniuit Christus concione sua animos Apostolorũ aduersus sollicitudinem uictus & amictus, nunc exhortabitur eos ad diligẽtem functionem officii sui, ne propter tardum aduentum Dñi ignauiter torpescant, & ministerium suum negligant. Sint, inquiens, lumbi uestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus uestris, & uos «
similes hominibus expectantibus dominũ suum, quãdo reuertatur à nuptiis, ut cũ «
uenerit & pulsauerit, confestim aperiant ei. Beati serui illi, quos cum uenerit dominus, inuenerit uigilantes. Amen dico uobis, q̃ præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis. Et si uenerit in secunda uigilia, & si in tertia uigilia uenerit, & ita inuenerit, beati sunt serui illi. Alii præcinctura lumborũ pro coercione corporis à uoluptatibus, & gestationẽ ardentiũ tedarum, pro exemplo bonorum operũ interpretantur, sed hæc magis sunt allegorica, q̃ huic loco propria, alii externo etiam ritu ad hunc habitũ cõparato ineptiũt. Aut eñ adhuc corpore sani, arrepta cærea candela, in ecclesiæ congregatione, templa circũire solent, aut iam morituri accensam candelã in manibus gestant, existimantes se his operibus satisfacere admonitiõi Christi, & se probe ad aduentũ eius paratos esse. Sed simpliciter obseruandũ est, quod Christus moneat hoc loco Apostolos suos similitudini bus à seruorũ officio & mercede ductis, ut officiũ suum diligẽter administrẽt. Etenim hic est habitus fidelium seruorũ, qui expectant dominũ suum noctu à conuiuio aut nuptiis rediturũ, præcingunt sese tunica sua, & gestant ardentes tedas in manibus suis, nec præscribunt domino tempus redeundi, sed ipsi uigiles & solliciti expectãt domi aduentum eius, ut cum pulsauerit fores, confestim aperiant ei, & teda sua præluceant. Ac siquidem aduenerit dominus in prima uigilia, & inuenetit seruum uigilantem, agnoscet officium serui, & uicissim alio officio compensabit. Si uero aduenerit in secũda aut tertia uigilia (noctes eñ à ueteribus in uigilias distributæ fuerũt) & inuenerit seruum uigilanter expectãtem, ibi tum tanto gtatius est officiũ, quãto tardior est aduentus, & iam nihil aliud reliquũ est, quàm quòd dominus talem, tanquam diligentem & uigilantem seruum, nullo non beneficiorũ genere prosequat. Hic est solennis rerum cursus in hoc seculo, inter fideles seruos & gratos dominos. Et quod ad simplicem quidem huius rei tractionem attinet, primũ omnium commendatur hoc loco discrimen conditionis inter dominos & seruos, in hoc seculo. Etsi enim in Christo Iesu, nec sit seruus, nec dominus, attamen in hoc seculo, & in hac externa rerum administratione necessariũ est discrimen seruorum & dominorum. Deinde admonentur domini ad humanitatẽ erga fideles seruos suos. Postremo inuitãtur & serui, ut fideliter officium suum administrent, de qua re Paulus ad Ephesios & Colossenses copiose concionatur. Quod autem attinet ad similitudinem, propter quam Christus hoc loco mentionẽ facit dominorũ & seruorũ, Apostoli serui sunt, Christus autem dominus. Monet ergo Christus Apostolos suos, ut quemadmodum fideles serui diligẽtissime faciant officiũ suum, absente Domino, & parati expectent, quouis momento aduentum Domini, ita Apostoli magna cu

Lumborum præcinctura.

Lucernæ accensæ.

Seruorum fidelium officia.

Seruorum & dominorum discrimen necessarium.

Christus ascẽdens in cœlũ ad conuiuium abijt.

ra fungantur ministerio suo prædicandi Euangelii. Iesus enim Christus Dominus noster, & si semper præsto adsit ecclesiæ suæ, tamen quia subductus est ab humano & externo cõspectu, dicitur pegre abesse. Et quia ascendit in cœlum, ac perfruitur iucundo immortalitatis quasi conuiuio, & celebrat tanq̃ nuptias inter se & sponsam suam ecclesiam, quam sibi sanguine suo acquisiuit, non absurde dicitur ad conuiuium aut nuptias abiisse. Redit autẽ, uel occulte & priuatim, cum hominẽ ex hoc seculo ad futurũ per mortẽ uocat, uel manifeste & publice, cum in nouissimo die uenturus est in maiestate sua, ad iudicandum uiuos & mortuos. Sic em̃ (inquiũt angeli) ueniet, quemadmodũ uidistis eum euntẽ in cœlum. Interea igitur temporis uestrũ erit, ut accinctis lumbis & accensis tedis expectetis aduentũ eius. Id autẽ non fiet, si externo cingulo tunicam constringatis, & externas tedas in manibus gestetis, hic enim seruorum huius seculi habitus est, sed si officium uestrum diligenter feceritis, & uocationi Dei obedienter seruieritis. Quid ergo beneficii consequentur Apostoli, officio suo ad finem usq̃ fideliter fungentes? Beati, inq̃t, serui illi. Amen dico uobis, quòd Dñs præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis. His uerbis Christus iterũ adumbrat solennes mores gratos dominorũ in hoc seculo erga fideles seruos suos, & explicat quanta beneficia diuinitus consequantur hi, qui ministerio suo ex fide & constanter defungãtur. In hoc enim seculo, si bonus quispiam uir fidelem seruum habuerit, tanto amore cõplectitur ipsum, ut non solũ eam mercedem, quã ex pacto debet, persoluat, uerumetiam defatigato laboribus mensam præparet, cibum proponat, adeoq̃ uicissim, quoquo officio licet, seruiat. Itaq̃ diligentia serui efficit, ut dominus fiat seruus, & seruus, dñs. Idem etiam inter Christum & Apostolos eius accidit. Etsi em̃ Christus dominus sit, & Apostoli serui, tamen si Apostoli diligenter officium suum administrauerint, tanta potẽtia expugnabunt animum Christi, ut uicissim ipse fiat seruus eorum, & agnoscat eos, tanquam dominos suos. An non agnouit eos dominos, cũ in nouissima cœna pedes ipsorum lauaret, & linteamine extergeret? An nõ seruiuit eis ut dominis, cum pro ipsis crucem ferret, ac mortem oppeteret? Et post resurrectiõem, etsi iam præditus erat cœlesti maiestate, maluit tamẽ, hac ad tempus dissimulata, Apostolis seruire, ut certitudinẽ resurrectionis suæ approbaret, quàm pro iure maiestatis suæ dominationem tantũ exercere. Sed hæc contigerunt in hoc seculo. Quid autẽ post illud seculum fiet? tibi tum uere id pro cœlesti consuetudine fit, quod hoc loco dicitur: Præcingit enim sese dominus, & facit fideles seruos discumbere, ac transiens ministrat illis. Non esurient, quẽadmodum Apocalypsis loquitur, neq̃ sitiẽt amplius, nec cadet super illos sol, neq̃ æstus ullus, quoniã agnus, qui in medio throni est, regret illos, & deducet eos ad uiuos fontes aquarum, & absterturus est Deus omnem lachrymam ab oculis eorum. Habes, quantam beneficiorum magnitudinem consequantur Apostoli diligentia ministerii sui. Nunc uide quanta etiam necessitas urgeat eos, ut interea temporis, dum Christus dominus abesse uidetur, officium suũ diligenter faciant. Hoc autem, inquit, scitote, quoniam si sciret paterfamilias, qua hora fur ueniret, uigilaret utiq̃, & non sineret perfodi domũ suam. Et uos estote parati, quia qua hora non putatis, filius hominis ueniet. Si uos Apostolos non inuitat ad diligentẽ functionẽ officii uestri beneficiorũ magnitudo, alliciat saltẽ uos ad uigilantiã ipsa rerũ necessitas, ne inopinato aduentu eius, quo unusq̃sq̃ necesse habet rõem officii sui reddere, inter oscitantes opprimamini. Tametsi em̃ notũ sit ipsũ aduenturũ, ignotũ tñ est, qñ, qua hora, quoue momẽto aduẽtur⁹ sit. Latet aduẽt⁹ dies, ut oẽs obseruẽt: latet aduẽt⁹ hora, ut oẽs expectẽt. Cõparat aũt Christus aduentum

Beneficia sequuntur diligentiam ministerij.

Dominorum gratorum mores erga seruos fideles.

Christus agnouit Apostolos dominos.

Christi aduẽtus subitus et inexpectatus

aduentū ſuum conſuetudini furum. Solenne enim furibus eſt, tunc maxime omnium alienam domū perfodere, cum exiſtimant homines in ea altiſſimum ſomnum ducere, ac ſecuriſſime ſtertere: ſic & Chriſtus eo potiſſimū tempore uenturus eſt, cū minime omniū expectatus fuerit. Dies ille Dñi, inqt Paulus, ut fur in nocte, ita uenturus eſt. Cum eñ dixerint, pax & ſecuritas, tunc repentinus eis imminet interitus, ſicut dolor partus mulieri prægnati, nec effugiēt. Idem etiam ſignificat Chriſtus, cum aliās cōparat aduentū ſuum diebus Loth & Noe. Item decē uirginibus, quarum quinq; iam tum demū, poſtquā ianua ſponſi clauſa fuit, cum oleo redierūt, ſed audiunt: Amen dico uobis, non noui uos. Vigilandum igiť eſt, quia neſcitis neq; diem, neq; horam, in qua filius hominis ueniet. Cæterū cum Chriſtus hæc Apoſtolis cōcionaretur, & admoneret eos ad diligentē functionem miniſterii ſui, Petrus interrumpit ſermonē eius, & ait: Domine, ad nos dicis hāc parabolam, an ad oēs? Apparet Petrum hoc uitio præ aliis Apoſtolis laboraſſe, quod ſollicitus fuerit, ne ex uocatiōe & mandato Chriſti neceſſe habeat plus, quàm alii, oneris & moleſtiarum ferre. Sic cum Chriſtus uocaret eum ad ſufferendam mortem: Cum ſenueris, inquiens, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet, quo non uis: ſtatim inquirit Petrus in Ioannem: Hic autē quid, inquiens? nimirū ſentiebat iniquū eſſe, ut ipſe obiiciatur morti, Ioannes autē iucundam & ſecuram uitam ducat. Sic & hoc loco, cum audiret Chriſtum ab ipſis requirere ſummā uigilantiam in uocatione ipſorū, exiſtimabat iniuſte comparatū eſſe, ut ab ipſis tam ſeuere exigatur uigilantia, aliis aūt hominibus liceat interim torpeſcere, & genio indulgere. Interpellat igiť Chriſtum: Domine, inquiens, ad nos dicis hanc parabolam, an ad omnes? A cāpud Ioannem quidem, auocat Chriſtus Petrū uerbis paulo ſeuerioribus, ab hac præpoſtera ſollicitudine, & ait: Si uelim eum manere, donec ueniā, quid ad te? tu mē ſequere. Quo reſponſo monet nos omnes, ne quis in aliorū fortunam præpoſtera ſollicitudine inquirat, ſed ſuam quiſq; uocationē ſectetur. In hoc aūt loco Chriſtus Petro nihil reſpondet, ſed pergit in concionc ſua, duro fortaſſis & auſtero uultu importunitatem eius coarguens. Cæterū, in Marco, cap. 13. poſtq̄ diſcipulos ad uigilātiam iiſdem ſimilitudinibus adhortatus eſſet, diſerte addit: Quæ uobis dico, omnibus dico. Vigilate. Quare neceſſe eſt, ut ſentiamus hanc concionis partem, de uigilantia, nō tantū ad Apoſtolos, uerumētiam ad omnes homines pertinere. Sed de hac re poſtea audiemus, nunc ea quæ ſequuntur ita perſtringemus, perinde ac ſi ad ſolos Apoſtolos pertinerent, ut & ad hos primū omnium dicta ſunt. Ait autem Dominus: Quis putas eſt fidelis diſpenſator & prudens, quem conſtituit Dñs ſuper familiam ſuam, ut det illis in tempore tritici menſuram? Beatus ille ſeruus, quem cum uenerit dominus, inuenerit ita facientē. Vere dico uobis, ſuper omnia q̄ poſſidet, conſtituet illum. Iterum hortatur Chriſtus Apoſtolos ad diligentem functionem miniſterii ſui, idq; à præmio, quod explicat cōparatione ciuilium diſpenſatorum, ad eccleſiaſticos miniſtros. Etū ſolennis in hoc ſeculo conſuetudo eſt, ut paterfamilias, qui plures habuerit ſeruos, unum aliquem fidelem & prudentem ex omnibus ſeligat, & conſtituat eum diſpenſatorem ſuper reliquum famuliciū, ut det illis opportuno tempore demenſum cibum. Et ſi is diſpenſator diligētem in officio ſuo operam nauauerit, ac functionem ſuam diſpenſatoriā fideliter adminiſtrauerit, præfici ſolet non famulicio tantū, ſed etiā omnibus bonis, quæ paterfamilias poſſidet. Vulgo quidē dicit: Officia à dñis cōmendata, nō ſunt hæreditaria, quā uocē experientia, ut initio excitauit, ita nunc quotidianis exēplis cōfirmat, adeoq; fieri ſolet, ut infideles ſerui, magnā conſequantur dominorum ſuorū gratiā, fideles

Petri curioſa ſollicitudo.

Herrē dienſt erbē nicht.

Seruorum fides & diligẽtia habet magna præmia.

autem non niſi odia & uaria incõmodorum genera reportẽt, idq; iuxta publicum illum morem, quo malis bona, & bonis mala in hoc ſeculo accidũt, attamen ſi res iuxta inſtitutam Dei ordinationẽ ſucceſſerit, hoc iam reliquum eſt, ut ſeruus, qui ſuper pauca fidelis fuit, ſuper multa conſtituatur. Habes exemplũ in Ioſepho, qui cũ in domo Putipharis Eunuchi Aegyptia ciſordida initio fideliſsime adminiſtraret, præfectus eſt paulo poſt omnibus domeſticis bonis. Sic & Dauid, ab obuibus in aulã Saulis traductus, breui ſummũ in aula locum obtinuit, propterea quòd infima prudenter & fideliter adminiſtraſſet. Ac tametſi & Ioſeph & Dauid ipſa re cõpererũt, ueriſſimum eſſe, quod uulgo dicitur, officia à dominis cõmendata non ſunt hæreditaria: uterq; enim ſummã dominorũ ſuorum ingratitudinẽ experti ſunt, alter in carcerem coniectus, alter in exilium expulſus, Dñs tamen Deus noſter ſuccеſſit in locum ingratorũ dominorũ, & cõpenſauit diligentiã illorum, in minori functiõe, adhibitã, egregia & illuſtri remuneratione, in hoc etiam ſeculo. Ioſephum enim è carcere extulit in principatũ Aegypti. Dauidem autem ab exilio euexit in regiam maieſtatẽ. Habes quãtum mercedis, iuxta diuinam ordinationẽ, ciuilibus ſeruis in hoc ſeculo contingat. Audiamus nunc quanto præmio donentur Eccleſiaſtici ſeu Chriſtiani ſerui, in futuro ſeculo. Si enim ciuiles ſerui, ob bene nauatã operam, præficiuntur omnibus bonis dominorũ ſuorum, quis exiſtimaret Deum hominibus ilIiberaliorẽ eſſe, & non multo maiora præmia ſuis ſeruis donare? Vt ergo dñs noſter declaret clementiam ſuam, donat fideles ſeruos ſuos, nõ regno aliquo terreno, quod caducũ eſt, ſed regno cœleſti, quod eſt perpetuũ, & conſtituit eos, non ſuper ſordida bona huius ſeculi, ſed ſuper ſplẽdidiſſima bona cœlorũ, quibus nihil nec maius nec excellentius excogitari poteſt. Amen, inquit Chriſtus, dico uobis, qui uos qui ſecuti eſtis me, in regeneratione, cum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & uos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael, & omnis, qui reliquerit domos ac fratres propter nomen meũ, centuplũ accipiet, & uitæ æternæ ſortietur hæreditatẽ. Et iterum: Vos eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis, Et ego diſpono uobis, ſicut diſpoſuit mihi pater meus regnũ, ut edatis & bibatis ſuper menſam meã in regno meo, & ſedeatis ſuper thronos, iudicantes duodecim tribus Iſrael. Ergo ne, inquies, Apoſtoli meriti ſunt diligentia miniſterii ſui uitam æternam? Minime omniũ. Nulla eñ eſt ne Apoſtolorũ quidẽ, tanta diligentia, quæ põtuerit perfecte ſatis facere legi & uocationi Dei, ſed uita æterna dicitur merces diligentiæ, propterea quòd diligẽtia ſit fructus eius fidei, quæ agnoſcit, uitam æternã nobis tantũ propter Ieſum Chriſtum contingere. Et habet interim diligentia etiam ſua quædam merita, non quidem uitæ æternæ, quam ſolus Chriſtus nobis meritus eſt, ſed in uita æterna, iuxta illud, quod Paulus ſcribit: Redditurus eſt unicuiq; iuxta facta ſua. Atq; hæc de præmio diligentiæ dicta ſunt.

Ecclesiaſticorum ſeruorũ præmia.

Vita æterna merces diligentiæ.

Nunc audiamus etiam de ſupplicio negligentiæ, ut ſi quem nõ inuitat merces diligentiam, ſaltem deterreat ſupplicium à negligentia. Quòd ſi dixerit ſeruus ille in corde ſuo: Moram facit Dominus meus uenire, & cœperit percutere ſeruos & ancillas, & edere & bibere, & inebriari, ueniet dominus ſerui illius, in die qua nõ ſperat, & hora qua neſcit, & diſſecabit eum, partemq; eius cum infidelibus ponet. Affectus & mores ignaui & negligentis ſerui, clariſſime ob oculos põnuntur. Primũ enim, ignauus ſeruus, cum uidet dominum differre reditum ſuum, cõcipit ſecuritatem, & cogitat ſecum, quid opus eſt me multã adhibere diligentiã in officio? Dñs non uidet & cunctat redire. Interea igitur temporis indulgebo genio, & curabo cutẽ meã, donec audiuero dñm præ foribus eſſe. Deinde nõ ſolũ intermittit officiũ ſuũ, uerum-

Serui ignaui mores.

uerumetiam totus ad intemperantiam uitæ uertitur, edit, bibit, helluatur, inebriatur, scortatur, adeoq; nullum non genus intemperantiæ sectatur: postremo grassat etiam tyrannide in conseruos suos, quorum est dispensator à domino ordinatus, & opprimit eos crudelitate sua. Existimat enim se tanto magis sua scelera tecturũ, & domino fidem officii sui probaturum, quanto uiolentius & crudelius conseruos aut subditos dñi sui tractauerit. Hi ferè sunt mores impiorum officialium & præfectorum. Quid aũt postremo fieri solet? Venit dominus serui illius in die, quo nõ exspectat, & hora qua ignorat, & dissecabit eum, partemq; eius ponet cum infidis, seu ut Matthæus habet, cum hypocritis, hoc est, cum subdolis proditoribus & fidefragis. Solent enim proditores ac fidefragi, qui dicuntur hypocritæ, aliud uidelicet simulantes, aliud agentes, in quatuor partes dissecari, & particulatim ad quatuor portarum ciuitatis introitus suspendi. Cum igitur ignaui, impii & crudeles officiales habeantur in catalogo proditorum, afficiunt etiã eodẽ cum proditoribus supplicio. Quod accidit in publicis dñorum huius sæculi ministris, hoc idem accidit in ministris ecclesiæ. Nam si quis eorum impius fuerit, primum omnium securissimam ducit uitam, propterea quod non uidet Christum externa maiestate præsentem, & existimat eum sua quædã negotia, nescio quæ, in cœlo agere, deinde negligit officium suum, & aut concionatur impia, aut nihil concionatur, sed cõmendat aliis officium concionandi, interim dat ipse operam aleæ, uenationi, aliisq; uoluptatum generibus: posttemo, usurpat sibi tyrannidem in Ecclesiam, & quos nunq; instituit in doctrina pietatis, eos opprimit crudelitate, ac nisi uoluntati ipsius obsequantur, nõ tam diris deuouet, quàm externo etiam gladio trucidat. Habes mores impiorum ministrorũ ecclesiæ, quos nunc uocant episcopos, qui iactant se esse Apostolorum successores. Sed quia cunctatur Dñs uenire, ergo ne impune ferẽt illi crudelitatem suam? Minime omniũ. Etsi enim in hoc seculo fœlicissimè uiuant, reliquum tamẽ est aliud seculum, in quo tanto seuerius punientur, quanto excellentiorem gradum in Ecclesia tenuerint. Dices autẽ: Quid si seruus quispiam, non ex ignauia aut impietate, sed ex ignorantia neglexerit officium suũ, nunquid & ille proditorum supplicio afficietur? Afficiet quidem supplicio, sed tamen tolerabiliori. Sequitur enim: Ille autem seruus, qui cognouit uolũtatem dñi sui, & non se præparauit, & non fecit secundum uoluntatem eius, uapulabit multis. Qui autẽ non cognouit, & fecit digna plagis, uapulabit paucis. Facit & aliãs Christus discrimẽ, inter eos, qui periti & imperiti peccant: Væ tibi, inquiens, Corazin, uæ tibi Bethsaida, quoniam si in urbe Tyri aut Sidonis factæ fuissent uirtutes, quæ factæ sunt in uobis, olim in sacco & in cinere scelerum suorum pœnitentiã egissent. Attamen dico uobis, Tyro & Sidoni tolerabilius erit in die iudicii, quàm uobis. Quare tolerabilius? quia & rerum imperiti, & externa prædicatione non admoniti peccauerũt. Sed dices: Si ita se res habet, quod qui ignorantes peccant, leuius puniantur & damnentur, malo nullas audire sacras cõciones, nec discere quid rectum quid secus sit, ut si quidẽ omnino damnationi obnoxius fuero, tolerabilius puniar, q̃ cognitiõe recti grauissimo afficiar supplicio? Hic uero nobis obseruãdũ est, multũ esse discriminis inter eos, q̃ nolentes, & q̃ uolẽtes rectã pœnitẽtiæ rõem ignorãt. Nã qui cũ ea scire cupiãt, ignorẽt tñ, etsi habeãt qualẽcunq; ignorãtiæ suæ excusationẽ, damnatiõi tñ obnoxii sunt. Dicit enim Dñs per Ezechielẽ: Si dicẽte me ad impiũ, morte morieris, nõ annũciaueris ei, neq; locutus fueris, ut auertat à uia sua impia, ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinẽ aũt eius de manu tua requirã. Qui uero rectã pœnitentiæ rõem ita ignorãt, ut nec cupiãt q̃ dẽ scire, & abominẽtur etiã tanq; catharmata, ueræ pœnitẽtiæ doctores, hi ut sũt multo peiores illis, q̃ sciũt uolũtatẽ dñi, & nõ faciũt,

Impiorum ministrorum Ecclesiæ mores & pœna.

Ignorantes quidam uolentes, quidam nolentes.

ita grauius etiam damnabuntur. Non enim peccant tantum, mala faciendo, uerũ etiam boni cognitionem abominando. Quare ut magistratus seuerius in hunc animaduertit, qui data opera obdurat aures ad promulgatiõem legis, & postea ignorantiam prætexit, quàm in illum qui uel omnino legis ignorans deliquerit, uel sciens, aliqua tamen tolerabili causa, legem uiolauerit, ita dñs Deus noster multo grauius eos puniet, qui studio impietatis nolunt uoluntatem Domini cognoscere, quàm illos, qui cognoscunt, & delinquunt. Cæterum, quia quæ antea in hac concione dicta sunt, præcipue omnium ad Apostolos pertinent, ideo etiam hæc præ omnibus aliis ad ipsos referenda erunt. Nam cum Apostoli electi sint in lucẽ mundi, in salem terræ, & in fundamentum Ecclesiæ, exigit etiam Christus ab ipsis maximam omnium uigilantiam, & honestatem, ne quo modo fiat, ut cum aliis prædicent, ipsi reprobi efficiantur. Sic enim sequitur: Cuicunq; multum datum est, multum quæretur ab eo, & cui commendauerunt multum, plus petent ab eo. Christus iterum accommodat consuetudinem dominorum huius sæculi ad diuinum iudicium. Dominis enim huius mundi solenne est, ut maiorem & grauiorem rationẽ administratæ uillicationis ab iis seruis repetant, quibus maiora & ampliora officia commendauerunt, q̃ ab iis, quibus abiectiora commendata sunt. Sic & Dominus Deus noster multo seueriorem rationem ab iis exiget, in quos plura & maiora dona contulit, quàm ab iis, qui pauciora & minora consecuti sunt. In Ecclesia autem non sunt ullis hominibus maiora dona & officia commendata, quàm Apostolis. Primum enim habuerunt præceptorem, non simplicem quendam & gregarium prophetam, sed ipsum Christum filium Dei, qui explicuit ipsis, quanta potuit perspicuitate mysteria regni cœlorum. Deinde, non tantum uiderunt præsentes miracula à Christo ædita, uerumetiam ipsi ornati sunt à Christo dono ædendorum miraculorum. Postremo non solum uiderũt Christum, postquam à mortuis resurrexerat, sed etiam donati sunt spiritu sancto, maximis miraculis comitato, & emissi sunt in totum orbem terrarum, ut tanquam principes regni cœlorũ, orbem Christo subiicerent. Quo officio, qua uillicatione, quid potest excellentius excogitari? Quanto igitur Apostoli maiora dona acceperunt, tanto Christus grauiorem abipsis rationem se exacturum affirmat, ut eos ab ignauia deterreat, & ad uigilantiam & diligentiam excitet. Habes exhortatoriam concionem, præcipue omnium ad Apostolos dictam. Quanquam autem uocatio Apostolici ministerii, magnum habeat discrimen ab aliorum hominum uocationibus, tamen quia unusquisq; suum quoq; à Domino accepit, tum donum, tum officium: ideo hæc concio generaliter etiam ad omnes, pro suæ tamen cuiusq; uocationis ratione, accommodari debet. Sic magistratus ciuilis suam habet uocationem, sic paterfamilias suam, sic & seruus & dominus, parẽtes & liberi, maritus & uxor, cœlebs & liber, diues & pauper, senex & adolescens, studiosus literarum, & studiosus artificii mechanici, breuiter, sua singulis & dona & officia diuinitus commendata sunt, quibus unusquisq; factus est obnoxius seruituti & ministerio domini Dei nostri. Reliquum igitur est, ut quanta uigilantia exigitur ab Apostolis in sua uocatione, tanta exigat ab unoquoq; alio in suo officio. Etenim, qui uel ignauia suam negligunt uocationem, uel propter tardum aduentum Domini differunt resipiscentiam, & cogitãt, se satis oportune pœnitentiam acturos, cum uideant mortem præ foribus præsto adesse, aut nouissimũ diem imminere, hi certe tanto tum inexpectatius tum grauius punientur, quanto securius uiuunt, & illustrioribus donis ornati sunt. Potentes enim, inquit Sapiens, potenter tormenta patientur. Non enim subtrahet personã cuiusquam Dominus, nec

Apostolis maxima & plurima dona collata.

Vigilantia ut nicuiq; in sua uocatiõe mandata.

nec uerebitur magnitudinem cuiusquam, quoniam pusillum & magnũ ipse fecit, & æqualiter cura est illi de omnibus. Fortioribus autem fortior instat cruciatio. Qui uero sectantur uocationem suam ex fide, & perseuerant usq; in finem, his, quia certa men bonum decertant, & fidem seruant, reposita est iusticiæ corona, quam reddet ipsis in illo die Dominus noster Iesus Christus, qui est iustus iudex, & unà cum Patre & Spiritu sancto Deus laudandus in secula Amen.

HOMILIA CX.

A Bsoluit Christus eam concionis suæ partem, in qua exhortatus est Apostolos ad uigilantiã & diligẽtiã in administrando officio suo. Nũc explicat qs sit secũdũ externã speciẽ futurus status eius tẽporis, quod est duraturũ à primo aduentu ipsius in carne, usq; ad secundum & nouissimum aduentum in maiestate, & medetur offendiculo, quod possent imbecilles propter turbas & calamitates, quæ tempore reuelati Euangelii excitatæ sunt, à uera fide Euangelii absterrere. Nam prophetæ iucundissima quæq;, & fœlicissima de tempore aduentus Christi uaticinati sunt. Multiplicabitur inquiũt, eius imperium, pacis non erit finis. Non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium. Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit. Non audietur ultra iniquitas in terra tua, uastitas & contritio in terminis tuis, & occupabit salus muros tuos, & portas tuas laudatio. Populus tuus omnes iusti, in perpetuum hæreditabunt terram. Non erit ultra uox fletus & uox clamoris. Non erit amplius infans dierum, & senex qui non impleat dies suos. Breuiter, nulla est fœlicitas, quam prophetæ nõ adscribunt ei tempori, quo Christus patriarchis promissus in hunc mundum uenturus est. Iesus autem filius ille Mariæ manifestis argumẽtis significabat, se esse Christũ per prophetas promissum. Interim tamen eo tempore, quo ipse aduenit, & Euangelion suum prædicauit, nihil plane earum fœlicitatũ, de quibus prophetæ uaticinati sunt, mundo apparebat, sed omnia potius diuersa accidere uidebantur. Bellorum non erat finis, & iam non tantũ bellabatur à monarchis, sed etiam ab hominibus priuatis. Nec dissidebant inter se uicini tantum, uerumetiam domestici, pater contra filium, & filius contra patrem, quemadmodum postea commemorabitur. Iniquitas uero in summum ita excreuerat, ut iam, ne si uelint quidrm homines, nihil amplius scelerum adũcere possint. Et quanquam perpetua uita & fœlicitas promissa erat his, qui Christum agnoscerent, adhuc tamen homines egebant, & moriebantur. Potuissent igitur non tam Apostoli, quàm reliqui discipuli, tanta rerum confusione ita offendi, ut ne persuasionem quidem in mentem ipsis ueniisset, hunc Iesum esse uerũ Christum. Sed Christus in hac, quæ sequitur, posteriori concionis suæ parte, medetur huic offendiculo & docet, regnum suum non esse de hoc mundo, & quæ de fœlicitate sui temporis à prophetis dicta sunt, non esse intelligenda secundum externam fœlicitatem in hoc seculo. Ignem, inquiens, ueni mittere in terram, & quid uolo, nisi ut accendatur? Baptismo autem habeo baptizari, & quomodo coartor usq; dum perficiatur? Ignem accendere significat dissidia & seditiones excitare. Quod igitur Christus dicit, hanc sententiam habet: Existimatis fortasse, quod meo aduentu in hunc mundum omnis ignis dissidiorum & sedicionum extinguendus sit, ego uero ingenue fatebor uobis, quod istiusmodi ignis ad meum aduentum accendatur potius quàm extinguatur, & si unquam in orbe terrarũ dissidia fuerunt, nunc potissimum hoc tempore erunt. Hanc sententiam confirmant ea quæ mox sequuntur. Addit enim Christus: Putatis quod pacem ueni dare in terram? Nõ dico uobis

Prophetarũ uaticinia lætissima de tẽpore aduẽtus Christi.

Ignem accendere uenit Christus.

» ſed ſeparationem. Erunt enim ex hoc quinque in domo una diuiſi, tres cõtra duos, & duo contra tres, diuidetur pater contra filium, & filius contra patrem, mater contra filiam, & filia contra matrem, ſocrus contra nurum ſuam, & nurus contra ſocrum ſuam. Et aliàs dicit: Tradet frater fratrem in mortem, & pater filium, & inſurgent filii aduerſus parentem, & morte afficient eos. Et quod dicit, reipſa etiam comprobatum eſt. Apoſtoli enim, præterea Stephanus, Paulus, & multi alii, in ſcriptura nobiles, non habuerunt pernicioſiores & uirulentiores aduerſarios, quàm ſuam ipſorum gentem, ſuos ciues, inter quos educati erant, ſuos cognatos & amicos. Extat & huius rei exemplum, etiam hoc tempore, quo diuina clementia Euangelion gratiæ Dei noſtri iterum reuelatum eſt. Propter Euangelion enim diſſidet principatus aduerſus principatum, ciuitas aduerſus ciuitatem, familia aduerſus familiam, adeoq; in uno etiam lecto diuerſas reperias religiones. Quid ergo eſt, quod Eſaias uocat Chriſtum principem pacis. Et pacis, inquit, non erit finis? Hoc Chriſtus paucis quidem, ſed grauiſsimis uerbis exponit dicens: Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coartor uſq; dum perficiatur? Intelligit autem per baptiſmum, hoc loco, paſsionem, crucem & mortem ſuã, ut ſit ſenſus: Quæ de imminentibus diſsidiis loquor, ea tum potiſsimum emergent, cum ego crucem & mortem ſubiero, ad quã ſufferendam, totus animo meo propendeo. Etſi enim prophetæ uaticinati ſunt, regnum meum, regnum pacis fore, & omnem diſsidiorum ignem meo aduentu extinguendum eſſe, addiderunt tamen, me percutiendum, uulnerandum & occidendum eſſe propter peccata populi. Vulneratus eſt, inquiũt, propter peccata noſtra, & attritus eſt propter ſcelera noſtra. Ex mox: Abſciſſus eſt de terra uiuentium, propter ſcelus populi mei percuſsi eum. Et aliàs: Poſt hebdomadas ſexaginta duas occidetur Chriſtus, & non erit populus eius, qui eum negaturus eſt. Quid quod & ipſa legis ſacrificia adumbrãt, calamitatem mihi & mortem ad expianda peccata hominum patiendam eſſe? Quibus uaticiniis tam lex quàm prophetæ perſpicue ſignificant, regnum meum nõ fore de hoc mundo, & quæ de pace & aliis generibus fœlicitatis dicuntur, non eſſe intelligenda de externa pace & fœlicitate huius ſeculi, ſed partim de publica prædicatiõe Euangelii, & ſecuritate conſcientiæ per fidem, partim de ea fœlicitate, quæ in nouiſsimo die, in poſteriori aduentu Chriſti reuelabitur, & in æternum durabit. Etenim, ſi regnum Chriſti conſtaret externa maieſtate in hoc ſeculo, profecto non poſſet Chriſtus, ne tantillo quidem, ab impiis ſuis aduerſariis læsi, & quemadmodum ipſe dicit: Si ex hoc mundo eſſet regnum meum, miniſtri mei utiq; decertarent, ne traderer Iudæis. Nunc autem regnum meum nõ eſt hinc. Et aliàs: Pacem relinquo uobis, pacem meam do uobis. Non quomodo mundus dat, ego do uobis. Non quomodo (inquit) mundus dat. Quare, quæ de pace & & fœlicitate regni Chriſti in prophetis dicuntur, nõ ad externũ ſenſum in hoc ſeculo, ſed ad publicam prædicationem Euangelii, ad ſenſum conſcientiæ per fidem, & ad reuelationem futuri ſeculi referenda ſunt. Ergo ne, quia Chriſtus dicit, non ueni ut mitterem pacem, ſed gladium, ſentiemus Chriſtũ & Euangelion eius autores eſſe diſſenſionum & bellorum in terra, & excitemus inter nos ſeditiones, ut uerbum Chriſti adimpleamus? Minime omnium, Chriſtus enim his uerbis non ſignificat, ſe & Euãgelion ſuum natura ſua malum ſeu peccatũ operari. Quomodo enim quod natura bonum èſt, malum operaretur? ſed uaticinatur, uaticinatur, inquam, quantum mali propter maliciam hominum è ſua & Euangelii ſui bonitate eueniat. Quàm bonum enim eſt Euangelion Chriſti, tam mali ſunt homines, qui cum non poſsint propter impietatem ſuam Euangelion ferre, nihil non diſsidiarũ excitans

Diſſidia tempore reuelati Euangelij.

Prophetarũ uaticinia de fœlicitate regni Meſſiæ quomodo intelligenda.

Chriſtus & Euangeliõ nõ eſt cauſſa diſſenſionum in terris.

excitant,ut Euangelion,& eos qui Euangelio fidem habent,opprimant. An si sol ad lippientes & cæcutientes diceret: non luceo ad illuminandos uos,sed ad excæcandos,non uera diceret? & tamen sol natura sua illuminat totũ orbem terrarum, interim autem dicitur excæcare lippientes, non natura sua, sed uitio lippientium oculorum,ita & Christus non excitat uitio Euangelii sui ignem sedicionum, sed uitio impiorum hominum fit,ut ex prædicatione Euangelii turba disidii concitet. Proinde,qui pii sunt,non debent ex his uerbis Christi occasionẽ sumere concitandarum sedicionum,& mouendorum bellorum, sed ipsi quidem sectẽtur pietatem, & quantum in ipsis est,uiuant in pace cum omnibus hominibus,si autem impii excitauerint ignem sedicionum & bellorum,non offendantur ipsi, non fiant similes impiis,nec deficiant à pietate, sed suæ ipsorum uocationi ex uerbo Dei seruiant, & patienter ferãt, quæ Dominus ferre iussit. Cæterum, non Apostoli tãtum offendebantur è uariis disidiorum tumultibus, ut dubitarent, num is Iesus uerus esset Christus per prophetas promissus,uerum multo magis uulgus,ac maxime omniũ Pharisæi & Sadducæi contendebant etiamnum, hunc Iesum ne posse quidem esse Christum,ac postulabant,quemadmodum Matthæus & Marcus scribunt, ut si uerus esset Christus,ostenderet signũ de cœlo,ac declararet illud publico miraculo, uel deuocatione solis è cœlo in terram,uel admirabili circumactione solis in orbẽ humanis oculis sensibilem,uel excitatione subitæ tempestatis, quam sequatur subita serenitas,uel alio id genus miraculo. Christus autẽ ingemiscens ad hæc,ut Marcus ait,exprobrat eis tum ignauiam tum impietatem ipsorum, & dicit ad turbas:

Cum uideritis nubem orientem ab occasu,statim dicitis,nimbus uenit, & ita fit. cc
Et cum austrum flantem,dicitis,æstus erit, & fit. Hypocritæ, faciem cœli & terræ cc
nostis probare,hoc autem tempus quomodo non probatis? Quid autem & ex uo- cc
bis ipsis non iudicatis,quod iustum est? Alia tempestatis signa in Matthæo, alia in Luca recensentur. Sunt autem hæc tempestatis indicia,agricolarum, ut uocant regulæ. In Matthæo enim scribitur: Cũ cœperit esse uespera, dicitis, serenitas erit, nam rubet cœlum,& mane,hodie tempestas,rubet enim cœlum triste. Hæc autem pluuiæ & serenitatis argumenta uulgo nota,suas etiam habent Physicas causas. Etenim si ad uesperam rubedo nubium conspiciatur, signum est, uapidũ humorem interdiu,ad infimam,non ad mediam regionem aëris,calorem solis eleuatum. Ad uentante igitur noctis frigore, uapor humidus non permittitur altius ascendere, sed noctu in rorem commutatur,& sequitur serenitas. Quod si uero cœlum appare at mane præ rubedine triste,indicium est,multum uapidi esse humoris inter nos & solem,qui præcedenti nocte non est conuersus in rorem. Calore igitur ascendẽtis solis altius trahitur,in q̃ pluuiam mutatur. Et hæc de indiciis pluuii & sereni tempo ris apud Matthæum. In Luca uero alia proponuntur indicia: Cum,inquit Christus uideritis nubem orientem ab occasu,statim dicitis,imber uenit. Et ita fit. Iudæis enim mare est ad occasum. Itaq; consectaneum est,nubem à mari orientem,aquas secum pluuiales aduehere. Vnde & Elias,cum post trium annorum siccitatem audiret à seruo suo,paruam nubeculam de mari,quod Iudæis est ad occidentem,ascendere,prædixit grandem pluuiam futuram,non quod illud ex nubecula cognoue rit. Spiritu enim sancto reuelante didicit futuram pluuiam,priusquam nubecula appareret: sed cum diuina administratione pluuia uentura esset,nubecula ueluti naturalis nuncia pluuiæ præmissa est. Rursus cum audieritis Austrum flantem, dicitis, æstus erit,& fit. Auster enim uentus est meridionalis, calidus & æstuosus. Quid autẽ sibi uult Christus hac de tempestatibus concione? num descendit de cœlo, ut do-

Tempestatiũ præsagia habent suas causas Physicas.

Christus nõ uenit nos docere φυσικὰ.

ceat nos μετέωρα, aut agricolarum regulas de futura tempestate minime omniũ? Hæc enim è liberis eorum, qui φυσικὰ scripserunt, aut ex eorum sermone, qui longo rerum usu præstant, non ex euangelio requirenda sunt, sed Christus uoluit hac cõcione Pharisæis, Sadducæis, & reliquæ turbæ exprobrare torporem, somnolentiã & negligentiam in perscrutandis iis rebus, quæ ad cognoscendam præsentiã Messiæ, & ad consequendam ueram ac æternam salutem pertinent. Quod igitur dicit, hanc habet sentẽciam: Cum prædicatur, hoc illud tẽpus esse, quo Messias in lege promissus aduenerit, plericq; omnes uanissimum iudicant, propterea q̃ nondum reipsa sentiant piorum fœlicitatem & impiorum interitum. Sed quæ est hæc præpostera sapientia, quod è naturalibus quibusdam argumentis, tam diligenter & exacte de futura aëris tempestate iudicetis, attamen interim tam oscitanter obseruetis ea argumenta, quæ certo uobis indicare possent, Messiam aduenisse, & quanquam reipsa nondum appareret piorum fœlicitas & impiorum interitus, non tamen longe abesse. Extant enim quædam perspicua signa, & certissima argumenta, quibus manifestum erat, hoc tempus illud esse, ad quod oracula prophetarum de aduentu

Signa aduentus Meßiæ tẽpore Christi adimpleta.

Messiæ respexerunt. Prophecia enim patriarchæ Iacob, qua dictum est: Non auferetur sceptrum de tribu Iuda, donec ueniat Silo, hoc est, Messias, iam completa erat. Implebantur & hebdomadæ Danielis. Miracula ab Esaia, tempore Messiæ ædenda, iam opere ipso, ac stupentibus omnibus perficiebantur. Cæcorum oculi aperiebantur, aures surdorum patefiebãt, saliebat claudus sicut ceruus, mutorum lingua soluebatur, eiiciebantur & dæmones, quo uno indicio satis manifeste cognosci potuit, regnũ Dei aduenisse. Sed Elias etiam, qui Ioannes Baptista fuerat, iam aduenerat, & præsentiam Messiæ testificatus erat. Itaq; satis multa argumenta erant, quibus certo cognosci potuit, tempus illud iam appropinquasse, quod prophetæ oraculis suis designarunt. Quæ igitur hæc est ignauia, quæ impietas, & quis diuinarum rerum contemptus, quòd tam sollicite inquiritis, in futuram aëris tempestatem, & non inquiritis, quid hoc tempore de uestra uera salute futurum sit? Cæterum, nõ

Hominum ignauia in scrutanda ratiõe salutis suæ.

Iudæi tantum, uerum etiam Christiani in hoc reprehensibiles sunt, quod maiorem habeant rationem rerũ huius seculi, quàm suæ ipsorum ueræ & æternæ salutis. Multo enim plures sunt, qui quouis die, libellos prognosticorum, quos practicas uocãt, euoluant & excutiant, ut cognoscant, qualis sit futura dierum, qui sequuntur tempestas, & quale incrementum habiturum sit uel frumentum uel uinum, quàm qui

Astronomia donum Dei.

attrectent libellum Euangeliorum, & ediscant quæ sint salutis suæ. Nõ reiicitur, nõ damnatur sobria cognitio rerum naturalium. Et scientia de rebus cœlestibus, quã ἀστρονομίαν uocant, donum Dei est, in hoc collatum, ut ex cognitione uisibilium & admirabilium rerum astronimicarum, assurgamus in cognitionẽ & admirationẽ inuisibilium Domini Dei nostri, quemadmodum Paulus docet. Sed hoc reprehẽsione, & quod maximum est, extrema internitione dignum est, quòd ea tantum, quæ sunt huius seculi, quæruntur, quæ autem ad ueram salutem pertinent, magno contemptu fastidiuntur. Recte igitur & his dicitur: Hypocritæ, faciem cœli scitis diiudicare, signa uero temporis, quo aduenit salus uestra, nõ potestis? Sed perstringamus etiam ea, quæ sequuntur, ut conditiones eius temporis, quo Christus aduenit, adhuc clarius explicentur: „ Cum uadis, inquit, cum aduersario tuo ad principem in uia, da operam, ut libereris ab illo, ne forte tradat te ad iudicem, & iudex „ tradat te exactori, & exactor mittat te in carcerem. Dico tibi, nõ exibis inde, donec „ etiam nouissimum minutum reddas. Hæc sentẽcia scribitur etiam in Matthæo, cap.

cap. quinto. Et sunt, qui hæc uerba ad statuendum ignem, quem uocant, purgatorium detorserint. Sed hi coegerunt id uideri dictis contineri, quod ante lectionem præsumpserunt intelligendum. Nulla enim plane uel apud Matthæum, uel hoc loco apud Lucam mentio fit ignis purgatorii in futuro seculo, sed Christus explicat tantum his uerbis, quam rationem habiturum sit regnum suum in hoc præsenti seculo, & est sermo de debito pecuniario, & carcere ciuili, non de peccatis, & futuris pœnis peccatorum. Sunt enim, qui, quòd sint Christiani, quòd agnoscant Christum, quòd sint fratres in Christo, existimant se liberos esse ab exoluendis debitis, tributis, censibus, decimis, & aliis id genus ciuilibus oneribus. Esaias enim scribit, Christum prædicaturum annum placabilem Domino, hoc est, annum iubilæum, quo serui restituuntur libertati, & unus quisq; ab oneribus suis liberatur. Et aliàs: Aedificabunt, inquit, filii peregrinorum muros tuos, & reges eorum ministrabunt tibi. Et mox: Gens & regnum quod non seruierit tibi, peribit. Hæc quia in aduentu Christi implenda scribuntur, putant isti, se in Christo ita liberos esse, ut ipsi quidem nulli seruiant, omnes autem aliæ gentes, adeoq; reges earum necesse habeant ipsis seruire, & uestigia pedum ipsorum adorare: Christus autem corrigit hoc loco præposterum illorum Christianismum, & docet regnum suum nõ habere hanc conditionem in hoc seculo, ut liberet homines ab externis suis debitis pecuniariis, & externis carceribus huius seculi, sed iubeat potius omnia ciuilia onera ferre, & subiiciat omnes externis magistratibus. Vnde quod dicit, hanc habet sententiam: Si habes aduersarium, cui debes summam quandam pecuniariam, qui & te in ius uelit trahere, ut extorqueat debitum, noli existimare, quòd iudicio uincas, & absoluaris, quia es Christianus, & noli putare te ideo ab exoluendo debito liberum, quòd agnoscas Christum, sed potius, quia Christianus es, unicuique soluendum tibi est quod debes. Charitas enim Christiana exigit, ut omnibus reddatur, quod debetur, cui tributum, tributum, cui uectigal, uectigal, cui timorem, timorem, cui honorem, honorem. Quare summa tibi danda est opera, ut si debueris aliquid aduersario, conuenias cum ipso amice, priusquam ad iudicium ueneris. Nam si pertinaciter recusaueris debitum persoluere, & in iudicio conuictus fueris, ac coniectus in carceres, profecto, quantum ad externum Christi auxilium attinet, necesse habebis in carcere inclusus perdurare, donec persolueris extremum debiti quadrantem. Quid ergo? num Christus non est à miseris debitoribus inuocandus, nec ab ipso auxilium sperandum? Et num licet creditoribus pauperes debitores tam crudeliter tractare, ut adigant eos ad uincula & carceres? Primum, Christus in quauis afflictione siue corporali siue spirituali inuocandus est, & petendum ab ipso auxilium, nec quod hoc loco dicitur, uetat fidem & orationem erga Christum, sed explicat tantum rationem regni Christi in hoc seculo, & docet, quòd regnum Christi, quantum quidem in se est, non sit turbatu rum politicum statum huius seculi, nec aboliturum leges ciuiles. Quare, & si quis in Christum credit, necesse tamen habet creditori suo iuxta leges ciuiles satisfacere, aut pœnam in legibus constitutam ferre. Deinde quanquam licet Christiano debita sua legitime, publico etiam iudicio exigere, quemadmodum aliàs copiose docuimus, tamen non licet ei in miserum & pauperem debitorem crudeliter grassari. Nota est parabola apud Matthæũ cap. decimooctauo de duobus debitoribus, quorum alter qui crudeliter tractauerat conseruum suum debitorem, tradit torto ribus ppter sæuiciam, & quod remissum erat, irerum repetitur. In Mose, lex tam hu

Libertas carnalis quorundam male Euangelicorũ.

Debita cuilibet exoluẽda

Christi regnũ non turbat politiã externã & leges ciuiles.

Debitores nõ crudeliter urgendi aut opprimendi.

mana est,ut non permittat creditorem intrare in domum debitoris, & auferre pignus,sed iubet eum foris stare,& pignus accipere. Non ingredieris, inquit, domum eius,ut pignus auferas,sed stabis foris,& ille proferet tibi quod habuerit. Sin autem pauper est,nō pernoctabit apud te pignus,sed statim reddes ei ante solis occasum. Et additur amplissima promissio: ut dormiens in uestimento suo, benedicat tibi, & habeas iusticiam coram Domino Deo tuo. Tametsi autem non est necesse, ut ciuiles ritus Mosaicæ legis in Romana politia obseruentur, necesse tamen est ut obseruetur charitas erga proximum. Hæc uero quemadmodum exigit,ut unicuiq; creditori satisfacias,quoquo modo tibi possibile fuerit,ita uicissim exigit etiã, ut non urgeas pauperem debitorem durius,nec opprimas eum crudelius. Huc enim & natura ipsa uocat: Omnia,inquiens,quæcunq; uolueritis ut faciant uobis homines, sic & uos facite illis,& fides in Christum hortatur nos,ut cum pater noster cœlestis remiserit nobis propter Christum innumera debita, remittamus nos proximo uel pauca. Pareamus igitur tum admonitioni naturæ,tum uocationi fidei,ut declaremus erga Deum gratitudinem animi nostri,& consecuta peccatorum remissione, æternam fœlicitatem habeamus per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus laudandus in secula Amen.

Hic finis esto prioris Tomi Homiliarum in Lucam. Posteriorem tunc addemus,cum uiderimus hæc Ecclesiæ CHRISTI non inutilia esse.



Halæ Sueuorum in officina Petri Brubachii, Anno M. D. XXXVIII. Mense Martio.

[439b4-W